OLIVERII BONARTII
E SOCIETATE IESV THEOLOGI
DE HORIS CANONICIS
ET
SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO TRACTATVS DVO,

Quorum prior Horarum Canonicarum Inſtitutionem, Obligationem, & Religionem: Alter verò Sacroſancti Miſſæ Sacrificij Inſtitutionem, Religionem, & Fructum Ternis Libris dilucidè ac breuiter exponit.

[redacted]

BIBL. SS. IO. & PA. DE URB.

ANTVERPIÆ,
Typis CORNELII WOONS ſub ſigno Stellæ aureæ,
Anno M. DC. LIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PLVRIMVM REVERENDO
DOMINO
D. LVDOVICO BONART
I. V. LICENTIATO COGNATO
SVO GERMANO SALVTEM
OLIVERIVS BONART.

OPVSCVLA mea, eccleſiaſticum de horis Canonicis, vnum; de auguſtiſſimo ſanctæ Miſſæ Sacrificio liturgicum alterum producturus in lucem, cui potiſſimùm commendarem cogitanti præ alijs mihi occurriſti, PLVRIMVM REVERENDE DOMINE, cum vinculo ſanguinis, tum adfectu Germane. Quippe annos ego natus tres omnino ſupra octoginta, veteres amicos fruſtra requirebam; hi enim ad Cœlites, vti confido, mihi præiuêre, ſuique in memori pectore gratam iucundamque memoriam reliquêre; donec viſum erit Optimo Deo me cum optimis viris meliori in orbe coniungere ſempiterno, nec interrumpendo vllis caſibus optatiſſimo nexu.

Porrò dubitationem omnem prorſus ſuſtulit laudatiſſimum conſilium tuum,quo ætate ſupra maturi-

Digitized by Google

maturitatem roboratâ, in canaque prudentiâ vir initiatus es Sacris.

Hoſtiam primam in æde Collegij Societatis Ieſu Ipris obtuliſti Deo, vſus adiutore pro Eccleſiæ ritu Reuerendo Patre Ignatio Bonart Iprenſis Collegij Rectore; præſentibus, applaudentibusque Honorando viro Domino Franciſco Cathedralis Eccleſiæ Membri Morinenſis Canonico; Conſultiſsimoque Domino Ioanne, Senatui Iprenſi à Conſilijs, Fratribus tribus Bonartijs, communi vrbis adgratulatione, plauſuque.

Et horæ tibi recitandæ de Eccleſiæ Lege, & faciendum ad Aram Deo. Quin ea tibi futura ſint lectu iucunda, quæ huc te inſtituunt, nequeo ambigere. At incitat me ardentiùs, quòd amori in Societatem Ieſu tuo, inque hoc Collegium Iprenſe benefico, quà licet, munuſculo grati animi, perenni ad poſteros monumento geſtio reſpondere.

Modeſtia tua non me patitur de beneficijs in Societatem tuis exaggeratiùs loqui. Adhæc epiſtolæ limites nolo obliuiſci; ſenumque vitium prolixitatem declino.

Ergo Charites inuicem nexæ leni impulſu placidæ Nymphæ deduxêre me ad Te; blandâ ſuâ voce inſuſurrantes, Seni, Amico, Cognato, quà ſuo, quà Matris ſuæ nomine Societatis, inquam, Ieſu, multis

bene-

Digitized by Google

beneficijs amabili vinculo adſtricto Apoſtolicum Acroama: Grati eſtote.

Erit hoc Mnemoſynum mei; erit hoſpitalitia teſſera; erit amaranthinum ſeu immarceſsibile pignus gratiarum. Vtere, fruere, vale, diu ſuperſtes amico, ſemper animo & corpore incolumis. Ita ex animo precor.

Ex Muſæo noſtro Collegij Societatis Ieſu Ipris pridie Kal. Iulias. M. DC. LIII.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

MOREM, modumque ſecutus eorum, qui in parua tabella regionum ſitus depingunt, totam inſtitutionem, obligationem, & religionem Horarum Canonicarum, trium libellorum compendio complexus ſum. Res fortaſſe videatur ingenij non magni; Fateor, ſed ſtudij ingentis, nemo, qui hos legerit, inficias ierit. Semper enim mihi placuit, & menti inſedit illud M. Tullij, quo de ſe alibi ita ſcribit: Quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaui. *Sed hoc æſtimare aliorum ſit arbitrij. Potius tibi conſilium, ad quod in hoc opere meo edendo collimaui, apertum dabo. Conſulere animus fuit multorum Clericorum, & Religioſorum bono, quibus vel non vacat verſare, vel ad manum non ſunt, ob rem domi anguſtam, grandia doctorum volumina, in quibus de precibus horarijs vel ex propoſito ſcribunt, vel ſparſim aliqua intexunt. Addere poſſum; quòd ſciam, extare neminem (legi autem & peruolutaui, quoſcumque reperire potui, qui hac de re aliquid vel curſim attigerunt) qui totam officij Eccleſiaſtici rationem & argumentum ſit perſecutus. Quidam enim ſolam materiam, & partes ex quibus illud componitur, fuſiùs, vel breuiùs pertractarunt, vt ſunt, qui de diuinis officijs, vel Eccleſiæ ritibus aliquid euulgarunt, quorum pleroſque omnes, ſaltem vetuſtiores, in vnum tomum redegit Melchior Hittorpius auctarium ad Bibliothecam SS. Patrum. Nec prætereundus hic ex recentioribus Marcellus Francolinus non ſolùm vtriuſque Iuris Conſultiſſimus, ſed etiam Matheſios, & Theologiæ ſcientiâ clarus tractatu De tempore Horarum Canonicarum. Pars toti ſunt in expediendis difficultatibus Theologicis, pertinentibus ad ipſam obligationem, vt ſunt tum Summularij, tum Canonum, & Scholaſticæ Doctores, quorum quidam exactiùs, & denſiùs, alteri leuiùs & rariùs quæſtiones de Conſcientiæ iure excuſſerunt. Inter hos autem palmam ceteris præripuerunt ex Doctoribus quidem Canonum, Martin. Nauar. tom. 3. operum, Commentario in C. Quando ſtamus,*

quem

quem inſcribit Enchiridion de Horis Canonicis; & è Theologis Franc. Suarez tom.2. de religione, lib.4. de Oratione. Denique alijs ſatis fuit pium Pſalmodum ſpiritualibus documentis inſtruere, quibus eruditus diuini officij penſum Domino reuerenter & attentè perſoluat. Huiuſmodi plures extāt; vt Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. operum ſpiritualium, qui eſt De ſtudio orationis, & Ludouicus Pontanus tom.4. De perfectione Chriſtiana, tract.3. & alij. Mihi autem propoſitum eſt nihil in hoc Argumento intactum relinquere, ſed omnia, & ſingula accuratè, & quàm diligentiſſimè pertractata in memoriam poſterorum dare. Itaque ipſarum precum Canonicarum omnium & ſingularum inueſtigo ortum, & prima incunabula, perſcrutor, vt ſic loquar, earum adoleſcentiam, gradus, progreſſuſque, conſummatum etiam vſum earumdem & frequentationem demonſtro. Explico dilucidè earum numerum, naturam, dignitatem, formam, tempus illarum canonicum, materiam, eademque contra Orthodoxiæ Antagoniſtas propugno, & vt in publicam vtilitatem nonnihil conferam, partes ſingulas minutim diſcutio, & enucleo. Et hæc quidem lib. 1. agito. Alter verò liber tradit earum obligationem, & infinitos propè de eadem Theologicos nodos diſſoluit. Poſtremus tandem monita, & documenta plura congerit apprimè commoda & vtilia ad diuinum officium, & ſingulas preces horarias animo præparato & erecto faciendas. Quo etiam accedunt innumera exempla, ex vetuſtis Annalibus deprompta: quibus lector docetur, qua ratione viri omnium temporum ſanctiſſimi, Eccleſiaſticum tributum Deo appenderint. Nec mouere quem debet multitudo, & varietas argumentorū rationum, exemplorum, præceptorum, quibus moneo, inſtruo, excito quēlibet penſo horario ſoluendo obſtrictum, ad deuotè, ſedulò, accuratè officium canonicum exhibendum; quia decretum mihi eſt hiſce libris perfectum, & omnibus numeris abſolutum inſtituere Pſalten, Clericum, vel Aſcetam, adeoque quod fecit Plato in lib. de Repub. & M. Tullius lib. qui inſcribitur Orator, mentis oculis ſubijcere formam, exemplar, &, vt ſic loquar, ideam (quam Latinè excogitatam ſpeciem vocare poſſumus) exacti conſummatique pſalmodi, quam etſi quis ad vnguem non ex-

primat-

Digitized by Google

primat, non ob id tamen animi neruos contendenti ſpes infringi, aut langueſcere induſtria debet. Si quidem prima ſequentem honeſtum eſt in ſecundis tertijſque conſiſtere, vt rectè dixit Cicero. Certè, ingenuè dico, & ſcribo candidè longo interuallo abeſſe me à ſcopo, quem mihi, alijſque in hiſce libris præfixi, nec aſſecutum formam illam, quam cogitatione & mente complexus ſum. Tantùm ad ſumma magnis animis enitamur. Interim, vt olim de ſe ſcripſit Vates Venuſinus.

Horat in arte Poëtica.

— Fungar vice cotis, acutùm
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Porro character & calamus, vt materia & res tulit hoc in opuſculo, purus eſt & Romanus. Vbi verò quæſtiones Theologicæ enodandæ ſe obtulerunt, proprijs ſcholæ vocabulis vtendum fuit. Siquidem rebus verba, non res verbis aptandæ ſunt. Locum in his habet illud inſignis Poëta.

Maniſius lib. 1. Aſtronom.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Hæc ſunt, de quibus breuiter Lectorem meum præmonitum volui; ad quem ſi quid ſpiritualis fructus ex horum lectione promanauerit, mihi gaudebo, illi verò ex animo gratulabor, cernens laborem meum non eſſe inanem in Domino; cuius vnius honori & gloriæ & publico bono omnia ſtudia mea velificari facto pede opto & voueo.

Elen-

Digitized by Google

ELENCHVS CAPITVM LIBRI PRIMI
De Inſtitutione Horarum Canonicarum.

CAPVT PRIMVM.

HORARIÆ Eccleſiæ precationes archetypum ſibi vendicant cæleſtium hymnodiam. pag. 1

CAP. 2. Precationum canonicarum adumbratio in veteri teſtamento. 5

CAP. 3. Orationum canonicarum origo tempore Apoſtolorum & nouæ legis. 8

CAP. 4. Pſalmodiæ quotidianæ vſurpatio tempore SS. Patrum, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, ad noſtrã vſque ætatem. 10

CAP. 5. Precationum ſtatarum illuſtris memoria in antiquis Epiſcoporum Concilijs. 15

CAP. 6. Solemnium precum frequentatio in viris ſanctis æuo priſco & deinceps. 16

CAP. 7. Quando inſtitutæ horæ Canonicæ. 19

CAP. 8. Quid ſint horæ canonicæ, & varia earum nomina. 23

CAP. 9. Horæ canonicæ ſunt oratio vocalis, & quare. 25

CAP. 10. Precatio canon. eſt oratio publica; & quis ex ea fructus exiſtat. 27

CAP. 11. Horaria ſupplicatio conuenienter vtiliterque inſtituitur in choro, & miniſtrorum Eccleſiæ cœtu. 30

CAP. 12. Quare Eccleſia officium diuinum non toti populo, ſed ſelectis tantùm hominibus commiſerit. 34

CAP. 13. Ritè decenterque officium canon. voce alta & in cantum flexa peragitur. 37

CAP. 14. An modulatio muſica, quam vocant figuratam, ad diuinum officium admittenda; & quæ in ea vitanda. 47

CAP. 15. Organorum, neruorum, lituorumque cõſpiratio moderata in diuino officio celebrãdo rectè permittitur. 57

CAP. 16. Cantus alterni inſtitutio, antiquitas, vtilitas. 56

CAP. 17. Quot ſint horæ canon. 62

CAP. 18. Cur Eccleſia non omnibus, ſed certis tantùm horis, ijſque orationi vacet. 66

CAP. 19. Diuiſio horarum canon. in nocturnas & diurnas; Matutinas item, & veſpertinas. 73

CAP. 20. De nocturnis vigilijs, ſiue officio nocturno. 75

CAP. 21. An olim tres nocturni diuiſi tempore à ſe, & à laudibus canerentur. 77

CAP. 22. Quod ſit tempus aptum nocturno officio, vt iam eſt ordinatum, laudibuſque matutinis celebrandis. 81

CAP. 23. De Prima, eius antiquitate, tẽpore quo ritè perſoluẽda. 84

CAP. 24. Tertia, Sexta, Nona quando peragendæ. 88

CAP. 25. De Veſperis, & earum hora, ſimulque de lucernario. 92

* * CAP. 26.

CAP. 26. Completorium, vetus eius inſtitutio, hora pſallendi. 95

CAP. 27. Non ſunt audiendi hæretici, qui tum alia multa in pſalmodia reprehendunt, tum præcipuè lingua Latina vulgò ignota eam à Catholicis peragi ringuntur. 98

CAP. 28. Nihil eorum, ex quibus horariæ precationes conſtant, meritò reprehẽdi poteſt. 101

CAP. 29. Præcipuarum officij canonici partium diſcuſſio & propugnatio. 107

CAP. 30. Compendioſa totius pſalmodiæ, diuiniq́ue officij à capite ad calcem expoſitio. 117

CAP. 31. Origo officij minoris B. Virginis, & breuiter de alijs quibuſdam precibus, ſolitis horis canonicis adiungi. 133

Syllabus Capitum Libri ſecundi de Obligatione Horarum Canonicarum.

CAP. 1. Quinam lege preces canonicas pſallendi præſertim in choro obligentur. 137

CAP. 2. An Clerici ratione ordinis horarias preces recitare teneantur. 139

CAP. 3. An religioſi profeſſione ad chorum deputati vel moniales ſimili ratione profeſſæ pſalmodiæ lege aſtringantur. 144

CAP. 4. An beneficiarij preces horarias perſoluere teneantur, & quo iure. 146

CAP. 5. An qui plura habet beneficia ſæpius etiã diuinum officiũ in die ſoluere obligetur. 151

CAP. 6. An onus horas canon. ſoluendi imponendum ſit ijs, qui ſacerdotium poſſident cum exiguo vectigali. 153

CAP. 7. An nullos fructus ex bonis Eccleſiaſticis beneficiarius recipiens, nihilominus ad officium canon. obligetur. 156

CAP. 8. Vtrum beneficiariorum obligatio de precibus horarijs dicendis inchoëtur à tempore collati beneficij, an ſolùm à die aditæ poſſeſſ. 159

CAP. 9. An penſionem, vel fructus ex bonis Eccleſiæ abſque tamẽ titulo beneficij percipientibus præceptũ incumbat horarias preces recitandi. 160

CAP. 10. Vtrum beneficiarij penſum ſuum horarium non perſoluentes iure pontificio ad reſtitutionem fructuum aſtringantur. 163

CAP. 11. Quantum, & quibus reſtituendum ſit ab illis, qui elapſis ſex primis menſibus canonicum officium omiſerunt. 165

CAP. 12. An beneficiarij horas non recitantes lege naturali fructus iniuſtè perceptos reddere teneantur. 170

CAP. 13. Quænam formula in precibus canon. publicè vel priuatim recitandis obſeruanda ſit. 172

CAP. 14. An officium diei in breuiario aſſignatum permutare licitum ſit. 177

CAP. 15. An in pſalmodia publica vel priuata ordo aliquis neceſſariò tenendus ſit. 179

CAP. 16. Vtrum inter matutinum & Miſſam ordo aliquis intercedere debeat. 180

CAP. 17. Vtrum ſine interruptione horæ can. tam in choro, quàm priuatim ſint contin. 184

CAP. 18. An qui recitat horam canon. vel interrumpit animo iterũ legendi præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat, ſi non repetat. 187

CAP. 19.

Digitized by Google

CAP.19. Quale peccatum committant, qui diuinum officium, ad quod tenentur, publicè vel priuatim negligunt. 192

CAP.20. Vtrum omiſſione ſeptenarij horarum, ſeptem, vel vnum tantùm peccatum mortale incurratur. 196

CAP.21. An beneficiarius ſacris initiatus horas omittens dupliciter peccet contra iuſtitiam & religionem. 198

CAP.22. Vtrum Eccleſiæ præceptum impleatur preces canon. alternis pſallendo publicè vel priuatim: Item quid in alternatione ſeruandum. 198

CAP.23. An beneficiarij partem ſuam non cantantes in choro, ſed ſubmiſsè tantùm recitantes officio ſuo ſatisfaciant: Et an ſic lucrentur quotidianas diſtributiones. 201

CAP.24. Quomodo peccetur officium diuinum mutilando, verba & ſyllabas abſorbendo, vel etiam aliquid extraneum addendo. 206

CAP.25. Quod delictum contrahant ſerò ad chorum venientes, citò exeuntes, &c. 209

CAP.26. An præter horas canon. alia etiam quædam ab obligatis recitanda. 213

CAP.27. Qua voce officium diuinum recitandum. 216

CAP.28. Quo loco precationes canon. dicendæ. 218

CAP.29. Quo tempore horariæ preces publicè in tẽplo dicendę 219

CAP.30. Quando priuatim Eccleſiæ officium recitandum. 221

CAP.31. Quotuplex ſit attentio: Item an aliqua ſit de ſubſtantia orationis vocalis. 227

CAP.32. Vtrum quælibet attentio ſufficiat ad orationem honeſtã. præcepti implet, &c. 229

CAP.33. Quæ culpa in vocali oratione attentionem negligere. 232

CAP.34. Num neceſſaria ſit ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ de horis legendis intentio Deum orandi. 235.

CAP.35. Qualis attentio præcipiatur C. *Dolentes*, de celebratione Miſſarum. 240

CAP.36. Vtrum qui ſine attẽtione preces cano. legit, teneatur poſtea repetere, & fructus, ſi beneficiarius eſt, reſtituere. 242

CAP.37. Quomodo peccetur tam in choro, quàm priuatim, debitæ attentionis defectu, tempore pſalmodiæ. 245

CAP.38. Quæ cauſæ ab intrinſeco prouenientes à penſo horarum ſoluendo aliàs obligatum eximant. 245

CAP.39. Quæ cauſæ extrinſecæ immunitatem à precibus horarijs recitandis tribuant. 251

CAP.40. An qui iuſta de cauſa liberatur à toto officio recitando non teneatur ſaltem ad partem dicendam, quam commodè poteſt. 254

Index Capitum Libri tertij de Religione Horarum Canonicarum.

CAP.1. Admoti ſtimuli ad religioſè officium canonicum perſoluendum. 258

CAP.2. Accenſæ faces ad nocturnas vigilias ſollicitè & alacriter obeundas. 264

CAP.3. Amica inuitatio ad vtramque matutinam orationem magno animo aggrediendam & decurrendam. 267

CAP.4. Monita parænetica ſuper pre-

catione ad Tertiam, Sextam,& Nonam horas. 271

CAP.5. Iſagoge ad feruenti ſpiritu vtramque veſpertinam orationem exigendam & perficiendam. 273

CAP.6. Qua præparatiône mentis ad ſtatas Eccleſiæ preces pſallendũ accedere oporteat. 276

CAP.7. Exempla quorumdam, qui inſigni religione & reuerentia diuinum officium peregerunt. 280

CAP.8. Mira quædam, quæ circa precationes canonicas diuinitus acciderunt. 288

CAP.9. Animaduerſio in aliquos, qui penſum canonicum perfunctoriè reddiderunt. 295

CAP.10. Quis locus ſacræ pſalmodiæ habendæ in primis habilis & conueniens. 298

CAP.11. Protrepticon ſiue exhortatorium ſuper prece canonica opportuno tempore, & plenè fundenda. 302

CAP.12. Quæ corporis compoſitio in officio canon. publicè vel priuatim præſtando maximè commoda & commendabilis. 306

CAP.13. Cur Eccleſia in ſuis precibus apprimè vſurpet,& delectetur pſalmis, & quis ex eorum cantu in publicum promanet fructus. 311

CAP.14. Quomodo ex ſacris lectionibus ſpiritualis vtilitas in anagnoſtas, & auditores redundet. 317

CAP.15. Silentiũ in choro, dum pſallitur, accuratè præſtandũ. 323

CAP.16. Religioſa reuerentia in oratorio, eius ingreſſu, egreſſuque exhibenda. 328

CAP.17. Quomodo pia mens & intentio canonicum officium perſoluenti concipienda. 334

CAP.18. Varijs argumentis ſuadetur gnaua attentio ſub precationis canon. horam. 339

CAP.19. Quæ euagationum ab orationis ſcopo diuerſarum origo; & qua ratione cum illis pugnandum. 344

CAP.20. Parænesis ad continentem, integram, ordinatam, diſtinctam, canonicarum precum modulationem & lectionem præſtandam. 349

CAP.21. Quis modus in pſallendo ex ſanctorum ſententia tenendus. 353

CAP.22. Quæ Pſaltis in choro modulantibus à viris prudentibus vitio vertantur. 358

CAP.23. Perlectis horarijs precibus explorandus animus, examen inſtituendum, & defectus reſarciendi. 362

CAP.24. Remedia & apotropæa ſcrupulis infra officium recurſantibus depellendis comparata. 365

CAP.25. Excutiuntur priuilegia quorumdam ordinum Religioſis circa canonicarum precũ recitationem conceſſa. 370

CAP.26. An ſtatæ Eccleſiaſticorum preces fuſæ à miniſtro, cuius vita vel intentio improba eſt, Eccleſiæ proſint ad pœnæ temporariæ relaxationem, vel ſaltem aliquid à Deo impetrare valeant. 374

CAP.27. Cura Eccleſiæ Præſidum præcipua, vt diuinum officium ritè decenterque præſtetur. 377

Ad maiorem Dei Deiparæque Virginis gloriam.

Digitized by Google

DE HORARVM CANONICARVM INSTITVTIONE LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Horariæ Eccleſiæ precationes archetypum ſibi vendicant cæleſtium hymnodiam.

1. PRECATIONES Canonicas vel maximè commendat Angelicæ hymnodiæ imitatio. In nulla enim re magis æmulã ſe præbet terreſtris hæc & inferior Hieruſalem cæleſti illi & ſuperiori, quàm in aſſidua communis Dei, & Domini laudatione. Nullus ignorare poteſt beatarum mentium propriam functionem eſſe perpetuam doxologiam, Pſalte regio id teſtante Pſalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Illuſtris eſt locus Iob 38. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*; quod expreſſius 70. Seniores extulerunt. *Quando facta ſunt aſtra, laudauerunt me magna voce omnes Angeli mei.* Vnde colligas Angelos in prima Geneſi mundi conditos ipſius opificem celebraſſe. Iſaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena eſt omnis terra gloriâ eius.* Vbi Seraphini è cælis deſcribuntur deſcendiſſe (ſic aliqui volunt, vt P. Prado in 1. viſionem Ezech. ſect. 6.) in templum Salomonis, ibiſque hymno triſagio Deum collaudaſſe, viciſſimque ſe animaſſe; quaſi nobis mortalibus indicarent idem vſurpandum officium, quibus in templo Deus præſens. Quinimo obſeruat pius auctor Thomas à Kempis cap. 8. de diſciplina clauſtralium, cæleſtes illas Vitas percuſſu & clangore alarum ſuarum nos ad pſallendum alacriter excitare. Tobiæ 13. *Per vicos ſuperna Hieruſalem Alleluia cantabitur.* Idem habes Apocal. 19. *Audiui quaſi vocem turbarum multarum in cælo dicentium Alleluia.* Lucæ 2. *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo &c.* Apocal. 4. *Quatuor animalia requiem non habebant die ac nocte, di-*

Angelorum proprium munus eſſe Deum laudare ſcriptura docet.

cantia ; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſecula ſeculorum, procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes : Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem &c. Similia commemorantur cap. ſequenti. Eadem quoque de virginibus liliatis, & laureatis martyribus dicuntur cap. 14. & 15. Quàm poteſt proximo interuallo Eccleſiaſtica Reſpub. & Hierarchia ſequitur cæleſtẽ, idque omnium præcipuè ; vt prælocutus ſum, in continuanda, & perpetuanda Dei laude. In hac nouem cæleſtium ſpirituum chori ſuauiſſimis modis Dei laudes integrant; in noſtra iuxtà nouem Ordines, nempe Clericorum, Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, Acoluthorum, Hypodiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, Epiſcoporum, Summi Regis, licet impare ſymphonia, encomia prædicant, ſuaſque voces, cælitum carminibus miſceri humili prece ſupplicant; dum tota Eccleſia ſic profitetur : *Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur*, &c. Ab his Choris non abludit illud ſacri Epithalamij cap. 7. *Quid videbis in Sunamite* (Eccleſia, inquam, militante, Amazone noſtra, quæ inter arma, & lituorum ſtrepitus, ad pacem tamen ſemper aſpirat) *niſi choros caſtrorum* ? In quem locum Theodoretus. Chori, inquit, caſtrorum, ſunt preces, ac cantus Eccleſiæ, qui nocte dieque perſonant ; Caſtra ſunt templa in quibus milites Chriſti contra dæmones militant. Huiuſmodi nouem choris cingitur ; huiuſmodi caſtris munitur ; imò hiſce quaſi nouem lapidibus pretioſis, de quibus Ezech. cap. 28. *Coruſcat Regina, quæ aſtat à dextris principis, in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Hîc etiam ante ſedem Dei presbyteri thronis inſident candidati, induti iuſtitia tanquam veſtimento, incincti coronis aureis, regalis Sacerdotij, habentes ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum ; dum Deo ſacrificant hoſtiam laudis, & nomen Domini, omnium Sanctorum in idem concurrentibus votis, inuocant, citharas plectunt, & pangunt canticum nouum, dum ritu ſolemni & animis lætantibus in diuinas laudes voces laxant.

2\. *Eccleſia militans nouem choris ſimilis Angelicis Deum laudat.*

3\. *Concordia egregia vtriuſque Eccleſiæ militantis & triumphantis in Dei laude celebranda.*

Quod, ſi auctore D. Auguſt. lib. 17. de Ciuit. cap. 14. Muſica, & concentus, in quo diſſimilium vocum diſcrimina in vniformem, & ſuauiſſimè concordem conſpirant melodiam, repræſentat nobis animorum conſenſionem, concordiam voluntatum, & Rempub. optimis legibus temperatam : Quis, non dicam, voce exprimere, ſed mente concipere poterit dulciſſimam Deoque gratiſſimam ſymphoniam, quam efficit Chorus militum Eccleſiæ noſtræ inter ſe arctiſſimo concordiæ nexu vnitorum ; ſi cæleſtibus legionibus coniungatur ? Conſurget hinc profectò, acies caſtrorum ordinata, non ſolùm malignis ſpiritibus terribilis, ſed planè inſuperabilis. Scitè verò & illud obſeruatum eſt à Doctoribus quibuſdam, nominatim à Dom. Soto lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. artic. 2. Eccleſiam noſtram, vt ſe cum illa cæleſti arctiſſima ſocietate coniunctam oſtendat, in templis duos in Choros ſolere miniſtros ſuos diuidere, eoſque alternis modulantes; quorum vnus erectus ſtat quaſi in acie, & procinctu, ſignum ad præliandum expectans, hoſtem ferire paratus, qui ſignificat Eccleſiam militantem; alter quieſcit, & ſedet quaſi victor exultans captâ prædâ, quando opima diuidit ſpolia, & palmas de triumphatis hoſtibus enumerat, qui ſtatum cæleſtis Eccleſiæ repræſentat.

4\. *Cur in Pſalmodia pars vna chori ſtet, altera ſedeat.*

Sed

5. *SS. Patres concordiam vtriuſque Eccleſiæ in Deo laudando demonſtrant.*

Sed iuuat audire Sanctos Patres paſſim in ſcriptis ſuis conſpirationem hanc vtriuſq; Eccleſiæ, & fœdus agnoſcentium. Cyril. Hieroſol. Catech. 13. *Studio*, inquit, *Eccleſia Pſalmiſtæ Angelicos imitantes exercitus ſemper Deum laudibus celebrant*. S. Ephrem tract. Quod ludicris rebus abſtinendum: *Pſalmus*, ait, *Angelorum opus, cæleſtis vitæ ratio, & inſtitutum* &c. S. Baſil. Epiſt. 1. ad S. Gregor. Nazianzen. *Quid beatius atque felicius, quàm Angelorum Choros in terris imitari? Mox quidem erumpente luce ad orationis ſtudium occurrere, hymniſq; & Canticis honorare creatorem?* Idem homil. in Pſalm. 1. inter cetera Pſalmorum Encomia hæc habet: *Pſalmus opus eſt Angelorum, cæleſtis illius Reipubl. in commune propoſita functio, ſpirituale thymiama* &c. Nazianzen. orat. 40. in fine Pſalmodiam vocat *præludium cæleſtis gloriæ & hymnodiæ*. S. Ambroſ. epiſtol. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam loquens de diſcipulis S. Euſebij Vercellenſ. Epiſcopi. *Satis*, inquit, *de magiſtro dictum puto; nunc diſcipulorum vitam proſequamur; Qui in illam ſe laudem induerunt, hymnis dies, ac noctes perſonant: Hæc nempe Angelorum militia eſt; ſemper eſſe in Dei laudibus* &c. D. Hieronym. in 4. Daniel. ad illud: Et Ecce vigil. *Vigil*, ait, *ſignificat Angelos quod ſemper vigilent, & ad Dei imperium ſint parati. Vnde & nos crebris pernoctationibus imitamur Angelorum officia.* Chryſoſtom. homil. 24. in Acta. *Neſcis, quod cum Angelis ſtas: cum illis cantas, cum illis hymnos dicis?* S. Iſidor. lib. 3. de ſummo bono capit. 7. *Oratio in præſenti tantùm vita pro remedio peccatorum funditur; Pſalmorum verò decantatio perpetuam Dei laudem demonſtrat, ſicut ſcriptum eſt; Beati qui habitant in domo tua* &c. *Cuius operis miniſterium quicumque fideliter intentáque mente exequitur, quodammodo Angelis ſociatur.* S. Bernard. ſermon. 11. in Cantic. in princip. *Nihil ita propriè quendam terris repræſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum*. Omitto alios: Ex quibus collige, hac veluti fibula diuinæ laudis vtramque Rempu. cæleſtem, terreſtremque connecti & fœderari: Hoc dumtaxat excepto, quod illius laudatio & hymnodia ſit aſſidua, & non interrupta; huius verò incurrentibus vitæ fluxæ neceſſitatibus interdum infringatur, & relaxetur.

6. *Multis olim in Monaſterijs Hymnodia die noctéq; continuabatur.*

Quamquam verò de ſingulis hominibus ita ſentiendum ſit, dubitandum tamen non eſt, quin in aſceterio vel Monaſterio aliquo viciſſim alijs ſibi mutuo in ſtationem ſuccedentibus poſſit ad inſtar Angelicæ hymnodiæ diuinum officium continuari. Certè Sozom. monachos Syriæ, & Perſidis refert lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 33. Deum precibus & hymnis, vti ritus poſtulat Eccleſiæ, ſine intermiſſione celebrare, & cap. ſequenti teſtatur. Omnibus hanc Monachis communem fuiſſe diſciplinam, in precibus, ieiunijs, & diuinis hymnis magnam vitæ partem conſumere. Ruffin. in Vitis Patr. cap. 5. loquens de vrbe Ægypti Oxyryncho, ait in ea fuiſſe decem millia monachorum, & viginti millia Virginum. Nec portæ ipſæ, inquit, nec turres ciuitatis, aut vllus omninò angulus monachorum habitationibus vacat, qui per omnem partem ciuitatis die ac nocte hymnos, ac laudes Deo referentes Vrbem totam quaſi vnam Eccleſiam faciunt. Scribit eruditus auctor Radulphus Decanus Tungrenſis lib. de Canonum obſeruantia propoſ. 8. in Pragenſi Eccleſia Metropolitana Bohemię agi iugem, & continuam laudem Dei die noctuque per pſalmodiam, horis videlicet & temporibus, quibus alia diuina officia non celebrantur: Sic Radul. de ſua ætate. Referunt diuerſi in Cœnobio Fuldenſi ſpatio annorum trecentorum numquam intermiſſam

Dei alternam laudationem.

Verùm age, proferamus in medium, exempla aliquot Cœnobiorum in quibus dies noctéſque pſalmodia continua perſonabat. Duo reperimus; Vnum in Eccleſia Græca, alterum in Latina.

7. *In Monaſterijs Acœmetorum numquam Pſalmodia ceſſabat.*

Fuère quondam Aſcetæ, ſiue Monachi dicti Acœmeti, id eſt inſomnes, vel non dormientes, eò quòd numquam intermitterent precandi & pſallendi perpetuitatem. De his ita loquitur Niceph. lib. 15. hiſt. Eccleſ. cap. 23. Tempore Gennadij Epiſcopi Conſtantinopol. Studius vir præclarus Romà Conſtantinopolim peruenit, & D. Præcurſori templum erexit, in quod monachos ex domicilio eorum, qui Acœmeti dicuntur, induxit. Horum domicilium Marcellus Diuiniſſimus conſtruxerat, in quo perpetuis carminibus numquam non hymni Deo canerentur, ſodalitate monachorum eam ob rem in tres cœtus diuiſa. In ea Mandra Ioannes quoque Calybites monachum egit. Vberiùs verò de his ſcribit Metaphraſtes in vita S. Marcelli Archimandritæ monaſterij Acœmetorum ſub diem 29. Decemb. apud Surium. Acœmetorum, inquit, primus inſtitutor fuiſſe dicitur Alexander Abbas, qui cùm prius exerceretur Byzantij in templo Magni Martyris Menæ, poſtea in ipſo quoque oſtio ponti venerandum ſtatuit monaſterium, in quo nouam quidem, ſed longè omnium pulcherrimam legem impoſuit, vt hymnorum ad Deum numquam interrumperetur perpetuitas; Sed per vices mutatis miniſtris, hæc numquam ſilens, & numquam conquieſcens tribueretur Deo glorificatio. Poſt hunc Alexandrum ſucceſſit Abbas Ioannes, qui & ipſe in Bythinia monaſterium (quod antea vocabatur Irenæum, eò quòd à ſtrepitu eſſet remotum) à re ipſa Acœmetorū, i. non dormientiū appellauit: propter perpetua, quæ ibi canuntur Deo carmina. Hunc ſecutus eſt S. Marcellus multorum monachorum Pater, ex cuius monaſterio tanquam ex magna Eden profluxerunt ſalutaria diſciplinæ Acœmetorum per vniuerſum ferè orbem fluenta. Plura de his vide apud eumdem Metaphraſt. tum loco citato, tum in vita S. Ioannis Calybitæ ſub diem 15. Ianuar. in Sur. Idem inſtitutum viguit in Eccleſia Miſnenſi, vbi nulla hora nocturna vel diurna à Dei hymnis, ac laudibus vacua præteribat, in quo Eccleſia hæc, non ſolùm Germaniæ, ſed etiam Vrbis Romæ Baſilicis præfertur, ſola ex omnibus cæleſtem illum Angelorum concentum æmulata, vbi ſine intermiſſione diuina reſonant carmina. Vide Hieronym. Emſerum in vita S. Bennonis Miſnenſis Epiſc. apud Sur. Iunij 16.

Alterum Exemplum ex Occidente & Eccleſia Latina ſubminiſtrat. S. Bernar. in vita S. Malachiæ agēs de Monaſterio Benchorenſi in Hybernia, quod caput erat multorum Monaſteriorum, multa millia monachorum generans. 8.

Ita, ait, Hyberniam Scotiamque repleuerunt genimina eius, vt ea, potiſſimum tempora Dauidici illi verſiculi præcinuiſſe videantur; *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam; multiplicaſti locupletare eam &c.* Pſalm. 64. Nec modò, inquit, in præfatas, ſed in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta, illa ſe Sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has noſtras Gallicanas partes S. Columbanus aſcendens, Luxouienſe conſtruxit monaſterium factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim Choris continuarentur ſolemnia diuinorum, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. Hæc S. Bernardus. Habes ergo, religioſè lector, in monaſterijs Acœmetorum, & Luxouienſi nobiliſſimo Burgundiæ Cœnobio

In Luxouienſi Cœnobio numquam Pſalmodia intermittebatur.

bio

bio Angelicæ hymnodiæ clariſſimam expreſſam effigiem, quam ſi non potes imitari, admirare ſaltem.

9. *Iſaias Propheta hoc futurum prædixit.*

Præuiderat hanc fatidico ſpiritu plenus Propheta Iſaias cap. 62. vbi de Eccleſia bellatrice ſub nomine Hieruſalem loquens ita vaticinatur: *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes* (clericos, & monachos vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem) *tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Sequitur ad eos mox celeuſma & exhortatio, vt agant, quod agunt: *Qui reminiſcimini Domini ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Hieruſalem laudem in terra.* Vide in eum locum Hieron.

10. *Angeli Eccleſiam multa circa Pſalmodiam docuerunt &c.*

Ex his, vt mihi planè perſuadeo factum eſt Angelicos ſpiritus, & ſupernæ patriæ ciues eiuſdem regni coheredem Eccleſiam, bellorum hic adhuc tumultibus & procellis exercitam, compluta circa modum & ordinem pſalmodiæ diuinique officij docuiſſe; interdum etiam cum viris Sanctis, vel ipſorum loco hymnodiam frequentaſſe, erectos & alacres in diuinis odis concinendis animaſſe, honoraſſe; Inertes verò, & reſides notaſſe & caſtigaſſe: Quæ breuiter hic intento ſolum digito inſinuo, Vberius de his, ſuis locis acturus.

CAPVT II.

Precationem Canonicarum adumbratio in veteri teſtamento.

1. VEſtigium Canonicæ ſupplicationis, & ſciographia quædam apparet in lege priſca, Siquidem inuenire eſt in illa homines Dei laudibus celebrandis initiatos; tempora ijſdem conſtituta, diuerſa carminum; & pſalmorum argumenta, varia inſtrumenta, quibus ea canebantur, choros denique ſiue ſymphoniacorum conuentus; quibus curæ erat, Domino laudis penſum perſoluere.

2. *Iuge ſacrificium, vmbra diurni officij diurni & nocturni.*

Curſim hic perſtringo iuge ſacrificium veteris populi, Agnos videlicet duos diebus ſingulis, vnum mane alterum veſpere, Deo in holocauſtum oblatos Exod. 29. Num. 28. Leuit. 6. Significabatur ſcilicet hiſce hoſtijs Deo, & diei primitias, & poſtrema conſecranda, taciteque, & matutinum, & veſpertinum Eccleſiæ officium portendebatur, imo & nocturnum. Nam loco Leuit. notato ſic habes. *Hæc eſt lex holocauſti* (iugis ſacrificij) *cremabitur in altari tota nocte vſque mane*; holocauſtum nempe veſpertinum; Vbi notant interpretes, holocauſti huius partes à ſacerdotibus non ſimul, ſed ſucceſſiuè impoſitas altari, & aduſtas; vt ſacrificium à veſpera in proximam lucem duraret: Vnde ſolidam noctem excubias ſacerdotes agebant, in tabernaculo, victimæ partes paulatim adolentes, vt cultus Dei noctem integram obtineret: quibus primitiuæ Eccleſiæ vigiliæ, & etiamnum noſtrorum religioſorum nocturnæ in pſalmodijs ſtationes haud dubiè adumbrabantur.

3. *Moyſes præluſit noſtræ Pſalmodiæ.*

Vt verò omittam hîc primum in ſcriptura carmen Domino decantatum à Moyſe, & Hebræis Exod. 15. Vbi etiam dicitur Maria ſumpſiſſe tympanum in manu ſua egreſſaſque mulieres cum tympanis, & choris poſt eam: Legimus in 1. lib. Reg. cap. 10. obuium factum Sauli gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos, pſalterium & tympanum, & tibiam & citharam, ipſoſque prophetantes: quem locum quidam adferunt pro chori noſtri præluſione, aiuntque Samuelem primum eum inſtituiſſe; Cœtu ſcilicet virorum religione præſtantium, & Dei cultui dicatorum, in

Item Samuel, & Grex prophetarum.

a 3 quo

Digitized by Google

quo laudauit Dauid Rex Dominum, cum dicit Pſalm. centeſ. 10. *Confitebor tibi Domine in concilio iuſtorum & congregatione.* Nec malè; ſiquidem Prophetæ
4. *Collegium Cantorum in lege priſca.* hi (vt docent Paraphraſtes Chaldæus, Theodor. Abulenſ. Caiet. in locum citatum primi Regum) erant ſacrarum litterarum ſtudioſi, qui Dei laudes concinebant; hoc enim prophetare interdum ſignificat in ſcriptura, vt præcipuè apparet lib. 1. Paralip. cap. 25. vbi dicitur à Dauide ſegregatos leuitas, qui prophetarent in Citharis, & Pſalterijs, & Cymbalis. Fuiſſe verò eorum, qui hoc vitæ inſtitutum ſuſciperent quædam veluti Collegia, maximè tamen è tribu Leuitica, notauit Epiſcopus Abulenſ. ſupra quæſt. 15.

5. Verum, vt ad magis explorata noſtra procedat oratio; In medium prodeat egregius Pſaltes Iſraël de quo Sirachides Eccleſ. c. 47. *Stare fecit* (Dauid ſcilicet) *cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque ad conſummationem vitæ, vt laudarent nomen ſanctum Domini, & amplificarent mane Dei ſanctitatem;* Quibus verbis ſignificatur
Dauid Rex magnificentius iſtud auxit. Dauidem Collegium Muſicorum inſtituiſſe qui Pſalmos à ſe compoſitos coram altari holocauſtorum ſuaui concentu modularentur; cuius ipſe auctor fuerat, additis inſuper melicis neruorum, & tibiarum modis; Quo factum fuit, vt dies feſti, qui ante ſplendore & celebritate carebant, in poſterum toto vitæ ipſius tempore, &, vt credibile eſt, etiam deinceps magno apparatu muſicorum colerentur, & ſic Dei nomen magis quotidie celebraretur, à cuius laude diem ſemper cantores inchoarent. Scimus quidem Leuitas à Deo per Moyſem ſeparatos fuiſſe, vt habetur num. 16. ab omni populo, vt ſeruirent ei in cultu tabernaculi, & ſtarent coram frequentia populi, & miniſtrarent ei, præcipiturque eis Leuit. 8. Numer. 3. Deuter. 18. Vt die ac nocte maneant in tabernaculo, obſeruantes cuſtodias Domini, atque vt excubent in cuſtodia ſanctuarij, & miniſterio altaris: Dauid tamen Rex decorem incredibilem & magnificentiam diuinis miniſterijs, & feſtiuitatibus addidit, conſtituendo cantores, & eorum principes in domo Domini ex familijs Leuitarum, qui laudarent Dominum, & die ac nocte ſuis officijs deſeruirent. Conſule 1. lib. paral. cap. 6. 9. 15. 16. & 25. Sufficiat hic indicaſſe id quod eodem libro præcipitur cap. 23. verbis ipſius Regis, vt Leuitæ ſtent mane ad confitendum, & canendum Domino, ſimiliterque ad veſperam, tam in oblatione holocauſtorum Domini, quam in ſabbathis & calendis, & ſolemnitatibus reliquis, iuxta numerum & cerimonias vniuſcuiuſque rei iugiter coram Domino. Et lib. 2. cap. 7. legis. *Sacerdotes ſtabant in officijs ſuis, & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum, quoniam in æternum miſericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus ſuas; porrò ſacerdotes canebant tubis ante eos.* Ex quibus apparet Eccleſiam veterem tempore illo Pſalmodiæ noſtræ præluſiſſe, ipſumque religioſiſſimum regem choragum, & archiphonaſcum extitiſſe.

Certè ipſe paſſim in pſalmis ſuis 6.
hoc ſatis declarat; ex quibus pauca *Horis Canonicis*
ſolum delibabo. Pſalm. 54. *Veſperè, & Dauid*
manè, & meridie, narrabo, & annuntiabo, & præluſit.
exaudiet vocem meam. In quem locum ita ſcribit Euthymius: Tempora ſignificat magnarum trium Synaxeon, quas nos congregationes ſiue collectas vocare poſſumus, veſpertinum nimirum, matutinum, & miniſterium Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi &c.* Ibidem. *Septies in die laudem dixi tibi.* En clariſſimum ſeptem Horarum Canonicarum prototypon, adeò vt locum hunc paſſim Sancti Patres pro illis adducant.

Digitized by Google

ducant. Baſilius ſerm. 8. de inſtitut. Monach. Caſſian. lib. 3. de inſtitut. Cœnob. cap. 3. & 4. & alij. Euthymius certè, cum primum τὸ ſepties expoſuiſſet ſæpe, addit. Quòd ſi ſepties referri dicamus ad numerum, diem hic intelliges perfectum, hoc eſt diem & noctem, & connumera hoc pacto, mediam noctem, diluculum, mane, tertiam horam, ſextam, nonam, & veſperas. Pſalm. 5. *Manè exaudies vocem meam: Manè aſtabo tibi &c.* Pſal. 87. *Manè oratio mea præueniet te*, id eſt, priuſquam ſol oriatur, præoccupabit oratio mea. Pſalm. 140. *Eleuatio manuum mearum* (id eſt oratio mea) *ſacrificium veſpertinum*, id eſt, ſimilis ſit ſacrificio veſpertino. Accedunt his, quæ de continua Dei laudatione compluribus in pſalmis commemorat. Pſalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore: Semper laus eius in ore meo.* Pſalm. 70. *In te cantatio mea ſemper: repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam*, & alibi ſæpiuſculè.

7. *Iſaias oſtendit olim ſacerdotes aſſiduè precibus vacaſſe.* Adferunt Doctores aliqui ad hoc propoſitum locum Iſaiæ 62. *Super muros tuos Hieruſalē conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Quamuis autem locus intelligi poſſit de Hieruſalem figurata & allegorica, vt dictum cap. 1. non incommodè tamen capitur pro Hieruſalem propriè dicta, in qua iugiter excubabant vigiles, quos Cyrillus Alexandrinus explicat myſtagogos, id eſt Sacerdotes, & Pontifices qui numquam ceſſabant precibus Dei auxilium poſtulare. Quod tamen aſſiduum ſtudium Deum laudandi & exorandi Propheta iiſdem cuſtodibus commendat. *Qui reminiſcimini Domini*, inquit, *ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra*, id eſt. O vos Sacerdotes & Leuitæ, qui agitis cuſtodias domus Dei ne deſides ſitis atque ignaui in cauſa publica, neque Deo detis ſilentium, id eſt, vt ἀνθρωποπαθῶς loquar, ne ſinatis Deum ſilere aut dormire, aut aliquo modo ceſſare, à continuo beneficiorum in ciuitatem veſtram fluxu, ſed clamate opportunè, importunè, donec expectatus Saluator adueniens ponat Ieruſalem laudem in terra, id eſt, eo prouehat, vt omnibus admirationis & laudis materia ſit.

Sed & Daniel cum eſſet Babylone 8. *Daniel ter in die Deum laudabat.* horarijs noſtris precibus anteiuit illuſtri ſanè documento, quod habes Daniel 6. *Ingreſſus eſt Daniel domum ſuam, & feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat.* Patres tria illa tempora interpretantur tertiam, ſextam, & nonam horas, quas iam etiam diuinis laudibus dicauit Eccleſia. Audi D. Hieron. eo loco. Tria, inquit, ſunt tempora quibus Deo flectenda ſunt genua; Tertiam horam, ſextam, & nonam Eccleſiaſtica traditio intelligit. Et Cyprian. tract. de orat. Domini in fine. *In orationibus celebrandis inuenimus, obſeruaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores horam tertiam, ſextam, nonam, ſacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in nouiſſimis temporibus manifeſtari habebat.*

Nehemiæ 9. ſic generatim ſcribitur 9. *Quater idem egerunt filij Iſrael tempore Eſdræ.* de filijs Iſrael. *Legerunt in volumine legis Domini Dei ſui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dn̄m Deum ſuum;* Quē ſimiliter locū poſt V. Bedam, qui inde colligit quatuor orationis horas, primam, tertiam, ſextam, nonam, aptè exponunt de quodam præambulo Horarum Canonicarum Amalar. lib. 4. de Eccleſ. offic. cap. 3. Archid. in Capitul. presbyter 91. D. Guilielmus Durandus in Ration. lib. 5. cap. 1. num. 2. Nau. in Ench. de Hor. Can. cap. 3. n. 28.

10. Adeò verò certum eſt preces Canonicas

Digitized by Google

nicas originem ducere ab Hebræis (apud quos ſtatæ erant orationis horæ) vt etiam Caluin. in 3. c. Actorum illud fateatur. Videntur enim prophetæ & alij veræ Religionis cultores præter matutinum, & veſpertinum tempus, obſeruaſſe horam tertiam, ſextam, & nonam ad orandum.

Hora tertia, ſexta, nona in veteri lege orationi dicata.

Petrus & Ioannes Actor. 3. *Aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*; Vel, vt Græcè clarius habetur, cum energicis articulis, ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην, Eiuſdem horæ nonæ meminit idem Actorum Auctor cap. 10. dum agens de Cornelio, ita ſcribit. *Is vidit in viſu manifeſtè quaſi hora diei nona Angelum Dei introëuntem ad ſe.* Non enim dubium eſt Cornelium virum religioſum tunc precibus ſolito more vacaſſe, vt obſeruat Caſſian. lib. 3. de inſtit. cœnob. cap. 3. Didicerat veriſimiliter commercio cum Iudæis celebrare horis certis orationem. Eodem rurſus c. ſic habes de D. Petro: *Aſcendit Petrus in ſuperiora vt oraret circa horam ſextam.* Huius ratio illa erat præcipua, quia hora illa vna erat ex ſolemnioribus orationi deputatis, vt ex Tertulliano, Cypriano, Caſſiano, obſeruat Lorinus in locum Actorum citatum.

CAPVT III.

Orationum Canonicarum Origo tempore Apoſtolorum & nouæ legis.

1. VMbram quamdam, & rude exemplar vidimus Eccleſiaſticæ ſupplicationis in lege veteri. Figamus nunc oculorum aciem ſub luce Euangelij in prima ipſius lineamenta, quæ aurea duxerunt Apoſtolorum ſæcula.

Prætereo hic Cygnæam hymnodiam Christi Domini, in cœna vltima poſtridiè morituri. Aiunt quidam illam tunc primum ab ipſo compoſitam, in conuiuij Eucharici gratiarum actionem. Verius alij autumant ex more Iudæorum carmen poſt eſum Agni Paſchalis pronunciatum, quòd ſcribit Paulus Burgenſis continuiſſe ſex Pſalmos, quorum inſcriptio eſt Alleluia: Pſalmum videlicet, Laudate pueri, cum quinque ſequentibus, quos Hebræi vocant Magnum Alleluia. Dubium verò eſt, an Chriſtus cum Apoſtolis hymnum illum ſolum ſimpliciter dixerit, an verò modulatè cecinerit. Ego non inuitus in ſententiam plurium Doctorum deſcendo, qui hymnum à Chriſto decantatum putant; habetur enim Græcè Matth. 26. & Mar. 14. ὑμνήσαντες, quòd Deo carmen canere ſignificat. Sic mortem ſuam concentu præuenit Chriſtus inſtar Cygni, de quo Epigrammatarius Bilbilitanus.

2. Hymnodia Chriſti in vltima Cœna.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cygnus funeris ipſe ſui

Idem verbum ὑμνεῖν habetur Actor. 16. num. 25. Vbi enim nos de Paulo & Sila legimus; *Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum*, habet Græcus ὕμνουν τὸν θεόν. Syrus glorificabant, Hilarius vero vtitur verbo Pſallendi. Beda, & alij de cantu accipiunt, & fatentur interpretes eius loci extare hic veſtigium cantus Eccleſiaſtici, licet aliqui putent Apoſtolos, non fuiſſe vſos voce modulatâ, ſed oratione vocali, & altâ tantum. Quòd apertè conſtat ex verbis D. Lucæ ſequentibus. Et audiebant eos qui in cuſtodia erant.

3. Pauli item & Silæ.

Cenſeo ego cum alijs prima horariarum precum fundamenta iacta ipſo die Aſcenſus Chriſti in cælum, exordio naſcentis Eccleſiæ quo ingreſſi Apoſtoli aſcenderunt cœnaculum (quod erat in monte Sion, vbi & prima ex-

4. Publica & ſolemnis oratio Apoſtolorum in cœnaculo

fructa

Poſt Chriſti Aſcenſionem.

tructa fuit Chriſti diſcipulorum Eccleſia) *Et ibidem perſeuerarunt vnanimiter* (id eſt, vno ore, animo, & communiter idem petentes) *in oratione cum mulieribus & Maria Matre* IESV *& fratribus eius.* Erat autem turba hominum ſimul fere centum viginti, Act. 1. In hos ita animis conſentientes, & orationi inſtantes, &, vt videtur ſentire Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 1. ſolemni prece ſupplicantes Spiritus ſanctus effuſus eſt, Act. 2. Cuius afflatu & inſtinctu, vt ibidem habes, deinceps etiam Neophyti erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Non eſt autem dubitandum, quin generoſa illa fidei germina, vel in cœnaculum, vel in priuata oratoria, ſiue Eccleſias conuenerint, tum Euchariſtiæ percipiendæ, tum orationis gratia.

5. *Orationes Eccleſiæ cur dictæ Collectæ.*

Vnde & orationes Eccleſiæ nomen inuenerunt vt Collectæ dicerentur (vt ſuis locis amplius explicabitur (non ſolùm quas congregationis ſeu conuentus Præſes petiones omnium compendioſa breuitate comprehendens colligit & concludit, ſed etiam illæ quas collecti in vnum ſpiritu vno & mente pró omnibus & ſingulis Deo offerebant.

6. *Oratio Apoſtolorum vocalis.*

Orationem autem huiuſmodi fuiſſe non purè mentalem, ſed vocalem, quæ ab omnibus percipi poſſet, probari poteſt ex S. Luca Act. cap. 4. vbi hæc habentur v. 24. *Qui cum audiſſent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum & dixerunt: Tu Domine &c.* Vbi Chriſti diſcipuli & primi Chriſtiani non ſine magno miraculo eadem verba quaſi vno ore protulerunt, vt ex Syro, & alijs probat Lorinus.

7. *Ritus, modus, & ordo publicarum orationum ex D. Paulo colligitur ad Corinth.*

Verùm age, audiamus D. Paul. deſcribentem cætus primorum Chriſtianorum, prioris ad Corinth. capit. 14. *Quid ergo eſt fratres? Cum conuenitis* (ſcilicet in Eccleſia) *vnuſquiſque veſtrum* (alius è vobis) *Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet; Omnia ad ædificationem fiant.* Quo loco oſtendit Apoſtolus primigeniæ Eccleſiæ in ſacris conuentibus ritus, modum, & ordinem ab Apoſtolis inſtituta, quæ etiam ex Philone, Tertul. Iuſtino colliguntur; vbi inter cetera habes hymnodiam, & pſalmodiam ſacram, quam frequentabant aliqui diuino afflati ſpiritu, tum lingua omnibus nota, tum etiam vario & peregrino idiamate, prout ſpiritus vnicuique ſuggerebat: pars verò ſcripturas ſanctas legebant, & interpretabantur; vbi aduertis in illis cœtibus typum quemdam & exemplar præceſſiſſe precationum Canonicarum, quas modo vſurpat Eccleſia, in quibus & Pſalmi & Hymni Deo canuntur & ſcripturæ ſacræ leguntur, & earum explicationes è Sanctis Patribus pronunciantur.

8. *Idem habetur ex ea quæ eſt ad Epheſ.*

Ad ſacræ huius pſalmodiæ vſitationem hortatur populum Epheſinum idem Apoſtolus ad Epheſ. 5. v. 29. *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobis metipſis* (dum ſcilicet Eccleſiam aditis ad orandum & agapem ſumendam) *In Pſalmis, Hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes &c.* Quo loco vult Neophytos aſſueſcere ſpiritualibus & pijs hymnis, quibus prædicent eximia Dei, & Chriſti in ſe beneficia; non muſicæ laſciuæ & inſulſæ. Quod autem ſubiungat Apoſtolus, cantantes & pſallentes in cordibus, non excludit carmen, quod voce editur; ſed optat ex imis cordis medullis religioſos modulos in labia proſilere, nec aliud vult hoc loco S. Hieronym. Omnes enim interpretes illud cantare in cordibus, explicant, non ore tantùm. Expreſſit autem in cordibus, quia illud eſt præcipuum, & per ſe neceſſarium etiam dum voce oratur. Eadem monet ſuos Co-

loſſenſes Apoſtolus cap. 3. v. 16. *Commonetis voſmetipſos,* inquit, *pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.*

9. *D. Auguſt. docet morem Pſalmos canendi à Chriſto & Apoſtolis fluxiſſe.* Colligamus ex his cum D. Auguſt. morem in Eccleſia pſalmos, & hymnos canendi non aliunde, quam à Chriſto Domino, & Apoſtolis ad noſtra vſque tempora perueniſſe. Sic enim ſcribit Epiſt. 119. ad Ianu. cap. 18. Conſuetudinem de hymnis, & pſalmis canendis de ſcripturis defendi poſſe, cum & ipſius Domini & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam vtilia. Idem Apoſtolus ad Hebræos 13. v. 15. *Per ipſum ergo* (Chriſtum) *offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius.* Quamuis enim in rigore hoſtia laudis ſit Euchariſticum ſacrificium; cum tamen addat id eſt fructum labiorum &c., videtur intelligere de hymnis & pſalmis, quos Deo in gratiarum actionem ſemper .i. certis horis ab Eccleſia vult depromi. Eodem reuocant aliqui illud prioris ad Timoth. cap. 2. *Obſecro primum omnium, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, &c.*

10. *Parabola de Patre familias ad vineam vocante tempora ſacra Pſalmodiæ præſcribit.* Poſtremò notant paſſim Doctores in parabola Patris familias vocantis operarios in vineam Matth. 20. tempora quibus Eccleſia Deum ſacris modulis celebrat graphicè fuiſſe præſcripta & ordine delineata. Siquidem ibi matutinæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, & veſpertinæ horæ clara & ordinata fit mentio, vt nihil proinde mirum videri poſſit, ſi Catholica Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, eas potiſſimùm ſelegerit horas, vt laudum penſum Deo perſoluat, quibus intelligit ſe ab ipſo in præſens regnum gratiæ, & futurum æternæ gloriæ vocatam, & mercede conductam.

CAPVT IV.

Pſalmodiæ quotidianæ vſurpatio à tempore SS. Patrum qui Apoſtolis ſucceſſerunt ad noſtram vſque ætatem.

1. Solitos fuiſſe primos Chriſtianos eaſdem omnes, vel ferè omnes obſeruare horas ad Deo pſallendum & precandum, quas hodieque Eccleſia celebrat, oſtendunt paſſim antiquorum patrum & procerum laudatiſſima ſcriptorum monimenta. Adferam ſolùm aliquot primæ notæ auctores, quos nemo meritò reijcere debeat aut poſſit.

2. *Anno Chriſti 80. S. Clemens.* S. Clemens lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 34. Precationes facite mane, hora tertia, ac ſexta, & nona, & veſpere, atque ad gallicantum. Mane gratias agentes quod illuminarit nos Dominus, nocte ſublata, & reddita die. Tertia, quod ea hora Pilatus iudicium aduerſus Dominum pronunciauerit. Sexta, quod ea hora in Crucem actus ſit. Nona quod tum omnia mota, & tremefacta ſint Domino crucifixo; quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non poſſent. Veſpere quod noctem dederit ad requieſcendum à diurnis laboribus. Ad gallicantum quod ea hora nunciet aduentum diei ad faciendum opera lucis. Ponit verò S. Clemens has ſtatas precationes inter traditiones Apoſtolicas.

3. *Anno 200. Tertullianus.* Tertul. aduerſus Pſychicos cap. 10. Porrò cum in commentario Lucæ, & tertia hora orationis demonſtretur, ſub qua Spiritu Sancti initiati pro ebrijs habebantur, & hora ſexta, qua Petrus aſcendit in ſuperiora, & nona, qua templum ſunt introgreſſi; cur non in-

„intelligamus, ſalua planè indifferentia, „ſemper & vbique & omni tempore o„randum? tamen tres iſtas horas vt in„ſigniores in rebus humanis, quæ diem „diſtribuunt, quæ negotia diſtingunt, „quæ publicè reſonant, ita & ſolenniores „fuiſſe in orationibus diuinis? quod etiã „ſuadet Danielis quoque argumentum „ter die orantis, vtique per aliquarum „horarum exceptionem, non aliarum „autem quam inſigniorum: exinde A„poſtolicarum, tertiæ, ſextæ, nonæ. Hinc „itaque & Petrum dicam ex vetere po„tius vſu nonam obſeruaſſe, tertiò oran„tem ſupremæ orationis munere. Vbi, vt rectè obſeruat Card. Baron. tom. 1. Annal. Anno Chriſti 34. Ex Iudæorum more ab Apoſtolis, maximè Petro, ritum certis horis orandi in Eccleſiam deductum confirmat.

4. *Anno* 250. B. Cyprian. in lib. de orat. Domin. „in fine. In orationibus verò celebran„dis inuenimus obſeruaſſe cum Daniele „tres pueros in fide fortes, & in captiui„tate victores horam tertiam, ſextam, „nonam Sacramento ſcilicet Trinitatis, „quæ in nouiſſimis temporibus mani„feſtari habebat. Nam & prima hora in „tertiam veniens conſummatum nu„merum Trinitatis oſtendit. Itemque „ad ſextam quarta procedens declarat „alteram Trinitatem. Et quando à ſe„ptima nona conpletur, per ternas ho„ras Trinitas perfecta numeratur. Quæ „horarum ſpatia iam pridem ſpiritaliter „determinantes adoratores Dei, ſtatu„tis, & legitimis ad precem tempori„bus ſeruiebant. Et manifeſtata poſt„modum res eſt Sacramenta olim fuiſ„ſe, quod ante ſic iuſti precabantur. „Nam ſuper diſcipulos hora tertia de„ſcendit Spiritus ſanctus qui gratiam „Dominicæ repromiſſionis impleuit. I„tem Petrus hora ſexta in tectum ſupe„rius aſcendens; ſigno pariter, & voce „Dei monentis inſtructus eſt, vt omnes „ad gratiam ſalutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. „ Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad „ nonam peccata noſtra ſanguine ſuo „ abluit, & vt redimere, & viuificare nos „ poſſet, tunc victoriam ſua in paſſione „ perfecit. Sed nobis fratres dilectiſſimi, „ præter horas antiquitus obſeruatas o„ randi nunc & ſpatia, & Sacramenta „ creuerunt. Nam & mane orandum eſt, „ vt reſurrectio Domini matutina ora„ tione celebretur, quod olim Spiritus „ ſanctus deſignabat in Pſalmis dicens: „ Rex meus, & Deus meus, quoniam ad „ te orabo Domine, mane exaudies vo„ cem meam, mane aſſiſtam tibi, & con„ templabor te. Et iterum per Prophe„ tam loquitur Dominus: Diluculo vi„ vigilabunt ad me dicentes: Eamus & „ reuertamur ad Dominum Deum no„ ſtrum. Recedente item ſole, ac die ceſ„ ſante neceſſariò rurſus orandum eſt. „ Nam quia Chriſtus ſol verus, & dies „ eſt verus, ſole ac die ſæculi recedente, „ quando oramus ac petimus, vt ſuper „ nos lux denuo veniat, Chriſti preca„ mur aduentum lucis æternæ gratiam „ præbiturum. Agit deinde de oratione „ nocturna, dum admonet nec noctibus ab oratione ceſſandum, ſed breuitatis cauſa illa omittimus, & remittimus ad D. Pamelium, ex hoc loco precum horariarum vſum ſcitè colligentem.

S. Athan. lib. de Virg. ſiue exerci- 5. tat. Virginem alloquens. Habe Pſal- „ *Anno* 340. terium, & Pſalmos diſce; ſol exoriens „ videat in manibus tuis librum. Poſt „ tertiam Synaxes conficies, quoniam „ ea hora defixum eſt lignum Crucis. „ Sexta hora abſolues deprecationes cũ „ Pſalmis, ploratu & ſupplicationibus, „ quoniam hac hora pependit filius Dei „ in cruce. Nona hora rurſus in hymnis, „ & glorificationibus eris, cum lachry„ mis & confeſſione peccatorum tuo„ rum; Deo ſupplicabis, quoniam hac „ hora Dominus in cruce pendens red„ didit ſpiritum. Et poſt Synaxin horæ „

,,nonæ comede panem tuum. Et poſt
,,pauca. Si, inquit, ingredieris in tem-
,,plum duodecima hora maiorem &
,,longiorem facies ſynaxin, cum virgini-
,,bus tecum concordibus; quod ſi nul-
,,lam habeas concordem, ſola ſynaxin
,,abſolues Deo præſente, & audiente.
,,Bonum autem eſt lachrymas effunde-
,,re coram Domino, memoremque eſſe
,,duodecimæ horæ, quod in illa Domi-
,,nus ad inferos deſcendit. Subiungit
,,poſtmodum & hæc. Media nocte ex-
,,citaberis, & hymnis celebrabis Domi-
,,num Deum tuum: ea enim hora ſurre-
,,xit à mortuis Dominus Deus tuus, &
,,patrem ſuum hymnis celebrauit, atque
,,ideo nobis iniunxit, vt eadem hora
,,hymnos diceremus. Cum primum
,,ſurgis hunc verſum recita. Media no-
,,cte ſurgebam ad confitendum tibi &c.
,,& precare, & incipe recitare Pſalmum
,,50. Donec abſoluas, & hæc tibi certa
,,ſint penſa per ſingulos dies, & tot pſal-
,,mos dices quot poteris, & ad quemli-
,,bet pſalmum preces, & genuum flexio
,,cum lachrymis addantur pronuncian-
,,do Domino peccata tua, orandoque vt
,,tibi remittantur. Idem Athanaſius in
vita S. Antonij agens de eius cœnobi-
,,xis; Erant, inquit, in monte monaſteria
,,tamquam tabernacula plena diuinis
,,Choris Pſallentium.

6. *Anno* 370. S. Baſilius ſerm. 1. de inſtitut. mo-
nach. ad vnguem exprimit ſeptem ho-
,,ras noſtras Canonicas. Cum ad ora-
,,tionem nulla non vitæ pars opportuna
,,habenda ſit; quia tamen datis quibus-
,,dam interuallis ab illa pſalmodiæ, ge-
,,nuque flexionis acri contentione non-
,,numquam eſt interquieſcendum, is eſt
,,maximè horarum modus tenendus
,,qui à veteribus olim ſanctis viris ad o-
,,rationem deſcriptus eſt. Etenim exi-
,,mius ille Dauid ait; Media nocte ſur-
,,gebam ad confitendum tibi, ſuper iudi-
,,cia iuſtitiæ tuæ, quem ſanè Paulus quo-
,,que & Silas ſecuti reperiuntur, cum in
carcere poſiti circiter mediam noctem ,,
Deum ambo collaudarent. Addit ,,
deinde idem Propheta, veſpere, mane ,,
& meridie. Quin & Spiritus ſancti ad- ,,
uentus circiter horam diei tertiam fuit; ,,
Sicut ex Actis accepimus; quo tempo- ,,
re cum propter illam linguarum effi- ,,
cacem vim Phariſæi diſcipulos irride- ,,
rent, negauit Petrus eos ebrios eſſe, qui ,,
ea loquerentur; Siquidem horam illam ,,
tertiam fuiſſe. Porro nona Dominicæ ,,
Paſſionis memoriam refert, illius quæ ,,
vitæ noſtræ cauſa ſuſcepta eſt. Verum ,,
quoniam item hoc eſt apud eumdem ,,
Dauid; *Septies in die laudem dixi tibi, ſuper* ,,
iudicia iuſtitiæ tuæ. Tempora autem illa ,,
quæ diximus neutiquam ſeptenarium ,,
orationis numerum conficiunt; bipar- ,,
titò diuidenda meridiana oratio eſt; ita ,,
videlicet vt pars vna cibum præcedat, ,,
altera ſubſequatur, quo perpetua hæc ,,
nobis formula ſit Deum ſepties per ,,
ſingulas dierum conuerſiones laudibus ,,
celebrandi. ,,

Clariſſimè verò in regulis fuſiùs diſ- 7.
putatis interrogatione 37. de ijſdem
agit. Neque tamen, quamquam hanc ,,
aſſiduè, atque adeò omnibus momen- ,,
tis, adhiberi oportere gratiarum actio- ,,
nem, & lex ipſa præcipit, & nos eam ,,
vitæ noſtræ neceſſariam eſſe, cum na- ,,
tura, tum ratione doquimus, propterea ,,
illæ ſtatis temporibus præſcriptæ ora- ,,
tiones negligendæ veniunt, quas obſer- ,,
uari in conuentibus ſolemne eſt, & ,,
quotidianum. Siquidem ea re à nobis ,,
neceſſariò huiuſmodi tempora delecta ,,
ſunt, quòd in eorum ſingulis peculiaris ,,
quædam Dei in nos beneficiorum eſt ,,
commemoratio. Ac matutinum qui- ,,
dem, vt primi animi ac mentis noſtræ ,,
motus conſecrentur Deo, neque vllius ,,
rei curæ ante aditum ad nos demus, ,,
quam nos in cogitatione de Deo oble- ,,
ctauerimus. Sicut ſcriptum eſt. Me- ,,
mor fui Dei, & delectatus ſum. Neque ,,
corpus prius ad functionem muneris ,,
alicuius ,,

„alicuius moueamus, quam illud feceri-
„mus, quod dictum eſt: *Orabo ad te Domi-*
„*ne; manè exaudies vocem meam ; manè aſtabo*
„*tibi.* Tertia vero hora, vt in ea ad ora-
„tionem ſurgatur, fratreſque omnes in
„vnum congregentur, licet diuerſis in
„locis, alij in alijs operibus ſint occupa-
„ti, idque ea re vt admoniti doni Spiri-
„tus, quòd circiter hanc ipſam horam
„Apoſtolis datum fuit, vno eodemque
„animo cuncti illum venerentur, ab eo-
„que petant, vt & ipſi digni ſint, qui ſan-
„ctificationem ſuſcipiant, ſimulque vt
„ſalutaris ſibi doctrinæ, & recti itineris
„dux eſſe, & auctor velit, illũ imitantes,
„qui dixit: *Cor mundum crea in me Deus, &*
„*ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis, Ne*
„*proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum*
„*tuum ne auferas à me, Redde mihi lætitiam*
„*ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*
„Et alio in loco: *Spiritus tuus bonus deducet*
„*me in terram rectam;* atque ita denuò ad
„intermiſſa opera redeatur. Quod ſi
„fors aliquos, vel propter operum, vel
„propter locorum naturam eo tem-
„pore abeſſe longiùs contigerit, quàm
„vt vnà cum reliquis præſto eſſe poſ-
„ſint, ij vbicumque fuerint, ea neceſ-
„ſariò ibi exequi debent, quæ com-
„muniter ſtatuta ſunt, nihil hæſitan-
„tes omninò. Quia vbi ſunt duo vel tres
„congregati, in nomine meo; inquit Do-
„minus, ibi in medio eorum ſum. Porrò
„ſexta hora ſanctorum exemplo, neceſ-
„ſariam eſſe orationem iudicauimus,
„apud quos eſt: Veſpere & mane, &
„meridie narrabo, & annunciabo, & ex-
„audiet vocem meam. In qua quidem
„vt liberemur ab incurſu, & dæmonio
„meridiano, nonageſimus etiam Pſal-
„mus recitetur. De nona verò quod ea
„ad orationẽ nobis neceſſaria ſit, id Apo-
„ſtoli ipſi declarauerunt in Actis, in qui-
„bus eſt, quòd Petrus & Ioannes aſcen-
„debat in templum ad horam orationis
„nonam. Completo verò iam die pro
„ijs omnibus, quæ in eo nobis data fue-
rint, feliciterve nobis euenerint, gratia- „
rum actio ſuccedat, eorumque, quæ, vel „
per conſenſum, aut ſecus contra animi „
ſententiam prætermiſſa ſint confeſſio: „
Ac ſicubi latens delictum aliquod ad- „
miſſum fuerit verbis, operibúſve, aut „
etiam corde pro his omnibus oratione „
adhibita, veniam nobis à Deo compre- „
cabimur. Siquidem ad ſimilia peccata „
iterum euitanda valde vtilis eſt præte- „
ritorum conſideratio, idcircò Dauid „
dicit; *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubili-* „
bus veſtris compungimini. Tũ autem primis „
ſe iam noctis intendentibus tenebris, „
ſequetur petitio, vt quies, quam ſumus „
capturi, inoffenſa, & ab omni per- „
turbatione, ac vitio libera ſit: qua hora „
etiam neceſſariò nonageſimus recitari „
Pſalmus debet. De tempore autem di- „
midiæ noctis, quòd id ad orationem „
neceſſarium ſit, traditum nobis eſt à „
Paulo & Sila in Actis. Scriptum eſt „
enim ſic: *Circiter autem mediam noctem* „
Paulus & Silas laudabant Deum; Atque „
hoc quidem etiam concentor Pſalmo- „
rum confirmat, ſic dicens; *Media nocte* „
ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iu- „
ſtitiæ tuæ. Poſt anteuertendum dilucu- „
lum eſt & ad orationem ſurgendum, „
cauendumque ne dies nos in lectulo „
dormientes opprimat; Et ille imitan- „
dus qui dixit; *Præuenerunt oculi mei dilu-* „
culum, vt meditarer eloquia tua. Porrò ex „
his omnibus quæ diximus ſtatis tem- „
poribus, nullum ab ijs prætermitti de- „
bet, quorum vitæ propoſitum eſt vt „
quæ acturi ſunt, omnia ad laudem Dei, „
& Chriſti eius referant. Atque vtilis et- „
iam meo quidem iudicio hæc in ora- „
tionibus, & pſalmorum decantationi- „
bus, quæ certis temporibus fiunt, di- „
uerſitas eſt, atque varietas, ob eam cau- „
ſam, quòd in perpetua ſimilitudine, & „
æqualitate rerum, animo, neſcio quo „
modo torpedo quædam plerumque „
oboritur, atque tædium, eaque re aliud „
agens ad futiles, & vagas cogitationes „

 ober- „

Digitized by Google

„oberrat. In viciſſitudine autem varie-
„tateque cum Pſalmodiæ tum ſingula-
„rum horarum, orationis & ſtudium
„ipſum renouatur, & attentio inſtau-
„ratur.
8. S. Ambroſ. qui eadem ætate vixit,
lib. 3. de Virgin. In princip. inter cetera
„ſic infit. Certè ſolemnes orationes cum
„gratiarum actione ſunt deferendæ,
„cum è ſomno ſurgimus, cum prodi-
„mus, cum cibum paramus ſumere, cum
„ſumpſerimus, & hora incenſi, cum de-
„nique cubitum pergimus, &c. Quæ
tempora videntur ſignificare Horas
Canonicas Matutinam, Tertiam, Sex-
tam, Nonam, Veſpertinam, & Com-
pletam. Extant prætereà eiuſdem San-
cti Hymni ad 7. horas Eccleſiaſticas.
9. S. Hieron. epiſt. 22. ad Euſtoch. de
Anno 390. „cuſtodia virgin. cap. 16. Quamquam
„Apoſtolus orare nos ſemper iubeat, &
„ſanctis etiam ipſe ſit ſomnus oratio;
„tamen diuiſas orandi horas debemus
„habere, vt ſi fortè aliquo fuerimus o-
„pere detenti, ipſum nos ad officium
„tempus admoneat. Horam tertiam,
„ſextam, & nonam, diluculum quoque
„& veſperam nemo eſt qui neſciat. Nec
„cibi ſumantur niſi oratione præmiſſa,
„nec recedatur à menſa niſi referatur
„Creatori gratia. Noctibus bis terque
„ſurgendum. Reuoluenda quæ de ſcri-
„pturis memoriter retinemus &c. Idem
„epiſtol. 7. ad Lætam de inſtitut. filiæ:
„Præponatur, inquit, ei probæ fidei ac
„morum & pudicitiæ virgo veterana,
„quæ illam doceat, & aſſueſcat exem-
„plo ad orationes & pſalmos nocte con-
„ſurgere, mane Hymnos canere, tertia,
„ſexta, nona hora ſtare in acie quaſi
„bellatricem Chriſti, accenſaque lucer-
„cerna reddere ſacrificium veſpertinum.
„Sic dies tranſeat; ſic nox inueniat la-
„borantem. Orationi lectio, lectioni
„ſuccedat oratio; breue videbitur tem-
„pus quod tantis operum varietatibus
„occupatur. Idem rurſus epiſtol. 8. ad
Demetriadem de Virgin. ſeruanda
prope finem: Præter Pſalmorum, & „
orationis ordinem, quod tibi hora ter „
tia, ſexta, nona, ad veſperum, media „
nocte, & mane ſemper eſt exercen- „
dum, ſtatue quot horis ſanctam ſcri- „
pturam ediſcere debeas, quanto tem- „
pore legere non ad laborem, ſed ad de- „
lectationem & inſtructionem animæ. „
D. Chryſoſtom. agens de monachis 10.
& Aſcetis ſuæ ætatis homil. 59. ad po- Anno 400.
pul. Antioch. & homil. 14. in primam
ad Timoth. Ante diem cum gallus vo- „
cem dederit, omnes ſtatim cum reue- „
rentia ſomnum deponentes exſurgunt „
excitante eos Prælato, & conſiſtunt „
ſanctum conſtituentes chorum, & ſta- „
tim manus extendentes ſacros hym- „
nos decantant. Et poſt pauca. Facto „
autem die cum rurſus matutinas ora- „
tiones celebrauerunt & hymnos, ad „
ſcripturarum lectionem conuertuntur. „
Et paulò inferiùs. Tertiam, ſextam, no- „
nam, & veſpertinas orationes cele- „
brant; & in quatuor partes diem diſ- „
pertiti, dum ſingulæ partes implentur, „
pſalmodijs, & hymnis Deum veneran- „
tur. „
D. Auguſt. lib. 22. de ciuit. cap. 8. nar- 11.
rat in Victorianam villam, vbi memo-
ria eſt Sanctorum Martyrum Geruaſij
& Protaſij portatum adoleſcentem à
dæmone correptum, qui cum ibi iace-
ret, vel morti proximus, vel ſimillimus
mortuo, ad veſpertinos hymnos & ora-
tiones veniſſe cum ancillis, & ſancti-
monialibus quibuſdam: Dominam
poſſeſſionis ex more, & hymnos canta-
re cæpiſſe, qua voce Dæmon quaſi
percuſſus & excuſſus eſt, & cum terri-
bili fremitu altare apprehenſum tene-
ret, & cum grandi eiulatu parci ſibi ro-
garet, tandem ab adoleſcente diſceſſit.
Caſſian. toto lib. 2. de inſtit. Cœnob. 12.
agit de canonico nocturnarum oratio- Anno 410.
num, & pſalmorum modo; ſimiliter lib.
3. toto agit de diurna pſalmodia &
pre-

Digitized by Google

precatione, vbi cap. 2. dicit tertiam, ſextam, & nonam horas ſanctis & Apoſtolicis viris religioſis obſequijs conſecratas. Cap. verò 3.& 4. ex illo Pſalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi &c.* Colligit ſeptenarium numerum Horarum Canonicarum: & primum quidem præter nocturnas vigilias ſtatuit

13. tertiam, ſextam, & nonam fundatas potiſſimum in facto Dan. c.6. Deinde veſpertinam & matutinam, & poſtremò alteram matutinam. Conſulat lector ipſum fontem.

14. *Anno* 530. Caſſiodor. explicans verſum Pſalmi 118. *Septies in die &c.* Septem, inquit, ſignificat vices, quibus ſe monachorum „pia deuotio conſolatur, matutinas, tertiam, ſextam, nonam, lucernariam, „completorios, nocturnos.

D. Benedictus in ſua regula de omnibus horis canonicis tum nocturnis, tum diurnis tractat à cap. 8. vſque ad 20. Sufficit paucula ex cap. 18. inſinuare. Vt ait Propheta: *Septies in die laudem* „*dixi tibi*. Qui ſeptenarius ſacratus nume„rus à nobis ſic implebitur, ſi matutinæ, „primę, tertię, ſextę, nonæ, veſperę, com„pletorijſque tempore noſtræ ſeruitutis „officia perſoluamus. Quia de his horis „diurnis dixit Propheta *ſepties in die* &c. „Nam de nocturnis vigilijs, idem ipſe „Propheta ait: *Media nocte ſurgebam* &c. „Ergo his temporibus referamus lau„des creatori noſtro ſuper iudicia iuſti„tiæ ſuæ, id eſt matutinis, prima, tertia, „ſexta, nona, veſpere, completorio, & „nocte ſurgamus ad confitendum ei. Reliquos Patres recentioris æui hic recenſere ſuperuacaneum iudico. Sunt enim luce meridiana clariora, & paſſim obuia ipſorum teſtimonia.

CAPVT V.

Precationum ſtatarum illuſtris memoria in antiquis Epiſcoporum Concilijs.

Concilium Nicenum primum canone Arabico ſexageſimo quarto apud Franciſc. Turrianum: In omni- » 1.
bus horis diurnis & nocturnis in principio & fine orationis fiat memoria Epiſcopi & oretur pro ſalute eius. »

Laodicenum Can. 18. Semper ſupplicationes orationum & in nonis, & in veſperis oportet celebrari. » 2.

Ægypti Epiſcopi Alexandriæ congregati, epiſtola ad Theodoſium Imperatorem in Actis Concilij Epheſ. tom. 3. cap. 4. Latè turbabant omnia, adeò » 3.
vt, ne ſacrum quidem Pentecoſtes diem celebrare, matutinaque & ſerotina officia de more obire integrum nobis fuerit. »

Concil. Vaſenſe. Quia tam in ſede Apoſtolica quàm etiam per totas » 4.
Orientales atque Italiæ Prouincias dulcis & nimium ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt vt Kyrie eleyſon frequẽtius cum grandi affectu ac compunctione dicatur: placuit etiam nobis vt in omnibus Eccleſijs noſtris iſta conſuetudo ſancta, & ad matutinum & ad veſperam & ad miſſas, Deo propitiante intromittatur. »

Citatur à Gratiano in Decretis diſt. 5.
91. Item in decretalibus cap. presbyter, Concilium Agathenſe pro horis canonicis, ſed non reperitur in illo, ſed fortè in Nannetenſi. Pars verò poſterior illius capitis ſumpta ex Regula D. Benedicti, cuius verba in fine prioris capitis protulimus. Solummodo hæc habentur in Agathenſi cap. 30. Quia conuenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus „æqua- „

„æqualiter cuſtodiri.ſtudendum eſt vbi-
„que,ſicut fit,poſt Antiphonas collectio
„nes per ordinem ab Epiſcopis vel pres-
„byteris dici,& hymnos, matutinos vel
„veſpertinos decantari diebus omni-
„bus, & in concluſione Matutinarum
„vel veſpertinarum & Miſſarum, poſt
„hymnos Capitella de Pſalmis dici,& ple-
„bem collecta oratione ad veſperam ab
„Epiſcopo cum benedictione dimitti.

6. „ *Concil. Gerundenſe* capit. 10. Item no-
„bis ſemper placuit obſeruari vt omni-
„bus diebus poſt matutinas & veſperas
„oratio Dominica à Sacerdote profe-
„ratur.

7. „ *Concilium Aurelianenſe* tertium, cap.
„14. Hora tertia Miſſarum celebratio in-
„choëtur, quo faciliùs inter horas com-
„petentes, ipſo officio expedito, ſacer-
„dotes poſſint ad officia veſpertina,
„in veſpertino tempore conuenire.
„Quia Sacerdotem veſpertinis offi-
„cijs ab Eccleſia talibus præcipuè die-
„bus nec decet deeſſe, nec conuenit.

Concilia recentiora decretaque Pontificum & plurima, & indubitata de his ſunt, quæ ex induſtria omittimus.

Solùm adijcio ad huius capitis calcem, duorum Imperatorum de horis canonicis dignè celebrandis ſanctiones, vnius ex Oriente, alterius ex Occidente Iuſtinianus Imperator Cap. de Epiſcopis & clericis l. Omnem 41. §. 10.

8. „ *Præterea* ſancimus vt omnes clerici
Iuſtinianus Imper. Pſalmodiam inculcat. „per ſingulas Eccleſias conſtituti, per ſe
„ipſos pſallant nocturna, & matutina,
„& verſpertina officia, ne ex ſola Eccle-
„ſiaſticarum rerum conſumptione cle-
„rici appareant, nomen quidem haben-
„tes clericorum, rem autem non implē-
„tes clerici circa liturgiā Domini Dei.
„Turpe enim eſt pro ipſis ſcriptos ne-
„ceſſitate ipſis inducta pſallere. Si enim
„multi laicorum vt ſuæ animæ conſu-
„lant, ad ſanctiſſimas Eccleſias con-
fluentes ſtudioſi circa pſalmodiam o- „
ſtenduntur, quomodo indecens non „
fuerit clericos ad id ordinatos non im- „
plere ſuum munus? Quapropter omni- „
no clericos pſallere iubemus. „

Carolus Magnus lib. 6. legum cap. 168. 9. *Idem facit Carolus Magnus.*
Sacerdotes ſigna tangant horis cano- „
nicis, & illarum officium agant, ſiue „
diurnale, ſiue nocturnale, quia ſcriptum „
eſt: ſine intermiſſione orate, & idcircò „
non dimittant Horas Canonicas. „

CAPVT VI.

Solemnium precum frequentatio in viris Sanctis æuo priſco, & deinceps.

NOlim ſic ſyllabum moleſtum lectori texère virorum ſanctitate præſtantium, qui diu noctuque ſolemnibus horis de more Eccleſiæ, Deo precum liturgiam obtulerunt rara pietate ſingularique ſtudio; quia lib. 3. accuratè à nobis recenſebitur, ſi quid eximium eo in genere euenerit. Solùm breuiter exempla aliqua decerpam ex antiqua memoria, & proximioribus Apoſtolorum æuo ſæculis, eorum, qui iam tum ſtatis temporibus preces Deo fecerunt, quo vetuſtas & veritas canonici noſtri officij appareat.

2. *Primi Christiani Pſalmodiam coluerunt.* In confeſſo eſt primæuæ Eccleſiæ Chriſtianos certis horis hymnodiæ, & ſacris pangendis odarijs vacaſſe, vt conſtat ex S. Iuſtino Apolog. 2. ad Antonin. in fine. Tertullian. in Apolog. capit. 2. Philone libr. de vita contemplat.

3. *Ita teſtatur Philo.* Sic Philo agens de diſcipulis S. Marci Euang. ſub nomine Eſſæorum. *Quotidie*, ait, *precari ſolent, manè ac ſub veſperam oriente ſole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cæleſti repleantur lumine; Occidente verò vt anima exonerata ſenſibus in totum,*

Digitized by Google

totum, moleq́; rerum ſenſibilium, veritatem veſtiget in conſiſtorio domeſtico. Medium verò matutini veſpertiniq́; temporis interſtitium totum meditationi attribuitur. Et paulò inferiùs, *itaque non ſolùm contemplantur, ſed etiam cantica hymnoſq́; in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumq́; genere rhythmis concinnatis in auguſtiorem & religioſam ſpeciem.*

4. *Et Tertullianus.*

Tertull. verò, quem etiam citat Euſebius hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 26. refert Plinium ſecundum cum Prouinciam regeret conſuluiſſe Traianum Imperat. quid de cetero ageret cum Chriſtianis; Nam præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe aiebat quàm cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam. Extat epiſtola Plinij ad Traian. lib. 10. ex 2. Eadem de Chriſtianis Romæ agentibus refert Lucianus in Philopat.

5. *S. Carpus hymnodiam frequentat.*

S. Dionyſ. Areop. epiſt. 8. ad Demoph. circa finem viſum enarrat S. Carpi Sacerdotis, viri, vt ipſe ait, ob eximiam animi munditiam ad Dei ſpeculationem aptiſſimi, de quo inter alia hæc habet. *Circa mediam noctem, quo tempore conſueuerat ipſe ſemper apud ſe ad diuinos euigilare hymnos, expergiſcitur & ſurgit* &c. Paulo ante præmiſerat S. Dionyſius quòd Carpus nunquam ſancta myſteria celebrare cœpit, niſi prius inter eas preces, quæ antea conſummantur, ſacra illi ac propitia viſio apparuiſſet. Per preces autem illas non malè poſſumus intelligere preces horarias, vt mecum cenſent quidam viri docti.

6. *Idem factitauit S. Apollinaris.*

Ado Epiſcopus Treuir. in ſuo Martyrologio ſub 10. kalend. Auguſt. refert S. Apollinarem B. Petri Apoſtoli diſcipulum ordinaſſe apud Rauennam presbyteros, diaconos, clericos, cum quibus die noctuque Pſalmos canebat.

7. *S. Petrus Alexandri.*

Beda, & idem Ado in ſuis Martyrologijs die 25. Nouemb. commemorant S. Petrum Epiſc. Alexand. & Martyrem, cùm incarcere à Maximino Tyranno teneretur incluſus, duobus presbyteris Achillæ, & Alexandro, de viſo ſibi nocte oblato hiſce propemodum, verbis locutum fuiſſe. In hac hora noctis, vt vobis totum de Ario aperiam, cum ſolemni conſuetudine Deo ſacrificium orationum conſummaſſem; ecce ſubitò apparuit mihi Chriſtus Dominus &c.

nus ex conſuetudine ſolemni nocte orat.

8. *Greg. Nyſſ. veſpertinos hymnis ſe ſiſtit.*

S. Gregor. Nyſſen. in vita ſororis ſuæ Macrinæ virginis cap. 17. *Hæc*, inquit, *cum Macrina perſequeretur, diem equidem produci longiùs optabam, ne dulci ſermone aures noſtras deſiſteret oblectare, ſed cantantium vox me ad gratias agendas veſpertinas vocabat* &c.

9. *S. Gregor. Thaumaturgus nocte hymnos canit.*

Idem in vita S. Gregor. Thaumaturgi cap. 8. Cum Thaumaturgus ſubijſſet templum (in quo ſcilicet dæmones reſponſa dabant) dæmones confeſtim exterruit Chriſti nominis inuocatione: figura autem crucis aëre expiato, illic manſit pro more totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans, adeò vt eſſet transformatum in domum orationis templum.

9. *Mater S. Greg. Naz. nocturnæ, diuturnaq́; Pſalmodiæ vacat.*

S. Gregor. Nazianz. in oratione funebri pro patre ſuo, loquens de matre ſua, inter alias laudes quas illi tribuit. *Ecquæ*, ait, *ieiunijs vigilijſq́; carnem ſuam magis extenuauit, aut diurnæ nocturnæq́; Pſalmorum ſeipſam cantioni affixit?*

11. *Virgines ſub diſciplina S. Paulæ Pſalterium cantant.*

D. Hieron. epiſt. 27. ad Euſtoch. in Epith. Paulæ cap. 10. loquens de virginibus ſub eius diſciplina. *Poſt Alleluia cantatum, quo ſigno vocabantur ad Collectam, nulli reſidere licitum erat, ſed prima* (Paula) *ſeu inter primas veniens ceterarum opperiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore. Manè, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio per ordinem pſalterium cantabant* &c.

12. *Idem Monachi tempore Palladij fecere.*

Palladius in Lauſiac. c. 7. Circa horam nonam licet ſtare, & audire in vnoquoque monaſterio hymnos & pſal-

„mos Chriſto canentes & preces ad „hymnos emittentes, adeò vt exiſtimet „quiſpiam ſe in ſublime elatum tranſ„migraſſe in paradiſum delitiarum. Vide eundem cap. 8. de monachis S. Pauli Simplicis, & cap. 38. de monachis S. Pachomij.

13. *Par ſtudium fuit in monachis Ægypti, Palæſtinæ, & alijs.*

Caſſian. paria habet lib. 2. Inſtitut. cap. 4. de monachis Ægypti & Thebaidis, & lib. 3. cap. 3. de Aſcetis Palæſtinæ, Meſopotamiæ, & totius Orientis, Sozom. de monachis Syriæ & Perſidis lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 33. & de omnibus monachis cap. 34. Præclarum verò illud eſt quod idem refert lib. 7. capit. 27. & Nicephor. libr. 12. cap. 47. de Zenone Sacerdote eximio.

14 *Idem in S. Zenone.*

Zenon, inquit Sozomenus, etiamnum "iuuenis, mundo ac matrimonio con"tempto, diligentiſſimus extitit circa "miniſterium Dei. Aiunt eum, immo & "nos quoque vidimus, cùm Maiuma"nam Eccleſiam gubernaret, iam ſenem "& natum plus minus annos centum, "numquam, vel matutinos, vel veſperti"nos hymnos neglexiſſe, niſi fortè mor"bus ipſum impediret. Addit Nicephor. "principio pſalmodiarum adeſſe eiſque "præire ſolitum. "

15. *Etiam in S. Antonio.*

S. Antonius apud D. Athanaſium in eius vita circa medium, ad pſallendum veſpere, mane, & meridie diſcipulos ſuos hortatur.

16. *Idem in diſcipulis Publij.*

„ S. Theodor. in Philotheo cap. 5. de „Publio. Diuinum quoddam templum „conſtruxit, in quod iuſſit, & hos, & il„los conuenire, incipiente die ac definen„te, vt veſpertinos ac matutinos hymnos „Deo ſimul offerrent: in duas quidem „diuiſi partes, & ſinguli ſua voce vtentes, „ex ſucceſſione autem canticum emit„tentes.

17. *Simile in S. Seuerino & eius diſcipulis.*

Eugippius Abbas, Vitæ S. Seuerini „cap. 9. A diſcipulorum ſuorum cellula „ſpiritualis Doctor longiùs habitabat, „in orationibus & abſtinentia iugiter „perſeuerans, cum quibus tamen matutinas orationes, & propriam noctis „principio pſalmodiam ſolemniter ad„implebat; reliqua verò orationum tem„pora in paruo complebat oratorio, quo „manebat. „

18. *S. Euthymus attenta mente Eccleſiaſt. peragit officium.*

Cyrill. Eremita in vita S. Euthymij, „Diuinum Eccleſiaſt. regulæ officium, „attenta mente, & cum cordis contri„tione, præfinitis peragebat tempori„bus, non riſui & ſuſurris, ſicut multi, „animum adhibens; ſed, vt qui aſtaret, „ante oculos communis Domini, & re„gis omnium, & coràm cum eo loque„retur. „

19. *S. Ioſaphat horam ſextam celebrat.*

B. Ioan. Damaſc. in vita Sanctorum Barlaam & Ioſaphat prope finem: In„uenerunt Ioſaphat manus in cælum, „extenſas habentem, & horæ ſextæ ora„tionem celebrantem. „

20. *S. Gallus moribundus matut. officium recitat.*

Gregor. Turon. in vitis Patrum cap. 6. de S. Gallo Aruernorum Epiſc. Ad„ueniente die tertia, quæ erat Domini„ca, albeſcente iam cælo interrogat (S. „Gallus) quid in Eccleſia pſallerent. Di„xerunt benedictionem ſe pſallere. At „ille, Pſal. 50. & benedictione decantata, „& Alleluiatico cum capitello expleto, „conſummauit officium totum tempo„ris matutini. Quo iam extremo per„functus officio, ait: Valedicimus vobis, „fratres, & hæc dicens extenſis membris, „ſpiritum Cœlo intentum præmiſit ad „Dominum. „

21. *Theodorus Archimandrita Canonicis precibus intendit.*

Georgius presbyter in vita Theodori Archimandritæ: Cùm eſſet veſpera, „in Eccleſiam ingreſſus eſt, & populo, „benedicens veſpertinas preces pronun„ciauit. Media nocte ad nocturnas ſol„uendas ſurrexit. Iulij Auguſtique die„bus, poſteaquam horæ tertiæ preces „abſoluerat, ad eum locum celeriter „contendebat. „

22. *Zoſimus Abbas hora ſexta officium agit.*

Sophron. Hieroſ. Epiſcopus in vita S. Mariæ Ægypriacæ loquens de Abbate Zoſima, Vinginti, inquit, dierum, „exiens iter, cùm ſextæ horæ tempus „aduenisset, ſterit modicum ab itinere, & „con- „

Digitized by Google

„conuerſus ad Orientem agebat ſoli-
„tam orationem. Conſueuerat enim
„conſtituto diei tempore figere itineris
„curſum & ſtans pſallere, & genu flexo
„orare.

23. *Stephanus presbyter à S. Petro monetur vt Pſalterium inceptum perficeret.*

Marc. Marulus lib. 2. Dictorum Factorúmque memorab. cap. 1. refert ex Nicephoro lib. 22. de Stephano presbytero Conſtantinop. quod cùm totum pſalterium ſingulis noctibus perlegere moris haberet, atque aliquando citiùs quàm aſſueuerat ſopitus ipſum ſemilectum dimiſiſſet, monitus ſit à S. Petro Apoſtolo, in ſomnis vt ſurgeret, & cœptum opus intentiùs perficere curaret.

24. *S. Bonifacius Canonicas preces obſeruat.*

Idem ibidem narrat de S. Bonifacio ex Surio, quod quotidie duplicatum laudis ſacrificium Domino offerret. Monaſticas enim canonicaſque precationes ſimul iungens, alteras Epiſcopus factus aſſumpſit, alteras iam-pridem monachum profeſſus non deſeruit. Subijciam hîc exempla quorumdam Imperatorum pietate planè commemorabili.

25. *Theodoſius iunior Imp. cum ſororibus ſummo manè alternis Pſalmos concinit.*

Socrat. lib. 7. hiſt. c. 22. refert Theodoſium Iuniorem Imperatorem ſummo diluculo cum ſororibus ſuis, Marina, Flaccilla, Arcadia, Pulcheria ſolemnes Deo pſalmos & laudes, non ſecus ac myſtæ in templis, alternatim quotidie concinuiſſe. Vide Matth. Raderum in Aula ſancta cap. 8.

26. *Carolus Magnus die noctuq́; horis adeſt Canonicis.*

Hincmarus in vita Caroli Magni ſcribit illum Eccleſiam mane & veſperi, nocturnis item horis & ſacrificij tempore, quando eum valetudo permiſerat impigrè frequentaſſe.

27. *Mathilda & filius eius Otho primus Imper. nocturnis diurniſ-*

Witichindus, aliàs Vindichinus monachus lib. 3. Hiſtor. Saxonum hæc habet de Mathilda matre Imper. Ottonis
„primi. Mathilda (erat hæc femina ſan-
ctiſſima viſa à quodam Anachoreta ab
Angelis in Cœlum poſt mortem deſer-
„ri) omni nocte, omnibus modis, & om-
„ni genere cellulam ſuam diuinorum
carminũ melodia implebat. Erat enim „*que preci-*
ei cellula Eccleſiæ proxima in qua mo- „*bus inter-*
dicè requieſcebat, de qua omnibus no „*ſunt.*
ctibus conſurgens intrat Eccleſiam, ni- „
hilominus cãtoribus & cãtatricibus in- „
tra cellulã & pro foribus, & in via trifor- „
miter conſtitutis, qui diuinam clemen- „
tiam laudarent atque benedicerent. „
Ipſa intra Eccleſiam in diuinis laudi- „
bus, & vigiliis perſeuerans Miſſarum „
ſolemnia expectabat. *Paulò poſt, hæc ſubijcit de Ottone primo eius filio.* Otto proxi „
ma nocte iuxta morẽ diluculo de lecto „
conſurgens, nocturnis, & matutinis „
laudibus intererat, poſt hæc paululum „
requieuit: Miſſarum deinde officijs ce- „
lebratis, pauperibus iuxta morem ma- „
nus porrexit, paululum guſtauit, ite- „
rumque in lecto requieuit: cùm autem „
hora eſſet proceſſit, lætus & hilaris „
ad menſam reſedit. Peracto mini- „
ſterio veſpertinis laudibus interfuit „
&c. „

28. *Iulianus Apoſtata Chriſtianorum Simicus ſymmiſtas ſuos inſtituit vt ritu eorum Pſalmos certis horis canant.*

Concludam hoc caput facto Iuliani Apoſtatæ, ex quo vetuſtas ſacræ pſalmodiæ vel maximè elucet. Scribit itaque Hiſtor. Tripart. lib. 6. capit. 29. ex Sozomeno lib. 5. cap. 15. Idemque recenſet Nicephor. libr. 10. capit. 21. Iulianum fidei noſtræ deſertorem lectores ſuæ ſuperſtitionis & ſymmiſtas inſtituiſſe ad inſtar clericorum Chriſtianorum, vt & horas certas & dies, & orationes ſolemniter obſeruarent.

CAPVT VII.

Quando inſtitutæ Horæ Canonicæ.

QVamuis exijs quæ hactenus dicta ſunt ſatis perſpectum ſit ſolemnium Eccleſiæ precationum vſum eſſe vetuſtiſſimum, cum ipſa Eccleſia Chriſtiana prope natum, atque adeò ex conſuetudine veteris Teſtamenti per 1.

Apoſtolos ad noſtra vſque tempora propagatum; quia tamen ſcriptores nonnulli earum inſtitutionem ad hunc vel illum Romanos Pontifices referunt; vt hac etiam in re, quid legitimum, quid ſpurium ſit, euidens fiat, placuit paucis de hoc argumento diſſerere.

2. *Pelagius primus non inſtituit horas Canonicas.* Igitur Franciſ. Maurolycus in martyrol die 27. Auguſt. horarum Canonicarum auctorem & inſtitutorem facit Pelagium primum, motus fortè auctoritate ſupplementi Chronicorum, & Summæ Concil. quæ aiunt hunc Pelagium mandaſſe clericis in ſacris conſtitutis vt quotidie ſeptem horas canonicas celebrarent: pro quo allegat ſupplement. capit. Eleutherius d. 91. Verùm Gratian. non inſcribit quiſnam fuerit auctor iſtius canonis, Pelagius primus an ſecundus. Deinde ibi ſolùm agitur de vigilijs frequentandis. Dubium autem eſt quid per vigilias intelligat, vt videre licet in Gloſſa. Præterea non fit ibi mentio inſtitutionis Vigiliarum, ſed ſolùm præcepti vt celebrentur. Adde his, ante Pelagium primum haberi de Damaſo, tum in lib. pontificali cap. 39. tum in Romano Breuiario, quod inſtituerit vt Pſalmi diu noctuque canerentur in Eccleſia: Idque præcepiſſe presbyteris, Epiſcopis, & monaſterijs. Quod etiã refert Beda in ſuo Martyrologio ſub tertium Decembr. Walefridus Strabo lib. de rebus Eccleſiaſt. cap. 25. poſt initium, Radulphus Tungrenſis de Can. Obſeruan. propoſ. 8. & Sigebertus in Chronico ſub ann. Dom. 382. Quod ſi hæc vera ſunt nullo modo Pelagius primus auctor pſalmodiæ dicendus erit, multò minùs Pelagius ſecundus, quod voluit Polydorus Virgil. lib. 6. de inuentor. rerum cap. 2. qui tamen paulò ante primam harum inſtitutionem tribuit D. Hieronym.

3. *Nec etiam D. Hieronymus vel Damaſus.* Verùm ex patribus ſuprà allatis Clemente, Cyprian. Baſil. & alijs apertum eſt diu ante Damaſi vel Hieronymi tempora, multo etiam magis ante Pelagij primi vel ſecundi, horarias preces fuiſſe vſitatas. Vnde exiſtimo hos auctores non primam horarum inſtitutionem ad Hieron. vel Pelagios retuliſſe, ſed ſolùm aliquam ordinationem, aut, vt ita loquar, modificationem, quod nullo modo negandum videtur, cùm etiam Pius quintus, in Bulla Breuiario Romano eius iuſſu edito præfixa fateatur diuini officij formulam piè ac ſapienter à ſummis pontificibus, præſertim Gelaſio ac Gregorio primis conſtitutam, à Gregor. autem ſeptimo reformatam.

4. *Quid Damaſus circa horas canon.* Dubium hic ſolùm eſt de Damaſo, quidnam videlicet ipſe conſtituerit circa penſum diuinini officij horaſque canonicas.

5. *Prima reſponſio.* Reſpondeo primo quoſdam auctores exiſtimare B. Damaſum, vt conſtare aiunt ex eius ad B. Hieron. epiſtola, (quæ extat in tom. 1. conciliorum) petijſſe ab eodem ſibi mitti Græcorum Pſallentiam, id eſt, pſalterium vel ordinem & modum pſallendi: quod pſalterium illi poſtea à B. Hieronym. tranſmiſſum fuit in ſeptem partes diſtinctum, iuxta numerum dierum vnius hebdomadæ, vt quilibet dies certum pſalmorum numerum haberet, qui canerentur. Hoc pſalterium eo modo diſtinctum iuſſit Damaſus in omnibus tẽplis decantari, vt nũc etiam obſeruatur, cũ prius in Eccleſia Romana nihil ferè ex pſalmis caneretur, vt ipſemet Damaſus in eadem epiſtola fatetur. Ita Radulph. Tungrenſis de canon. obſeruan. prop. 8. Ioann. Beleth. in Rationali diuin. offic. cap. 19. Polydor. Virgil. lib. 6. de inuent. rer. cap. 2. & alij. Idem ſtatuit D. Benedictus de pſalmorum diuiſione.

6. *Refutatur hæc à Card. Baronio.* Verùm refragatur his Baronius tom. 1. Annal. ann. Chriſti 60. Non ſic, ait,

„ait,Romana Eccleſia (vt aliquis exiſti-
„mauit deceptus comentitijs ſcriptis
„Damaſi nomine peruulgatis)ab Orien-
„tali Eccleſia mutuata eſt modum pſal-
„lendi: cùm iam ab ipſo inſtitutæ ſedis
„exordio Pſalmorum cantus in eâ coa-
„luiſſet Eccleſia. Nam Damaſus, non
„canendi ritum,ſed pſalterium ex tranſ-
„latione 70. ex Oriente à S. Hieronym.
„Hieroſolymis agente accepit. Hæc ibi.
Idem rurſus tom. 4. an. Chriſti 384.
„hæc habet de Damaſo. Falſum eſt, ait,
„quod habetur in libro de Roman.
„Pontif. Damaſi præcepto inſtitutum,
„vt die noctuque Pſalmi in Eccleſijs ca-
„nerentur.Fortaſſe,inquit, aliqua potiùs
„forma ab eo præſcripta fuit. Nam ab
„initio Eccleſiæ viguit cum cantu diur-
„na nocturnaque pſalmodia. Vnde ni-
hil aliud putat præſtitiſſe Damaſum,
quàm emendatum à S. Hieron. pſalte-
rium 70. interpretum canendum occi-
dentalibus tradidiſſe: Hæc enim habet
Hieron. in Apolog. aduerſus Ruffin.
„Pſalterium quoque,inquit,certè emen-
„datiſſimum iuxta 70. interpretes no-
„ſtro labore dudum Roma ſuſcepit.

7. *Vera reſponſio Damaſum præcepiſſe vt Pſalmi alternis canerentur.*

Reſpondeo 2. Damaſum præcepiſſe vt in Eccleſia Pſalmi die noctuque ἀντιφώνως ſiue alternis cantarentur: vt, præter alios auctores, habet Breuiar. Roman. 11. Decemb. ipſo die D. Damaſi. Sed hac de re pluribus inferiùs cap.16. agendum erit.

Iuxta hæc intellige plures ſcriptores.

8. *Variæ auctorum ſententiæ de inſtitutione & auctoribus Horarum.*

Vide Iacob. Pamel. Annot. in tracta-
„tum D. Cypriani de orat. Dom. vbi
„ita ſcribit: Rectè mihi ſentire videntur
„Sigebertus in Chronicis & Radul.
„Tungr. qui Diuis Damaſo, Hieronym.
„Ambroſ. Canonicarum horarum inſti-
„tutionem aſſignant. Quod confirmat
„pſalmorum per totam hebdomadam
„iam inde,tum in Romana , tum in Me-
„diolan. Eccleſia diſtributio. Vt autem
„quotidie à presbyteris recitarentur, in-
„ſtitutum referunt à Pelagio ſecundo.
Singulis etiam horis præfationis loco,„
adiunxiſſe D. Gregor. initium illud,„
Pſalm. Dauidici, *Deus in adiutorium*,„
&c. „

Genebrardus præfatiuncula præmiſ-
ſa explicationi in Pſalmos eadem ferè
habet. Cùm,inquit, olim initio Eccle-„
ſiæ pſalterium recto ordine recitare-„
tur,& per 7. διαςήματα id eſt interual-„
la,pro numero dierum hebdomadis,ad-„
iunctis lectionibus ſacræ ſcripturæ,„
homilijs Sanctorum Patrum, breui-„
bus collectarum formulis, cœpit„
ordinari pro dierum & feſtorum occa„
ſionibus, ſub annum Chriſti 370. Bre-„
uiarij enim inſtitutio D. Damaſo, Hie-„
ron. & Ambr. tribuitur. „

Alij docent ordinem Pſalmodiæ, 10.
quâ Eccleſia nunc vtitur, elucubratum à S.Hieron. præceptum à Damaſo, auctum ornatumque à Gelaſ. Gregor. Vitalian. Pontif, alijſque: deinde confirmatum tempore Adriani Papæ, & Caroli Magni, per totum orbem euulgatum ſub Eugenio Papa: poſtpoſito ritu & formâ Breuiarij Ambroſiani à multis Eccleſijs antè recepti, ſed impoſterum terminis Diœceſis Mediolan. concluſi.

11. *Horæ quoad rem ortæ ſunt cum Eccleſia Chriſtiana.*

Verùm dicendum eſt & certò ſtatuendum horas Canonicas (ſi rem ipſam & ſubſtantiam ſpectemus) ſimul exortas cum Eccleſia Chriſtiana, & Apoſtolica traditione ad noſtra vſque tempora perueniſſe.

12. *Probatur ſententia.*

Patet hæc aſſertio ex ſcripturis, Patribus, Concilijs, & Sanctorum exemplis ante prolatis.

Confirmatur verò ex Regula D. Auguſt. quam habet lib. 4. contra Donatiſt. cap.24. Id quod vniuerſa Eccleſia omnibus retro temporibus ſeruauit, meritò ab Apoſtolis creditur ad nos perueniſſe, Semper autem obſeruatas conſtat, & primus illarum auctor ignoratur.

Dixi ſimul cum Eccleſia exortas, quo

Digitized by Google

13. *Dubium an omnes 7. horæ ab exordio Eccleſiæ fuerint celebratæ.* quoad rem vel ſubſtantiã: quia primò dubium eſt an omnes ſeptem horæ fuerint celebratæ ab initio eius. Quamuis enim teneam partem affirmantem, quæ longè eſt probabilior; Sunt tamen viri docti, qui moti loco Caſſian. lib. 3. de Inſtit. Renunciantium cap. 4. Primam putant circa illius tempora inſtitutam, ſimiliter, & completorium circa tempora Diui Benedicti, cùm nomen illud primum in illius Regula reperiatur, qua de re infrà. Alij etiam autumant Laudes matutinas poſteà additas: Vnde ſcribit Radul. Tungren de „can. obſeruant. prop. 14. Sancti Pa„tres, inquit, per pſalmodias obſerua„bant quinque horas, ſcilicet vigilias no„ctis, tertiam, ſextam, nonam, & veſpe„ram: Et deinde, quia ſcriptura ſæpius „iungit mane & veſpere, addita eſt „laus matutina. Et quoniam multorum „quoque Epiſcoporum ſtatutũ erat, vt „clerus & populus manè & ſerò preces, „& orationes Deo funderent cum ora„tione Dominica & Symbolo; Ideo ad „hoc introductæ ſunt duæ aliæ horæ, „prima, & completorium, vtraque cum „precibus oratione Dominica & Sym„bolo. Similia ferè habet Smaragdus in cap. 16. Regulæ D. Benedict. ſed ſit fides penes auctores.

14. *Dubium eſt ſecundò an omnium horarum tempora ſtatim à principio definita.* Dubium eſt ſecundò, an omnium horarum tempora fuerint ſtatim à principio definita. Scribit enim Walafrid. Strabo lib. de rebus Eccleſiaſt. cap. 25. in principio. Sciendum eſt, in„quit, multa poſt reuelationem Euange„lij tempora tranſiſſe antequam ita or„dinarentur quarumdam per diem & „noctem horarum ſolemnia, ſicuti nunc „habentur.

15. *Non fuit ab initio eadem ſemper forma aut ritus pſallẽdi.* Certum eſt tertiò, non fuiſſe ab initio eandem formam, ritum, aut ordinem, quibus nunc Eccleſia vtitur, ſed hæc omnia fuiſſe ſæpius variata, reformata, & perfecta, vt etiam fatetur Pius V. in Bulla Romano Breuiario præfixa. Dicit enim Durand. in Ration. Diuin. Off. lib. 5. cap. 2. In primitiua Eccleſia diuerſos diuerſa quemque pro ſuo arbitrio cantaſſe, dummodo quod cantarent ad Dei laudem pertineret. Quædam tamen officia obſeruata fuiſſe ab omnibus, ab initio conſtituta, vel ab ipſo Chriſto, vt Orationem Dominicam, vel ab Apoſtolis, vt Symbolum, Idem oſtendit Waldenſis tom. 3. de Sacram. tit. 3. cap 21. maximè nu. 9. & ſequent. Vbi docet Eccleſiam licet habuerit optimum architectum, opus tamen eius rude fuiſſe, cuius ſpecies paulatim creuerit ad perfectum. Quis enim neſcit Eccleſiam in Cantic. cap. 6. deſcribi æmulam auroræ progredienti & creſcenti? Plura de his videri poſſunt apud Caſſian. lib. 2. de inſtitut. Renun. libr. 2. cap. 4. Socrat. lib. 5. hiſt. cap. 21. & Niceph. lib. 12. c. 34.

16. *Non videtur ſtatim in Eccleſiæ initio lex lata horas pſallendi.* Videtur quartò, non ſtatim ab initio lex lata de precibus horarijs recitandis, vt rectè obſeruauit Azor. noſter tom. 1. inſtit. moral. lib. 10. cap. 1. 4. 6. Vbi ſic habet. Fortè Pelagius primus aut ſe„cundus legem conſtituit, quâ clerici, „horarias preces ſepties in die perſolue„re cogerentur, ita vt quod antea ex an„tiqua conſuetudine ſeruabatur, lege de„inde lata perpetuò in Eccleſia iuſſerit, „obſeruari. Et hinc eſt, quod in Conci„lijs & ſcriptoribus Eccleſ. poſt ea tempora frequens mentio habeatur ſeptem horarum Canonicarum.

17. *Dubium an Eccleſiæ exordio Pſalmos cecinerint an ſolùm recitarint.* Poſtremò dubium eſt an in ipſis incunabulis primæuæ Eccleſiæ pſalmos cecinerint, an ſolùm alta voce recitauerint. Exiſtimant aliqui preces eo ferè vocis ſono pronunciatas, quo nunc vtuntur quidam religioſi, præſertim verò Patres Capucini: ſed de his inferiùs.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Quid ſit Hora Canonica & varia earum nomina.

NOtum eſt quotidianas precationes,quæ à miniſtris Eccleſiæ eius nomine nuncupantur: varia ſortiri nomina.Frequens eſt iure nomen Officij Diuini,vt C.dolentes,de celeb. Miſſarum, & Clement. 1. eodem tit.& alibi ſæpe,quod etiam reperitur in Regula D.Benedicti cap.43.

2. *Horæ Canonicæ cur dictæ officium diuinum.* Nomen Officij tacitè nobis inſinuat τὸ πρέπον ſiue decorum honeſtatemque in canonica ſupplicatione colendam, & omnia in eo cum ratione, & ſine cuiuſquam offenſione peragenda.

3. *Triplex Etymon officij.* Triplicem enim huius vocabuli originationem reperio. Duas apud D. „Ambroſ.lib.1 offic.cap.8. Officium,in„quit, ab efficiendo dictum putamus, „quaſi efficium (ita & Donatus.) Sed „propter decorem ſermonis vnâ immu„tatâ litterâ officium nuncupari:vel cer„tè,vt illa agas, quę nulli officiant,pro„ſint omnibus. Hæc ille. Quaſi ergo per Antiphraſin dictum eſt officium, quaſi minimè tale. Alij non malè ſic vocatum autumant,quod ob id, id eſt,circa illud obeundum, & faciendum cuiuſque cura verſari debeat. Eſt enim officium quod quemque facere decet pro conditione loci,temporis,perſonæ.Vn„de rectè M. Tull.lib.1.offic.Nulla vitæ „pars vacare,inquit, officio poteſt,in eo„que excolendo ſita eſt vitæ honeſtas „omnis,& in negligendo turpitudo.Dicant ergo officij ſui, qui in ſortem Domini vocati ſunt, pro viribus Deum laudare &c.

4. *Cur diuinum.* Meritò verò appellatur Diuinum, κατ᾽ ἐξοχὴν. Eſt enim excellentiſſimum obſequium,quod Eccleſiæ miniſtri exhibere tenentur, Dei præconia celebrare, eiuſque opem ſubmiſſis precibus implorare. Diuinum etiam Officium quia ad Dei cultum eſt inſtitutum primariò, & ad eundem ſolùm pura mente referendum. Denique Diuinum,tum quia nos ad Deum euehit, ejque agglutinat, & ritè, vt decet, perſolutum diuinos facit, iuxta illud, qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt; tum quia ſeruitium hoc,vt alia humana fluxa,& caduca,edacis æui dente non carpitur,ſed in æternum cum Deo perennabit; Verum eſt enim illud Pſalmodi Pſam.83. *Beati qui habitant in domo tua Domine; in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Hic Tirones pſalmodiæ rudimẽta ponimus æternæ vitæ candidati; Ibi illam iam eruditi,& θεοδίδακτοι,aſſcripti in ciues ſanctorum & domeſticos Dei, per omnem æternitatem continuabimus. Aſpira mecum lector, ad iucundam hanc æternamque libertatem.

Pari ratione vocatur Eccleſiaſticum Officium,vel quia Eccleſiaſticis incumbit, vel quia ab Eccleſia auctoritatem accepit, & eius nomine perſoluitur,vel quia ab Eccleſia concinnatum eſt, & clericis imperatum. 5. *Cur Eccleſiaſticum.*

Idem munus vocari communiter ſolet Horæ Canonicæ Metonymicῶs; qua ratione pro contento venire ſolet continens. Hoc appellationis genus inuenies apud Bedam ad cap. 18. Lucæ, vbi exponit illud: *Oportet ſemper orare &c.* ſic inquiens: Dicendum„ eum ſemper orare„ qui Canonicis„ Horis quotidie, iuxta ritum Ec„ cleſiaſticæ traditionis, pſalmodijs,„ precibuſque conſuetis Dominum ro„ gare, & laudare non deſiſtit, &„ hoc eſſe quod pſalmiſta dicebat; Bene„ dicam Dominum in omni tempore;„ ſẽper laus eius in ore meo. Omitto hic„ quæ multi perperam ſcribunt de Etymo & notatione Horæ Canonicæ,quia mera ſomnia, & commenta ſunt,eruditis auribus & oculis indigna. Vocantur 6. *Quare Horæ Canonicæ.* 7. *„Semper orat,qui adeſt horis Canonicis iuxta Bedam.*

tur itaque Preces Horariæ Horæ Canonicæ, quia certis quibuſdam diei noctiſque horis perſoluendæ ſunt à clericis, iuxta regulam Sanctorum Patrum & Eccleſiæ.

8. *D.Benedictus horas Canonicas vocat opus Dei, & quare.*

Non poſſum calamum continere, quin hic adſcribam illuſtrem notam, quâ magnus ille Archimandrites Benedictus omni ore benedicendus horas inſignit. Amat enim eas inſcribere Opus Dei vel Diuinum. Sic paſſim habes in Regula cap, 19.43.47.& alibi ſæpiuſculè: quo vocabulo mirum quàm luculentè ſignificet, & harum precationum dignitatem, & quos ſtimulos admoueat illas ſolemniculosè, & languidè obeuntibus, & auriculis ſeruorum Dei inculcet illud priſcum: Hoc age, id eſt, curam, ſedulitatem, diligentiam noſtram exſuſcitet. Ita Bernardus ſerm. „47. in Cant. ſub finem. Ex regula, in„quit, noſtra nihil Operi Dei præponere „licet; Quo quidem nomine laudum ſo„lemnia, quæ Deo in oratorio quotidie „perſoluuntur, Pater ideo Benedictus „voluit appellari; vt ex hoc clariùs ape„riret, quàm nos operi illi vellet inten-

9. *Exhortatio acris ad opus Dei ſtrenuè obeundum.*

„tos. Ita Bernardus. Audi, ô aliquis, qui dum penſum horariarum precum trahis potiùs quàm canis, & oſcitas heſternum diſſutis vndique malis; audi, „inquam, verba Magiſtri c.19.Reg. Vbi„que, inquit, credimus diuinam eſſe præ-

10. *Ex Regula B.Benedicti.*

„ſentiam, & oculos Domini in omni lo„co ſpeculari bonos & malos; Maximè „tamen hoc ſine aliqua dubitatione cre„damus, cùm ad Opus Diuinum aſſiſti„mus; ideo ſemper memores ſimus, „quod ait Propheta; *Seruire Domino in* „*timore*; & iterum, *Pſallite ſapienter.* Et „*in conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Er„go conſideremus qualiter oporteat „nos in conſpectu Diuinitatis, & Ange„lorum eius eſſe. Et, ſic ſtemus ad pſal„lendum, vt mens noſtra voci noſtræ „concordet. Hæc ille ſæpe à nobis commemorandus Pater. Addam huic mantiſſæ & auctarij loco propheticas diras, ex Ierem.48. *Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter.* Vel, vt 70. reddunt, *Negligenter*, quod in eundem ſenſum recidit, vt bene obſeruauit Gaſpar Sanctius eo loco: quia qui partem ſtudij, curæ, aut diligentiæ detrahit, eo in munere, ad quod Ius vel Religio eum obligat, non ſolùm negligentiam, ſed & fraudem committit. Vnde qui de rebus ſpiritualibus ſcripſerunt hunc locum ad pium ſuum inſtitutum rectè deriuant; quod enim Propheta de certo genere fraudis aut negligentiæ dixerat, ipſi vniuerſim accipiunt de omni opere, ad quod ex Iuſtitia, Religione, aut alia virtute quis tenetur. 11.

Ex loco Ieremiæ maledictus homo qui facit opus Dei fraudulẽter vbi etiam explicatur.

Reſpondeo iam ad quæſtionem propoſitam initio capitis. Horæ Canonicæ ſunt certa Deum voce laudandi & deprecandi formula, quæ ab Eccleſiæ miniſtris eius nomine, quibuſdam per diem & noctem temporibus, iuxta Sanctorum Patrum canones obſeruatur. 12.

Definitio horarum canonicarum.

Dicitur *certa formula* &c. quia cùm multæ editæ ſint, & quotidie edantur à viris pijs orandi formæ, non eſt quælibet earum Horæ Canonicæ; ſed contextus quidam pſalmorum, hymnorum, lectionum &c. Certo ordine conſtans, & ab Eccleſiæ præſidibus compoſitus aut approbatus, vt in Breuiario Romano, vel alijs à ſede Apoſtolica admiſſis, continetur. 14.

Explicatur definitio.

Apponitur *Deum laudandi, & deprecandi* &c. Quia hæc ratio maximam partem complectitur Dei præconia, quibus eius infinitæ & eminentiſſimæ perfectiones, ſanctiſſimi mores, magnificentiſſima opera, innumerabilia in res à ſe conditas beneficia extolluntur, & pro ijſdem gratiæ aguntur, vel humiliter preces eidem offeruntur, vt omnia à nobis mala auertat, bona verò liberali manu largiatur. Quidquid verò ad Diuorum laudem, 14.

in

Digitized by Google

in eodem orandi modo pertinet, vel ad noſtram inſtructionem & conſolationem ibidem occurrit, totum in vnius Dei gloriam dirigitur & redundat.

15. Additur, voce laudandi: & meritò, quia cùm Eccleſia ſpectabilis ſit Reſpublica, etiam quæ externa ſunt, & ſub ſenſum cadunt: edicit, cùm enim de interioribus non iudicet, ea in ſuo tribunali præſcribere (ſaltem directè, vt in ſcholis loquimur) non ſolet. Vide autem ne ab hac orandi formula mentem excludas, reddaſque eam ſine anima, & inanes proferas ſine mente ſonos. Vox enim in Eccleſiæ oratione, ſpiritum etiam & mentem includit, vt in verbis illis Apoſtoli, *Pſallentes in cordibus veſtris Domino*, τὸ cordibus, vt ibi notant interpretes, vocem non excludit.

16. Adijcitur, obſeruari ab Eccleſiæ miniſtris eius nomine, vt oſtendatur eſſe modus publicus deprecandi, quo vtantur illi, qui totius Eccleſiaſt. Reipub. nomine legatione pro populo eiuſque communi bono, apud Deum mundi moderatorem funguntur.

17. Poſtremò ſubditur, obſeruari hunc modum iuxta canones &c. quia non ſolùm tempora ad Deum deprecandum ſtatuta ſunt à canonibus Eccleſiæ, ſed ea ipſa etiam orandi ratio præſcripta eſt ab Eccleſiæ Antiſtitibus.

CAPVT IX.

Horæ Canonicæ ſunt Oratio Vocalis, & quare.

1. DIffuſiùs paulò exponenda ſunt duo membra definitionis Horarum Canonicarum: ſcilicet, quod hoc precationis genus voce fiat, & non ſolùm mente: Deinde quòd fiat à miniſtris Eccleſiæ, nomine totius populi Chriſtiani.

2. *Ex certa* Quantum ad primum, doctrina eſt D. Th. 2. 2. q. 83. ar. 12. Ibidem Caietani Adriani quodl. 8. Nauarri Ench. de Horis Can. cap. 17. num. 37. & ſequenti communiter à Theologis recepta, & planè certa, orationem communem ſiue publicam, qualis eſt illa, quæ horarijs ſupplicationibus continetur, debere voce proferri, vt poſſit populo fieri manifeſta, cuius nomine nuncupatur, & pro quo Deo offertur: quod neceſſarium eſt, vt intelligat per miniſtros ſuos ſe Deum colere & inuocare, & ſacris miniſterijs dicatos, munus ſuum, ad quod obeundum conſecrati, & ſtipendio conducti ſunt, fideliter implere. *Theologorum ſententia oratio publica debet eſſe vocalis & quare.*

3. Et conſtat ex vſu omnium gentium, quæ vel vnum verum Deum agnouerunt, vel plures, eoſque falſos veneratæ ſunt. Imò addit D. Thomas vel maximè rationi conſonum eſſe, vt huiuſmodi publicæ orationes, alta & clara voce pronuncientur, vt non ſolùm à publicis miniſtris & liturgis, qui pſalmodiæ præſunt & vacant, ſed etiam ab omnibus præſentibus percipi poſſint. *Sic habes vſus omnium gentium.*

4. Quare multum differt hæc canonica precatio, ab illa quæ nomine priuato & proprio fit, quamuis etiam commune bonum à Deo poſtulet: illa enim, ſi eius natura præciſè ſpectetur, voce non indiget, & ſæpe tutiùs, & perfectiùs ſola mente funditur, quamuis, interdum latens affectus, inſtar concluſæ flammæ, foras erumpat, & ſe voce prodat, propter naturalem animi cum corpore connexionem. *Differt in hoc oratio publica à priuataque voce non eget.*

5. Præterea rectè obſeruat Caiet. non ſolùm orationem hanc publicam neceſſariò vocalem eſſe, vt percipi poſſit à populo, ſed quia hoc etiam conforme eſt naturæ Eccleſiæ, quæ eſt Reſpublica quædam & monarchia omnibus ſpectabilis, & corpus myſticum ſub ſenſum cadens, membriſque eiuſdem generis conſtans, quæ vt muneri ſuo faciant ſatis, cultum Deo orationum ſenſibilium, quæ ore promantur, & aure capiantur, deferre debent. Ex quo etiam intelligimus Eccleſiam *Oratio ſenſibilis Eccleſia viſibili conuenit.*

6. *Eccleſia non præcipit ſolas internas orationes.* numquam ſuis miniſtris præcipere vel præcepiſſe orationes, quæ ſola mente affectuque ad Deum ferantur, & ab ipſo ſolo Cardiognoſte percipiantur. Quorſum enim ſuis legatis mandet ea, quorum nec notitiam attingere, nec iudicium ferre poſſit, recténe an perperam facta ſint? Iniungit igitur ſuis miniſtris vt Deum voce celebrent, vt patet ex ipſius decretis, & legibus, & continuata ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram vſque ætatem conſuetudine. Quo fit vt illi, qui præſentes ſunt, ad Dei laudem aliaque religionis exercitia prouocentur, & ſanctis deſiderijs incaleſcant, quod in hymnodia ſancta Eccleſia intendit.

7. *Oratio vocalis commendatur in ſcriptura & frequentata eſt à Sanctis.* Solùm breuiter de duobus lector mihi monendus. Primum eſt, vocalem orationem tanquam functionem ſanctam & religioſam vſurpatam, fuiſſe à viris ſanctitate præſtantibus, & à Diuino Spiritu in ſacris litteris commendatam. Et, vt Chriſti exemplum prætermittam, quem conſtat ſæpe voce oraſſe, vt, cùm ſumptâ cœnâ hymnum dixit Matth. 26. & prolixa Patrem oratione Ioannis 17 deprecatus eſt, vt etiam ibidem cap. 11. & cruci affixus ſupplicationes cum clamore valido eidem obtulit Matth. 27. & ad Hebræos 5. Certè Pſaltes Regius, ſæpe teſtatur ſe vocem in Dei encomia, & orationem laxaſſe, vt Pſal. 50. *Domine labia mea aperies, & os meum &c.* Pſalm. 141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum*, & alibi ſæpiſſimè. Hortatur nos ad eam Siracides, Eccleſiaſt. 39. *Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, & in canticis labiorum &c.* Rurſus ad Hebr. 13. *per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Denique Chriſtus ſæpenumerò gratam ſibi accidiſſe voce editam ſui nominis laudem vel ſupplicationem oſtendit: Vt infantium Hebræorum clamantium ei; *Oſanna* &c. Mar. 11. Luc. 19.

8. *Rationes cur Deum voce laudemus vel oremus.* Alterum eſt plures aſſignari à Doctoribus rationes, cur voce Deum laudemus, vel deprecemur, quas inter alios adferunt Gabriel Lect. 62. in Canon. Miſſæ Nauarrus 5. num. 40. Iacobus Aluarez de Paz tom. 3 De Studio orationis lib. 1. parte 2. capit. 1. Franciſcus Suarez l. 3. De Oratione c. 1. Sufficiet rationes tres, quas adfert D. Thomas, explicatiùs hic proponere.

9. *Prima vt voce oratio magis accendatur.* Prima itaque ratio eſt, vt ſopitum cæleſtis deſiderij ignem, remiſſumque votorum piorum ardorem vocis, & linguæ flabellis excitemus, & augeamus. Sumpta eſt hæc ratio ex Auguſtino Epiſtola 121. ad Probam cap. 9. Vbi inter cetera, hæc habet: *Sed ideo ab alijs curis, atque negotijs, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id quod deſideramus intendere, ne quod tepeſcere cœperat omninò frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebriùs inflammetur.*

10. *Secunda vt non ſolùm mente, ſed etiam corpore Deo præſtemus obſequium.* Altera ratio eſt, vt non ſolùm mente Deo obſequium præſtemus, ſed etiam corpore, cùm vtrumque ab ipſius liberali manu acceperimus. Hanc rationem adducit S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 13. *Quia*, inquit, *ex viſibili ſimul & inuiſibili, hoc eſt, ex ea natura, quæ intelligentia percipitur, & ex ea quæ in ſenſum cadit conſtamus; duplici quoque proinde adorationis genere illum rerum omnium parentem & architectum afficimus: quemadmodum videlicet, & mente & corporis labijs pſallimus, & aquâ ſimul ac ſpiritu baptizamur, & duplici modo Domino copulamur; nempe cùm Sacramenta, & Spiritus gratiam percipimus.* Sic exhibemus membra noſtra arma iuſtitiæ Deo, ad Rom. 6 & corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Ibidem cap. 12. Voluit hoc ſignificare Oſeas cum ait cap. 12. *Tollite vobiſcum verba*, (orationis)

Digitized by Google

11. *Oratio vocalis vituli labiorum apud Oſeam.*

nis) *& conuertimini ad Dominum.* Et mox ſubdit. *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum*; In quem locum D. Hieronym. *Reddituros ſe dicunt labiorum vitulos, & Dei laudes perpeti voce canturos. LXX.* habent *fructus labiorum*, quos ſequitur D. Paulus ad Hebr. 13. *Offeramus*, ait, *hoſtiam laudis, id eſt, fructus labiorum confitentium nomini eius.* Magis autem placere Deo verba, & vitulos labiorum, quàm vitulorum antiquorum ſacrificia, oſtendit Pſaltes, Pſalm. 68. *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo ſuper vitulum nouellum, &c.*

12. *Tertia ratio, quia anima linguam ad Dei laudes excitat.*

3. Ratio. Quia ſolet anima in Dei præconia effuſa, & cæleſti deſiderio æſtuans, etiam linguam ad Deum laudandum, & deprecandum excitare: quod ſæpe in nobis experimur. Et de ſe teſtatur Regius Propheta Pſalm. 70. *Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti: Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam &c.* Pſalm. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſalm. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea*, & ſæpe alibi. Si enim in fidibus vna tinniente, altera quaſi per ſympathiam reſonat, cur non idem appareat in animi & corporis motibus inter quos naturalis eſt nexus.

CAPVT X.

Precatio Canonica eſt Oratio Publica, & quis ex ea fructus exiſtat.

1. *Oratio alia publica, alia priuata, & quid vtraq; ſint.*

SCiendum eſt orationem vocalem diuidi in priuatam & publicam, vt colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 12. Quæ etiam dici poteſt oratio ſingularis, & communis. Oratio priuata dicitur illa quâ quis aliquid à Deo ſuo nomine petit, quamuis etiam commune ſiue publicum bonum petat: vnde fit, vt etiamſi fiat loco publico, vt ſæpius contingit; nihilominus per ſe ſit priuata: quia propria auctoritate fit & à priuata perſona offertur: Non enim materia vel obiectum, vt loquuntur Theologi, aut etiam locus, reddunt orationem publicam, ſed perſona, quę orationem fundit: poteſt ergo tantùm vocari illa oratio publica, quia publicè fit, & communis, quia bonum commune petit, cum abſolutè ſit priuata. Oratio verò communis ſiue publica vocari poteſt varijs modis. 2. *Tribus modis oratio dicitur publica.*

Primò, quæ fit à multis vnum petentibus, maximè ſi eodem tempore vel loco idem ſimul petant, vt fieri ſolet cum periculum aliquod belli, 1. peſtis, calamitáſve alia Reipub. ceruicibus impendet, & indicitur ſupplicatio ad ædes ſacras per horas 40. vt iam moris eſt. Sed hæc oratio quamuis efficax ſit, vt per ſe conſtat, & varijs modis poſſit communis vocari; non eſt tamen propriè publica, quia etſi multi ſimul orent, & commune bonum poſtulent; quiſque tamen orat vt perſona priuata.

Secundò ergo dicitur oratio publica, 2. quæ fit per miniſtrum publicum, initiatum aut deſignatum ad Deum publico aut communi nomine deprecandum: Verbi gratiâ per ſacerdotem orantem oratione approbata ab Eccleſia, ſed loco priuato, vt cùm in oratorio domeſtico quis ſacrificat, vel in cubiculo preces Horarias percurrit. Oratio illa verè eſt publica, quia miniſter eſt publicus oratione Eccleſiæ vtens vt ſuo muneri ſatisfaciat, ſolumque per accidens dici priuata poteſt, quia fit loco ab hominum communi acceſſu remoto.

Tertiò, cùm oratio fit per eoſdem 3. Eccleſiæ publicos myſtas, in loco publico ad Deum laudandum & deprecandum inſtituto, verbi gratiâ in choro,

Digitized by Google

ro, vbi humero vno, vt prædixit Sophonias capite 3. Domino ſeruiunt omnes, & omnes vnâ, vt ita dicam, manu ad idem miniſterium concurrunt, viciſſimque nunc pſallunt, nunc pſallentibus aſſiſtunt, nunc omnes ſimul concinunt.

4. *Oratio publica tria requirit.* Vlteriùs, ſciendum eſt orationem hanc publicam, 2. & 3. modo acceptam tria requirere.

1. Primò, vt fiat per miniſtrum vel legatum ab Eccleſia ad id muneris inſtitutum, iuxta illud Apoſtoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Deſcendit porrò hoc miniſterium pro populo deprecandi à ſummo Eccleſiæ Hierarcha in Sacerdotes & alios miniſtros, quos per ſe, vel per alios præſules ad hoc deſignat, & auctoritatem hanc communicat. Quo fit, vt is qui Horas Canonicas legit ex priuata aliqua deuotione, cùm non ſit in ſacris, vel beneficio Eccleſiaſtico fruatur &c. non offerat orationem publicam, quia officium legationis ad Deum nomine Eccleſiæ non accepit.

2. Secundò, vt in oratione ſua vtatur formulâ præſcriptâ ab Eccleſia, & non aliâ. Vnde Sacerdos Roſarij quinquagenam decurrens non orat oratione publica, quia id orationis genus ab Eccleſia non eſt inſtitutum, vt ſuo nomine offeratur, quamuis aliàs ſanctum ſit. Sic legatus Principis ad alterum regem dicitur, qui ab ipſo delectus negotium tranſigit ſecundum modum pacti, fœderis, vel alterius conuentionis quem ipſe princeps edixit: alioqui non legati munere fungi, ſed nomine ſuo rem tractare aut potiùs præuaricatorem agere dicetur. Quod etiam multò magis locum habet in legatis & fecialibus Eccleſiæ, quàm in quibuſlibet alijs quorumcumque principum oratoribus, qui negotiorum temporalium expediendorum cauſâ vltro citroque commeant: Sufficit enim vt ſubſtantia rei tractandæ ab ipſis principibus iubeatur: Verba enim & modus agendi in rebus minutioribus ipſorum plerumque arbitrio relinqui ſolet; At verò Eccleſia, cæleſtis planè in terris Reſpublica, quæ totius mundi Dominum per ſuos ſacerdotes alloquitur, ac huiuſmodi negotium tractat, in quo communis, & æterna omnium ſalus tanquam in cardine vertitur, nullo modo permittit vt alio ritu, formâ, aut modo vtantur, quàm ab ipſa conſtituto, & præſcripto. Et quidem meritò: Pertinet enim hoc, tum ad maiorem ſupremi numinis venerationem, & populi Chriſtiani religionem; tum ad ampliorem inſtitutæ legationis dignitatem, ſecuritatem, ordinem conſeruandum; maximè ne ſuperſtitio aliqua errórve ſubrepat; tum poſtremò ad totius Orthodoxæ plebis concordiam, & cum ſuis ciuibus connexionem; quamuis eadem Eccleſia ſecundum regionum diuerſitatem interdum in diuino officio, aliquam patiatur varietatem (manente ſemper eadem in rebus, & partibus potioribus ſubſtantia) idque in rebus, vt ſic dicam, accidentalibus; ab ipſa tamen ſaltem tacitè approbatam ad elegantiam, & decorem. Et hæc quidem duo ſpectant ad naturam & ſubſtantiam publicæ orationis. *Differentia inter legatos principum & miniſtros Eccleſiæ ipſius ad Deum legatos.*

Tertiò requiritur vt miniſter publicus orationes ab Eccleſia definitas fundat ea mente, & intentione, vt muneri ſuo ſatisfaciat. Quod quamuis videatur Franciſc. Suarez l. 3. de Orat. cap. 2. num. 2. ponere tanquam planè orationi publicæ, vt talis eſt, eſſentiale; Ego tamen puto hoc ſolum requiri vt oratio illa publica abſque cul- 3.

pa

5. *Oratio publica eſt, quæſità miniſtro Eccleſiæ quamuis ex ſola deuotione propria fiat.*

pa à miniſtro fiat; quia vt ſuo loco demonſtrabitur, implet ſacerdos legens horas canonicas Eccleſiæ præceptum, quamuis velit ex priuata deuotione ſolùm recitare, licet peccet culpa interiore nolens obedire Eccleſiæ præcepto. Sic enim legatus munus ſuum explet, dum verbis Regis, tanquam os ipſius, negotium apud alium principem tractat, quamuis ipſius animum, ira, odium, aut alia minùs recta mens in tranſuerſum agat.

6. *Oratio publica eſt etiam ſi ab vno ſolo miniſtro Eccleſiæ fiat*

Meritò verò oratio huiuſmodi à nobis iam deſcripta venit nomine orationis communis ſeu publicæ, quamuis à paucis, vel etiam ab vno ſolo Miniſtro præſtetur. Sicut enim functiones humanæ mentis aut corporis, quæ fiunt per membra aut facultates animi, quæ natura ad huiuſmodi inſtituit ipſi homini tribuuntur, diciturque homo ratiocinare, videre, audire, proficiſci, operari &c. Sic etiam orationes, quæ Deo offeruntur per miniſtros ab Eccleſia conſecratos aut deſtinatos, totius Reipublicæ Chriſtianæ nomine fieri cenſentur. Diciturque per illas vniuerſa Eccleſia Deum laudare, & deprecari.

7. *Fructus orationis publicæ.*

Tantùm hic colligendus fructus publicæ orationis, eiuſque vis paululum expendenda, quæ totius Chriſtiani populi nomine, per Eccleſiæ caduceatorem legatumque approbatum diuinæ maieſtati offertur.

8. *Debet hæc fieri per miniſtrum eccleſiæ non præciſum vt fructuoſa ſit, & pro non excommunicatis.*

Dico per legatum approbatum, quia ſi exauctoratus ſit & ab Eccleſia præciſus, aut excommunicatus, iam nullius roboris erunt illius preces, cùm deſinat ex hoc Eccleſiæ eſſe miniſter & legatus apud Deum. Addo etiam offerendas pro Eccleſiæ ciuibus quoniam extorribus, transfugis, & ſuffragiorum eius communione priuatis, nec applicandæ ſunt, nec proſunt, etiamſi applicentur.

Ceterùm Eccleſiæ auctoratum miniſtrum, & legatum ſimilem cenſeo Angelo illi de quo Apocal. 8. *Stetit Angelus ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum quod eſt ante thronum Dei, Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo?* Quid? ſi teſte ſcriptura multum apud Deum valet oratio iuſti aſſidua, & Deus voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit; quantum virium ad impetrandum habitura eſt deprecatio Eccleſiæ Angeli, qui Deo Patri coram Chriſto eius, offert ardentia tot ſanctorum vota, & odoriferos accenſarum precum ſuffitus. Placabitur procul dubio Dominus populo ſuo & odorabitur odorem ſuauitatis. 9. *Miniſter Eccleſiæ ſimilis Angelo de quo Apocal. 8.*

10. *Quatuor orationis fructus.*

Porrò è quatuor orationis fructibus communiter à Theologis aſſignari ſolitis (qui ſunt mentis ſpiritualis refectio, meritum augmenti gratiæ, & gloriæ, ſatisfactio pro pœnis temporalibus peccato debitis, & nouorum beneficiorum impetratio) manifeſtum eſt priores duos non creſcere ex vi orationis publicæ: cùm enim ſint perſonales, ſiſtántque in eo qui Deum precatur, tantùm dependent à menſura gratiæ, caritatis, feruoris, attentionis, alteriúſve diſpoſitionis ipſius orantis. Quo fit vt quiſpiam, rara ſanctitate, ſingulari reuerentia, magna attentione &c. Horarias preces recitans qui miniſter Eccleſiæ non eſt, plus apud Deum promereatur donorum cœleſtium, quàm ſacerdos, & miniſter peccatis multis inquinatus: Dulcedinem inſuper ſpiritus & liquidiorem mentis voluptatem hauriat quàm is cuius animus varijs euagationibus, vel ex culpa, vel citra culpam diſſipatur. Vnde quoad hos duos effectus nullum diſcrimen eſt, inter orationem priuatam & publicam.

11. *Meritum & refectio mentis non creſcunt ex vi orationis publicæ.*

Digitized by Google

12. *Nec etiam ſatisfactio augetur.*

Idemque videtur dicendum de tertio fructu, qui eſt ſatisfactio. Non enim videtur miniſter Eccleſiæ ſcelere mortifero alligatus Horarias precationes ſoluens ſatisfactionem aliquam poſſe diffundere in viua Eccleſiæ membra ampliùs quàm ſi quis peccator priuato nomine eas recitet, cùm nullius perſonæ Deo gratæ actio aut paſſio in huiuſmodi oratione interueniat, ſine qua non fit ſatisfactio, vt Theologi loquuntur.

13. *Fructus impetrationis maior eſt in oratione publica quàm priuata.*

Sed de hoc latiùs lib. 3. cap. 26. Cæterùm ſi quartum ex orationis effectibus reſpicias, qui eſt impetratio; lata inter orationem priuatam, & publicam exurget differentia. Si quidem oratio, quam proprio nomine quis fundit, parum aliquando à Deo obtinet, cùm deficiant conditiones ad infallibiliter impetrandum requiſitæ. At in publica non ita deſunt. Cùm enim miniſter nomine Eccleſiæ Chriſti cariſſimæ ſponſæ oret, nec eam deficere poſſit aut vera de diuinis promiſſis fides, aut de ipſius bonitate concepta fiducia, aut ſanctitas, quâ plurimi eius filij coram Deo pollent, nec etiam reuerentia, humilitas aut perſeuerantia; ſatis conſtat in publicis eius precibus plurimum momenti ineſſe ad Dei miſericordiam fideli populo conciliandam. Vide Ludouicum de Ponte tom. 4. de Perfectione Chriſtianâ tract. 3. cap. 3. §. 2.

CAPVT XI.

Horaria ſupplicatio conuenienter vtiliterque inſtituitur in choro & miniſtrorum Eccleſiæ cœtu.

1. *Vſus chori eſt antiquiſ.*

DE Choro paucis agere in animo eſt, cuius vſum conſtat eſſe antiquiſſimum. Iſidorus certè lib. 1. de Eccleſ. Off. cap. 3. eius originem ad Moſem refert. *Choros*, inquit, *Moſes poſt tranſitum rubri maris primum inſtituit, & vtrorumque ſexuum diſtinctis claſſibus, ſe ac ſororem præcinere Deo in choris carmen triumphale docuit, Exod. 15. Chorus ab imagine ductus eſt coronæ ideoque ita vocatus. Vnde Eccleſiaſtici liber cap. 50. ſcribit ſacerdotem Simeonem Oniæ filium iuxta aram, & circa illum coronam fratrum. Chorus enim propriè multitudo canentium eſt, quique apud Iudæos non minus decem conſtabat canentibus; apud nos autem incerto numero, paucioribus pluribuſve ſine vllo diſcrimine conſtat.* Hæc Iſid. 3.

fuitque à Moſe inſtitutus.

Chorus vnde dictus.

A Samuele alij volunt primum inſtitutum.

Sunt tamen alij auctores, qui putant Samuelem primum inſtituiſſe chorum 1. Reg. 10. *Obuium* (ait Samuël ad Saülem) *habebis gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium &c.* Non diſplicet tamen S. Iſidori opinio, licet videatur non rectè attigiſſe Etymon vocis chorus, deducens à corona in quo ſequitur Feſtum. Eſt enim chorus non Latina, ſed Græca dictio, 4. ſic dicta ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id eſt, à lætitia, quâ canentes vel ſaltantes exultare ſolent. Quod autem idem Iſidorus docet chorum ductũ eſſe ab imagine coronæ, 5. verum eſt, ſi conſuetudinem Iudæorum legis veteris (vt apparet ex loco Eccleſ. citato) & primorum Chriſtianorum ſpectemus, antequam chorus in duas cantorum partes diuideretur, qui alternis Dei laudes modularentur; tunc enim canebant vno duntaxat choro ſtante circum aram in morem coronæ, vt indicat S. Dionyſ. 3. de Eccleſiaſt. Hierarchia p. 3. vbi dicit pſalmorum modulationem, quæ ſacrificio Miſſæ præmittitur, celebrari quaſi vna concordi, & conſona ſacrarum rerum chorea. Vide Iſidorum l. 6. Etymol. c. 19. Rabanum lib. 7. de Inſt. cler. cap. 33. Amalarium l. 3. de Eccleſ. officijs cap. 3. Porro Μετωνυμικῶς, accipi ſolet chorus pro loco, in quo clerici pſalmodiam exercere ſolent, qui locus antiquitus

Chorus dictus ἀπὸ χαρᾶς.

Chorus habebat formam coronæ antiquitus priuſquam duas in partes diſtingueretur.

Metonymicῶς.

6. *Chorus etiam accipitur pro loco in quo pſallitur.* quitus & ab altari cancellis & ab ea parte templi quæ *nauis* dicitur, in qua populus orare ſolebat, veroſimiliter muro ſecernebatur; qua de re vide inter alios Durantum, lib. 1. de ritibus cap. 17. & 18.

7. *Laudabilis vſus horas canon. in choro pſallendi.* His præmiſſis dicendum eſt conuenientem & maximè laudabilem eſſe vſum Horarias precationes in choro, id eſt, in congregatione Eccleſiaſticorum publicè pſallendi, ad quas fidelis populus aduentare poſſit.

8. *Non eſt tamen neceſſarius.* Dixi non ſine ratione, conuenientem & laudabilem eſſe, non verò neceſſarium, qua in re errauit Sotus libr. 10. de Iuſt. q. 5. a. 3. ſub finem, aſſerens vix poſſe inſtitui religioſum ordinem ſine choro. *Si religio*, inquit, *ſine obligatione ad chorum inſtituatur, certè vix nomen religionis merebitur, cùm maximo religionis ſplendore careat*: Sed rectè eum

9. *Religio rectè inſtituta poteſt ſine choro contra Sotum.* refellit Nauarrus Enchir. de orat. & Hor. can, cap. 21. num. 21. idque ex D. Thoma. 2 2. q. 188. ar. 2. & 3. vbi ex S. Iacobo epiſtolæ c. 1. *religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione.* probat S. Doctor ſanctè poſſe inſtitui religionem aliquam ad opera vitæ actiuæ tantùm, imò etiam ad militiam armatam in proximorum defenſionem ad Dei obſequium exercendam. Quòd ſi auctore S. Thoma ordo religioſus approbari poſſit ſine chori miniſterio, cuius profeſſores inſeruiant ſolùm incolumitati corporum, quid iudicaturum illum fuiſſe exiſtimabimus de religioſo cœtu, totis animi & corporis viribus in ſpiritualem potiſſimùm proximorum ſalutem incumbente, varias regiones peragrante, vt à recta fide boniſque moribus aberrantes in veritatis virtutiſque ſemitam reducant: quæ functio excellentior eſt ſine vllo dubio miniſterio chori: cùm etiam certum ſit chorum ad ſubſtantiam religionis non pertinere, eiuſque ſplendor maiori poſſit luce compenſari. Vnde meritò ſummi Eccleſiæ præſides in ſuis cõſtitutionibus, Paulus videlicet Tertius, & Iulius Tertius, qui- 10.

Societas Ieſu à Summis Pontificibus eximitur à choro non ſine ratione. bus Societatis IESV inſtitutum confirmant, eam ab officio Chori eximunt, addunt que ſufficere, vt qui in ſacris ſunt priuatim diuinum officium recitent: quod nouo Diplomate confirmauit Gregorius XIII. an. Dom. 1573. cuius hic eſt tenor. *Socijs motu proprio & ex certa noſtra ſcientia vt horas canonicas ſinguli & priuatim iuxta vſũ Romanæ Eccleſiæ, non autem communiter ſeu in Choro recitare teneantur, quo acriùs ſtudijs, lectionibus, prædicationibus intendere poſſint, auctoritate apoſtolica concedimus.* Et rectè quidem ſic conſtituit Summus Pontifex normam ſecutus deceſſoris ſui Magni Gregorij epiſtola 44. quæ habetur diſt. 92. cap. in Sancta Romana &c. Vbi ſub anathemate prohibet, ne in Eccleſia Romana conſtituti in ordine Diaconatus modulationi vocis inſeruiant, quos, inquit, ad prædicationis officium vacare congruebat, quem locum etiam adfert D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3. Vbi hæc addit: *Nobilior, inquit, modus eſt prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem quàm per cantum; & ideo diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* Hæc B. Thomas.

Reſtat iam probandum paucis, conuenientiſſimum eſſe vſum pſallendi diuinum officium in choro ſiue Eccleſiaſticorum cœtu. 11.

Primò itaque præter vniuerſæ Eccleſiæ conſenſum, & receptam toto orbe Chriſtiano conſuetudinem, quam improbare dicit Auguſtinus inſolentiſſimę eſſe inſanię, epiſtola 118. habemus exemplum Eccleſiæ primitiuæ à temporibus Apoſtolorum. Nam Actor. 1. *Erant Apoſtoli perſeuerantes vnanimiter in* 12. *Probatur chorus exemplo Eccleſiæ primitiuæ.*

orationis, in communi cœnaculo ſeu loco domus ſuperiore, vbi donum Spiritus ſancti non ſinguli pro ſe, ſed pro ſingulis & omnibus poſtularunt, vt tres pueri Danielis 3. quaſi ex vno ore dicuntur Deum laudaſſe. Clariùs verò Actor. 4. *Apoſtoli vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt; Domine tu es &c.* Clariſſimè verò prioris ad Corinth. cap. 14. maximè numero 26. vbi dicitur: *Cùm conuenitis* (ad Eccleſiam ſcilicet) *vnuſquiſque veſtrûm pſalmum habet &c.*

13. *Conſuetudo chori conſtat ex antiquis Patribus.* Secundò conſtat hæc conſuetudo ex antiquis patribus S. Ignat. ad Magneſ. *Omnes*, inquit, *ad orandum in idem loci conuenite: ſit vna communis precatio, vna mens, vna ſpes in charitate, & fide inculpata in Chriſto Ieſu, quo nihil eſt præſtantius. Omnes velut vnuſquiſpiam ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Ieſum Chriſtum ſummum ſacerdotem Dei vnigeniti.*

14. Tertullianus Apolog. cap. 2. refert ex Plinio ſecundo, Chriſtianos ſolitos cœtus antelucanos habere ad canendũ Chriſto & Deo. Idem c. 39. *Coimus in cœtum & congregationem vt ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orãtes, Hæc vis Deo grata eſt.*

15. S. Clemens Romanus idem ſæpe inſinuat vt lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 63. *Quotidie*, inquit, *conueniatis manè & veſperè pſallentes atque orantes in Dominicis* (id eſt Eccleſijs, *Manè dicentes Pſalmum 62. Veſperè centeſimum quadrageſimum.* Apertiùs verò lib. 8. cap. 40. cùm de ſingulis Horis canonicis egiſſet, ſic ſubdit. *Si propter infideles ad Eccleſiam iri non poteſt, domi cœtus congregabis ô Epiſcope.* Et paulò pòſt, *ſi nec domi, nec in Eccleſia cœtus celebrari poſſunt, vnuſquiſque apud ſe pſallat, legat, oret, vel duo vel tres congregati; Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hæc Clem. Vide plura apud Philonem in calce libri de Eſſæis, in quo cernere eſt primos Chriſtianos B. Marci Euangeliſtæ Alexandriæ diſcipulos (de illis enim loquitur, auctoribus Euſeb. Hieron. Epiphan. & alijs) in choris (hoc enim vocabulo ſæpe vtitur) hymnos & pſalmos in Dei laudem concinuiſſe. Conſule etiam Iuſtinum Apolog. 2. ad Antoninum in fine.

S. Baſilius huius etiam clariſſimè meminit epiſtolâ 63. ad clericos Neocæſarien. *De nocte*, inquit, *populus conſurgens antelucano tempore domum orationis petit.* Et paulò pòſt; *nunc quidem in duas partes diuiſi alternis pſallunt.* Et rurſus, *illuceſcente iam die pariter omnes velut vno ore, ac corde vno confeſſionis Pſalmum Deo offerunt.* Poſtremo oſtendit vſum chori tota Aſia & Africa obtinuiſſe. Mitto agmen teſtium adducere in re omnium antiquorum Patrum monimentis teſtatiſſima.

Tertiò accedit multiplex ratio. Prima colligitur ex S. Dionyſio lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 3. vbi loquens de modulatione pſalmorum, quæ ſacrificio Miſſæ præmittebatur in primitiua Eccleſia & etiam diu poſtea (cuius veſtigium hodiéque cernimus, tum in Horis canonicis, Tertia, Sexta, Nonã, pro diuerſitate dierum ſolemni liturgię præcini ſolitis, tum in Miſſæ introitu) dicit diuinorum iſtorum carminum concentu atque conſenſu inſtitui quaſi vnam concordem & conſonam ſacrarum rerum choream, vnicam illam ad diuina & ad ſemetipſos, atque ad alterutrum conſenſionem & concordiam, id eſt, (niſi mea me fallit mens) chori conſpiratione & concentu generari amicitiam dulcémque charitatis nexum, quæ nos Deo, nobis ipſis, & alijs hominibus arcto vinculo agglutinat, & maritat. Eſt enim chorus amoris ſymbolum, non minus quàm illa antiquorum Chriſtianorum ab amore dicta cœna. Conſonat his Auguſt. 17. de ciu. c. 14. dum docet diſcordium vocũ in cantu concordiã repræſentare nobis animorum conſenſionẽ. 17. *Ratio multiplex chori inſtituti.* 18. *Prima ratio eſt quòd chori conſenſione conciliatur.*

Occur-

19. *Altera ratio, vt totius populi nomine Deo laus tribuatur.*

Occurrit & altera non minus conueniens ratio. Si enim quot diebus ſupremo numini ſalutaris hoſtia publico & communi totius populi Chriſtiano fœdere conſociati nomine litatur, quia vna Reſpublica eſt & vnum corpus myſticum conſtituit, cur etiam eiuſdem nomine non offeratur Deo communis & pnblica laus, & deprecatio etiam extra tempus & ritum ſacrificandi?

20. *Tertia ratio, fructus orationis publicæ.*

Poſtremò ſi commendabilis eſt, & populo Orthodoxo fructuoſa oratio priuata, quantò honeſtiorem, Deo gratiorem & Reipub. vtiliorem dicemus illam, ad quam quaſi vnuſquiſpiam homo vna mente, vna fide, vna ſpe, vt olim S. Ignatius: & vt Tertullianus, quaſi manu facta, tota plebs vno ore depromendam concurrit & conuolat?

21. *Synopſis fructuum orationis publicæ.*

Perpendat ergo lector fructus orationis à populo in Eccleſiam cætumque coacto communibus votis ad cælum tranſmiſſæ. Præter eas quas capite ſuperiori attuli orationis publicæ vtilitates,

22. *Liberatio Petri è carcere Herodiano orationi Eccleſiæ tribuitur.*

Tribuo ego precationi huiuſmodi liberationem D. Petri è carcere Herodiano. Sic habes Actor. 12. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Ab Eccleſia, inquam, Chriſti diſcipulorum in domo Mariæ Matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, quæ publicæ orationi ſacriſque conuentibus dicata erat, de qua ibidem dicitur, quòd ibi erant multi congregati & orantes: ſtatim autem ſubijcit S. Lucas catenarum diſruptionem iuſſu Angeli, Petrique felicem liberationem.

23. *Ita ſentit B. Chryſoſt. qui orationem publicam valdè extollit.*

Idem ante me ſenſit Chryſoſtomus homil. 79. ad populum quæ eſt de oratione. „ Quid hac oratione „ potentius ſit, quæ columnam „ & Eccleſiæ turrim adiuuit (& paulò „ pòſt) Cum diligentia igitur obedite „ (orationes ſcilicet emittere) opere teſtantes, quòd magna vis eſt orationis „ in Eccleſia concorditer à populo oblatæ. Nam cùm inter homines, populo ſontes viros cùm ad mortem trahuntur petente, Rex, multitudine motus ſententiam deponat, multò magis Rex cœleſtis à vobis placatus petitionem præbebit. Quantò maius eſſe noſtra creditis exiguitate ad Deum pro tanto accedere populo & ſupplicare? Nam ſi pro meipſo precari fiduciam non habeo multò minus pro alijs; beneplacentium enim hoc eſt. Cùm igitur offenderim & ipſe, qualiter pro alio deprecabor? nam quòd vnus quidem pro multis oret, eſt magnæ res fiduciæ multęq; libertatis indigens. Multos autem vnà congregatos pro vno ſupplicationem facere nil graue videbitur: & domi quidem orari poteſt; ſic autem vt in Eccleſia, non poteſt, vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnamiter emittitur. Non ita Dominum per te ſolum orans audieris, vt cum fratribus tuis: Hic enim maius aliquid eſt, puta vnanimitas & conſonantia caritatiſque vinculum & ſacerdotum orationes. Hactenus aureum illud os, quibus gemina habet hom. 3. de Incompr. Dei natura, & hom. 2. in 2. ad Cor. 5.

24. *Idem faciunt Baſil. Ambr.*

Baſilius ep. 68. *Oratio quæ non eſt comprecatores nacta multò eſt ſe ipſa languidior, atque debilior.* S. Ambroſius lib. de pœnit. *multi minimi dum congregantur vnanimes ſunt magni, & multorum preces impoſſibile eſt contemni.*

25. *Origenes eandem probat ex Hiericho oppugnatione.*

Origenes hom. 7. in Ioſue confirmat vim impetrandi, quæ eſt in vnanimi oratione ex oppugnatione Hierichontis Ioſue 6. vbi omni populo vociferante iuſſu Ducis muri corruerunt; expenditque verbum Græcum ἀλαλαγμὸς (cui in noſtra verſione reſpondet vocabulum vox) propriè ſignificare vocem illam, quâ belli tempore clamorem tollens conſonum exercitus vnanimiter ſe ad

prælíandum hortari ſolet.

26. *Idem tribuit orationi publicæ commotionem loci Act. 4. & Spiritus S. receptionem.*

Tribuo eidem (cum Origene ibidē) orationi ab Apoſtolis vno ore prolatæ commotionem loci, & effuſionem Spiritus Sancti Act. 4. n. 31. vbi ſic legis: *Et cùm oraſſent motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Signum autem hoc fuiſſe exauditionis, notant ibi Chryſoſt. Oecum. & Beda, alij. Præceſſerat autē n. 24. communis ipſorum oratio: *Vnanimiter*, inquit, *leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine qui feciſti cælum & terram, &c.* Vbi interpretes obſeruant non ſolùm concordi animo & voluntate eos ſupplicaſſe, ſed etiam vno quaſi ore eadem verba prompſiſſe, non ſine ingenti miraculo, vt notat Dionyſius Carthuſianus, & colligitur ex textu Syro.

27. *Efficacia eiuſdem oſtenditur ex verbis Chriſti Matth. 18. Si duo ex vobis &c.*

Sed vt video in latam aream præter opinionem excurrit oratio: circumſcribam ergo eam arctis rationum cancellis, quibus orationis communis vim totam complexum eo. Igitur patet eius Efficacia primò ex Chriſti ſponſione Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt.* Loquitur autem de conuenientibus ad vnum quippiam petendū. Vbi Hilarius Can. 18. in Matth. *Intantum humanæ pacis ſtuduit concordia, vt vnitatis merito, omnia quæ à Deo precanda ſunt, impetranda eſſe confirmet.* Vide Caietan. & Maldonat. in illum locum. Subdit verò Chriſtus rationem facilis impetrationis. *Vbi enim duo ſunt vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum:* Nimirum vt excitem ipſorum ad precandum fiduciam & feruorem, & ſim ſimul ipſorum apud patrem patronus, & mediator.

28. *Item ratione mutuæ caritatis.*

Secundò, vis magna exiſtit huius orationis ratione conſenſionis animorum, & mutuæ caritatis, quâ ſe ad ſimul deprecandum conferunt, cuius auctor & amator Deus eſt, qui & in formula orandi, quam nobis præſcripſit Matth. 6. ob hoc deprecari nos voluit, *Pater noſter*, quaſi omnes germani eſſemus, vel certè, deberemus. Tertiò, creſcit in immenſum hac ratione fiducia obtinendi, 29. *Ratione fiduciæ.* quod petitur, cùm quiſque ſe poſſe conſequi ſperat ope alterius quod ſuis promeritis conſcius eſt non tribuendum. Quartò, hoc pacto etiam fouetur 30. *Sic fouetur humilitas.* humilitas, cùm enim quiſque de ſe abiectè demiſſeque ſentit, ſinguli ad impetrandum efficiuntur magis idonei. Quintò, ſic viciſſim igneſcunt, incaleſcuntque animi dum tepidiores exem- 31. *Ita exemplis feruentiorum tepidi prouocantur.* plis feruentiorum prouocantur: ſic frater iuuatur à fratre, & vnius imperfectum alterius perfectio ſupplet, vniuſque inopiam alterius abundantia. Sextò, ita etiam fit vt faciliùs in oratione 32. *Sic perſeueratur in oratione faciliùs.* perſiſtant, & obfirmentur perſeuerantes vnanimiter in ea: Cùm enim quis ſolus precatur facilè delaſſatur: multitudo orantium quaſi quidam Atlás humeris ſuis deficientes ſuſtentat. Poſtremò, vt 33. *Ita vis grata Deo adhibetur.* ſuprà dixit Tertullianus, diuinæ maieſtati, quaſi facto impetu, manus iniicimus & vim gratam adhibemus.

CAPVT XII.

Quare Eccleſia Officium Diuinum non toti populo ſed ſelectis tantùm hominibus commiſerit.

MVltæ profectò & graues cauſæ Eccleſiam ſuis momentis impulerunt, vt eximios tantùm homines conſtitueret ſolemnibus precationibus 1. perſoluendis. Principio quis ignorat & iam veræ fidei exortes nationes falſiſque Deorum Religionibus mancipatas habuiſſe tamen certos ſacrorum profanorum Antiſtites & Adminiſtros? Vt verò omittam hîc Athenienſium Hierophantas, Indorum Gymnoſophiſtas, Gallorum Druidas, Iaponum Bonzios, & cetero Barbararum gentium ſacrificulos myſtaſque recenſere; Romana certè

Gentiles idololatræ habuerunt certos rerum ſacrarum adminiſtros.

Digitized by Google

certè ciuitas, quæ teſte Valerio Max. l. 1. c. 1. omnia poſt Religionem ſemper ponenda duxit, etiam in quibus ſummæ maieſtatis decus conſpici voluit; habuit certos homines qui rem diuinam facerent, ſacra procurarent, in ijs Carmina canerent.

2. *Romani habuere ſuos Lupercos, Salios &c.* Hinc Luperci inſtituti Sacerdotes Pani, Potitij & Pinarij ex inclyta familia Herculi. Flamen Dialis Ioui, Martialis Marti, Quirinalis Romulo, Salij item Marti, Virgines Veſtales Veſtæ, qui omnes fictitiorum numinum obſeruationi & cultui præerant: de quibus præter alios videri poſſunt Lucius Feneſtella, & Pomponius Lętus, & poſt eos Gyraldus Syntag. 17. Notat verò idem Feneſtella libello de Sacerdotijs Romanorum c. 5. quòd cùm antea Reges Pontificum Regumque promiſcuè munera obirent; Numa Pompilius plures in vrbe Romulo quàm ſibi ſimiles Reges fore ratus, qui relicta Religionis cura, bellorum potiùs negotijs detinerentur; ſacerdotes quatuor quos appellauit Flamines, qui rei diuinæ iugiter addicti eſſent, inſtituit.

3. *Idem obſeruatum olim in populo Dei ab initio mundi.* Præterea norunt qui ſtudium aliquod in reuoluendis ſacris Codicibus poſuerunt, ab orbe condito ferè ſemper munia publicè, & ſolemniter Deum colendi & deprecandi fuiſſe ſelectis quibuſdā hominibus commiſſa. Decerpo obiter, & noto illud Gen. 4. n. 26. de Enos. *Iſte cœpit inuocare nomen Domini*, vel vt

4. *Sic fecit Enos, Gen. 4.* Hebraicè habetur: *tunc cœptum eſt inuocari nomen Domini*: videlicet auctore Enos. Vbi, vt præter interpretes, obſeruarunt Thomas Waldenſ. l. 3. doct. fidei art. 1. c. 1. & Bellar. l. 2. de monachis c. 5. Enos filius Seth inſtituit peculiarem aliquem Dei cultum, & ſublimiorem quàm erat obſeruantia & Religio vulgi: Siquidem ante illum Adam, Abel, Seth, eius maiores Deum piè coluerant. Fortè Enos populum in cœtus & Eccleſiam coëgit, vbi ipſe tanquam Præſtes, & protomyſtes publicè, & ſolemniter Deo libauit, laudes cecinit, propitium populo numen fieri poſtulauit. Hæc enim omnia ſimiliter vero dicuntur. Poſt purgatum Cataclyſmo mundum, ſcitum eſt primogenitos familiare obiuiſſe ſacerdotium, niſi extra ordinem alicui (vt factum videmus Abrahamo) à Deo committeretur. Nouimus deinde tranſlatum ſacerdotium ad Tribum Leuiticam: pro quo ſatis ſit notaſſe hic locum Num. cap. 3. v. 6. & ſequent. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Applica tribum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis, vt miniſtrent ei, & excubent, & obſeruent, quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo Teſtimonij &c. Aaron autem & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotij. Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit morietur. Ego tuli Leuitas à filijs Iſrael pro omni primogenito, eruntque Leuitæ mei.* Ex quibus verbis apparet Leuitis incubuiſſe, vt (quod populus per ſe præſtare non poterat) Deus decenter, reuerenter, & ritè coleretur, nomine totius populi, & vt plebs coram Deo & tabernaculo honeſtatem & ordinem, modeſtiamque ſeruaret, eſſentq; hoc modo populi apparitores, excubitores, atq; cuſtodes.

5. *Sacerdotio functi primogeniti in lege naturæ.*

6. *Deinde tribus Leuitica.*

Hoc ſecutus eſt Dauid 1. Paralip. c. 15. n. 16. *dixit Dauid principibus Leuitarum vt conſtituerent de fratribus ſuis cantores, &c.* Et c. 16. n. 4. *Conſtituit Dauid coram Arca Domini de Leuitis qui miniſtrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſrael.* Iterum 2. Paralip. c 29 n. 11. Affatur Ezechias Leuitas, *Vos elegit Dominus vt ſtetis coram eo & miniſtretis illi, colatiſque eum & cremetis ei incenſum.* 7. *Dauid cantores conſtituit ex Leuitis.*

8. *Idem colligitur ex nouo teſtamento Act. 6.* Idem colligere poſſumus, ex noui Inſtrumenti tabulis. Imprimis ex verbis Apoſtolorum Act. 6. n. 4. vbi curam rerum temporalium à ſe remouentes ita ad plebem loquuntur. *Nos orationi & miniſterio Verbi inſtantes erimus.* Ex quibus

 ratio-

Digitized by Google

ratiocinari & rectè inſere hoc modo licet. Non omnium eſt, ſed tantùm eximiorum & probatorum virorum populo verbum Dei exponere: igitur & certorũ & è numero vulgi exemptorũ eſt publicis & ſolẽnibus precibus habẽdis, & diuino officio celebrando inſiſtere.

9. *Item ex prioris ad Tim. 2.*

Certè ſi D. Chryſoſtomo credimus, cum Apoſtolus 1. ad Tim. c.2.n.1 ſcribit: *Obſecro primum omnium obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.* loquitur maximè de orationibus publicis, quas per certos homines vt puta Presbyteros deſiderat quotidie manè fieri. Idem factum videmus in primorum Chriſtianorum ſacris conuentibus, de quibus idem Apoſtolus 1. ad Cor.14.v.26. *Cùm conuenitis*, inquit, *vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet.* Vbi manifeſtè demonſtrat diuerſa Chriſtianorum munia. Non enim veroſimile eſt omnes promiſcuè pſalmos, vel hymnos decantaſſe; ſed vni vnum, alteri aliud fuiſſe donum conceſſum: ita vt vnus pſalmum, alius doctrinam, alius aliud tractaret: accipitur enim (τὸ vnuſquiſque) diſtributiuè, vt expoſitores notant.

10. *Idem oſtenditur ex 1. ad Corinth.*

Præter hæc autem vtriuſque paginæ firmamenta, rationes non deſunt cur certi tantùm homines ad Deum publicè laudandi munus deputentur. Si quidem quamuis non repugnet (ſi rem ad ſtateram metaphyſicæ reuocemus) totum populum in templis Dei laudes celebrare cùm pſallendi officium nullum ordinem ſacrum de ſe requirat, & videamus etiam nunc è vulgo aliquos aſſumi, vt pſaltarum & cantorum, in templis præſertim parochialibus, defectum ſuppleant; nihilominus, ſi præceptum Apoſtoli loco prænotato, n. 26. obſeruari conuenit, *Omnia*, inquit, *ad ædificationem fiant*, & iterum n. 40. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant*; Quis non videt pulcherrimam diuini officij Symmetriam & concentum ex toto labefactari, ſi populus inconditis ſuis vocibus paſſim interſtrepat. Mugitus & murmur, non Pſalmodia aut Symphonia illa erit, vt taceam immodeſtiam, imperitiam, leuitatem, & cetera vulgi vitia. Denique cerimoniarum, & rituum ſacrorum grauitas, in cõtemptum & vilipenſionẽ breui iuerit, ſi ſanctiſſima munia plebeculę quiſquilijs committãtur.

11. *Ordo, honeſtas & ædificatio requirit, vt officium Eccleſiaſticum non à toto populo, ſed à certis tantum peragatur.*

Nec refert quod legamus aliquando, promiſcuè vna cum clericis in Eccleſia ceciniſſe populum, ſimulque ſacerdoti orationem danti, vel colligenti reſpondere conſueuiſſe; Vnde eſt illud Hieronymi præfatione in Epiſtolam ad Gal. l. 2. *ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat*; quia verò cùm imperitiâ canentium ſæpius accideret harmoniam illam grauitati Eccleſiaſticæ congruentem incompoſito ſono turbari & obſtrepi, in quem morem declamat Chryſoſtomus hom.1.in c. 8. Iſaiæ; Idcirco neceſſariò ab Eccleſię Præſidibus prouiſum eſt ne præter certos ad hoc electos quis pſalleret: ſic enim habet Canon Concilij Laodicenſi c. 15. Non licere præter Canonicos pſaltas, id eſt, qui regulariter cantores exiſtunt, quiq; pulpitũ aſcendunt, & de codice legunt, aliũ quemlibet in Eccleſia pſallere. vide Card. Baronium t. 1. ann. Chriſti 51. & 60.

12. *Eccleſia poſteà prohibuit ne totus populus, pſalleret, vt olim aliquando factum fuerat.*

Accedit, fluxæ huius vitæ occupationes totum ferè tempus populo adimere: curas rei familiaris identidem recurſantes, & animum, nedum carnes vorantes, magnam diei noctiſque partem decerpere: vbi ergo otium ſanctum & ſpatium temporis vacuum Dei laudes celebrandi?

13. *Occupationes non permittunt vt totus populus pſalmodiæ intercedat.*

Cæterùm, quia hanc arenam ingreſſi ſemel ſumus, libet vlteriùs in ea exſpatiari. Nulli dubium eſt, quin hierarchia Eccleſiaſtica dignitate & præſtantia multũ ciuili Reipub. antecellat. Tantum videlicet, quantum corpori animus terræ cælum, humanis diuina; Et tamen 14.

Digitized by Google

In ciuili Repub. non committuntur publica munia niſi certis & idoneis hominibus multò minus in Repub. Eccleſiaſtica id faciendum.

men cernere eſt, illic publica munia non promiſcuè per quoſlibet, ſed magno cum delectu à viris maximè inclytis & aptiſſimis obiri. Multò igitur magis in hac diuiniſſima Repub. conuenit hominibus lectiſſimis maximéque idoneis, publicum Dei cultum cõmitti. Habet illa ciuilis peritiſſimos rerum mechanicarum opifices, architectos, fabros, ne aliquid detrimenti ciuibus ex negligentia aut imperitia artificum emergat. Et Eccleſia quoſlibet ſine diſcrimine ad ſacrorum procurationem admittet? Viſuntur in illa, ſi rectè inſtituta & optimis legibus temperata ſit, Iudices, Magiſtratus, Quæſtores &c. Viri integerrimi quibus cura incumbit ne quid damni publica res capiat, & ſuis edictis omnia moderentur. Sunt in ea milites fortiſſimi, cuſtodes portarum, murorum vigiles, qui diu noctuque mœnia & arcem ciuitatis cuſtodiant, ad hoc mercede conducti. Quidni ergo Eccleſia, ſicut habet ſacrum ſenatum, ſuos Epiſcopos, & Quæſitores, diuini verbi Præcones, & cæteros, qui ritè functionibus ſuis vacant, etiam habeat in ſuis caſtris, non ſine habito ante cenſu milites, de quibus dicitur Cantic. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael &c.* Et iterum capit. 7. *Quid videbis in Sulamite niſi Choros caſtrorum?* Quid ni etiam ſint in ciuitate Dei cuſtodes & excubitores etiam ſtipendia merentes, de quibus prædictum Iſaiæ 62. numer. 6. *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, &c.* qui partim Dei laudes modulantes, partim ſpiritualibus precationum armis depugnantes impetum & incurſionem infernalium hoſtium propulſent. Sic certè S. Bernardus. Serm. 76. in Cant. explicat illa verba Cant. 3. *Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem* &c. Sed iam receptui canendum.

CAPVT XIII.

Ritè decenterque Officium Canonicum voce alta & in cantum flexo peragitur.

1. *Rationes ſuadent preces alta voce in choro proferendas.*

ANte omnia ſtatuendum eſt orationem Canonicam, cùm in choro publicè fit, neceſſariò voce alta proferendam eſſe. Rationes ad manum ſunt. Prima quidem, quia cùm oratio illa ſit inſtituta vt alternantibus choris reſonet, neceſſariò percipi debet. Altera, quia per illam Chriſtianus populus ad Dei laudem, gratiarum actionem aliaſque pias affectiones excitandus eſt. Vnde inanis planè & inutilis erit, niſi clarâ voce pronuncietur.

2. Dico pſalmodiam in choro altâ voce efferendam, quia vt ſuo loco dicetur priuatim ſubmiſſâ voce eam dicere licet.

3. *Scriptura docet rectè adhiberi diuino officio cantum vt oſtendit Aug.*

Vlteriùs aſſerendum eſt, rectè, & ſanctè diuino officio adhiberi cantum & ſymphoniam. Hanc veritatem tribus quatuorve vijs aperio. Primò ſacræ litteræ hanc oſtendunt auctore Hipponenſi Antiſtite, tum l. 1. Retract. cap. 19. tum epiſtola 118. ad Ianuar. cap. 18. vbi ſic ſcribit: Sine dubitatione faciendum eſt maximè illud, quod de ſcripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis & pſalmis canendis, cùm & ipſius Domini & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla & præcepta, de re tam vtili ad mouendum piè animum & accendendum diuinæ lectionis affectum: „ Quæ Auguſtini verba recitat Toletus l. 4. capit. 12. & habentur de conſecrat. 5?. d. 1. Celebratum eſt in lege veteri carmen Epinicium, quod Moſes & filij Iſrael Domino, ſubmerſo Pharaone cecinerunt Exod. 15. Sunt & plura alia, quibus omiſſis ſolum ſuccurrat animo egregius Pſaltes Iſrael qu

4. *Dauid & Pſalmos compoſuit & eoſdam ab alijs canendos inſtituit.*

qui & ipſe Pſalmos aſſiduè cantare aſſuetus, & viciſſim alios ad idem ſtudium prouocare, vt paſſim arguit ipſius pſalterium: Nec hoc modo, ſed etiam magnum ſymphoniacorum & choro didaſcalorum numerum. inſtituit, qui pſalmos diuino calore à ſe effuſos Deo in conuentu frequentis populi modulatis vocibus, & omni genere muſicorum inſtrumentorum pangerent, vt conſtat ex lib. Paralip. Vide tantùm caput 13. libri 1. & 14. & libri 2. caput 7. & hæc quidem entheus ille Vates, de quo hæc Auguſt. lib. 17. de „ Ciuit. cap. 14. Erat Dauid vir in „ Canticis eruditus, qui harmoniam „ muſicam non vulgari voluptate, ſed „ fideli voluntate dilexerit, eaque Deo „ ſuo, qui verus eſt Deus, myſtica rei „ magnæ ſignificatione ſeruierit. Di„ uerſorum enim ſonorum rationabi„ lis moderatúſque concentus con„ cordi varietate compactam bene „ ordinatæ ciuitatis inſinuat vnitatem. „ Hæc Auguſtinus.

5. *Chriſtus cantus exemplum dedit.*

Ex nouo Teſtamento habemus Chriſti & Apoſtolorum documenta & exempla, vt dixit idem Auguſtin. epiſtola 119. 5. Sic Matth. 26. & Marcus *Hymno dicto exierunt in montem Oliueti*, Græcè habes, ὑμνήσαντες, id eſt, vbi hymnum cecinissent, quia ὑμνεῖν eſt cantare. Vnde Auguſtinus in explicatione Tituli Pſalmi 72. *Oportet*, inquit, *vt ſit hymnus, vt habeat hæc tria, & laudem & Dei, & Canticum.* Idem docet Nazianzenus carmine Iambico 15. & Iſidorus lib. 6. Etym. cap. 34. & conſentit Synodus Toletana IV. can. 12. Vide Chryſoſtomum hom. 83. in Matth.

6. *Quid ſit hymnus.*

7. *Paulus & Silas hymnum cecinerunt.*

Idem egiſſe conuincuntur Paulus & Sylas, Act. 16. de quibus ibi ſic habes: *Παῦλος καὶ Σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν Θεὸν*, id eſt, *Paulus & Silas orantes Deo laudem canebant.* Præceptum verò edicitur locis toties iam productis ab Apoſtolo ad Epheſ. 5. & ad Coloſſ. 3. vbi inculcat: Hymnos, Pſalmos & Cantica ſpiritualia decantanda.

8. *Angeli ſæpe Deo laudem cecinerunt.*

Sed quid hominum adfero cantiones, cùm cæleſtium mentium Deo modulata voce canentium paſſim extent exempla. Nam vt mittam ex Annalibus. Eccleſ. Veterúmque Patrum ſcriptis proferre Sancto Ignatio auditam Angelorum Amœbeam Hymnodiam auctore Socrate: Alterum item Spiritum duodecim Pſalmos in conuentu Patrum ceciniſſe teſtante id Caſſiano: Tempore item Theodoſij Iunioris raptum in ſublime puerum eoſdem Angelicos ordines hymnum Triſagion pſallentes lætabundis vocibus clarè percepiſſe ſcribente Nicephoro libr. 14. capit. 51. de quo vide Baronium anno Chriſti 446. Itémque Gregorio Magno ad clauum Eccleſiæ ſedente, eoſdem iterum cæleſtes Genios Dei matri: Antiphonam *Regina cæli* gratulabundos ingeminaſſe tradentibus Sigonio, & alijs hiſtoriographis: Vt hæc omnia ſtrictim percurram; Num præterire ſilentio potero cælo plaudente, ad Chriſti cunabula decantatam ab Angelica militia doxologiam? decantatam dico, quia ſic exponit Concilium Toletanum. IV. cap. 12. Leo nonus cap. *Hi duo* de conſec. d. 1. vbi ſic loquitur. *Hi duo ſolummodo hymni ab Angelis in nouo Teſtamento inueniuntur decantati, Alleluia, & Gloria in excelſis Deo.* Vbi ſignanter poſitum eſt, in nouo Teſtamento, quia in Veteri Iſai. 6. leguntúr étiam eædem corporis expertes vitæ hymnum triſagion plus vice ſimplice integraſſe & alternaſſe.

9. *SS. Patres paſſim docent ab initio Eccleſiæ pſalmodiam viguiſſe.*

Venio ſecundò ad antiquam Eccleſiæ conſuetudinem. Si quidem in ea ſemper cantum & pſalmodiam in ſacris officijs viguiſſe clamant omnium veterum patrum monimenta, ex quibus pauca tantùm delibabo.

10. *Ita S. Dio.*

S. Dionyſ. cap. 3. Eccleſ. Hierarch. „ Pſalmorum ſancta modulatio quæ „ omni-

Digitized by Google

„omnibus ferè ſacerdotalibus myſte-
„rijs iungitur, & ſubſtantiæ ratione
„cohæret, ſummo omnium Myſterio
„deeſſe non debuit. Rurſus: Demum
„Pontifex ad ſanctum altare iterum
„rediens ſacros Pſalmos canere inci-
„pit, canuntque cum eo omnes Ec-
„cleſiaſtici ordines.

11. *Et Philo Iudæus, Tertul. Iuſtinus, & alij.*

Philo, lib. de vita contemp. agens de
„primis Chriſtianis. Tum exſurgens
„vnus hymnum canit in Dei hono-
„rem, vel recens à ſe factum, vel pri-
„dem ab aliquo priſcorum vatum,
„&c. & inferiùs: poſt illum alij quo-
„que ſigillatim canunt, ordinem ſuum
„ad decorum optimè ſeruantes, cæte-
„ris interim magna cum quiete at-
„tendentibus, præterquam vbi ad ex-
„tremas certas hymni partes accinen-
„da ſunt, quæ vocant Ephymnia.
„Tunc enim omnes ſimul viri & mu-
„lieres pariter exclamant. Vide paria
apud Tertullianum l.2. ad vxorem. c.6.
& lib. exhortatorio ad caſtitatem
cap. 10. & in Apolog. aduerſus gentes
c.2. & 39. Iuſtinum. Mart. orat. ad An-
tonin. Clement. Alexand. oratione ad
gentes, Cyprianum de Orat. Dom.

12. S. Athanaſius in Apolog. lib. 1. in
fine referens quomodo ipſe Eccleſiâ
pulſus ne caperetur militum pluſ-
quam quinque millium armatorum &
Arianorum in ipſum quærentium manus
effugerit, ait, quod nox erat, & peruigi-
lium in Eccleſia à fidelibus agebatur,
quodque, dum conſonantia pſalmodiæ
celebraretur, ipſe inter medios pſallen-
tium militibus non ſentientibus illæ-
ſus abſceſſerit, cuius hiſtoriæ meminer-
runt Socrates lib.2. cap.8. Theodoretus
l.2.c.13. Caſſidorus, Nicephorus & a-
13. lij. S. Hilarius in Pſal. 65. *Audiat*, inquit,
*orantis populi conſiſtens quis extra Eccleſiam
vocem, ſpectet celebres hymnorum ſonitus*,

14. Vide item S. Baſilium epiſtola 63. ad
Cler. Neocæſaro D. Hieron. epiſto-
la 4. ad Ruſticum cap. 10. epiſtola 17.
ad Marcellam cap. 6. vbi ſic ſcribit:
*Hieroſolymis vox quidem diſſona, ſed religio
vna tot pæne pſallentium chori, quot gentium
diuerſitates*, &c. Ambroſium libr. 7. in
Lucam cap. 15.

Solùm error hic eripiendus Lectori 15.
in quem ſe imprudenter induere poſ- *Nec Amb.*
ſet, non ſatis examinans locum. D. *nec Chryſ.*
Auguſtini l. 9. confeſſ. c.7. Vbi indicare *in ſuas Ec-*
videtur ſuo tempore à S. Ambroſio pri- *cleſias pri-*
mum in Eccleſiam Mediolanenſem in- *mum can-*
troductam pſalmorum & hymnorum *tum in-*
modulationem. Idemque opinari quis *uexerunt.*
poſſit de pſalmodia primùm frequen-
tari cœpta in Eccleſia Conſtantinop.
adlaborante Chryſoſtomo. Non ſatis
intellecto Socrate lib. 6. cap. 8. & alijs
hiſtoricis. Dicendum enim eſt nec
Ambroſium pſalmorum cantus, nec
Chryſoſtomum in ſuis Eccleſijs pri-
mos auctores fuiſſe, vt conſtat ex Pa-
tribus antiquioribus; Sed eos in ciui-
tates ſuas primum inuexiſſe Antipho-
nas ſeu ritum alternis Pſalmos canen-
di clero vel populo in duos Choros di-
uiſo, quem ritum pro tota Eccleſia
Occidentali approbauit, & mandauit
S. Damaſus vti probabitur.

Tertio loco miracula locanda fo- 16.
rent quibus Deus tanquam ſigillo ſuo
regio cantum Eccleſiaſticum conſe-
crauit & muniuit. Eius generis plura
in hoc opere pro re nata, interlucent.

Poſtremo loco multiplex pſalmo- 17.
diæ & ſacri cantus fructus accedat. *Multiplex*
Plurima hîc congerenda eſſent ex pro- *ſacri cantus*
fanis ſacriſque auctoribus, Platone, *fructus.*
Ariſtotele, Theophraſto, Quintiliano,
Plutarcho, Boëtio, Auguſtino, & alijs,
qui de Muſica ſcripſerunt; ſed quia
Lectoris faſtidium euitandum, pauca
ſolùm decerpam.

Primùs ergo fructus Eccleſiaſticæ 18.
hymnodiæ eſt honeſta & ſalutaris Cle- *Primus eſt*
ricorum, Aſcetarum, & Aſcetriarum *honeſta &*
occupatio, qua cum diſtinentur, ab *vtilis Ec-*
otio, Chriſtianorum, maximè Eccle- *cleſiaſtico.*
ſiaſti-

Digitized by Google

rum occupatio.

ſiaſticorum capitaliſſima peſte, inutilium ſermonum & negotiorum tractatione ſeuocantur. Colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 91. a. 1. vbi ſic docet, *In quantum*, inquit, *homo per diuinam laudem aſcendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his quæ ſunt contra Deum, ſecundum illud Iſaiæ 48. Laude mea infrenabo te ne intereas.* Hæc D. Thom. Vnde Nazianzenus orat. 4. in Iulian. oſtendit pſalmodiam ſenſuum illecebras in nobis reprimere, dum mentem ad nobiliores & diuinas euehit: & Iuſtinus vel Auctor quæſt. ad Orthodoxos q. 107. *Pſalmodia*, inquit, *ſopit inſurgentes ex carne affectiones, cogitationes malas expellit*, &c. S. Baſilius præfatione in Pſalmos, *à Pſalmi*, ait, *nutu exundantes ac tumultuaræ cogitationes ſe contrahunt, & conquieſcunt.* Certè honeſtiſſimum exercitium pſalmodia offert eam frequentatibus, imo & audientibus, Cùm enim multi vel in cœnobijs monachi, vel Eccleſijs ſecularibus clerici inueniantur, pluresque è vulgo, qui rerum diuinarum meditationi parum vel nihil aſſueuerint, dum orationi vocali per cantum dulciter in animos penetranti incumbunt, vel eam audiunt, ſimul & diuinis laudibus inſiſtunt, & tempus, miſerè interdum abſumendum, vtiliter expendunt, ſicque à pluribus culparum contrahendarum occaſionibus ſe expediunt. Vnde Auguſtinus ſer. 251. de tempore expoſtulat cum quibuſdam, quêis cantus interdum longior videbatur pro concione. „ Adhuc quoque quod „ valde dolendum eſt, conqueri vobiſ„cum volo, quia ſunt aliqui, & maximè „ potentes huius mundi, qui cùm ve„niunt ad Eccleſiam non ſunt deuoti „ ad celebrandas Dei laudes, ſed co„gunt presbyterum vt abbreuiet Miſ„ſam, & ad eorum libitum cantet: nec „ ei licet morem Eccleſiaſticum ſequi „ propter eorum gulam & auaritiam. Hæc ille.

19. *Improbatur nihilominus nimis prolixa pſalmodia.*

Aduertendum tamen nos nullo modo probare velle prolixam nimiùm pſalmodiam, ita vt cœnobitis nihil ferè temporis ſuperſit ad animum lectione ſacrarum literarum paſcendum, contra inſtitutum veterum patrum, qui ordines Religioſos fundarunt, & pſalmodiam lectione, meditatione, & opere etiam manuum interpolandam cenſuerunt, vt patet ex Regula D. Benedicti cap. 48. Videat ergo Cœnobiarcha ne ſui Religioſi ſimul cum cantu & voce totum etiam proferant Spiritum ſuum, quod Salomon ſtulto tribuit, & ne deuotionis internæ dulcedinem exhauriant. Hoc tantum voluit, Humbertus vir egregiè eruditus quartus poſt D. Dominicum Ordinis Prædicat. Generalis Magiſter in aureo opuſculo de erudit. Religioſ. dum in præfatione illius protenſam & totum ferè diem occupantem pſalmodiam, exagitat: & meritò, cum D. Benedictus vetuerit orationem in conuentu indebitè prolongari. Aduertant illi qui non regulam ſed ſenſum ſuum ſequuntur, ne defectu ſapientiæ, quæ ex meditatione & lectione ſacra colligitur, faciant Monaſterium piſcinam ſine aqua ſapientiæ ſalutaris, & impleatur in huiuſmodi congregatione verbum Iſaiæ cap. 54. *Computreſcent piſces ſine aqua & morientur in ſiti.*

20. *Tædium orationis vocalis cantu leuatur,*

Altera accedit vtilitas quod tædium ex oratione vocali ſatis interdum diuturna conceptum cantus leuet, laboremque mitiget ſuauibus modulis, vt experientia quotidiana docet, dum cernimus opifices, & laborioſorum operum molitores cantilenâ aliquâ & agreſti muſa moleſtias ſuas ſolari, vt eleganter cecinit Ouid. lib. 4. Triſt. Elegia prima.

Hoc eſt cur cantet vinctus quoq; compede foſſor
Indocili numero cum graue mollit opus.
Cantat & innitens limoſæ pronus arenæ,
Aduerſo tardam qui vehit amne ratem;

Qui-

Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulſa brachia verſat aqua,
Feſſus vt incubuit baculo, ſaxoque reſedit
Paſtor, arundineo carmine mulcet oues,
Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturque labor,

Et paucis interiectis:

Me quoque Muſa leuat Ponti loca iuſſa petentem,

Egregiè Quintilianus lib. 1. Inſt. Orat. capit. 16. (quod eſt de muſicæ laudibus) „ Muſicen, inquit, natura ipſa videtur ad tolerandos faciliùs labores velut muneri nobis dediſſe. Si „ quidem & remiges cantus hortatur, „ nec ſolùm in his operibus, in quibus „ plurium conatus, præeunte aliqua iucunda voce conſpirat, ſed etiam ſingulorum fatigatio quamlibet ſe rudi „ modulatione ſolatur. Hæc ille. Incredibilem enim in modum humanus animus diſſimilium ſonorum, & vocum concordi capitur harmoniâ, ſimulque reficitur ſicut qualibet rerum diuerſarum commenſuratione & ſymmetria, vt cœli aſtrorumque conſpectu, in quibus etiam muſicam Scriptura & Theologia agnoſcunt dicente Sancto Iob cap. 38. *Concentum cæli quis dormire faciet?* Vbi ſermo eſt de muſica impropriè dicta, de apta ſcilicet cœlorum & motuum eorum proportione.

21. *Veteres morum præcepta verſibus ediderunt, & cantari voluerunt.*

Hinc eſt quòd veteres tam ſacri, quàm profani auctores pleraque morum præcepta verſibus ediderunt, & modulatis vocibus ab alijs efferri voluerunt. Certè de Cretenſibus tradit Ælianus lib. 2. variar. hiſtor. eos iuſſiſſe liberos ſuos cum quodam concentu & melodia perdiſcere leges, vt ex muſica voluptatem caperent, & ita faciliùs eas memoriâ complecterentur.

22. *Cum voluptate cantus teſte*

S. Baſilius proœmio in Pſal. luculentam adfert rationem cur placuerit Spiritui Sancto oracula ſua carminibus interdum illigare, & numeris melicis concini „ nimirum, inquit, Spiritus S. „ ſcripturæ ſuæ dogmatis miſtim inſperſit concinnam iſtam numerorum „ modulationem, vt auribus permulctis ac delinitis melico vocum concentu clam ac velut aliud agentes ſineremus in animos noſtros irrepere eloquiorum vtilitatem, idque pro more „ ſapientis medici. Is enim pharmacum „ oblaturus auſteriuſculum quidem auerſanti cibos nec probè concoquenti, ſubinde oras calicis prælinit melle. „ In hoc ſanè excogitati ſunt concinni „ iſti concentus pſalmorum, vt qui per „ ætatem pueri etiam dum ſunt, aut „ certè morum maturitate nōdum in-„ canuerunt, dum in ſpeciem concinunt ac modulantur, reipſa animas „ erudiant ſuas. Hæc & plura ibi Baſilius.

Baſilius pſalmorum fructus animis illabitur.

23. *SS. Patres plerique hymnos compoſuerunt vt populo contra hæreticos fidei ſenſum inſtillarent.*

S. Auguſtinus vt fidei & religionis ſenſum populo inſtillaret ipſe contra Donatiſtas pro vulgo pſalmum compoſuit, qui habetur initio tom. 7. cuius etiam meminit lib. 1. retract. cap. 20. Idem præſtitit S. Ambroſius vt patet oratione de Baſilicis tradendis, quæ habetur lib. 5. epiſtolarum poſt epiſtolam 32. *Hymnorum*, ait, *meorum carminibus deceptum populum ferunt, Ariani ſcilicet &c.* Præſtitit eandem operam contra Arianos Chryſoſtomus vt tradunt Socrates lib. 6. cap. 8. Sozomenus lib. 8. cap. 8. Idem frequentauit S. Ephrem contra Harmonium Bardeſanum hæreticum, vt referunt Theodoretus l. 4. c. 29. & alij, de quibus vide Baronium anno Chriſti 440.

Lactantius lib. 6. diuin. inſtit. c. 21. luculentè oſtendit carmine compoſito, & oratione cum ſuauitate decipiente capi hominum mentes, & perſuadere quidquid eſt ſuaue, & animo penitus dum delectat inſidere. Et deinde ſubiungit: *Itaque ſi voluptas eſt audire cantus & carmina; Dei laudes canere & audire iucundum ſit.* Hæc eſt voluptas vera, quæ comes & ſocia virtutis eſt. Hæc eſt non

caduca & breuis, vt illæ quas appetunt qui corpori vt pecudes ſeruiunt; ſed perpetua, & ſine vlla intermiſſione delectans. Cuius terminos ſi quis exceſſerit, nihilque aliud ex voluptate petierit, niſi ipſam voluptatem hic mortem meditatur.

D. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam teſtatur ruricolas Bethlehemiticos ſuo tempore animi leuandi, laboriſque minuendi causâ Dauidicos Pſalmos decantaſſe. S. Baſilius fatetur à ruſticanis ingeminari ſolitum hymnum glorificationis Sanctiſſimæ Triados. Vide illum lib. de Spiritu Sancto

24. c. 7. & 29. Vnde & Chryſoſtomus cùm oſtendiſſet cantum magnam habere cum natura noſtra conuenientiam, ita vt nutrices infantes flentes in vlnis ſuis ſopiant cantillando, & viatores itineris moleſtias ſolentur, ſimiliter & vinitores, & nautæ remos impellentes, & textrices, nunc ſingulæ, nunc omnes concorditer melodiam facientes; tandem ſubiungit, ne dæmones laſciua meretricia cantica introducentes omnia euertant, Pſalmos Deus conſtruxit vt ex ea re ſimul caperetur, & voluptas & vtilitas. Conſule homil. ipſius in Pſal. 41. Denique verè cecinit pſalmographus Pſal. 118. *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.*

…ntum …agnam …bere cum …tura no… …a conne… …ntiam Chryſo…m. de…nſtrat.

25. Tertiò, graui & ſuaui vocum melodiâ, ſi præſertim aſpiret tibiarum & fidium concentus, mirum in modum cultuâ diuini numinis in animis præcipuè rudis vulgi augetur, cuius auribus ſonorum illa conſpiratio tantùm non Dauidicum illud occinit ex Pſal. 28. *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Itemque illud Deuter. 32. *Date magnificentiam Deo noſtro.*

…aui vo…m melo…a in ani…is vulgi …ltus di…inis au…tur.

26. Hinc factum videmus, vt veteribus etiam temporibus in Sacris tam vnius veri Dei, quàm falſorum numinum adhiberetur cantus. De Græcis teſtatum nobis reliquerunt Galenus lib. 17. de officio partium human. & Plutarchus lib. de Muſica. De Romanis Liuius cap. 9. De Hebræis conſtat ex libris Reg. & Paralip. de Chriſtianis ex ſacris literis, & antiquis Patribus ante recenſitis. Hinc rurſus obſeruare licet viros grauitate primos, eruditione & ſanctitate nulli ſecundos, Eurhythmiæ vel & concinnæ pſalmodiæ animum maximè intendiſſe. Commemorant de Gregorio Magno (quanto viro!) Paulus Diaconus & alij ipſum ad mortem vſque ſtudio componendi & corrigendi Eccleſiaſtici cantus inuigilaſſe, adeò vt æger in lecto decumbens puerorum ſymphoniacorum numeros moderaretur. Idem referunt quidam de Venerabili Beda ipſum ſcilicet muſices expoſitioni immortuum, ita vt ne quidem morti proximus illam intermiſerit. De Leone ſecundo ſanctiſſimo pontifice quid memorem? de quo, vt alios omittam, habet Romanum Breuiarium, quod præter humanæ diuinæque ſapientiæ, Latinæ quoque Græcæque Mineruæ cognitionem, muſicis etiam perpolitus fuerit, ſacroſque hymnos & Pſalmos ad concentum meliorem reduxerit. Idem feciſſe fertur, Vitalianus Pontifex, quem ait Platina in Eccleſiam organa induxiſſe. Sancti Ioannis Damaſceni inſignem modos faciendi peritiam commendat Cedrenus. Longum eſſet ſingulos referre Romanos Pontifices, & principes Chriſtianos. Non præteribo tamen Pipinum Galliæ Regem qui Stephano Pontifice canendi ordinem Româ in Galliam adferri curauit, vt teſtis eſt Sigebertus. Idem rurſus præſtitit Carolus Magnus anno 774. mittens Romam clericos qui cantum authenticum à Romanis diſcerent, vt narrant Paulus Æmilius, Auentinus, Hiduinus Abbas, Walifridus Strabo & alij: qui etiam auctore Crantzio in metropoli legendi atque pſallendi

…ſacris …m Dei …iam ido…lorum olim cantus adhibebatur.

27. *Cantui Eccleſiaſtico componendo vel corrigendo ſancti viri præcipuo ſtudio intenderunt, vt Gregorius Magnus, Venerabilis Beda, Leo 2. Vitalianus, Ioannes Damaſcenus, Pipinus, Carolus Magnus.*

Pſallendi diſciplinam diligentiſſimè emendauit: Erat enim vtriuſque admodum eruditus, adeò vt baculo porrecto demonſtraret quemadmodum legi vellet, & finem lecturis ſono gutturis deſignaret, ad quem vniuerſi intenti ſtabant: Eius iuſſu à viris peritis Doctorum homiliæ, quæ publicè in officio legerentur, & Sanctorum geſta pro ipſorum feſtis in ordinem digeſta ſunt, vt referunt Sigebertus, Polydorus & alij.

28. *Ritum canendi Ang. à Romano Pontifice Agathone accepit.*

Scribit Venerabilis Beda lib. 4. Eccleſ. Hiſt. gentis Anglor. cap. 18. cantum Eccleſiaſticum in Angliam (heu Angliam!) Româ nauigaſſe auſpicijs Agathonis Papæ miſſo Ioanne Archicantore (ſic eum Beda vocat) Eccleſiæ D. Petri, qui curſum canendi annuum, ſicut ad S. Petrum Romæ agebatur edoceret. Egit autem idem vir Venerabilis, vt iuſſionem acceperat pontificis, & ordinem ritumque canendi ac legendi omnibus ad eum vndique confluentibus monachis tradidit. Hæc Beda.

29. *Experientia & ratio docent animi perturbationes cantu melico componi.*

Quartò. Mira vis eſt harmoniæ muſicæ in animi perturbationibus ſedandis, & componendis, tam canentis, quàm attendentis, vt certiſſima docet experientia, Et ratio. Cùm enim ex diuerſorum ſonorum iucunda concordia in concentu muſico reſultet apta quædam proportio, fit arcana quadam energiâ, qualis cernitur in magnetico lapide ferrum ſibi maritante, vt quæ in animis noſtris incompoſita ſunt minuſque bene ordinata, ad æquitatem quandam & temperiem reducantur. Docet hoc Plutarchus libro de ſuperſtitione ex Platone, qui aiebat muſicam elegantiæ & concinnitatis opificē hominibus à Deo non delitiarum causâ aut pruritus aurium datam; ſed vt animi periodos, & harmonias turbulentas & erraticas in corpore muſarum & gratiarum penuria ſæpe per inſolentiam laſciuientes, iterum decenter euoluat atque reducat. Vnd

dulci citharæ pulſu ſtomachum lenientem, ſic ſcribit: *Homorus*, inquit, *cæleſtis ingenij vates non aliud ſenſit, vehementiſſimis Achillis manibus canoras fides aptãdo vt earũ militare robur leni pacis ſtudio relaxaret*. Boëthius in præfatione muſices tribuit Pythagoræ quod incentione modi phrygij incitatum adoleſcentem patriâ barbarum, quippe Taurominitanum, vino temulentum, irâ furentem, cùm iam ædibus amicæ, quæ riualem admiſerat, ignem admouere tentaret, tibicina iuſſa ſpondæos ſuccinere ad ſobriam mentem reuocarit. Idem refert Fabius lib. 1. Inſt. orat. cap. 16.
34. & Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum
eodoſ. cap. 4. Vbi dicit Iulianum debuiſſe po-
per. An- tius Eccleſiaſticâ muſicâ quam Py-
henis thagoricâ commoueri. Narrat Nice-
iliatur phorus lib. 12. hiſt. cap. 43. Theodo-
uoſa ſium Imperatorem ad menſam ha-
ſica au- buiſſe pueros muſicos, qui cum a Fla-
i. uiano Epiſcopo Antiocheno inſtructi carmina quædam luctuoſa & ad commiſerationem mouendam idonea, quibus in ſupplicationibus Antiocheni vtebantur, cecinissent; ita fuit eis Imperator commotus, vt cùm Phialam manibus teneret lachrymis abſtinere non potuerit, eaque ratione vrbi, cui grauiſſimè ob negatum tributum & per ſeditionem deiectam vxoris Placillæ ſtatuam ſuccenſebat, reconciliatus eſt. Mira, hac de re memorant Plutarchus Oratione 2. de Fortuna Alexandri, Ælianus lib. 14. Variarum Hiſtor. Saxo Grammaticus Daniæ ſuæ lib. 2. & 12. & alij. Proinde rectè S. Baſilius prooemio in Pſalm. *Vt vnus aliquis*, inquit, *fera in morem peracri ira incanduerit, ſimulatq; Pſalmus cœperit illius auribus incini, mox ex animo diſcuſſa feritate abit ſerenior*.

35. De triſtitia cantu depulſa res eſt
triſtitiam quotidiana. Quis enim ignorat illa
uſica ex Sulmonenſis poëtæ loco ſuprà indi-
nimo pel- cato.
t.

Cum traheret ſyluas Orpheus, & dura canend[o]
Saxa, bis amiſſâ coniuge triſtis erat.
Fertur & abducta Lyrneſſide triſtis Achille[s]
Æmoniâ curas attenuaſſe lyrâ,

Patres toti ſunt in hac re declarand[a]. Auctor quæſt. apud S. Iuſtinum Reſponſ. ad quæſt. 107. *Cantus*, inquit, *Eccleſiaſticus omnium rerum quæ in vit[a] triſtes ac luctuoſa accidunt, pijs adfert medicinam*. Auguſtinus lib. 9. confeſ. cap. 7. indicat pſalmodiam quam vocat conſolationis genus, inſtitutam à S. Ambroſiò ſedandæ triſtitiæ gratiâ. *Tunc*, inquit, (ſæuiente Iuſtina Ariana) *Hymni & Pſalmi vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt*. Sacræ quoque literæ docent apto concentu animos exhilarari, vt Eccleſ. 40. *Muſica lætificat cor*: Vide eumdem cap. 32. & 49. Quinimo obſeruant viri docti in tranſmigratione Hebrçorum ex Babylone in Ieruſalem fuiſſe cantores & cantatrices 1. Eſdræ 2. num. 65. 36.
vt nimirum per viam animos popula- *Dauid ci-*
rium ſuorum exhilararent. Sed non *thara ſono*
omittendum quod narratur 1. Regum *ſpiritum*
16. de Saüle; *Quandocumque enim* *malum*
Spiritus Domini malus arripiebat Saül, *Saülo fu-*
Dauid tollebat Citharam, & percutiebat *gat.*
manu ſua, & refocillabatur Saül & leuius habebat; recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Quamuis enim non ignorem diuinâ potiſſimùm virtute hoc contigiſſe; negari tamen non poteſt fidium canorem ad hoc diſpoſitiuè, (vt cum Theologis loquar) potuiſſe prodeſſe, humorem triſtitiæ atrum & noxium, qui ſedes eſſe ſolet genij mali, diſſipando. Vnde appoſitè S. Baſilius ſuprà ſcribit pſalmum eſſe dæmonibus depellendis ac profligandis quoddam amuletum.

Quintò. Vel maximè in eo com- 37.
mendanda eſt Eccleſiæ ſymphonia, *Symphonia*
quod pios affectus tam pſallentium *Eccleſiæ*
quàm audiẽtiũ mẽtibus ingenerat, & ad *mentibus*
cæleſtes

Digitized by Google

cæleſtes excipiendos ſatus aptè diſpo-
nit, cuius, documentum egregium ha-
betur 4. Reg. c. 3. vbi canente pſalte
excitatur in S. Elizæo Vaticinus Spi-
ritus, de quo vide Gregorium hom. 1.
Ezech. tradit hoc D. Thomas 2.2.qu.
91. art. 1. dum ait neceſſariam eſſe
laudem oris, non popter Deum, ſed
propter ipſum laudantem, cuius affe-
ctus excitatur in Deum ex laude ipſius
ſecundum illud Pſal. 49. *Sacrificium lau-
dis honorificabit me, & illic iter, quo
oſtendam illi ſalutare Dei.* Fuſius autem
„ art. 2. Laus, inquit, vocalis ad hoc ne-
„ ceſſaria eſt, vt affectus hominis pro-
„ uocetur in Deum, & ideo quæcum-
„ que ad hoc vtilia eſſe poſſunt, in di-
„ uinas laudes congruenter aſſumun-
„ tur; Manifeſtum eſt autem, quod ſe-
„ cundum diuerſas melodias ſonorum
„ animi hominum diuerſimodè diſpo-
„ nuntur, vt patet per Philoſophum 8.
„ Polit. & per Boëthium in prologo
„ Muſicæ, & ideo ſalubriter fuit inſti-
„ tutum vt in diuinas laudes cantus
„ aſſumerentur, vt animi infirmorum
„ magis prouocarentur ad deuotio-
„ nem. hactenus D. Thomas. Putabat,
ſed ſtultè, Plato animam mundi ex
muſica originem ducere, indeque infe-
rebat omne viuens cantu capi: imò in
Timæo, exiſtimat animam hominis
38. conſtare muſicorum numerorum har-
monica compoſitione. Sed, vt verum
fateamur, Magnus naturæ animan-
tium cum ſymphonia conſenſus eſt:
quo fortè reſpexit Plutarchus lib. de
Muſica, cùm ait vocum concentum
vocari Græcè μέλος & carmina, vel
cantiones μέλη; quo etiam vocabulo
vocantur corporis membra: ſicut enim
fabrè admodum Deus humani corpo-
ris ſtructuram ex diuerſis varium vſum
habentibus membris architectatus eſt,
ita ſymphonia ex diſſimilibus vocibus
compoſita mirabilem efficit harmo-
niam, & ſimilitudinem, quam cum vi-

Naturæ animantium magnus cum cantu ſenſus.

loco ſæpe citato. Excitat, inquit, can-
,, tus Eccleſiaſticus cum voluptate
,, quadam animum ad flagrans eius
,, quod carmine celebratur deſide-
rium. Vide plura apud eundē S. Chry-
ſoſtomum homil. in Pſal. 41. ,, nihil, ait,
,, animam æquè erigit, & elatum quo-
,, dammodo efficit, à terra liberat, &
,, exſoluit à vinculis corporis, & amo-
,, re ſapientiæ afficit, & vt res omnes
,, ad hanc vitam pertinentes irrideat,
,, prouehit, vt verſus modulatus, diui-
,, num canticum numeroſè compoſi-
tum. S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono
cap. 7. ,, Pſallendi ſuauitas peccatores
,, ad lamenta inuitat. Nam quamuis
,, dura ſint carnalium corda, ſtatim vt
,, Pſalmi dulcedo inſonuerit, ad affe-
,, ctum pietatis animum eorum infle-
,, ctit. Dum Chriſtianum non vocis
,, modulatio: ſed tantùm verba diuina,
,, quæ ibi dicuntur, debeant commo-
,, uere; neſcio tamen quo pacto modu-
,, latione canentis maior naſcitur com-
,, punctio cordis. Sic Iſidorus.

Referam hîc quæ ſcribit Nicolaus Orlandinus 1. p. hiſt. Societ. Ieſu lib. 12. num. 72. Vbi agens de agmine Braſiliorum puerorum, quos Saluator Rodericus Societatis noſtræ canentes Litaniarum diuinæque legis carmina circumducebat, quas populus ſuſpenſus cantus ſuauitate ſequebatur, Hæc ,, ſubdit: Animaduerſum eſt nihil tam ,, in Braſilienſium animos molliores ,, influere, quàm varios canendi ſonos: ,, hoc enim concentu permouebantur, ,, vt in eo felicitatis ſummam repone- ,, rent: ac Patres ad Chriſtianam Reli- ,, gionem eos exhortantes, vt ſermo- ,, nem ad eorum captum accomoda- ,, rent, hanc dicerent muſicum concen- ,, tum eſſe veriſſimum. Ea cauſa plera- ,, que Chriſtianæ diſciplinæ myſteria, ,, quo dulcius aſperis mandarentur ,, ingenijs, pijs cantibus intexebant. ,, Et erat in ea ſententia Nobrega po- ,, tuiſſe perfacilè lucem Euangelij ,, vel in vltimam inferri Braſiliam, ſi ,, prima eius prædicatio iucundis mo- ,, dulationibus condiretur, vt captis ,, animis ſuauitate concentus, ad viſita- ,, tos familiareſque ſermones ſenſim ,, delapſa deſcenderet.

Sextò. Adfert etiam homini religioſo ſacra hymnodia hoc emolumenti, quod non ſolùm mente & ſpiritu Deo vectigal dependit, ſed etiam corpore & voce, vt poſſit in morem pſaltæ Regij canere: cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Adde cum Nauarro in Enchir. de horis cap. 17. num 30. dum Pſalmus cantu protenditur locum tribui in mente attentæ illius ruminationi; ſed de hoc argumento plura alibi. 42.

Cantores pij non ſolùm mente ſed & voce Deo pſallunt.

Septimò. Eccleſia in voces cantuſque ora ſoluens interdum etiam citharas lyraſque pulſans cæleſtibus ſe miſcet choris, & quantum poteſt tantum Angelicos, & beatos ſpiritus audet æmulari. Rectè enim, ait quidam, quod faciunt Angeli in cælis, hoc monachi in terris. Verùm de hoc etiam alio loco fuſiùs. 43.

Octauò. Eadem Eccleſia alta & canora voce fidei Orthodoxæ myſteria celebrans profitetur coram hæreticis, & paganis illorum veritatem ſe agnoſcere, & intrepidè amplecti. Exempla huius publicæ teſtificationis habes apud Sozomenum lib. 5. cap. 16. & 19. Socratem lib. 3. cap. 16. Ruffinum l. 2. c. 36. de Chriſtianis tempore Iuliani Apoſtatæ canentibus, *confundantur omnes qui adorant ſculptilia* &c. & apud Theodoretum lib. 3. hiſt. c. 17. de Publia venerabili matrona, quæ cùm idem Iulianus præteriret aſſociata virginum Choro canebat: *Simulachra gentium argentum & aurum &c.* 44.

Cantu ſuo profitetur Eccleſia ſe fidei myſteria non erubeſcere.

Nonò, D. Baſilius ſæpius à me ante productus egregiè docet pſalmodiam ſignificare, & efficere animorum inter pſal- 45.

Pſalmodia amicitiæ &

Pſallentes conſpirationem, hiſce verbis:
„ Pſalmus amicitiæ eſt conciliator,
„ vnio diſſidentium, pacis inter hoſtes
„ conſtabiliendæ ſequeſter eſt Pſal-
„ mus. Quis enim inimicum deinceps
„ cenſere poſſit quo cum vel vnicam
„ ad Deum vocem ſemel emiſerit? Id
„ itaq; (quod in bonis numeratur præ-
„ ſtantiſſimum) pſalmodia ſuppeditat,
„ nempe caritatem; quæ quaſi nodus
„ quidam counien dis, & in vnum a-
„ ſtringendis omnibus concordem
„ hanc vocum excogitauit harmo-
„ niam, ad conſonum Chori vnius
„ concentum populum coaptans.

46. *Harmonia in cantu admonet nos modeſtiæ in moribus conſeruandæ.*

Decimò, D. Athanaſius libr. de interpretatione Pſal. docet aptâ harmoniâ in cantu admoneri hominem vt animo planè ſit compoſito. Sic habet. Vt, inquit, harmonia tibias com-
„ mittens vnum concentum efficit,
„ ita quoque in anima varijs motioni-
„ bus agitata, vnde membris initium
„ operandi deſumitur, ratio poſtulat
„ hominem ſibi conſonum eſſe, neque
„ ipſum à ſeſe diſſidere, non vt optima
„ quidem cogitet, peſſima tamen fa-
„ ciat &c.

47. *Non malè & Dei laus & oratio cantu depromitur.*

Poſtremò, cùm preces canonicæ contineant Dei encomia & actionem gratiarum vel propriè dictam orationem conuenienter horum quodlibet cantu exhibetur. Si quidem in cælo, S. Spiritus, & in terris homines pij modulatis vocibus Deo hymnos, & verſus Euchariſticos cecinère: pueri item Hebræorum Pœana & Epinicion Regi Chriſto Ieruſalem ingredienti, & Momis ſugillantibus dicitur, *numquam legiſtis, Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Et ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Nec precationi cantus repugnat, vt conſtat ex Pſalmis Dauidis, & canticis, quę diuino afflati ſpiritu in literis ſacris vates Domino decantauerunt, in quibus etiam multa precantur, ſeruitque tota modulatio non vt

oniſque inſtar præ ſe tuliſſe exiſti-
bimus. Sed ô tempora, ô mores!
Cæterùm conſtat ex S. Iuſtino q.
. ſæpius ante productâ Eccleſiæ
nigeniæ cantum fuiſſe ſimplicem &
num, imò vt habemus ex D. Augu-
o 10. conf. cap. 33. in Eccleſia A-
andrina fuiſſe videtur talis qualem
n frequentant Patres Capucini, &
rique monaſticen profeſſi. *Tutius,*
quit Auguſtinus, *mihi videtur quod*
lexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi
um commemini, qui tam modico flexu vo-
faciebat ſonare lectorem Pſalmi, vt pro-
ctanti vicinior eſſet quam canenti. Ve-
n hoc peculiare fuiſſe Eccleſiæ A-
andrinæ facilè colligitur, ex eodem
guſtino ibidem vbi loquens de
ntu Eccleſiæ Mediolanenſis, quæ
npore D. Ambroſij canendi mo-
n ex Oriente acceperat, ſic loqui-
. *Verumtamen cùm reminiſcor lachrymas*
s, quas fudi ad cantus Eccleſiæ ſuæ in pri-
diis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo
moueor, non cantu, ſed rebus quæ cantan-
um liquida, & conuenientiſſima modula-
e cantantur magnam inſtituti huius vtili-
m rurſus agnoſco. Vnde cantus Eccle-
Orientalis fuiſſe videtur longè mo-
atior & ſuauior, talis quippe qui
e flexanima in animos per aures in-
ret, iacentes erigeret, mœſtos re-
aret, vt tum ex Auguſtino & alijs
ſtat, tum ex Ruffino lib. 1. hiſt.
. 35. de Chriſtianorum pſalmodia
ranſlatione reliquiarum S. Babylæ
eodoreto lib. 4. cap. 23. De S.
hrem, qui carmina Eccleſiæ ſuauiſ-
nis modulis aſtrinxit ne plebs Chri-
ana cuiuſdam Harmonij hæretici nu-
eris caperetur & perderetur, item
e ex Socrate lib. 6. hiſt. c. 8. vbi re-
t S. Ioannem Chryſoſtomum con-
Arianorum concinnas cantiones
lmodiam inſtituiſſe, ne reliqui ex
cleſia Conſtantinopolitana eius ge-
ris cantici demulſi ab illis ſeduce-
rentur. Romana Eccleſia, vt ex antiquis monumentis animaduertere licet, ab initio medium in cantu tenuit, nec probans in omnibus Alexandrinæ Eccleſiæ ſimplicitatem nec Orientalis ſuauitatem, ſed modulationem ſuam grauitate temperans, quam ſecuta fuiſſe videtur Africana, de qua ſcribens Auguſtinus epiſt. 119. De hac, inquit, re tam vtili ad mouendum piè animum, & accendendum diuinæ dilectionis affectum varia conſuetudo eſt, pleraque in Africa Eccleſiæ membra pigriora ſunt; Ita vt Donatiſtæ nos reprehendant, quod ſobriè pſallimus in Eccleſia diuina cantica Prophetarum, cùm ipſi ebrietates ſuas ad canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment, hæc Auguſtinus Romanam Eccleſiam in cantu etiam imitata eſt Gallicana, vt ſuprà dictum.

4. *Romana Eccleſia medium in cantu tenuit, grauem videlicet modulationem.*

5. *Romanam Eccleſiam ſecuta eſt Africana.*

His ita pertractatis, quæri hîc primùm poteſt, an modulatio muſica (quam video à pluribus vocari cantum organicum ſeu figuratum) in templis tempore diuinorum officiorum ſit toleranda, cùm olim in vſu non ita videatur fuiſſe. Deinde Ioannes XXII. lib. 3. extrauag. communium de vita & honeſtate clericorum cap. vnico, videtur omnem muſicam ab Eccleſia Dei relegaſſe, quæ temporibus, vt ipſe loquitur, menſuratur, notulis percutitur, quia fundamenta plani cantus deſpiciuntur, & quæ cantantur, geſtibus ſimulantur, iubetque eos, qui hanc indicunt in horas canonicas pœna ſuſpenſionis ab officio per octo dies puniri; permittit tamen diebus feſtis aliquas conſonantias quæ melodiam ſapiunt, ſupra cantum ſimplicem proferri; ſic tamen, vt ipſius integritas illibata permaneat. Et prohibitum ibi eſſe cantum figuratum apertè docet Nauarrus in Enchir. de hor. can. c. 16, n. 33.

6. *Dubium proponitur, an muſica vel cantus figuratus tolerandus tempore diuini officij.*

qui 33. permitti verò Contrapunctum, Gregorianum non turbet;plurimas autem num. 32. 33. 34. congerit rationes, quare meritò vetitus fuerit huiuſmodi cantus figuratus, ſiue organicus:quarum præcipuæ ſunt hę. Cantus permiſſus fuit in officio diuino, vt augeretur attentio & deuotio propria, vel aliena, vt patet ex hac ipſa Extrauag. vbi ſic habes: *Inde*, inquit, *in Eccleſijs Dei pſalmodia cantanda præcipitur, vt fidelium deuotio excitetur*; atqui cantus organicus communiter eſt cauſa, vt non audiantur minuſque intelligantur voces, quæ canuntur; ergo. Adde delectari aut alium delectare velle in officijs diuinis, cantu magis quàm verbis, eſſe peccatum: Vt fatetur D. Auguſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 33. *Cùm*, inquit, *mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ cantatur moueat, pænaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem &c.*

8. *Licitus eſt cantus figuratus eſt conueniens in diuinis officijs modò verba ſacra percipiantur, & grauitatem redoleat.*

Reſpondeo, propoſitæ quæſtioni cantum muſicum ſeu numeroſum, vulgo figuratum, omnino licere, & officio diuino conuenire, ſi modò percipiantur verba ſacra, & grauitatem redoleat, pioſque excitet affectus. Videmus enim talem admiſſum eſſe in præcipuas totius orbis Eccleſias, ipſamque Romanam, etiam in ſacellum pontificis; vnde & talem Nauarrus ipſe probat, n. 35. & 36. ſuprà, dicitque non prohiberi Extrauag. citatâ. Vnde dicendum Extrauag. illa non comprehendi cantum illum omnibus ſuis numeris abſolutum, cùm rationes illius contra hunc non militent: vel non fuiſſe receptam ab Eccleſia niſi cum hac reſtrictione, vt cenſeatur omnem leuitatem & indecentiam à cantu muſico, non verò ipſum cantum excludere. Præterea omnes rationes, quas antea pro honeſtate cantus Eccleſiaſtici produximus, etiam in muſicam modulationem quadrant.

9. *Non obſtat extrauagans Ioan. 22.*

pit,de morte parentis,quàm de diui-
i inimicitia. Inordinatio enim illius
electationis poſita eſt, vt loquuntur
holaſtici ,non in maiori appretiatio-
,ſed intenſione,vel,vt explicat Fran-
ſcus Suarez, peccatum illud D. Au-
uſtini erat pœnale, id eſt pœna pecca-
, & indeliberatus concupiſcentiæ
otus , quam peccatum Apoſtolus
ocat.

Sed iam tempus eſt, vt aliquot næ-
os, qui muſicam, cantumque Eccle-
aſticum fœdant, detergamus. Plura
utem hac de re commemorat Na-
arrus in ſuo de Horis Enchir. tum c.
6. tum 17. & Caietanus 2. 2. quæſt.
. art. 2 quæſtiuncula, Num in orga-
s, inter Eccleſiaſtica officia liceat pul-
re ſonos ſecularium vanitatum abſ-
ue mortalis incurſu? & in Summa,
erbo: *Organorum vſus.*

Prima muſicæ labes eſt, quam con-
ahunt hi, qui modis & numeris ver-
a ſacra aptant (vulgo Componiſtas
ocant):hi enim interdum ſolùm vi-
entur ſeruire aurium curioſarum vo-
uptati,cùm tamen,vt D. Thomas &
lij docent cantus ad diuinas laudes
ſſumptus ſit , vt animi infirmorum
nagis prouocentur ad deuotionem;
quâ de causâ ſolùm illum probat Au-
guſtinus 10. confeſ. cap. 33 *Adducor,*
ait, *cantandi conſuetudinem approbare in Ec-*
leſia, vt per oblectamenta aurium infirmorum
animus in affectum pietatis aſurgat. Illi ve-
rò, vt hiſtriones vel tragœdi, qui vt i-
dem loquitur lib. 1. de Muſica c.
6. finem profeſſionis ſuæ gloriam
vel pecuniam conſtituunt, ſolùm au-
ribus ſatisfacere ſtudent; quibus re-
ctè conueniunt Epigrammatarij ver-
ſiculi:

Si tibi moroſa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Scopus talium eſſe deberet excitare in animis audientium attentionem prolixiorem. Siquidem auctore D. Thoma 2. 2. quæſt. 91. art. 2. ad quintum, in cantu attentiùs conſiderat quis quæ dicuntur, quia diutiùs moratur ſuper eodem. Deinde prouocare ſpiritum ad deuotionem, corda ad compunctionem, oculos ad fletum.

16. *Peccatum mortale eſt Pſalmodiæ, attemperare ſonos laſciuos, vel etiam vanos, ſi aſſumantur vt pars diuini officij.*

Hinc mortali ſe crimine maculant, qui ſonos laſciuos, & venereos Eccleſiaſticæ pſalmodiæ adtemperant; eſt peccatum illud ſcandali, luxuriæ, ſuperſtitionis, & ſacrilegij; quod locum habet; ſiue intendant ſe vel audientes ad libidinem prouocare, ſiue non, ſed ſolùm aures mulcere proponant. Satis eſt ſi ſciant vel aduertant huiuſmodi modulos naturâ ſuâ, & ſe ipſis aut pro more prouinciæ ſolere in animis fœdas progignere cogitationes; quia ſimili modorum flexu & tenore tibicines, & fidicines in choreis modulari ſolent obſcœnas cantiones & carmina Feſcennina. Nec refert quòd ſonus vel modulus abſtrahat à materia, dummodo ingeneret menti ſemina,& imagines fœdas, cùm meminit ſimili flexu vocis vel organi choreas agitari, obſcœnas tali proſodia attolli cantiones ſolitas.

17.

Si verò non fuerint amatoriæ cantilenæ,ſed ſolùm vanæ aut ſeculares, & nihilominus vel organo,vel voce naturali huiuſmodi ſoni perſonent tempore diuini officij tanquam pars ipſius, haud dubiè etiam erit peccatum mortale,tum ſacrilegij, tum ſuperſtitionis, cùm cultus diuinus hiſce numeris profanetur, & ad vana ſacrilegè detorqueatur. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? qui autem conſenſus templo Dei cum Idolis?* 2. ad Corinth. 6. Hoc eſt, inquit Caietanus ſuprà, ignem alienum cum filijs Aaron, Nadad,& Abiu Leuit. 10. in Dei ſacrificium offerre, amorem ſcilicet carnis aut mundi, loco Antiphonarum & laudum diuinarum.

Quòd ſi vanam aliquam cantiunculam

culam vel leuiuſculos modos organo
18. quis moduletur ante vel poſt officium
diuinum ad aurium oblectationem,
ſolùm videtur veniale peccatum, tum
quia non ſunt huiuſmodi cantilenæ
pars diuini officij, ſed quid parergon;
tum quia diuino officio nulla per hoc
cenſetur inferri irreuerentia, loco verò
ſacro, exigua. Quod etiam locum
habere vult Caietanus ſuprà, quando
quis tempore diuini officij aliquid ſi-
mile organo canit, non aduertens per
hoc ſe diuino cultui aliquam irreue-
rentiam inferre. Hæc ferè Caietanus.
Aduigilent ergo eccleſiæ Præſides ne
melicis leuitatibus, religioſus Dei cul-
tus funeſtetur & ſacra profanis mi-
ſceantur.

Si [illegible] cantilena [illegible] per [illegible] ſolum [illegible] vel [illegible] officium, [illegible] erit [illegible] niale.

Procul hinc procul eſte profani.

19. Videant ne ipſis diſſimulantibus im-
pleatur illud Dauidicum Pſal. 73. *Quan-
ta malignatus eſt inimicus in ſancto! & gloria-
ti ſunt qui oderunt te, in medio ſolemnitatis
tuæ.* Item illud Eccleſiaſtæ 10. *Muſcæ
morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*, non
muſcæ, ſed muſicæ; non animatæ elo-
quijs diuinis, ſed vanis modis & laſciuo
cantu viuos perdentes, omnemque de-
uotionis fragrantiam depaſcentes: Se-
quantur decretum Concilij Trident.
ſeſſ. 22. de obſeruandis & euitandis in
celebratione Miſſæ, vbi iſta ſtatuuntur.
Ab Eccleſijs muſicas eas, vbi ſiue orga-
no ſiue cantu laſciuum aut impurum
aliquid miſcetur arceant. Apage ab
Eccleſia Dei eiuſque grauitate, eſſæ-
minatos & molles numeros: apage ſis
delicias iſtas parum viriles: ſuccedant
verò mares modi, & veneranda ſym-
phonia. Semper execrata eſt Eccleſia
Catholica omnem leuitatem, vt can-
tus gentilium qui in ſuis ipſorum riti-
bus adhiberi conſueuerunt, vt hymnos
Donatiſtarum proprio ingenio exco-
gitatos ad nouoſque tonos compoſi-
tos, vt Arianorum ad Sotadis accentus
reſonantia carmina, vt Meletianorum

Eccleſiæ præſidibus curæ ſit laſciuas & profanas muſicas à templis arcere.

20. *Eccleſia Catholica ſemper damnauit gentilium & hæreti-corum pro-*

Digitized by Google

„bus animiſque mutatis etiam huic
„mutationi locus. Quamobrem ille
„quidem ſapientiſſimus Græciæ vir
„longeque doctiſſimus valde hanc la-
„bem veretur: negat enim mutari
„poſſe muſicas leges ſine mutatione
„legum publicarum. Hæc Cicero.
Cui ſubſcribit Fabius lib. 1. Inſtit. Oratoriarum c. 16. Vbi non probat muſicen quæ in ſcenis effæminata, & impudicis modis fracta, ſed quâ olim laudes fortium canebantur, quaque & ipſi fortes canebant &c. Et hæc quidem cenſuerunt Ethnici. Quis autem ſenſus Chriſtianorum eſſe debeat, ſatis docent antiqui patres ſæpius ante commemorati, & poſt etiam commemorandi. Seruetur ergo illud Dauidicum: *Deo noſtro ſit iucunda, decoraque laudatio.*

Altera cantorum labes eſt inanis gloriæ choragium, quod vano ſuo cantu venari & aucupari contendunt placentes ſibi artificioſâ muſicâ, leui vocum flexu & minuritione, huiuſmodique inanijs.

Audiant illi Hugonem Victorinum lib. 2. de clauſtro animæ cap. 22. talem vanitatem meritò ſugillantem.
„Sunt
„voce aliqui diſſoluti, qui vocis ſuæ
„modulatione gloriantur, nec tantum
„gaudent de dono gratiæ, ſed etiam
„alios ſpernunt tumentes elatione,
„aliud cantant quàm libri habeant, &
„aliud forſitan iterum dicturi, ſi ſint
„illud idem cantaturi. Tanta eſt leui-
„tas vocis forſitan & mentis; cantant
„fortè, vt placeant populo magis
„quàm Deo. Qui ſic cantant, non can-
„tant cum Maria ſorore Moyſi, ſed in
„Palatio cum Herodiade vt placeant
„diſcumbentibus, vel Herodi. Timeo
„autem ne ſicut delectantur altitudi-
„ne vocis, delectentur etiam elatione
„mentis. Nemo tamen altiùs cantat
„eo, quem Dominus exaudire conſue-
„uit de monte ſancto ſuo, nemo dul-
ciùs quàm cui Dominus inclinat „
aurem ſuam. Voce mea, inquit Da- „
uid, ad Dominum clamaui, & exau- „
diuit me de monte ſancto ſuo. Eſto „
igitur in valle humilitatis, vt in mon- „
te ſancto exaudiri merearis. Si ſic „
cantas, vt ab alijs laudem quæras, vo- „
cem tuam vendis, & facis eam non „
tuam, ſed ementis. Caue ne mona- „
ſterium vertas in theatrum. Habes „
in poteſtate tua vocem tuam, habeto „
& animum. Frangis vocem, frange „
& voluntatem. Hæc ille. Tales, inquit Humbertus opuſculo de Eruditione Relig. lib. 4. pag. 3. cap. 2. Vendentes, & ementes ſunt in templo, vendunt cantandi gratiam, humanam ementes gloriam digni è templo à Saluatore expelli. Illi cantare verè non poſſunt. *Voce mea ad Dominum clamaui*, cùm illam vendiderint; nec item illud; *Os meum annunciauit laudem tuam*, cùm canunt ſuam. Excipiant hi illud Concilij Aquiſgranẽſis (quod habitum eſt tempore Ludouici primi Imperatoris) capite 132. & 133. *Ad pſallendum & cantandum in Eccleſia conſtituantur, qui non ſuperbe, ſed humiliter Deo laudes perſoluant, & ſuauitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant, potiuſque exoptent in lectione & cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adulationem.* Hæc ibi.

25. *Contra illos militat Con. Aquiſgran.*

Tertia labes eſt crebra & ferè aſſidua mentis euagatio, in pluribus muſicis, qui vt loquitur Nauarrus in Enchir. de Horis Canonicis cap. 16. num. 33. magnopere ſoliciti ſunt ne vel vnius puncti cantus ſui iacturam faciant, qui tamen nihil cogitant de eo quod canunt, nec oculos ſuos in Deum defigunt, imò dum ceſſant à cantu, fabulantur, rident aut rixantur. Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus ſermone de pſalmodia, monet cantores

26. *Aſſidua ferè mentis euagatio cantoribus propria.*

quoties Muſæum ſiue Odæum aſcendunt Orationem ad Deum præmittere, vt det illis vocem in ſua ipſorum ora bene ſonantem, præcipuè verò vt ſurſum habeant cor ad Dominum, & illud placeat cordi quod cantant ore, ne Deus indignatus dicat illis, quare cantatis iuſtitias meas & aſſumitis verba mea per ora veſtra? Suggerit nobis Thomas Cantuar. libr. 2. exemplorum memorabilium ſui temporis capit 40. numer. 10. miraculum huic loco opportunum quod etiam ab alijs refertur hiſtoricis. In Gallia memorabile quiddam circa tempus Philippi Regis accidiſſe narratur. In quadam „ Ecclеſia conuētuali canonicorum ſe„cularium præcipua cuiuſdam ſancti „ feſtiuitas agebatur. In completo„rio autem clericis cantantibus, & „mox ſymbolum fidei ſub ſilentio „dicentibus, vox cæleſtis omnibus „audientibus inſonuit: Non eſt audi„tus, niſi raucus. Stupefacti ergo om„nes aduerterunt deſpectum quen„dam cum voce lugubri, & diſcordan„te in angulo conſtitiſſe. Nec aliquis „ambigebat eum fuiſſe, de quo cæle„ſtis vox perſonuerat; ille quippe ſo„lus, quà par erat attentione, & reli„gione cecinerat. Addit Claudius Rangolius comment. in 1. Reg. tom. 1. explicans cap. 10. verſ. 10. eo miraculo factum eſſe, vt ibidem impoſterum modi omnes numeriꝗue muſici conticeſcerent.

27. Miraculo Deus oſtendit ſibi placere attentionem in cantu, diſplicere euagationem.

28\. Quarta labes, quâ cantus muſicus inficitur prouenit ex eo, quòd ſoli moduli, & ſoni vocũ ad aures delabuntur, verba autẽ ſacra vix aut ne vix quidẽ percipiantur. Videant, qui huiuſmodi ſunt, ne nobis vendant folia pro fructibus, corticem pro nucleo, inanes & ſine mente ſonos pro grauidis Sacræ ſcripturæ verbis, voluptatem aurium pro mentis delectatione. Synodus Mediolanen. ſub Magno illo Borro-

Vitium cantorum eſt quod verba ſacra vix audiantur dum modulantur.

Digitized by Google

contrahere,& diuinum officium quod cantandum reſtat, poſtea celerrimè percurrant,qua de re multis conqueritur Nauarrus de Hor. Can. cap. 16. ad quem lectorem remitto.

Sexta labes,eſt nimia vocis in pſallendo elatio & clamor, ita vt Eccleſiæ videantur non templa, ſed theatra. Contra hos ſtatutus eſt canon. 75. Concilij 6. Conſtantinopolitani vbi inter cetera hæc decernuntur: *Qui in Eccleſia ad pſallendum accedunt, inordinatis vociferationibus non vtantur.* Idem conſtituit Concilium Aquiſgranenſe c. 137. pertinet huc locus D. Hieronymi lib. 3. Comment. in cap. 5. ad Epheſ. in illud, *Cantantes in cordibus veſtris*, & habetur Cap. Cantantes.2.d.92. Au-„ diant hæc adoleſcentuli, audiant hi „quibus pſallendi in Eccleſia offi-„cium eſt, Deo non voce, ſed corde „ cantandum,nec in tragœdorum mo-„dum guttur & fauces dulci medica-„mine colliniendas, vt in Eccleſia „theatrales audiantur moduli & can-„tica,ſed in timore, in opere,in ſcien-„tia ſcripturarum.Quamuis ſit aliquis, „vt ſolent illi appellare κακόφωνος ſi „bona opera habuerit, dulcis apud „Deum cantor eſt. Sic cantet ſeruus „Chriſti,vt non vox canentis, ſed ver-„ba placeant,quæ leguntur:vt ſpiritus „malus, qui erat in Saüle eijciatur ab „his qui ſimiliter ab eo poſſidentur, „& non introducatur in eos, qui de „domo Dei ſcenam fecêre populo-„lorum. Hactenus S. Hieronymus. Rectè,inquit Humbertus ſupra: apud „Deum altè cantat humilitas, cùm „cantus eius de cœlo audiatur, Eccleſ. „25. Oratio humiliantis ſe nubes pe-„netrabit. Differt, ait Hugo de S. Vi-„ctore ſuprà, muſica Chriſti à muſica „Diaboli. Hæc à ſublimiore incipit, „iſta autem ab humiliori. Hic, ait: „Ponam ſedem meam ad Aquilonem „ero ſimilis altiſſimo. Chriſtus ait,di-„ſcite à me, quia mitis ſum & humilis „corde.

CAPVT XV.

Organorum, neruorum, lituorum, rumque conſpiratio moderata in diuino officio celebrando rectè permittitur.

PSalmodus regius cùm paſſim nos excitet ſuis in pſalmis, ad Deum canendum, tubis fidibuſque celebrandum, vt maximè conſtat ex Pſalmo vltimo, dubitare non poſſumus vſum muſicorum inſtrumentorum etiam hoc tempore licitè in diuinis laudibus adhiberi, cùm illa non pertinuerint propriè & peculiariter ad legis veteris cultum & cærimonias, ſed ratione, & naturâ duce, condecorandis Dei ſacris aſſumantur. Meritò profectò Archichoragus ille & ſacer Muſæus, poſt depenſam pſalmorum hecatonpentecontadem, totum Deum mente ſpirans,omneſque animi expandens ſinus, ex penitiſſimis præcordijs exclamat: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Quo hemiſtichio (ſi mihi non læua conſtat mens) optat, vt quidquid ſpirat vel viuit (quid autem Deo non viuit? cui omnia viuunt,etiam quæ non viuunt) Deum laudibus efferat eo quo poteſt modo. Quis autem ignorat ligna, aut æra fabrefacta per ſe inanima & muta humano flatu animari,vt tibias, attractu,& pulſu reſonare, vt teſtudinem & fides omnes, concuſſu ſonum tinnitumque edere, vt crotala & cymbala? quæ omnia, nedum angelicos humanoſque ſpiritus in Dei laudes effundi diuinus ille Vates vouet & obſecrat: nec ille modo priſco æuo hoc anhelabat,ſed etiam Poëta Chriſtianus in ſua Apotheoſi aduerſus Iudæos,dum ita canit:

1. *Licita oſtenditur inſtrumentorum muſicorum melodia ex Pſalmo vltimo.*

2. *Explicatur illud: Omnis ſpiritus laudet Dominum.*

Quidquid in ære cano reboans tuba curua remugit.

3. *Prudentij*

Quid-

Digitized by Google

… versu- idem … guunt-

Quidquid in arcano vomit ingens Spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebret, Christum sonet, omnia Christum.
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.

4. … ationes … ia adſe… ntur qui… as inſtru… entorum … ſus licitus probatur.

Omnis ergo ſpiritus laudet Dominum. Militant pro hoc inſtituto æquè proximo inductæ rationes plereque capite ſplendor, & magnum decus ſacris cærimonijs & ſolemnitatibus additur, & diuini cultus æſtimatio apud rudem vulgum augetur, ſic euibrantur multorum præſertim indoctorum animi ad ſpiritus hauriendas voluptates, ſenſusque pietatis capiendos. Si enim non modò Saül, ſed & David & Helizæus, excitabantur pſalterio ad Dei laudes concinendas alioſve pios animi motus; quid de vulgaribus ſentiemus hominibus qui huiuſmodi ſenſibilibus rebus multum per omnem modum ad diuiniora prouehuntur? Quid? an me ludis cæleſtis muſica? audio in cælo Apoc. 5. & 14. ſuaue, neſcio quid & humano auguſtius ſonantes cheles & citharas, cùm tamen cæleſtes mentes & hiſce adminiculis nequaquam egeant, vt in diuinitatis eulogias rapiantur.

5. Clem. Alex. concedit lyra & cithare pulſum Christianorum ſacris.

Certè Chriſtianus pædagogus apud Clementem, l. 2. pædag. c. 4. Quamuis quæ in Pſalmis habentur de Deo muſicis inſtrumentis celebrando, ad ſpiritualem deflectat, nolitque ea quibus gentiles vtebantur ad Chriſtianorum ſacra transferri; nihilominus, ſi eadem piè, moderatè, queà Chriſtianis vſurpentur, non modò non vetat, ſed etiam liberaliter concedit. Sic enim ſcribit. *Si ad lyram, vel citharam canere, & pſallere noueris, nulla* in te cadet reprehenſio. Heb… regem imitaberis, qui Deo eſt gra…tus. Exultate iuſti in Domino: … collaudatio, dicit Propheta. Et … Domino in cithara, in pſalterio … pſallite ei. Hæc Clemens Alexan…

Conſtituendum ergo eſt ſonum … rum fidiumque, præſertim verò or… pneumatici, vt illud nunc vocan… licitè cantui Eccleſiaſtico admitt… modò illius vſus ſit moderatus, grau… & pietati excitandæ aptus.

Ita expreſſe docet Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. ar. 2. ſub finem Nauarrus de Hor. can. c. 17. n. 32. & ſequent. licet c. 16. n. 47. & deinceps multis probare nitatur, non adeò diuino cultui conducere, nec nobis repugnat Caietanus 2. 2. q. 91. ar. 1. & 2. & in Summa, Verbo *Organorum vſus*. Accedit Suarez lib. 4. de orat. c. 8. n. 4. & ſequent. & reliqu… recentiores.

Conſtant hæc ex ijs, quæ iam pro…duximus, & ex vſu Eccleſiæ Catholi…cæ, quæ vbique ferè excepto ſacel… ſummi Pontificis, & quibuſdam a… Eccleſijs Cathedralibus &c. In te…pla celebriora recepit organa, & … terdum etiam alia inſtrumenta … mittam nulla lege diuinâ, vel h… eorum vſurpationem aliquem … eſſe inter… & fas ſit ad finem vti. Finis au… honeſtum hi… & quæ… per hæc quæritur Deum … pia animi erectio … ctio, ad quam … ratio docent a… iam fidium … cùm etiam per … contemplatio… fuerint.

Nec his obſt… rationes quæ… muſicorum in… tionem pertinu… lum veteris legis … ſolùm arguunt, …

iandæ deuotioni atque cantum, vocis humanæ; præſertim tempore legis nouæ, Chriſtianis ad maiorem perfectionem vocatis. Ita eum explicat Sotus. Cùm tamen in corpore articuli dixerit, quæcumque ad affectus hominis prouocandos in Deum conducunt, in diuinas laudes congruenter aſſumi; tacitè nobis concedit, etiam adhiberi poſſe huiuſmodi inſtrumenta, quando pietatis motus ſenſuſque in animis hominum excitant. Excitare autem patet quotidiana experientia, etiam in hominibus perfectis interdum & religioſis. Poſſe ergo admitti numquam negauit S. Doctor, multoque minùs dixit, eſſe illicita. Dictum verò Philoſophi 8. Polit. cap. 6. tibias & citharas tradendis non congruere diſciplinis, per ſe verum eſt, quia nihil illa auditorem iuuant ad ea, quæ traduntur, percipienda, licet, vt antè vidimus, ſeruiant ad libentiùs eas perdiſcendas.

Si qui præterea Doctores ea reprehendunt, lector, ſic accipiat, vt non vſum, ſed abuſum improbent, ſic D. Auguſtinus Conc. 1. in Pſ. 32. oſtendit citharam propter aliquem abuſum vel quia etiam gentilitas ea in ſuis ſacris profanis canebat, ab Eccleſia fuiſſe proſcriptam, hiſce verbis: *Nónne id egit inſtitutio in nomine Chriſti vigiliarum vt ex iſto loco citharæ pellerentur*: Vnde etiam conſtat in primæuam Eccleſiam flatum tibiarum aut pulſum fidium non fuiſſe receptum, ſed cantum tantùm ſimplicem, vt indicat auctor quæſtionum apud S. Iuſtinum martyrem qu. 107. *In Eccleſiis*, inquit, *non vſus carminum per eius generis inſtrumenta, & alia inſipientibus congruentia receptus eſt; ſed ſimplex cantio in eis manet.* Ratio autem huius erat, quod Ethnici huiuſmodi inſtrumenta ſuis in ſacris, conuiuijs, theatris vſurparent.

Quod poſtremò Nauarrus ſupra c. 16. nu. 47. & Caietanus 2.2 quæſt. 91 notab. 2. docent vſum organi pneumatici, cuius in Eccleſijs melodiâ iam gaudemus, tempore D. Thomæ nullum fuiſſe, mihi planè à vero diſſentire videtur, cùm conſtet ex Platina, Polydoro & alijs multis organum adhibitum fuiſſe ad pſalmodiam tempore Vitaliani Papæ. an. Dom. 660. Et Illuſtriſſimus Baronius ex veteribus hiſtoricis refert tom. 9. Annalium Organum muſicum miſſum fuiſſe à Conſtantino Copronymo ad Pipinum Galliæ Regem an. Dom. 766. Aimoinus verò lib. 4. de geſtis Francorum cap. 114. ait in templis organa perſonuiſſe circa annum 820. tempore Ludouici Pij. Vnde rectè Sotus ſuprà interpretatur S. Thomam non de organis, ſed de alijs inſtrumentis locutum, quæ ſine dubio non ita facilè in chorum admittenda ſunt. Verùm antiquitatem vſus organi in Eccleſia qui velit, accuratè cognoſcere, & multiplex eius genus inueſtigare, legat Ioannem Steph. Durant. lib. 1. de rit. Eccl. Cath. cap. 13. II. *Vſus organi antiquior eſt in Eccleſia quàm Nauarrus & alij quidam exiſtimant.*

CAPVT XVI.

Cantus alterni Inſtitutio, Antiquitas, Vtilitas.

EA eſt carminis Amœbæi ſeu cantus alterni vetuſtas, vt illius originem non ſit reperire. Si quidem ſimul cum natura, & muſis natus videtur. Homerus Illiad. 1. Fingit muſas apud Iouem Olympo in monte alterno carmine Apollini reſpondere. I. *Cantus alterni vetuſtatem oſtendunt antiqui Poetæ Græci & Latini.*

Μουσάων θ' αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.
Alternis muſæ cantabant voce decora.

Theocritus Idil. 8. paſtores bucolico carmine ludentes inducens ſic canit:

Εἶτα δ' ἀμοιβαίην ὑπελάμβανε Δάφνις ἀοιδάν
Daphnis Amæbeam ſuſcepit ludere muſam.

Sed clariſſimè Poëta Latinus tum Ecloga 3.

Incipe Damæta, tu deinde ſequere Menalca.

Al-

Alternis dicetis; amant alterna Camœnæ.
Et in Ecloga ſeptima.

Alternis igitur contendere verſibus ambo
Cœpere; alternos muſæ meminiſſe volebant;

2. Græ… re… rum … viciſ… ſitu… do ori… cantus … alterni.

Ratio huius inſtituti fuit grata rerum viciſſitudo de qua Euripides in Oreſte. μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Viciſſitudo in omnibus dulcis. Vnde prodierunt illa veterum; *Nil iucundum, niſi quod commendat varietas.* Et illud: *Nihil eſt tam egregium aut ſuaue, quod idem diu placere poßit.* Adde, hoc pacto ſolatium vocis contentioni tribui.

3. *Cantus alternus apud Hebræos non videtur in vſu fuiſſe.*

Vſum ſuccedentium ſibi inuicem in carmina vocum apud Hebræos in priſca lege non reperi. Notant ſiquidem Nauarrus & Francolinus, Iudæos non ſolitos canere alternis, ſed omnes ſimul confusè; vnde idem Francolinus bene refellit Polydorum docentem lib. 6. de Inuentione rerum c. 2. hunc morem canendi originem ſumpſiſſe ab Hebræis. Vide illum tract. de tempore Horarum Canonicarum cap. 3 n. 22.

4. *Primordia alterni cantus in primitiua Eccleſia; verùm illius præceptio in eadem adulta.*

Ceterùm, quæro hîc primordia alterni cãtus in officio diuino & Horis Can. & quidem, dum diligenter indago, reperio illius veſtigia in naſcente Eccleſia; inſtitutionẽ, continuationẽ & præceptionẽ, in eadẽ iam adulta. Certè Haymo Halberſtat. in illud 5. ad Epheſ. *Loquentes vobiſmet ipſis in Pſalmis &c.* de hoc cantu exponit. *Nobiſmetipſis*, inquit, *in Pſalmis loquimur, quando alternatim canimus Pſalmos*, quam explicationem amplectitur Sotus lib. 10. quæſt. 5. art. 2.

5. *Meminit illius Philo.*

Philo Hebræorum diſertiſſimus lib. de Vita Contempl. agens, de neophytis Chriſtianis ſub nomine Eſſæorum, qui apud Alexandriam monaſticen profitebantur, hæc habet ad calcem libri. „Vbi omnes conſurrexêre, „duo chori fiunt in medio cœnaculi, „alter virorum, alter feminarum; vtri„que ſuis concentor præficitur hono„re præſtans, & canendi peritiâ; dein-

pertiùs meminit reciprocæ modu-
onis S. Baſilius Epiſt. 63. ad cleri-
Neocæſar. circa medium.„ Ad id
rò, inquit, quod propter pſalmo-
as accuſamur; quâ re potiſſi-
nùm ſimpliciores perterrefaciũt, qui
os traducunt, hoc habeo quod
licam, quòd videlicet qui iam obti-
uerunt ritus omnibus Eccleſijs Dei
oncordes ſunt & conſoni. De nocte
quidem ſpopulus conſurgens ante-
ucano tempore domum precationis
etit inque labore, & tribulatione ac
chrymis deſinentibus facta ad Deũ
onfeſſione, tandem ab oratione
urgentes ad pſalmodiam inſtituun-
ur. Et nunc quidem in duas partes
iuiſi alternis ſuccinentes pſallunt,
tque ex eo ſimul eloquiorum Dei
xercitationem, atque meditationem
orroborant, & cordibus ſuis atten-
onem, & reiectis vanis cogitationi-
us mentis ſoliditatem ſuppeditant;
Deinde vni ex ipſis hoc muneris
ato, vt quod canendum eſt, prior
rdiatur reliqui ſuccinunt, atque ita
ſalmodiæ varietate, precibuſque
ubinde interſertis noctem ſuperant.
lluceſcente iam die, pariter omnes
elut ore vno ac corde vno confeſſio-
is Pſalmum Domino offerunt, ac
uis quiſque verbis reſipiſcentiam
rofitentur. Horum gratiâ ſi nos
ugitis, fugietis ſimul & Ægyptios,
ugietis Libyam vtramque, Thebæos
Palæſtinos, Arabes, Phœnicas, Syros,
& qui ad Euphratem habitant, &, vt
ſemel dicam, omnes apud quos vigi-
iæ & preces, communeſque pſalmo-
diæ in pretio ſunt. Ex hoc loco lector
ibet vſum cantus alternantis toto
opemodum Oriente receptum eiuſ-
ue vtilitates:

Meminit eiuſdem Gregorius Na-
anzenus Iambico 18.

Cernis Angelicum Chorum
i nunc ſimul, nunc vicibus alternis canit
Partim deorſum poſitus, & partim ſupra
Sine fine ſummi concinens laudes Patris?

9. *Non obſtat locus Caſſiani.* Nec his obſtat (licet aliter ſentiat Francolinus ſuprà c. 3. n. 5. & 6.) quod Caſſianus l. 2. de Inſtit. renunciant. c. 12. ſcribit hunc in Ægypto, & omni Oriente pſalmodiæ morem obtinuiſſe, vt congregationum ſolemnitates monachi celebrãtes, abſque eo qui dicturus, in medium Pſalmos ſurrexerit, cuncti ſedilibus humilibus inſidentes ad vocem pſallentis omni cordis intentione dependeant; quia licet certum ſit, ex varijs Caſſiani locis ita pſalmodiam à monachis inſtitutam, vt interdum ab ore vnius pſallentis reliqui omnes cœnobitæ, magno cum ſilentio & animi attentione dependerent; Conſtat ta-

10. *Quin potius nobis fauet.* men ex eodem etiam Pſalmos *ἀντιφώνους* ſiue alternis decantari fuiſſe ſolitos, nam lib. 3. de Inſtit. cap. 8. ſic habet. Ideò vigilias tripartitis diſtinguunt officijs, vt labor hac diuerſitate diuiſus delectatione quadam defectionem corporis releuet. Nam cùm ſtantes tres Antiphonas concinuerunt (nota Antiphonam ſeu cantum alternantem) humi poſt hæc vel ſedilibus humillimis, inſidentes Pſalmos tres vno modulante reſpondent, qui tamen ſinguli à ſingulis fratribus viciſſim ſuccedentibus ſibi præbentur, atque his ſub eadem quiete reſidentibus ternas adijciunt lectiones. Itaque fit, vt corporeum minuentes laborem, vigilias ſuas, maiore mentis intentione exerceant. Rurſus idem l. 2, c, 8. Illud, inquit, quod in hac prouincia (Gallia) vidimus, vt vno cantante in clauſula Pſalmi omnes aſtantes concinant cum clamore, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; nuſquam per omnem Orientem audiuimus, ſed cum omnium ſilentio ab eo, qui cantat, finito Pſalmo orationem ſuccedere: hac verò glorificatione Trinitatis tantũmodo ſolere Antipho-

nam

nam terminari. Vide eundem l.2.c.2.

Perſpeximus vſum aliquem cantus reciproci ab ipſis Eccleſiæ primordijs: inueſtigandum iam quinam inſtituerint, & iuſſerint pſalmodiam Eccleſiaſticam alternante choro celebrari.

11\. Ignatius Antiochenus ... Eccleſiæ ... ex vi- ... one An- ... gelica, teſte Socrate.

Socrates itaque l.6.Hiſt.Eccleſ.c.8. Viciſſitudinem huius melodiæ tribuit S. Ignatio. „ Iam, inquit, dicamus vn- „ de conſuetudo hymnorum, qui in „ Eccleſia alternis decãtantur, initium „ ceperit. Ignatius Antiochiæ, quæ eſt „ in Syria, tertius à Petro Apoſtolo „ Epiſcopus, qui cum Apoſtolis ipſis „ multum verſatus eſt, viſionem vidit „ Angelorum Sanctam Trinitatem „ hymnis alterna vice decantatis col- „ laudantium, & formam canendi in ea „ viſione expreſſam Eccleſiæ Antio- „ chenæ tradidit, vnde illa traditio in „ omnibus Eccleſijs recepta eſt. Idem habet Caſſiodorus in tripart. lib. c. 9. & Nicephorus lib. 13. cap. 8.

13\. *Adumbratus hic fuit Iſaia 6.*

Obſeruat verò S. Iſidorus, & alij, hanc inſtitutionem fuiſſe adumbratam in Seraphinis Iſaiæ 6. quos vidit Propheta clamantes alterum ad alterum, ἀντιφώνως ſcilicet, vt communiter Patres, & inter eos Damaſcenus tract. de Triſagio Sanctus, Sanctus &c. vno videlicet priùs, altero poſteriùs perſonante; vbi auctore Hieronymo Hebræa habent iſte ad iſtum, quaſi ſe inuicem adhortãtes. Quin & Pſalmo 137. illud: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*, verti poſſe aiunt ex Hebræo, è regione vel ex oppoſito Angelorum, vt homines quaſi vnum, Angeli alterum teneant Chorum, ac ita viciſſim Deum collaudent.

14\. *Theodoretus inſtitutionem huius cantus refert ad Flauianum & Diodorum.*

Porrò Theodoretus lib 2 Hiſt. c. 24. hanc introductionem mutuo ſibi reſpondentis chori refert ad Flauianum, & Diodorum monachos Antiochenos, qui tempore Conſtantij Imp. floruerunt. Ita ipſe ſcribit. *Iſti duo admirabiles viri Flauianus & Diodorus quamquam Sacerdotij dignitatem nondum ſunt conſecuti, ſed*

„, duo quoque teſtamenta inuicem ſibi „, conclamantia. Apud Latinos verò „ primus Beatiſſimus Ambroſius antiphonas conſtituit, Græcorum exemplum imitatus. Ex hinc in cunctis „ occiduis regionibus earum vſus increbuit. Hæc Iſidor.

18. *antur orus, uſtinus, linus.* Sed præſtat ab ijs teſtimonia petere, qui vna cum B. Ambroſio vixère, & rem oculis fidelibus ſubiecère. Auguſtinus itaque l.8. confeſ.c. 6. „ Quantum „ fleui, inquit, in hymnis & canticis „ tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vo- „ cibus commotus acriter &c. Et mox „ ſubiungit cap. 7. Non longè cœperat „ Mediolanenſis Eccleſia genus hoc „ conſolationis & exhortationis celebrare magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò ampliùs cùm Iuſtina Valentiniani Regis „ pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ causâ, qua fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſiâ mori „ parata cum Epiſcopo ſuo ſeruo tuo. „ Ibi mater mea ancilla tua ſollicitudinis & vigiliarum primas partes tenens orationibus viuebat. Nos adhuc „ frigidi à calore ſpiritus tui, excitabamur tamen ciuitate attonita atque „ turbata. Tunc Hymni & Pſalmi, vt „ canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris „ tædio contabeſceret inſtitutum eſt, & „ ex illa in hodiernum diem retentum „ multis iam ac penè omnibus gregibus tuis per cetera orbis imitãtibus. Clarius etiam paulò in vita eiuſdem Ambroſij Paulinus. *Hoc in tempore*, inquit, *primùm antiphona hymni ac vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cæperunt, cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernum diem non ſolùm in eadem Eccleſia, verùm per omnes pene Occidentis prouincias manet.*

Quòd verò in lectionibus Romani Breuiarij ipſo die B. Damaſo ſacro vndecimo Decemb. ſic habeatur. Inſtituit Damaſus, vt in Eccleſia Pſalmi ab alternis canerentur, quod plurimi ſcriptores confirmãt; ſic exponendum eſt: ſcilicet cantum alternantem ab ipſo probatum, confirmatum & toti Eccleſiæ traditum, præceptoque ſtabilitum, vt in poſterum non aliter Pſalmi quàm alternis perſonarent. 19. *Quid Damaſus præſtiterit circa Antiphonas.*

Ceterùm ne quis ignorantiâ notionis τῆς ἀντιφώνης hæreat aut caliget oculo mentis, remouebo nebulam. Sciendum itaque eſt vocem *Antiphona*, eſſe duplicis ſignificati; prima & genuina notio eſt, quâ ſignificat cantum, qui alternis fit. Si enim verbum verbo reddas, erit vox oppoſita. Ita enim definitur ab Iſidoro lib. 6. Orig. cap. 9. *Antiphona ex Græco redditur Latine vox reciproca, duobus ſcilicet Choris alternatim pſallentibus ordine commutato, ſiue de vno ad vnum, quod genus pſallendi Græci inueniſſe traduntur.* Idem notarunt Albinus Flaccus, Alcuinus, Rabanus, Amalarius, & alij, qui de diuinis officijs ſcripsère. Altera vſurpatio iſtius vocis, vt iã accipitur in Breuiarijs, traditur ab Amalario, lib. 4. de Offic. Eccleſ. cap. 7. *Antiphona*, inquit, *inchoatur ab vno vnius Chori, & ad eius ſymphoniam Pſalmus cantatur per duos choros; ipſa enim Antiphona coniunguntur ſimul duo chori.* Hæc ille. Eſt autem ſententia vel gnome breuis, quæ Pſalmo præcinendo præponitur, & continet ordinariè vel verſum eiuſdem Pſalmi, vel verba aliqua apta ad Dei vel Sanctorum laudem, vel ad pias animi affectiones concitandas. 20. *Antiphona duo ſignificat.* 21. *Quid iam ſit Antiphona in Breuiarijs.*

Supereſt iam breuiter complecti rationes, quæ cantum hunc ſibi reſponſantem, ex ſe honeſtum & ſpiritualibus emolumentis refertum, adeoque dignum & idoneum oſtendant, quem Eccleſia in ſuos Conuentus admitteret. 22. *Cur Eccleſia hanc cantandi formam vſurpet.*

Primùm igitur labor cantandi, vel etiam recitandi, diuiſus facilius toleratur

Digitized by Google

23. *Prima ratio faciliùs hoc pacto labor cantand. toleratur.*

tur, dum viciſſim chorus vocem exercet, alter otia agit. Si quidem rectè Sulmonenſis vates Epiſt. Phędrę ad Hippolitum.

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt;
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.
Arcus, & arma tua tibi ſunt imitanda Dianæ,
Si numquam ceſſas tendere, mollis erit.

Adfert hanc rationem ſuprà Caſſianus.

24. *Altera ratio eſt delectatio ex viciſſitudine.*

Accedit delectatio, quam grata parit viciſſitudo. Hæ cauſæ fuerunt in priſcis Poëtis carminis Amœbæi.

Grata laboriferis tribuantur vt otia Muſis.

Rectè proinde S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis, interrogatione 37. loquens de diuerſitate temporum ad orationes, dixit. „In perpetua ſimilitudine & æqualitate rerum neſcio „quo modo animo torpedo quædam „plerumque oboritur atque tædium, „eaque re aliud agens ad futiles & „vagas cogitationes aberrat. In viciſ„ſitudine autem varietateque cùm „pſalmodię, tum ſingularum horarum „orationis, & ſtudium ipſum renoua„tur, & attentio inſtauratur.

25. *Datur hac ratione locus meditationi & attentioni maiori.*

Suggeram & fructus ſpiritui paſcendo. Ac primò quidem, dum lingua viciſſim à canendo ſubſiſtit, mens interim in arce animi partes ſuas quietiùs agitat, aſſurgens ad ea, quæ canuntur, meditanda & ruminanda, ſicque facilius orationi vocali mentalis adiungitur. Adde, mox repetitum cantum magis inardeſcere contẽplationis igne inflammatum. Dixerat hoc ante Baſilius Epiſt. ad Neocæſar. „Hoc pa„cto, ait, Dei eloquiorũ exercitatio, & „meditatio corroboratur, & cordibus „attentionis ſoliditas ſuppeditatur.

26. *Significatur Antiphona caritas.*

Iuxta Amalarium ſuprà, indicatur hac reciprocatione caritas. „Antipho„na, inquit, videtur nobis virtus dile„ctionis eſſe, quæ coniungit opera „duorum fratrum ſimul. Pſalmi ad „opera referuntur. Antiphona ad il„lam dilectionem, quâ vnuſquiſque „fratri ſuo porrigit opus ſuum. Duo„bus choris alternatur antiphona, „quia non poteſt minùs eſſe charitas „quam inter duos. Hanc viciſſitudi„ne caritatis ſignificant cantores, qui „alternatim ex vtraque parte anti„phonas leuant. Hos duos choros de„ſignauerunt pennæ animalium inui„cem porrectæ, quas vidit Ezechiel in „figura aduentus Chriſti & noui Te„ſtamenti. Coniunctio duarum pen„narum antiphona eſt, quæ vicem te„net caritatis. Hæc & plura Amalarius.

27. *Antiphona viciſſim ſe Cantores ad alacriter Deum laudandum excitant.*

Poſtremò, & quidem præcipuè exercetur hac cantus viciſſitudine religioſa æmulatio, quâ ſe inuicem chorum agentes animant ad alacriter Deum laudandum, & totâ mentis contentione orationi inſiſtendum. Sic quondam Seraphici ſpiritus Iſaiæ 6. auditi ſunt ſe prouocare ad Dei vnius & trini Hagiologiam, cùm vnus intonat Sanctus, alterque quaſi eius voce excitatus ingeminat Sanctus, rurſuſque alter reddit Sanctus, & ſic viciſſim Hymnum Triſagion percurrunt.

28. *Vt Seraphim Iſaiæ. 6.*

Promiſerat olim hunc ſpiritum mutuò ſe ad Dei laudem incendendi per Prophetam Sophoniam Deus, prædicens aureum ſeculum nouæ legis, quo falſo Deorum multiplicium cultu abrogato inuocarent omnes Ieſum Chriſtum? Sic habes Sophon. 3. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.* Labium electum, ſiue, vt alij vertunt, purum & mundum interpretor, eximium donum Dei præconia & magnifica opera celebrandi, quod donum olim à Deo acceperunt commemorabili ſanctitate viri, Moſes Dauid, Iſaias, & ceteri pij Vates, qui Deo digna locuti; Vnde notãter dicit, *Reddam.* Quia verò vnus ſolus non ſufficit diuinum officium peragere, prout ipſius

29. *Promiſerat hoc Sophonias. c. 3.*

operis maieſtas requirit, nec etiam plures concentum Deo gratum efficiunt, niſi vt voce, ſic & animo conſpirent, dicitur; *Reddam populis labiũ electũ vt inuocent omnes, & ſeruiant &c.* Quod tunc ritè fit cùm omnes pariter quaſi ſuccollant & Dei miniſterio humeros ſupponunt, id eſt, animo & corde vno ſacris officijs intendunt, vt licet alias in pſalmodia partes agant, dum hi cantant, illi ſilent, pars ſtent, alteri ſedeant, idque viciſſim; vno tamen animi humero totus clerus tanquam quidam Atlas diuinum officium ſuſtentet.

Et cantare pares, & reſpondere parati.

30. *Antiphona concordiam & conſpirationem in diuino officio peragendo ſignificat.*

Quod chorus nobis repræſentat, dum omnes ad vnum plenis vocibus & arrectis mentibus ad finem Pſalmi conſona modulatione antiphona, ſiue grauem ſacris ſenſibus ſententiam decantant. Id vouet ex animo Apoſtolus ad Romanos cap. 15. *Vt vnanimes,* inquit, *vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Id adumbrarunt quatuor myſtica animalia Apoc. 4. dicentia die ac nocte, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.*

31. *Hanc adumbrarunt quatuor myſtica animalia in Apocalypſi & 24. Seniores.*

Vbi vides Leonem, Vitulum, Aquilam & Hominem hymnũ triſagion ſermone eodẽ (quod mireris) Deo concinere. Horum ſpiritualium animaliũ exemplo prouocati viginti quatuor Seniores procidebãt ante ſedentẽ in throno; & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes, *Dignus es Domine Deus accipere gloriam &c.* Quo facto hoc piè indicatur, alacritate, & reuerentiâ cleri Deum voce & animo in templis celebrantis, accendi populi Chriſtiani mentes, quamuis in eo etiam principes fuerint, ad Deo deuotè ſupplicandum, eique quàm humillimè gratias agendum.

CAPVT XVII.

Quot ſint Horæ Canonicæ.

1. *Tres hic diuerſæ ſententiæ.*

Svnt in hac quæſtione duæ extremæ ſententiæ, vna verò media.

2. *1. docet eſſe 8. horas.*

Prima eſt Nauarri, qui ex profeſſo docet, eſſe octo horas Canonicas. Vide eum Enchi. de Hor. can. c. 3. n. 27. & 28. vbi diuidit Nocturnum officium à Laudibus. Idem docuerat Archidiaconus in cap. *presbyter* d. 91. & Antoninus 3 p. tit. 10. §. 4. quæ etiam eſt multorum aliorum, vt Hugonis de S. Victore, Radulphi Tungrenſis, & colligitur expreſſè ex Regula D. Benedicti cap. 16. vbi ponit ſeptem horas canonicas de die, & deinde vigilias nocturnas.

2. *Rationes pro 1. ſententia.*

Nititur his fundamentis. Primò quia propheta dicit Pſalmo 118. non ſolùm *ſepties in die laudem dixi tibi*, ſed etiam *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.*

3. Secundò, quia Eſdræ 2. c. 9. habetur quòd Iudæi Babylone recèns Ieruſalẽ reuerſi *octies confitebantur Domino, quater die, quaterque nocte.*

4. Tertiò, quia Concil. Agath. c. *presbyter* d. 91. & c. 1. de celebratione Miſſæ dicit, ſeptenarium numerum à Dauide expreſſum à nobis impleri, ſi Matutinali, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, & Completorij tempore noſtræ ſeruitutis officia perſoluamus; Nam de nocturnis vigiliis idem ait: *Media nocte ſurgebam,* &c.

5. Quartò. Quia manifeſtum eſt, Laudes differre à Nocturnis, tum quòd eas nouo æris campani pulſu inchoamus, & earum initio præponimus verſum, *Deus in adiutorium* &c. vt in aliis Horis; habent proprium capitulum, hymnum &c, tum quòd nocte Natalis Domini Nocturni finiuntur communi diei Collecta, & Miſſa inter Laudes & Nocturnos interponitur; tum quòd olim lau-

Digitized by Google

Laudes à Nocturnis tempore diuidebantur, cùm illi canerentur in prioribus noctis vigiliis; hæ, verò in vigilia matutina, vt infrà videbitur,

6. Quintò. Quia ſicut aliæ Horæ nobis repræſentant diuerſa redemptionis noſtræ myſteria, ſic etiã Nocturni à Laudibus ſeparari non carent ſacra ſignificatione, cùm nobis ingerant acerbiſſimam Chriſti in horto agoniam, ſudoremque ſanguineum, vt inquit Navarrus ſup. & vt Bellarminus l. de Orat. c. 13. & Durantus l. 3. de Ritibus. c. 3. propter ſpem reſurrectionis, quæ per ogdoada ſignificari ſolet, & generalem Anaſtaſin futuram nocte ſignificat Chriſtus, tum Matth. 25. Media nocte clamor factus eſt, &c. tum Lucæ 17. In illa nocte erunt duo in lecto vno &c. Addit Durantus. ſup. vt SS. Trinitati à Chriſticolis ex 24. horis tertia pars, id eſt, octo horæ ſingulis diebus dedicarentur.

7. *Secunda ſententia communis ponit tantùm 7. horas.*

2. Sententia eſt communis ſtatuens tantùm eſſe ſeptem horas Canonicas. Sic paſſim docent Iuris Pontificij doctores, partim in c. 1. de celebratione Miſſarum, partim in Clement. 1. eodem tit. Item doctores Summularij, Angelus, Caietanus &c. denique omnes Theologi cum D. Thoma Opuſc. de officio Sacerdotis. cap. 1. Inter quos Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. ar. 4. dicit hanc eſſe adeò vulgo receptam, vt alterius opinionis doctores ne quidem ſint audiendi.

8. *Rationes pro ſecunda ſententia.*

Probatur hæc Sententia. 1. Quia Concilium Cabil. 2. habitum ſub Carolo Magno circa annum 813. Canone 59. tantùm ſeptem numerat. Matutinum Primam, Sextam, Nonam, Veſperas & Completorium.

9. Secundò. Quia Caſſiodorus qui vixit an. 540. explicans verſiculum Pſalmi 118. *Septies in die* &c. Septem, inquit, illas ſignificat vices, quibus ſe Monachorum pia deuotio conſolatur; Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos ſcil. Pſalmos. Item Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 19. & ſequentibus, ſeptem tantùm recenſet. Item Walafridus, Strabo, lib. de rebus Eccleſ. cap. 15. Rupertus lib. 1. de Diuinis Officijs cap. 1.

Tertiò. In rebus moralibus, maximè ſequendum eſt commune iudicium adeoque totius Eccleſiæ. Atqui communiter ſolùm cenſentur ſeptem Horæ Canonicæ. Ergo &c. 10.

Quartò. Quia nocturnum officium dicitur paſſim in Iure, in Concilijs, apud Doctores Theologos & Canoniſtas, Matutinum, ſcilicet, quia coniungitur Laudibus, quæ mane recitari debent, quo poſito ſolùm ſunt ſeptem Horæ. Ergo &c. 11.

Quintò. Quia alioqui non tantùm erunt octo Horæ, vt doctores illi volunt, ſed decem, cùm Ius non vocet Vigiliam nocturnam, ſed in plurali Vigilias nocturnas, quæ olim , vt quidam volunt, diſtincto tempore dicebantur. 12.

Poſtremò, quia numero ſeptenario Horarum faciliùs aptantur myſteria, quæ doctores paſſim adferunt, de quibus cap. ſequenti.

Tertia & media ſententia eſt eorum qui fatentur quidem nunc ſolùm eſſe ſeptem precationes Canonicas, olim tamen, maximè apud Monachos, fuiſſe octo. Ita Ioannes Azorius tom. 11. Inſtit. Moral. lib. 10. c. 1. q. 2. & Turrecremata tract. 73. in Regulam D. Benedicti, & in c. *Presbyter* d. 91. qui expreſſè docet quòd ſecundum vſum antiquum Horæ ſint octo, ſed ſecundùm vſum communem vtræque Matutinæ, id eſt, Vigiliæ nocturnæ & Laudes iam ſimul dicuntur & computantur pro vna Hora. Idem tradit Hugo Victorinus li. 2. de Eccleſ. Offic. c. 2. 13. *Tertia & media tenet nunc quidem eſſe tantùm ſeptem horas, olim verò fuiſſe octo.*

Ratio huius eſt, eò quòd olim Nocturni non ſolùm temporis interuallo 14. *Ratio pro hac.*

Digitized by Google

latutinis Laudibus ſeparabantur, etiam proprio termino, id eſt, col-i, ſiue oratione, terminabantur, c verò ſaltem publicè in templis turni Matutinis laudibus tempore unguntur, & vnica & eadem ora-e concluduntur.

Concluſio. Simpliciter dicendum antùm eſſe ſeptem Horas Canoni-. Ita Marcellus Francolinus de pore Horarum Can. pluribus lo-, maximè cap. 6. num. 8. & 21. Et nciſcus Suarez lib. 4. de orat. cap. u. 6. & 11. vbi ſic habet ; „ Hæc oralia denominationem accipiunt frequentioribus, & magis com-unibus & publicis : ideo nunc ſim-iciter dicitur, totum Matutinum ſe vna Hora, & conſequenter eſſe ntùm ſeptem, quia in publicis offi-s ſemper & in priuatis frequentius a dicuntur.

Militant pro nobis omnia argu-nta allata pro 2. ſententia, & ratio uiter eſt, quia Hora Canonica vni-em, vel diuiſionem accipit, non à poris continuitate vel interruptio-ed à communibus terminis, quibus alis connexio ex Pſalmis, Hymnis teris concluditur. Sed preces, quæ ſmodi terminis includuntur, ſo-ſunt ſeptem. Ergo &c.

Minor propoſitio difficultatem non et, niſi in Nocturnis Vigiliis (nam eteris conſtat:) at illæ cum matu- laudibus eodem fine, & oratione minantur ; Ergo cum illis conſti-nt vnam Horam. Quod confirma- ex Caſſiano lib. 3. de Inſtit. Re-it, cap. 4. Vbi dicit Matutinam ſo-nitatem (Laudes nos vocamus) in entis partibus fuiſſe cum quotidia- vigiliis pariter conſummatam. Et alarius Fortunatus in prologo lib. ordine Antiphonarij, dicit ſe inter-aſſe Archidiaconum Romanæ Ec-æ, ſi aliquid Romani dicerent in-ter Nocturnale officium & Matuti-nale, & reſponſum eſt quod nihil, ſed continuò poſt Nocturnale dici, *Deus in Adiutorium &c.* Idem docet Hugo de S. Victore lib. 2. Eccl. offic. cap. 2.

18. *Soluitur obiectio de nocte Natalis Domini & priuata matutini ſeparatim à laudibus recitatione.*

Nec refert, quòd nocte Natalis Domini Miſſa mediæ noctis interponatur Nocturno officio & Laudibus: quia ſicut continuatio temporis non facit vnam Horam, ita nec interpoſitio duas præſertim cùm rationabili de cauſa Miſſa interponatur. Idem dicendum de priuata lectione Nocturni officij; quod licitè, vt paſſim cum Nauarro doctores tradunt, diuiditur tempore etiam tota nocte à Laudibus, quia interruptio illa non arguit diuerſitatem Horarum, ſed rectè oſtendit res valde eſſe diſſimiles. Magna enim diſtinctio eſt Laudum & Nocturnorum, ſi res ipſas ſpectes. Quod autem tunc oratione diei vel collectâ communi nocturnum officium finiatur, hoc fit, vt primæua illius officij & antiqua inſtitutio nobis repræſentetur, quod olim fortè communi collecta finiebatur, & conſtituebat Horam ſeparatam, non verò, vt iam, Horam octauam efficiat.

19. *Reſponſio ad primum argumentum.*

Ad primùm Argumentum contrariæ ſententiæ Reſpondeo, illud Pſaltæ Regij : *Septies in die &c.* poſſe non incommodè intelligi de die naturali cuius pars eſt etiam media nox, quamuis in c. *Preſbyter*, de Celeb. Miſſ. accipiatur pro die artificali. Imò alij doctores *ſepties* explicant ſæpius. Vide Euthymium in illum verſum.

20. *Ad ſecundum reſponſio.*

Ad 2. dico, locum 2. Eſdræ nihil vrgere, cùm non habeatur, quod quater nocte confitebantur Domino, ſed hæc ſint verba textus : *Legerunt in volumine legis Domini Dei ſui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum ſuum* ; vnde confeſſio illa laudis & Dei adoratio, fiebat de die, vt veriſimile eſt, poſt quamlibet diuinæ legis lectionem. Quod autem Beda lib. 3. in Eſdram

dram cap. 28. etiam nocti attribuat confeſsionem quadripartitam, hoc fit per piam aliquam accommodationem, ſiquis iam dicat viros Eccleſiaſticos quater nocte Domino confiteri, cùm tres Nocturnos cum Laudibus recitant, quæ ſunt quadripartitæ Dei confeſſiones.

21. *Ad tertium reſponſio.* Ad 3. fusè reſpondet Marcellus Francolinus ſuprà cap. 6. maximè n. 6. & ſequent. Breuiter dicendum eſt, verba illa c. *Presbyter*, non haberi in Concilio Agath. vt manifeſtum eſt, & fatentur omnes viri docti, ſed ſumpta eſſe ex cap. 16. regulæ D. Benedicti, quod adeò certum eſt, vt Gratianus in c. *Presbyter*, illis verbis; *Septies in die &c.*

22. *Apud Monachos olim erant octo horæ.* hæc præmittat; Ex regula D. Benedicti. Conſtat autem, olim apud Monachos fuiſſe octo Horas Canonicas, Nam vigilias diuiſim à Laudibus, quas Matutinas vocabant, canebant, vt colligitur ex Ioanne Turrecremata, tract. 73. in Reg. D. Benedicti, Radulpho Tungrenſi lib. de Canon. obſeruant. prop. 14. Hugone Victorino lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 1. & 9. in fine, vbi ſic ſcribit. *Officium nocturnale ſecundùm vſum Monachorum oratione, ſicut cetera, terminatur, in quo primariam ſeruare videntur inſtitutionē. Noſtra autem conſuetudo humanæ infirmitati parens & labori, officio prædicto Laudes Matutinas cōtinuat, & oratione vna duo claudit officia.*

23. *Altera reſponſio.* Reſpondeo deinde, Gregorium Nonum in cap. 1. de Celeb. Miſſarum non definire Vigilias Nocturnas eſſe iuxta morem Eccleſiæ Romanæ Horam diſtinctam à Matutinis Laudibus, ſed ſolùm oſtendere eſſe dicendas, ſiue ſint hora diſtincta, ſiue non.

24. *Acuta Francolini reſponſio.* Putat Francolinus in illo c. Officium Nocturnum bis poſitum, ſemel implicitè & confusè ſub nomine Horæ Matutinæ, quæ denominationem accipit à ſui complemento; mane enim, id eſt in aurora Laudes, & Matutinum officium completur; & ſemel expreſsè ſiue diſtinctè, dum dicitur: Nam de Vigilijs Nocturnis idem Propheta dicit: *Media nocte ſurgebam, &c.* Lector arbitretur.

24. *Reſponſio ad quartum.* Ad 4. reſpondeo, æris campani pulſum non fieri, vt diſtinguantur Laudes à Nocturno officio tanquam diſtincta Hora, ſed ad maiorem ſolemnitatem hymnodiæ *Te Deum &c.* ſicut ſolet idem pulſus adhiberi, dum tempore Liturgię cãtatur Sequentia: Hymnum verò illum pertinere ad officium Nocturnum, notum eſt ex Breuiarijs. Nec refert quod c. *Conſilium* in fine de Celeb. Miſſ. dicatur, *Te Deum &c.* dici vel omitti in Matutinis laudibus, quia Laudes Matutinæ ibi accipiuntur pro toto officio compoſito ex Nocturno, & Matutino laudum, in cuius parte hymnus ille dicitur. Quòd verò Laudes inchoentur à communi verſu: *Deus in adiutorium &c.* & pſalmis, hymnis, & alijs conſtent vt ceteræ Horæ, diſtinctionem Horarum non indicat: quia nondum eſt diſtincta hora, donec accipiat ſuum complementum, & perfectionem quæ à fine ſiue communi collecta dependet, ab eo enim ſumenda eſt horarum diuerſitas, non à principio, vel etiam temporis interuallo.

26. *Cur nocte Natalis Domini ſeparentur Nocturni à Laudibus.* In nocte autem Natalis Chriſti repræſentat nobis Eccleſia, vt iam dictum eſt, primæuam Horarum inſtitutionem; ideoque Nocturnum officium concludit collecta diei, non quòd inſinuare velit, eſſe nunc reipſa diſtinctam Horam. Ratio autem ſeparationis à Laudibus eſt, quòd S. Teleſphorus decreuerit tunc Miſſam fieri de nocte, vt patet c. *Nocte*, de conſecrat. d. 1. Vnde neceſſarium erat, vt ſtatim poſt Nocturnos Miſſa celebraretur ante Laudes, quia aliàs pertinuiſſe cenſeretur non ad noctem, ſed ad diem. Laudes enim ſunt, & dicuntur officium diurnum, non nocturnum; vt patet cap. 1. de Celeb. Miſſarum, & ex

Digitized by Google

Caſſiano lib. 3. de Inſtit. Monach. cap. 3. Deinde tempus Laudum nimiùm præuerteretur, ſi ante mediam noctem, vel paulò pòſt illam dicerentur.

27. *Reſponſio ad vltimum.* Ad poſtremum reſpondeo. Omnia ferè myſteria, quæ repræſentantur per Officium nocturnum ſeparatum, poſſe etiam per idem ſignificari coniunctum cum Laudibus, cùm prior illius pars dicatur in nocte, poſterior in aurora. Certum eſt autem opus creationis conſummatum ſeptem diebus, & plurima alia non poſſe per illud aptè referri ſi ponamus octo horas Canonicas.

CAPVT XVIII.

Cur Eccleſia non omnibus, ſed certis tantùm horis, ijſque ſeptem orationi vacet.

1. TRia petit Epigraphe quæſtionis; Primum, cur quibuſdam tantùm, non omnibus horis Eccleſia Deum precetur; 2. Cur quibuſdam certis & deſignatis; 3. Cur ſeptenario orationes ſuas numero contineri voluerit. Ad hæc tribus propoſitionibus reſpondeo.

2. *Prima propoſitio Humana infirmitas cauſa eſt, cur quibuſdam tantùm horis Eccleſia oret.* Prima propoſitio, Corporis humani infirmitas Eccleſiam impulit, vt quibuſdam tantùm horis Deum per ſuos miniſtros laudet, non verò omnibus. Ita Turrecremata tract. 73. in Regul. D. Benedicti.

3. *Rationes, cur Eccleſia aſſignauit certa orandi tempora.* Vbi obſerua primò Eccleſiam debuiſſe definire ſuis miniſtris certa Deum laudandi, & orandi tempora, quandoquidem, vt bene aduertit Nauarrus in Enchir. de Horis Can. c. 3. n. 5. ea nec ex iure Naturæ, nec diuino poſitiuo fuerant determinata. Turpe enim fuiſſet, omnia ferè humana negotia ſtatutis tempeſtatibus circumſcribi, iuxta illud Eccleſ. c. 3. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo*; Orationem verò, Deique laudem, functiones homine Chriſtiano digniſſimas, planeque eximias, indeterminatas relinqui. Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 1. dicit Eccleſiam deſignaſſe certa precum tempora; tum vt ordo ſeruetur, & perpetuitas, tum quia vt populus conueniat, horam præſciat, neceſſe eſt. Addit Peltanus lib. 3. de Orat. c. 8. vbi nulla ſunt negotijs attributa tempora, ea plerumque in longum differri, & tandem negligi.

4. *Eccleſia ſtatis horis orans implet Domini præceptum Oportet ſemper orare.* Obſerua ſecundò, Eccleſiam ſtatis illis & ſolemnibus horis orationi & diuinis laudibus vacando, implere ad verbum præceptum Domini, Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Itemque illud Apoſtoli, 1. ad Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate*, vt explicat S. Auguſtinus lib. de hæreſibus, ad Quodvultdeum, Hæreſi 57. & in Epiſt. 121. ad Probam, (quæ eſt de orando Deum) cap. 9. Beda, & Gloſſa Ordinaria in cap. 18. Lucæ. Anſelmus, & Gloſſa interlinealis in 1. ad Theſ. c. 5. Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum c. 61. D. Thomas. 2. 2. q. 183. art. 14. in corpore, & reſponſione ad 4. & alij plures.

5. *Cauſa inſtitutionis diuini officij quinque ſumptæ ex Bonauentura.* Obſerua tertiò, S. Bonauenturam libello de ſex alis Seraphim cap. 8. pulchrè explicare quomodo Spiritus Sanctus inſpirauerit Eccleſiæ, vt diuinum officium peragerет, idque quinque de cauſis, quas diductiùs hic propono.

6. *Prima vt Eccleſia militans triumphantem imitetur.* Prima eſt, vt Eccleſia hæc inferior & bellatrix ſuperiorem illam & triumphatricem, quoad poteſt, proximè aſſequatur, vt ſicut Beati Chriſto Domino, quem in ſua maieſtate perſpicuè intuentur, perpetuum Pæana, & Epinicion concinunt, ſic etiam Mortales eidem, quem in Sacra Euchariſtia ſub ſacramentalibus inuolucris adeſſe credunt, ſeptenis ſaltem horis ſacris Odis, & carminibus

nibus

Digitized by Google

nibus celebrent. Sed de hac re plura alibi.

7\. *Secunda, vt iugis beneficiorum Dei memoria in nobis perſeueret.*

Altera ratio eſt, vt iugis Dei, eiuſque beneficiorum memoria, & gratiarum actio in mentibus noſtris perſeueret, iuxta illud Pſalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.* Et Pſalm. 145. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero.* Item illud Iſa. 63. *Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſrael quæ largitus eſt eis, ſecundum indulgentiam ſuam & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.* Vbi Propheta exemplo ſuo nos prouocat ad recolendum Dei beneficia noua & antiqua, ſpiritualia & corporalia, communia & ſingularia vt nulla ex animo noſtro ea deleat obliuio, nec lingua noſtra vnquam ea commemorando conticeſcat: præſertim verò miſericordiam eius, ex qua tamquam ex primo fonte omnia in nos nihil tale promeritos redundarunt. Facit hoc Eccleſia per eos, quos ſegregauit in miniſterium Domini, qui prophetant (id eſt, Deum laudibus efferunt) ſecundùm numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes, 1. Paralip. 25.

8\. *Tertia cauſa, vt deuotionis feruor ſopitus accendatur.*

Tertia cauſa eſt, vt ſopitum interdum deuotionis ignem varijs caducæ huius vitæ neceſſitatibus & occupationibus accendamus, & precationum, vt ſic loquar, flabellis torpentem diuini amoris flammam maioribus incrementis excitemus. Scitum eſt illud priſcæ legis, Leuit. 6. v. 12. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies*, & v. 13. *Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Ignis ille ſacer eſt deuotionis feruor, qui, ne extinguatur, ſubiectis precum alimentis fouendus eſt. Celebranda eſt Dei miniſtris perpetua quædam xylophoria, de quo feſto ſic loquitur Ioſephus libro 2. de Bello capite 17. Mos, inquit, erat Hebræis adueniente feſtiuitate, quæ xylophoria (id eſt lignationis vel materiæ comportationis) dicitur, grandem lignorum ſtruē conuehere ad templum, quatenus numquam ignis deficeret eſca. Semper enim inextinguibilis perſeuerat. Pſalmi, Hymni, Cantica ſpiritualia, quæ Deo cantantur in cordibus, ſunt pabulum & aptiſſimum nutrimentum huius ignis & ſacratioris flammæ. Rectè etiam oratio continua funditur ad Dominum, tum vt egeſtatem & ærumnas, quibus vndique obſerimur, & obſidemur, ſubleuet; tum vt Fidem & Religionem, quæ ſine ipſius ſubſidio in nobis collabaſcunt, conſeruet & augeat.

9\. *Quodnam fuerit apud Hebræos feſtum xylophoriæ; & quid myſticè illud ſignificet.*

10\. *Semper homo indiget Dei auxilio, vnde & aſſiduè orandum.*

Pulchrè enim S. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem aduerſus Pelagium & Pelagianos ſcribens, circa medium hæc inſit: „Non mihi ſufficit quod ſemel donauit, „ niſi ſemper donauerit. Peto, vt acci- „ piam, & cùm accepero, rurſus peto, Auarus ſum ad accipienda beneficia „ Dei, nec ille deficit in dando, nec „ ego ſatior in accipiendo. Quantò „ plùs bibero, tantò plus ſitio. Legi e- „ nim à Pſalmiſta cantari, Guſtate & „ videte quoniam ſuauis eſt Dominus. „ Omne quod habemus bonum, gu- „ ſtus eſt Domini; cùm me putauero „ ad calcem perueniſſe virtutum, tunc „ habebo principium. Hæc hominibus „ ſola perfectio, ſi ſe imperfectos eſſe „ nouerint. Hæc ille & plura alia. Vnde quotidie Dei auxilium poſtulamus, & quotidie ſepties, quia ſemper illo egemus.

11\. *Quarta cauſa, vt rudiores Clericorum exemplo ad*

Quarta cauſa eſt, vt populus Chriſtianus, in quo multi rerum ſpiritualium rudes reperiuntur, & parùm orationi aſſuefacti, clericorum laudabili conſuetudine ſtatis temporibus precandi, tanquam eſca ad idem ſtudium alliciatur, ſaltem horis illis, quibus in

orandum moueantur. ædibus ſacris pſalmodia reſonat; & faſtidio non afficiatur Deum laudandi, dum Eccleſiæ miniſtros coram ſe in templis diuinis myſterijs inſtare conſpicit. Hic locum habet vulgatum dictum Innocentij in capitulo 1. de Celebr. Miſſarum, quod paſſim recipiunt Doctores, dum ait, horas competentes ad pſallendum credimus illas, quibus meliùs creditur populum acceſſurum ad officium audiendum. Vnde Clerus hac in parte ſe populo accommodare poteſt, & debet, vt nempe illis horis diuina in templis celebret, quibus putat populum frequentiorem adfuturum: quod cum Francolino cap. 24. de temp. Horarum Canonicarum n. 8. limita, ſi nimirum conuenire ſolet, intra latitudinem ſtatutæ horæ; alioqui ſi multum à tempore debito & iure ſtatuto aberraret, non ſequendus, ſed inſtruendus eſſet.

12. *Officium diuinum ordinariè celebrandum horis, quibus populus frequentior adeſſe ſolet.*

13. *Exemplum ſacerdotum plebs ſequitur.*

Exemplum Sacerdotum ferè plebs imitari ſolet, vt probat S. Bonauentura ex cap. 1. Lucæ. vbi cùm ingreſſus eſſet Zacharias templum Domini, vt incenſum poneret, omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi. Neſcit enim plebs fidelis ſtudio orationis laſſari, cùm Sacerdotes Domini videt alacriter diuinis laudibus inſudare.

14. *Poſtrema cauſa, quia pertinet hoc ad decus Eccleſiæ.*

Poſtrema cauſa redditur, eò quòd ſtata ſacrorum officiorum tempora magnum decus Catholicæ Eccleſiæ pariunt. Si enim non ſolùm olim Romani & Græci, ſed etiam gentes immanitate barbaræ lucos ſuos, & fana, certis horis petere aſſolent, vt ſuperſtitioſa ſua peragant miniſteria; ſi Hebræi, antiquâ lege durante, manè & veſperi ſacris à Deo inſtitutis operam dabant, & Leuitæ morabantur in exedris, vt dicitur 1. Paralip. 9. quo die ac nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent; quomodo non magis Eccleſia Dei viuentis, cuius typum vetuſtæ illæ Hebræorum cerimoniæ gerebant, liturgos ſuos habere debebit, qui diebus ſingulis, ſigno dato, officium ſuum ſolemni ritu obeant, & hymnos decantent? Quid ni enim pſaltæ noſtri, quo poſſunt apparatu, Dei ſacris incumbant, & quantum vires ferunt, Dei nomen Sole oriente, euehant, meridie celebrent, veſperi deprædicent? cùm beneficentiæ ipſius contiuuò in nos flumina depluant, & gloria ipſius maieſtaſque omnia laudum noſtrarum encomia excedat Siracide aſſerente, *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis: ſuperabit enim adhuc, admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum & enarrabit? & quis magnificabit eum, ſicut eſt ab initio?* *Eccli. 43.*

15. *Secunda propoſitio. Certa excerptæ ſunt horæ Pſalmodiæ celebrandæ.*

Secunda propoſitio. Ex omnibus diei horis excerptæ quædam ſunt, quibus in ſortem Domini Vocati, ſacræ hymnodiæ inſiſtunt. Rectè enim dicit Hieronymus Epiſt. 22. Quanquam Apoſtolus orare nos ſemper iubeat, & Sanctis etiam ipſe ſomnus ſit oratio, tamē diuiſas orandi horas debemus habere vt ſi fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat. Sunt autem horæ notæ: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, Completorium.

16. *Rationes aſſignantur tres à Turrecremata.*

Perpendendæ hic rationes, quas Doctores huius rei adferunt, inter quos Cardinalis à Turrecremata tract. 73. in cap. 18. Reg. D. Benedicti tres adfert.

17. *Prima ratio, quia ſancti viri has frequentarūt.*

Prima eſt, quia ſanctitate non vulgari viri leguntur ſpeciatim hiſce horis in vota preceſque ſe dediſſe, vt S. Dauid Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam, &c.* Et, *Septies in die &c.* Et Pſal. 54. *Veſperè & manè, & meridie narrabo &c.*

Daniel

Digitized by Google

[illegible] Ne quis autem Cacozeliæ arguat, audiat D. Leonem ſerm. 7. de Ieiunio VII. menſis: Apo- „ ſtolica (inquit) inſtitutio, quæ Dominum IESVM Chriſtum ad hoc veniſſe „ in mundum nouerat, vt legem non „ ſolueret, ita veteris teſtamenti Sacra- „ mẽta diſtinxit, vt quædam ex ijs, ſic- „ ut erant, conditæ Euangelicæ eru- „ ditioni profutura decerperet, & quæ „ dudum fuerant conſuetudinis Iu- „ daicæ, fierent obſeruantiæ Chriſtia- „ næ; Quamuis enim varietates ho- „ ſtiarum, differentiæ baptiſmatum & „ otia ſabbathorum, cum ipſa carnis „ circumciſione ceſſauerint, manẽt ta- „ men ex ipſis voluminibus, & apud „ nos præcepta plurima moralia. Hæc D. Leo. Vnde & Apoſtoli antiquum certis horis orandi ritum retinuerunt ex Hebræorum hauſtum fontibus, & Eccleſiæ tradiderunt. Actorum 3. *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*, & cap. 10. *Aſcendit Petrus in ſuperiora vt oraret, circa horam ſextam.* Rurſus capit. 16. *Paulus & Silas media nocte orantes laudabant Deum.*

18. *Non poteſt Eccleſia Catholica argui Cacozelia, quod hac in re Iudæos ſequatur.*

19. *Altera ratio, quia horæ iſtæ deputatæ ſunt operarijs laborantibus in vinea.*

Altera eſt, quia horæ iſtæ, quibus per diem Eccleſia preces offert Deo, leguntur in Euangelio Matth. 20. deputatæ operariis diurnis. Sunt autem ſex. Primum manè, Tertia, Sexta, Nona, Vndecima id eſt hora Veſperarum, & Serò, id eſt Completorium. Vide Caſſianum lib. 3. de Inſtit. Cœnob. cap. 3. Deſcribitur verò horis diei tempus vitæ actiuæ, de quo dicitur Pſal. 103. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Quia verò opus vitæ contemplatiuæ, non ſolùm diei, ſed etiam nocti conuenit; additum fuit horis diurnis officium nocturnum meditationi aptum, vt ſignificat Propheta Pſal. 76. *Et meditatus* [illegible] *mane*, quæ lucta, teſte D. Gregorio Homil. 14. in Ezech. ſignificat contemplationem. Pſaltes ad vtriuſque vitæ functiones per diem & noctem exercendas alludit Pſalm. 41. *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.* q. d. dies conſtitutus eſt à Deo, vt beneficentiæ opera, quæ præcepit, afflictis exhibeantur; Nox verò, vt gratiæ illi & cantica reddantur. Dixi illum alludere, quia alius eſt ſenſus γνήσιος & genuinus, quem vide apud Interpretes.

20. *Horæ diurnæ conueniunt actioni, nocturnæ contemplationi.*

Tertia ratio eſt, quia horæ iſtæ notatæ ſunt inſignibus redemptionis noſtræ myſterijs. Vnde meritò celebrandæ, vt eorũ memoria in nobis ſæpius in die renouetur, & diuinus amor recalẽſcat. Hanc paſſim reddunt patres. Cyprianus, Athanaſius, Baſilius & alij, & nos de illis pro rei opportunitate agemus.

21. *Tertia ratio, quia horæ iſtæ inſignitæ ſunt præcipuis Redemptionis noſtræ myſterijs.*

Non eſt hîc omittenda ratio quam aſſignat Cyprianus lib. de Orat. Dom. in fine, vt ſacramentum nunquam ſatis venerandæ Trinitatis, tertiâ qualibet hora collaudemus. Siquidem prima in tertiam deducta in die primum efficit ternarium, ſimiliter quarta in ſextam decurrens ſecundum, Septima in nonam pertingens tertium; decima in duodecimam ſe extendẽs quartum. Adde his quatuor noctis vigilias quamque in horarum ternarios per tertiam, ſextam, nonam, duodecimam diuiſam, quibus olim tres Nocturni cum Laudibus ſeparatim canebantur, vt quidam volunt.

22. *S. Cyprian. docet SS. Trinitatis myſterium tertiâ quaque horâ celebrari.*

Tertia propoſitio. Myſteria plurima, quæ numero ſeptenario continentur, præter alia, in cauſa fuerunt, cur Eccleſiæ placuerit horarum hebdomas.

23. *Tertia propoſitio. Myſteria ſeptenarij cauſa, cur Eccleſia 7. horas colat.*

Primum, inter ea occurrit mundi Geneſis. Creauit enim Deus hunc mundum, perfecit, & ornauit diebus

ſex:

maculas. Confule Durantum de Ritibus lib. 3. cap. 3.

Nonum, Leuitici 14. leproſus ſepties aſpergebatur: Item 4. Reg. 5. Naaman leproſus ſepties ſe lauat in Iordane. Ita diebus ſingulis à maculis abluimur, ſi lachrymarum aſpergine perfuſi, vt olim Sancti Dominicus, Ignatius, penſum cathemerinon perſoluimus. Sic Thomas Waldenſ. lib. 3. Doctrin. fidei titu. 3. cap. 22.

Decimum, Apocal. 1. recenſentur ſeptem Candelabra aurea, & cap. 4. mentio fit ſeptem Lampadum ante thronum Dei: Exodi item 25. ſeptem Lucernarum. Rectè autem his portendi dicemus feruorem Sanctorum qui ante thronum Dei lucent & ardent, dum ex flammeo pectore, & accenſo ore in cœlum orationes canonicas cuibrant. De quibus inferiùs ſuis locis.

Vndecimum, A ſeptem tribulationibus iugiter liberamur, iuxta illud Iob cap. 5. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* De quibus D. Bernardus Ser. de iiſdem: „Sex, inquit, tribulationes tibi ſunt „contra deſideria cordis, & quinquepertitam ſenſualitatis corporeæ voluptatem. Sed in his ſex liberaberis „à ſeptima, non quidem ne veniat, ſed „ne lædat, ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors, ipſa enim eſt ſeptima tribulatio, ſed ſomnus erit dilectis Domini. Æquum eſt „igitur vt ſepties in die liberatori noſtro gratias canamus. Ita Iacobus de Aluarez de Paz tom. 3. de Orat. lib. 1. p. 2. cap. 2.

Duodecimum, Septenarius eſt numerus perfectionis, ſignificatque in ſacris literis multitudinem fortè propter ſeptimanam recurrentium in ſe dierum. Eſt item ſacer propter ſabbathum requietis Dei condito orbe, & perfectionem præſentis & expectatæ vitæ incitentur, oſtendantque proficiendi deſiderium, ſepties quotidie preces ingeminant, quamdiu ſcilicet hebdomadarum reuolutio vitam ipſorum metitur.

37. Decimumtertium Ludouicus de Ponte tom. 4. de perfect. Chriſt. tract. 3. cap. 1. §. 2 cum oſtendiſſet ex D. Chryſoſtomo lib. 1. de orando Deo, orationem ſimilem Soli, confert ſeptem partes diuini officij cum Septem Planetis, quia nempe per eos lucis, caloris, vitæque ſpiritualis influxus, in Eccleſiam deſcendit. *13. Septem Planetæ.*

38. Multa occultiora ſeptenarij ſymbola lector paſſim in ſacris ſcripturis inuenit, quæ ſeptem precationibus horarijs bellè quadrant. Adeat, ſi placet, Ioannem Stephanum Durantum lib. 3. de Ritibus cap. 3. num. 3 qui plures auctores Græcos & Latinos pro laudibus ſeptenarij profert. *Plurima ſeptenarij myſteria.*

39. Poſtremum, & omnium præcipuum inculcatum à SS. Patribus, Athanaſio, Baſilio, Caſſiano, eſt magnum redemptionis noſtræ per Ieſum Chriſtum myſterium ſeptem horis peractum, quibus Incarnationis eius, Natiuitatis, Vitæ, Reſurrectionis, & maximè Cruciatus, & Mortis arcana ſacramenta commemorantur, quæ hîc breuiter perſtringimus. Seruator itaque noſter priùs nocte incarnatus, natus, orauit ſæpiùs pernoctans. Prima noctis vigilia à Iudæis comprehenſus, contumelias, & dolores poſtea ſuſtinuit, ſub auroram cruciatus inchoatos continuauit, poſtea tertia die reſurrexit, poſt ortum ſolis Pilato oblatus, flagellatus, vepribus compunctus, irriſionibus & ſannis oneratus, ſputiſque oblitus. Hora Tertia ad crucem damnatus; Sexta in eandem actus, Nona ſpiritum in manus Patris reſignauit, *Poſtremum magnum humanæ redemptionis myſterium 7. horis peractum.*

nauit. Veſpertina cùm pridie myſteria cœnæ peregiſſet, poſtridie de cruce refixus eſt, & ſub Completorium ſepulchro mandatus.

40. *Verſus, quibus myſteria paſſionis horis canonicis aptantur.*

Sufficiat hîc memoriæ causâ adnotaſſe verſus relatos à Gloſſa poſtrema in c. 1. de Celeb. Miſſar. quibus comprehenduntur paſſionis Domini præcipua capita.

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat,
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus eius Nona bipertit,
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

41. Thom. à Kempis concione 27. n. 8. tom. 2. piè oſtendit, Chriſtum in paſſione ſua compleuiſſe ſeptem Horas Canonicas, non canendo, ſed patiendo. Addo ego, ſeptem poſtrema eius concepta verba non malè poſſe referri ad publicas Eccleſiæ preces repræſẽtãdas.

42. *Horæ S. Crucis accuratiùs deſcribunt hæc myſteria.*

Verum myſteria ſingula Chriſti perpeſſionis accuratiùs deſcribuntur in paruis Horis S. Crucis, prout habentur in Officio Romano B. Virginis, quas recitantibus dedit Ioannes XXII. quadraginta dies Indulgentiarum ſingulis diebus, vt præter Summiſtas v. *Horæ Canonicæ* refert S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 4. initio.

43. *Alij verſus de iiſdem.*

Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Antonius de Butrio, & alij doctores in idem capitulum, proferunt alios verſus minùs tamen probatos & veros, quàm ſuperiores, ſunt autem hi:

In matutino damnatur tempore Chriſtus,
Quando reſurrexit, primam canit ordo fidelis.
Tertia cùm canitur, tunc eſt cruciamina paſſus.
Sexta ſunt tenebræ per mundi climata factæ;
Emiſſus nona diuinus ſpiritus hora.
Veſpere clauduntur Chriſti ſacra membra ſepulchro.
Chriſto biſſena cuſtodia ponitur hora.

44. *Miraculum de apibus ſepties per diem murmure ſuo Deum laudantibus.*

Sed iam finis ſit; ſi tamen priùs narrauerò hiſtoriam de apibus ſepties de die Deum murmure ſuo venerantibus, quam deſcribit Thomas Cantipratanus l. 2. mirac. memorab. cap. 40. n. 1. Sic ſe res habet.

„ Narrante, inquit, mihi viro ſancto
„ Abbate quodam audiui, quondam
„ hominem pauperem in ſuburbio
„ ciuitatis cuiuſdam aluearium apum
„ habuiſſe maximum. Cumque fre-
„ quentiùs pauper apes ſollicitus viſi-
„ taret, primùm animaduertit eas
„ ſæpiùs in die mira alacritate conci-
„ nere, & poſtea cùm curioſiùs inda-
„ garet, ſepties interpolare concentus,
„ nec vllis conuehendis cibis operam
„ dare. Nec diu poſt hæc, cùm caſu
„ nocte media ſurrexiſſet, videt ſuper
„ apes totum aërem illuſtrari, & contra
„ conſuetudinem omnium apum, ſuas
„ in nocte cantibus modulandis in-
„ ſiſtere. Stupefactus ergo, & rem
„ frequentiùs probans, ad ciuitatis
„ Epiſcopum, cum presbytero ſuo
„ venit; narrat de apibus quid agatur.
„ Nec mora; præſul per ſe veritatem
„ rei explorans, rem, vt dictum fuerat,
„ ſe habere reperit: communicato ergo
„ conſilio cum probis viris, & euocato
„ populo ciuitatis, quid in alueari ſit
„ aggreditur experiri. Et aperto aluea-
„ rio, inuenit in modum pyxidis ebur-
„ neæ vaſculũ ex cera candidiſſima in
„ eius faſtigio, & in eo Corporis Chri-
„ ſti Sacramentum; circa ipſum verò
„ apum choros in modum phalangum
„ cæleſtium excubias celebrantes. Sub-
„ lato igitur valido clamore, cum la-
„ crymis Corpus Chriſti in Eccleſiam
„ detulerunt, & in loco vbi inuentum
„ fuit, in remedium innumerabilium
„ languentium oratorium conſtruxe-
„ runt. Cùm verò res geſta vbique
„ terrarum famâ celebri vulgaretur,
„ duo fures rei perterriti nouitate
„ ſponte confeſſi ſunt ſe in vicina Ec-
„ cleſia Corpus Chriſti cum pyxide
„ argentea rapuiſſe, & retenta pyxide
„ Sacramentum Corporis Chriſti ſub
„ alueare dictum in fuga celeri proie-
ciſſe

Digitized by Google

„ viuus qui de cælo deſcendit. Hęc ille.

Diſce hinc, ô Chriſti myſta, ex mutis, & rationis expertibus animantibus ſepties die & nocte Chriſto Domino in Venerabili Euchariſtia laudem reuerenter cóncinere.

Goropius Becanus lib. 8. Hieroglyph. & ex eo Lorinus in illud Pſalmi 118. *Septies in die laudem &c.* tradunt Alaudam quotidie ſepties in altum euolare, quo hymnos cantet ſuo Creatori. Ad deſignandum hoc, pingebant Ægyptij in tabella caput Alaudæ ſepties. Dicitur Alauda Flandricè **Leeuwerck** / quaſi dicas, vitæ opus vel officium. Cùm ergo præcipuum Alaudæ munus nullum aliud commemoretur, quàm quòd ſepties in die Deum laudet: rectè hinc colligimus, maiores noſtros per hoc indicaſſe Deum aſſiduè laudare, eſſe ipſiſſimum vitæ noſtræ opus, vnde & Alauda dicitur à veteribus ipſa terra antiquior, quia diuina laus ipſius terræ creationem tempore antecedit. Hæc & plura alia Goropius vbi etiam piè admodum hominem monet, vt exemplo Alaudæ terrenis relictis ſe in cœlum fidei alis vibret, exemplo huius volucris quæ exiguum & quaſi raptim pabulum è terra capit.

S. etiam Magdalena pœnitens in ſua Bauma ſepties per diem in ſublime elata ab Angelis, cælites Deum laudantes audiuit.

CAPVT XIX.

Diuiſio Horarum Canonicarum in Nocturnas & Diurnas, Matutinas item & Veſpertinas.

Conſtat in primis diuidi in Iure pontificio officium diuinum in

Dolentes, de Celeb. Miſſar. & Clement. 1. eodem. In Clementina ſic ſancitur. *Sancimus vt in alijs* (Eccleſijs) *conuenienter & debitè celebretur diuinum officium diurnum & nocturnum.* Idem præcipitur c. Dolentes. Rurſus c. Presbyter, eodem, quod ijſdem omnino verbis habetur in c. Presbyter, d. 91. implicitè eadem diſtinctio inſinuatur. *nocturnum & diurnum.*

In eodem iure diuiditur officium 2.
diuinum in Matutinum & Veſpertinum. Patet c. Placuit, finali, d. 12. vbi ſic legitur: *Placuit omnibus communi conſenſu, vt vnus atque idem pſallendi ordo in matutinis vel veſpertinis officijs teneatur.* Similia habentur c. vltimo, Si quis presbyter, *Item in Matutinum & Veſpertinum.*

d. 92. His poſitis, nihilominus dicen- 3.
dum eſt ſimpliciter loquendo, omnes ſeptem Horas Can. eſſe diurnas. Probatur ex c. Presbyter, de Celeb. Miſſ. & c. Presbyter, d. 91. allatis, vbi omnes ſeptem Horæ Canonicæ aſſignantur diei artificiali. *Loquendo abſolutè omnes Horæ Canonicæ ſunt diurnæ.*

Docet hoc expreſsè clariſſimus au- 4.
ctor Marcellus Francolinus de temp. Hor. Can. capite 6. maximè n. 35. Et certè ſolùm dubiũ eſſe poteſt de Hora Matutina. Illa verò etiam meliùs dicitur eſſe diurna, tum quia ratio nominis hoc inſinuat: matutinum enim dicitur à Matuta, id eſt aurora: aurora autem eſt diei initium: tum quia vnaquæque Hora denominationem accipit a fine, qui illam complet, vt ſuprà dictum: ſed finis officij matutini ſunt Laudes, quæ initio diei in ipſo auroræ exortu decantantur. Ergo ab illis accipiet denominationem, diceturque Hora diurna. *Etiam hora matutina diurna eſt.*

Sunt tamen quædam hic notanda.
Primum, poſſe etiam non incommo- 5.
dè Horam Matutinam appellari nocturnam, cùm enim tempus matutinum ſit medium inter noctis tenebras & diei lucem (eſt enim ipſum crepuſculum cùm crepera, id eſt dubia ad- *Poteſt matutina etiam dici hora nocturna.*

huc lux eſt) medium autem particeps ſit vtriuſque extremi, matutina hora aſſcribetur tam nocti quàm diei, vocabiturque & nocturna, & diurna.

6. Alterum eſt cùm in c. 1. de Celeb. Miſſ. & c. Presbyter, d. 91. ſolùm nocti aſſignentur vigiliæ nocturnæ, enumeratis ante ſeptem horis diurnis etiam Matutina, manifeſtè indicant tantum eſſe ſeptem Horas Can. vt ante probatum eſt, & omnes diurnas. Nam ſi nocturnum officium Horam per ſe eſſe dicamus, ſequetur iam decem eſſe Horas Canonicas cùm ius vocet in plurali vigilias, propter tres nocturnos, vt plerique doctores in illa capitula commentantes explicant, Turrecremata, Zarabella & alij. Vigiliæ autem illæ ſeparatæ à Laudibus vocari per ſe quidem poſſunt officium, vel pars officij, non verò Hora Canonica cùm careant Horæ termino & perfectione, vt ſuprà vidimus. Ex quo collige, his non repugnare c. Dolentes, de Celeb. Miſſ. & Clement. 1. eodẽ. Vbi ſolùm diſtinguitur officium diuinum in nocturnum & diurnum, ſine horarum diſtinctione. Nam dici poteſt Vigilias nocturnas ſeparatas à laudibus eſſe officium diurnum: niſi dicere malis Matutinum, etiam adiunctis Laudibus, officium eſſe nocturnum, reliquas verò ſex Horas eſſe diurnum.

7. *Variæ opiniones doctorum circa diuiſionem officij in nocturnum & diurnum.* Vnde certum eſſe erraſſe quoſdam Doctores Canonum, qui ſub officio nocturno ponunt Vigilias Nocturnas, Laudes, Matutinas, & Completorium. Ita Archidiac. Innocen. Hoſtienſ. & alij; reliquas verò quinque ſub diurno. Longiùs à vero etiam abiere qui tres vigilias nocturnas numerant, Matutinum, Primam, Completorium, vt Panormitanus & alij in c. 1. de Celeb. Miſ. & Roſella V. Hora §. 13. longiſſimè, qui vigiliarum nomine intelligunt omnes horas; quia illis inuigilandum eſt, quando canuntur.

Debent tamen in ſenſum commodum trahi verba Amalarij Fort. lib. 4. de Eccleſ. Offic. cap. 7. vbi docet, quatuor eſſe vigilias noctis, Veſpertinum officium, Completorium, Nocturnum, & Matutinum: quod etiam poſtea ſcripſit Victor Giſelinus annotat. in Prudent. hym. 1. Cathem. Dicendum enim eſt, hoc intilligi per quandam accommodationem: quia videlicet quatuor illæ horæ nobis referunt quatuor illa tempora, quibus olim Hæbræi in veteri lege nocturnis vigilijs Deum laudabant, & inſinuat Ven. Beda in cap. 9. lib. 2. Eſdræ.

Solùm ſupereſt hîc difficultas, quomodo Matutinum annumeretur horis diurnis, cùm hinc ſequi videatur, horam, quam Primam dicimus, non fore Primam diei horam, ſed ſecundam, cùm ante ipſam præcedat Matutinum, quæ prima diurna eſt hora. Sed facilis eſt huius ſolutio. 9. *Soluitur obiectio de hora matutina poſita inter diurnas.*

10. Dicendum enim Horam Can. quam vocamus Primam, verè eſſe primam ſi diem auſpicemur à ſolis ingreſſu in circulum finitorem. Prima enim cantanda ſole exorto. Si verò initium diei artificialis ponamus crepuſculum Matutinum, cùm cœlum purpuraſcit; tunc Matutinum eſt prima hora diurna, & Prima ſecunda eiuſdem diei hora. Verùm in officio Eccleſiæ vocatur Prima ab orto lucis ſidere, vt habet hymnus illius horæ.

11. *Quæ horæ matutinæ, quæ veſpertinæ.* Poſtremò nomine officij Matutini amplè ſumpti comprehenduntur in Iure non ſolùm Nocturni & Laudes, ſed etiam Prima, Tertia, & Sexta; Veſpertini verò nomine Nona, Veſperæ & Completorium. Ita Gloſſa in c. Si quis presbyter, fin. de 91. & alij: Et ratio eſt, quia illæ horæ priores dici ſolent manè ſiue ante meridiem, reliquæ verò veſperi, id eſt, poſt meridiem. Hæc enim ex communi vſu eadem ſunt.

CA-

Digitized by Google

De Nocturnis Vigilijs ſiue Officio Nocturno.

IN confeſſo eſt, à temporibus Apoſtolorum vigilias noctis in Eccleſiam introductas maximis & pluribus de cauſis.

Primò, exemplo & adhortatione Chriſti, qui & ipſe crebrò in oratione pernoctauit Matth. 14. Mar. 6. Lucæ. 6. & 21. & vigilandum in oratione ſæpiſſimè docuit, Matth. 24. 25. 26. Mar. 13. Luc. 11. & 12. Ita vt viri quidam eruditi, quos refert Francolinus de Temp. Hor. Can. cap. 1. obſeruarint, vltimum verbum, quo ſuos diſcipulos allocutus eſt antequam pateretur, fuiſſe: *Vigilate.*

Deinde noſtris etiam pernoctationibus præiuerat Pſaltes Regius, tum alibi ſæpè, tum Pſal. 118. *Media nocte ſurgebam &c.* Paulus item & Silas Actor. 16. *Media nocte orantes & laudantes Deum*, quod vtrumque ipſamet Eccleſia profitetur hymno quodam nocturno, in quo ita canit.

Mentes manúſque tollimus,
Propheta ſicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Paulúſque geſtis cenſuit.

Accedit his, primogenitos quondam Ægyptiorum a Domino, media nocte interfectos, Exod. 12. & Sap. 18. primogenitos, verò Hebræorum illæſos perſtitiſſe; quo ſymbolo docemur nos oratione nocturna munire, ne & ipſi hæreditate vitæ æternæ, quam nobis primogenitus Dei filius acquiſiuit, merito priuemur, inquit Guilielmus Durandus in Ration. l. 5. c. 3. Alludit etiam Hilarius interpretans illud Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam &c.* Et Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 17.

Præterea multis redemptionis noſtræ myſterijs nox conſecrata.

... ex vtero Virginis in lucem prodiiſſe, & mundi tenebras ortu ſuo clariſſimo illuſtraſſe: conſtat eundem in horto à Iudæis comprehenſum, vinctum & illuſum, vel hora noctis tertia, vt ſentit D. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Euangeliſt. cap. 13. vel intempeſta nocte, vt vult Chryſoſtomus homil. 84. in Matt. & 72. in Ioan. Et habetur in vulgatis verſiculis.

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.

Itemque in officio paruo S. Crucis hymno ad matutinum.

Patris ſapientia, veritas diuina,
Deus homo captus eſt hora matutina.

Poſtremò perſuaſerant ſibi primi Chriſtiani, media nocte Dominum venturum ad Iudicium, idque ſubitò & quàm citiſſimè, iuxta illud quod Chriſtus dixerat Matth. 25. *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit.* Ne ergo fideles imparati & dormitantes inuenirentur, media nocte ad Dei celebrandas laudes conſurgere in more habebant. Ita teſtatur Lactantius lib. 7. Diuin. Inſtitut. cap. 19. *Hæc eſt nox*, inquit, *quæ à nobis, propter aduentum regis ac Dei noſtri* (ad iudicium ſcilicet, vt ante præmiſerat) *peruigilio celebratur. Huius noctis duplex eſt ratio, quòd in ea vitam tum recepit, tum paſſus eſt, & poſtea orbis terræ regnum recepturus eſt.* Hæc ille. Idem habet S. Hieronymus in eadem verba Matth. 25.

6\. *Opinio primorum Chriſtianorum Dominum media nocte venturum ad iudicium.*

Quia verò horam aduentûs ſui Dominus incertam ſuis reliquit, cùm ipſemet dixerit Mar. 13. *Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus veniet, ſerò, an media nocte, an Gallicantu, an mane*; ideò ipſi non tantùm in noctis meridie, ſed etiam alijs eiuſdem noctis horis ad orationem ſæpius ſurgebant.

7\. *Quia horam ſui aduentus incertam Dominus eſſe voluit ideò ſæpius nocte ſurgere Chriſtiani ſoliti.*

Veriſimile etiam eſt naſcente Eccleſia totum populum Chriſtianum promiſcuè viros & feminas, clericos, & laicos, ad nocturnos conuentus certatim ſe contuliſſe, totaſ-

8\. *Promiſcuè naſcente*

Eccleſia viri & fœminæ, clerici & laici ad ſacras confluebant vigilias. totaſque noctes ſacræ pſalmodiæ dicaſſe: tum vt contra efferatam tyrannorum perſequentium rabiem orationis ſcuto ſe obarmarent; tum vt carnis laſciuientis titillationes edomarent, ſimulque tenebrarum principes propulſarent. Vide Durantum lib. 3. de Ritibus cap. 5. n. 3.

9. *De antiquitate vigiliarum Patrum teſtimonia.* Iam pauca eaque clariſſima de vigiliarum antiquo vſu teſtimonia SS. patrum in medium producenda.

10. *Philonis Iudæi.* Philo Iudæus lib. de Vita Contemp. de Eſſenis, id eſt, Chriſtianis ſcribit: *Peractâ cœnâ ſubdunt vigilias; in quibus pernoctare ſolent, & cantare &c.* Quæ verba citantur ab Euſeb. lib. 2. Hiſt. c. 17.

11. *Tertulliani.* Tertullianus Vigilias ſæpè commemorat, vt in Apologia aduerſus gentes, in cuius fine ſic loquitur agens de Agape Chriſtianorum cœna. *Editur quantum eſurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe.* His ſimilia vide Epiſt. de cibis Iudaicis in fine, Lib. de Corona Militis in principio, & Lib. 2. ad vxorem.

12. *Clement. Alexand.* Clemens Alex. Pædag. 9. *Quocirca ſæpe etiam noctu è lecto ſurgendum eſt, Deuſque eſt laudandus: Beati enim qui in ipſum vigilarunt, ſeipſos aſſimilantes Angelis, quos nos ἐγρηγόρους, hoc eſt vigilantes vocamus.*

13. *S. Athanaſij.* S. Athanaſius tum lib. de Virgin. tum in Apolog. l. 1. in fine narrat, quomodo nox erat, & peruigilium in Eccleſia à fidelibus agebatur, & dum conſonantia pſalmodiæ celebraretur, ipſe inter medios pſallentium, militibus Arianis non aduertentibus, illæſus abierit.

14. *S. Cypriani, & aliorum.* S. Cyprianus Martyr lib. de Orat. Domin. ſæpè meminit orationis nocturnæ, & maximè in fine, cùm egiſſet de Horis Canonicis diurnis ſubiungit, „Quod ſi in Scripturis ſanctis ſol verus, & dies verus eſt Chriſtus, hora „nulla à Chriſtianis excipitur, quò minùs frequenter ac ſemper Deus debeat adorari; vt qui in Chriſto, hoc „eſt, in ſole, & in die vero ſumus, inſiſtamus per totum diem precibus, & „oremus, & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta ſuccedit, nullum de nocturnis „tenebris eſſe orantibus damnum poteſt, quia filijs lucis & in noctibus dies „eſt. S. Hilarius & Ambroſius multi ſunt in commendandis vigilijs in Pſ. 118. in illud: *Memor fui nocte nominis tui Domine*, & in iſtud, *Media nocte ſurgebam &c.* Item S. Baſilius totus in hoc eſt in Regulis fuſiùs diſputatis. Interrog. 37. epiſt. 1. ad Gregorium & in expoſitione Pſalm. 114. Ipſeque Nazianzenus Oratione 1. in Iulianum, item S. Hieronymus aduerſus Vigilantium, & epiſt. 53. ad Riparium, rurſus epiſt. 7. ad Lætam, vbi ſic ſcribit: *Vigiliarum dies & ſolemnes pernoctationes ſic virguncula noſtra celebret, vt ne tranſuerſum quidem vnguem à matre diſcedat.* Et ep. 22. ad Euſtoch. de Cuſtodia Virgin. *Ad orationem*, inquit, *tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas.* Et paulò inferiùs: *Eſto cicada noctium, laua per ſingulas noctes lectum tuum, lachrymis ſtratum tuum riga, vigila & fias ſicut paſſer in ſolitudine, pſalle ſpiritu, pſalle & ſenſu.* Et ſub finem: *Noctibus bis terque ſurgendum.* Chryſoſtomus frequens eſt in adhortandis viris & mulieribus ad conuocationes, & preces nocturnas, vt videre eſt homil. 41. 42. 56. 57. 59. ad populum Antioch. Caſſianus librum ſcripſit ſecundum de Inſtit. renunc. cui titulum præfigit, de canonico nocturnarum vigiliarum & orationum modo. 15. *D. Hieronymi & aliorum.*

Plura de ſolemnibus pernoctationibus habent Didacus Couar. l. 4. variar. reſol. c. 19. n. 10. vbi ex Tertulliano obſeruat vigilias dictas fuiſſe ſtationes, à Caſtris militari ſumpto vocabulo: & Baronius tum alibi, tum tom. Annal. 1. Anno Chriſti 51. & Annotat. in Martyr. Roman. circa vigiliam Epiphaniæ: Marcellus Francolinus de Temp. Hor. Can. 16. *Auctores qui de ſolemnibus vigilijs tractant.*

Digitized by Google

...aritur . D. ...mb. ...diolani ...og aucrit ...ilias.

Vnum ſolùm hîc tractandum reſtat, an ſcilicet ſolemnes, & ſtatæ in Eccleſia pernoctationes abolitæ Mediolani fuerint à D. Ambroſio: quo tempore D. Auguſtinus ibidem agebat. Sic enim videtur colligi ex ſerm. 25. eiuſdem S. Auguſtini ad Fratres in Eremo, vbi habetur S. Ambroſium è medio ſuſtuliſſe peruigilium nocturnum adhortatu potiſſimùm D. Monicę, ob turpem quandam inductam conſuetudinem choros ducendi ludoſque agitandi: itemque eadem occaſione abrogatas etiam in Eccleſia Africana ſolemnes pernoctationes. Verùm egregiè falſitatem huius commenti refutarunt ante nos Card. Baronius & Francolinus ſupr. c. 5. Summa reſponſionis hæc eſt, tantum abeſſe vt ſacræ Vigiliæ vel Mediolani vel in Africa tunc fuerint abolitæ, vt potiùs in meliorem formam fuerint redactæ, propenſiori ſtudio frequentatæ, magis auctæ ſacris carminibus, & longè quàm anteà abuſibus ſublatis illuſtriores factæ. Teſtes huius rei locupletiſſimi ſunt ipſimet SS. Ambroſius & Auguſtinus, ille ſer. in Pſal. 109. de feſto Pentecoſtes, & epiſt. 85. hic verò lib. 9. confeſ. c. 7 & ſer. habito in Natali S. Cypriani, qui eſt ordine 115. de diuerſis cap. 5. tom. 10. Accedit his Paulinus in vita S. Ambroſij qui ita ſcribit. „Hoc in tempore primum „Antiphonǽ, Hymni ac Vigilię in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt, cuius celebritatis deuotio vſque „in hodiernum diem, non ſolùm in „eadem Eccleſia, verùm per omnes „penè Occidentis Prouincias manet. Non igitur SS. Ambroſius & Auguſtinus peruigilandi morem ſuſtulerunt, ſed Vigilantius Hæreticus abolere conatus eſt, vt patet ex S. Hieronymo aduerſus eundem. Porrò ſermo ille 25.

?. ...ne- ...boli. Am- vigi- d po- me- for- ...da-

...io confingendus: quippe quem Auguſtinus non nouerit pro genuina ſua prole, nec ipſe Auguſtinum verum parentem, vt etiam Louanienſes obſeruarunt.

Ceterùm cùm tempore procedente omnia in peius ruerent, increſcerent vitia, feruorq; primigenij ſpiritus paulatim langueſceret, nocturnum in orationibus peruigilium à populo celebrari deſijt, excepta nocte inſignita Christi natali, imò poſteà pontificum auctoritate ſublatum eſt; à clericis verò magna ex parte relaxatum, vt qui olim vel ter ſingulis noctibus, vel ſaltem media nocte ad Domini laudibus vacandum conſurgere eſſent ſoliti, totum nocturnum penſum vna cum laudibus ſub tempus matutinum perſoluerent, quibuſdam dumtaxat exceptis religioſis, vel etiam ſæcularibus Eccleſijs, in quibus adhuc laudabilis ille noctis meridiem diuinis hymnis conſecrandi mos obtinuit perſeuerauitque hactenus. Ita tradit inter alios Couarruuias ſuprà, & Nauarrus de Horis Canonicis cap. 3. num. 32. 19.

Vitijs creſcentibus paulatim vigiliæ tolli cœperunt.

CAPVT XXI.

An olim tres Nocturni diuiſi tempore à ſe, & à Laudibus canerentur.

VT difficultas hæc, prout eius magnitudo poſtulat, expediatur, in mentem reuocanda hîc eſt antiqua conſuetudo orta à militaribus ſtationibus, & caſtrenſibus excubiis, noctem diſpertiendi in quatuor vigilias ſiue cuſtodias, quarum vnaquæque tribus horis conſtabat, ita vt prima vigilia (quam D. Ambroſius. lib. 7. in Lucam vocat veſpertinam), diceretur, quæ ab occubitu ſolis per tres primas noctis horas ſe porrigeret; ſecunda 1.

Olim nox diuerſa in quatuor vigilias, quarum vnaquaque tribus horis conſtabat.

verò quæ per tres alias, & media nocte finiretur, tertia item, quæ per tres horas ſequentes; poſtrema denique vel quarta (quam ſcriptura tum Exodi 14. tum. 1. Regum 11. nominat Matutinam) quæ per tres poſtremas, & ipſo ſolis ortu claudebatur. Perſpicua harum vigiliarum paſſim memoria eſt tum in veteris, tum in noui teſtamenti tabulis, quam hic prætermitto. Solùm indico, Chriſtum has cuſtodias alijs vocabulis nominaſſe. Mar. 13. dum ait: *Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſerò,* (en prima vigilia) *an media nocte* (en altera) *an galli cantu* (en tertia) *an manè* (en poſtrema. Sancti quoque Patres ſparſim hunc morem ſignificant. Sufficiat vnus Hieronymi locus, qui ſcribens epiſt. 139. ad Cyprianum, ſic infit; *Nox in quatuor vigilias diuiditur, quæ ſingula trium horarum ſpatio computantur.* Profanæ literaturæ auctores crebriùs de his agunt. Vnum pro cunctis datum imus Vegetium lib. 3. de re Milit. c. 8. ,, De ſingulis, inquit, ,, centurijs, quaterni equites & pedites, ,, qui excubitum noctibus faciunt, e- ,, liguntur. Et quia impoſſibile vide- ,, batur in ſpeculis per totam noctem ,, vigilantes ſingulos permanere, ideò ,, in quatuor partes ad clepſydram ,, ſunt diuiſæ vigiliæ, vt non amplius ,, quàm tribus horis neceſſe ſit vigilare.

2. *Eccleſia preces Canon, nocturnas more harum vigiliarum inſtruxit.*

Eccleſia Dei hîc cum hoſtibus ſuis depugnans, quæ in ſacro Epithalamio Cant. 6. deſcribitur. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, & cap. 7. Sulamitis circumdata choris caſtrorum, preces ſuas nocturnas in morem modumque harum militarium vigiliarum inſtruxit, vt præter alios obſeruant, Amalarius, lib. de Ordine Antiphon. cap. 4. & Waldenſis, lib. de Sacramental. cap. 26. n. 15. Tres quippe Nocturni cum Matitutinis laudibus hac clariſſimè exprimunt, vt benè oſtendit Hugo Victorinus lib. 2. de Officijs Eccleſ. cap. 9. in principio. ,, Pſalmi, inquit, ,, & lectiones diebus feſtis ſub tribus ,, diſtinctionibus cantantur, quartam ,, faciunt Laudes matutinę, tres priores ,, nocturni, ſiue vigiliæ, more Roma- ,, no, nuncupantur: vna quæque autem ,, tribus horis contenta eſt, vnde & ,, trium nocturnorum ſingulum tres ,, habet Pſalmos, quibus nos totidem ,, horis noctis Dei ſeruitio præſenta- ,, mus. Hæc Hugo.

3. *Auctores multi ſcribunt ſingulis nocturnis vigilijs ſeparatim vnum nocturnum decantatum, & quarta vigilia Laudes.*

His ita explicatis, docent multi ſcriptores, ita officium nocturnum Eccleſiæ repræſentare militares quatuor vigilias, vt olim ſingulis vigilijs vnus nocturnus tempore diſtincto decantatus fuerit, & quarta vigilia laudes Matutinæ celebratæ; Nam continuæ & non interruptæ pſalmodiæ veteres Chriſtianos ſemper inſtitiſſe, non eſt credibile: non enim hoc onus ſuſtinuiſſet humani corporis debilitas. Loquuntur verò ſcriptores de diebus feſtis: nam officium feriale; vno dumtaxat nocturno conſtans, haud dubiè media nocte perſoluebatur, dilatis Laudibus vſque ad Auroræ exortum. Ita docet D. Thomas, lect. 6. in cap. 14. prioris ad Corinth. *Antiquitus, ait, dicebantur nocturna diuiſim ſecundum tres vigilias noctis; nunc autem dicuntur ſimul.* Eiuſdem ſententiæ eſt Thomas Waldenſis de Sacramental. cap. 24. & 28. Nauarrus in Ench. de Hor. Can. c. 3. n. 28. & ſequent. Durantus lib. 3. de Ritibus cap. 5. n. 4. Sotus lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. ar. 1. Francolinus. tract. de Temp. Hor. Can. cap. 1. n. 14. Theodorus Peltanus lib. de Orat. cap. 8. & alij plures.

4. *Prob. hæc ſententia primo.*

Probant 1. ex D. Hieronymo epiſt. 22. ad Euſtoch. prope finem: *Noctibus* inquit, *bis terque ſurgendum.* Sed hic locus non vrget, quia loquitur de oratione priuata, vel potiùs de Scripturarum accurata meditatione: nam mox ſubdit; reuoluenda quæ de ſcripturis me-

Digitized by Google

memoriter retinemus.

5. *Probatur ſecundo.* Adferunt 2. D. Ambroſium lib. 7. in Lucam ad illud c. 11. *Quis veſtrum habebit amicum &c.* vbi hæc habet: *Nec ſolùm media nocte Dominus, ſed omnibus, propè docet vigilandum eſſe momentis. Venit enim & Veſpertina, & ſecunda & tertia vigilia, & pulſare conſueuit &c.* Verùm D. Ambroſius ſolùm hortatur ad frequentem orationem crebraſque vigilias.

6. *Probatur* 3. Tertiò, producunt Iſidorum lib. 1. de Eccleſ. Offic. tum c. 19. tum 22. Priore loco ſic habet, loquens de tribus horis diurnis Tertia Sexta & Nona: „Tali, inquit, Sacramento legitimis ad precem temporibus per ternas horas Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus aut precibus impetratur, etſi computetur diurna celebritas per quaternarium vſque in veſpertinum officium, hoc eſt quaternitas ſignificatur, quia mundus quadrifariè diuiſus in Trinitate ſaluatur. Poſteà de nocte diuiſæ in quatuor vigilias militares „hæc ſubdit. Siquidem & in nocte ſtationes & vigiliæ militares in quatuor partes diuiſæ ternis horarum ſpatijs ſecernuntur, vt & in ipſis Nocturnis mundialibuſque officijs Trinitatis myſterium veneretur. Quibus verbis nihil aliud ſignificat, quàm ſicut clerici SS. Trinitatem colunt per diem hora Tertia, Sexta, Nona, Veſpertina quæ ſingulæ per ternas horas porriguntur; ita etiam quodammodo hi qui militarem vitam agunt, noctem per quatuor vigilias diſtinguentes idem myſterium Ven. Trinitatis agnoſcunt, & venerantur. Quòd ſi ex his inferas, tres Nocturnos ſimul cum Laudibus eſſe inſtitutos ad ſimilitudinē quatuor Caſtrenſium Vigiliarum, vt etiam in his SS. Trinitas Pſalmis honoretur, à vero non aberraueris. Verùm hinc non ſequitur diſtinctis interuallis ſingulos Nocturnos decantari. Quòd verò aliqui adferunt locum 2. Eſdræ c. 9. vbi leguntur, quod Iudęi quater in nocte confitebantur Domino, ſuprà reſpondimus verba illa quater in nocte in textu non haberi, vt alia omittam.

Adducunt quartò, Hugonem de S. Victore; ſed hic auctor potiùs oſtendit totum officium nocturnum continua ſerie fuiſſe perſolutum, vt conſtat ex lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 9. in fine. 7. *Probatur* 7.

Quia verò ſententia hæc non ſatis firmis nititur argumentis, ideò plerique viri docti, inter quos Franciſcus Suarez lib. 4. de Orat. c. 4. n. 8. & Azor. lib. 10. Inſt. Moral. c. 2. q. 2. & alij de hac conſuetudine dubitant. Primò quia videtur minus congruens humanæ infirmitati ter, quaterque in nocte ſomnum interrumpere, vel certè noctem totam inſomnem ducere. 8. *Viri plerique docti de hac conſuetudine dubitant inducti varijs rationibus.*

9. *Anachoretæ quidam totam noctem traduxerunt in orationibus.* Nouimus quidem ex Sanctorum geſtis magnæ religionis Anachoretas, & Aſcetas diuinæ contemplationi inprimis deditos orationem tota nocte continuaſſe, vt S. Antonium, de quo præter Sozomenum lib. hiſt. Eccleſ. cap. 13. refert Abbas Iſaac apud Caſſianum. Collat. 9. c. 30. Nonnumquam ita in oratione perſtitiſſe, vt eodem in exceſſu mentis frequenter orante cùm ſolis ortus cœpiſſet infundi, in feruore ſpiritus proclamauerit: Quid me impedis ſol, qui ad hoc iam oriris vt me ab huius veri luminis abſtrahas claritate. Vt Moſem Æthiopem, de quo idem Sozomenus lib. 6. cap. 19. narrat, quòd interdum ad ſexennium ſingulas noctes integras ad preces faciendas pedibus conſiſtendo perdurauerit, totoque illo ſpatio, neque flectere genua, neque oculos ad ſomnum capiendum occludere voluerit. Vt poſtremò Arſenium, de quo ſcribitur in vitis Patrum, quòd à Veſperis Sabbathi relinqueret poſt ſe ſolem, & extenderet

deret manus ſuas ad cœlum orans, donec mane Dominico illuſtraret accedens faciem eius. Caſſianus etiã l. 3. de Inſt. Renunc. cap. 4. refert inter monachos fuiſſe quoſdam dies, quibus à veſpertinis horis excubias vſque ad Auroræ viciniam celebrabant. Verùm hæc paucorum eſt virtus, & rari exempli documentum. Quis autem credat noctibus ſingulis vniuerſum clerum ſimul cum populo in orationibus vigilaſſe?

10. *Refellitur ſolutio Soti & aliorum.*

Quòd verò Sotus concluſ. 5. & Peltanus ſuprà §. preces matutinæ, & §. multa hîc, dicunt, clerum in Eccleſia primitiua in tres ordines diſtinctum, quorũ vnus primũ nocturnũ in prima vigilia peragebat, ſecundus ordo alterum in ſecunda, tertius tertium media nocte, tum Laudes matutinas, ſub poſtremam noctis vigiliam, totus clericorum cœtus, non videtur veriſimile. Nã præterquam quòd hoc ab auctoribus illis non probetur, hinc ſequeretur Eccleſiæ miniſtros non integrum penſum, ſed ſolùm illius tertiam partem perſoluiſſe, quod non eſt concedendum. Deinde quis dicat naſcente Eccleſia tot miniſtros repertos, qui viciſſim ſibi mutuo ſingulis vicibus vigilandi, & pſallendi lampada traderent? Accedit, ſatis conſtare ex SS. Patribus ſuperiori capite allatis etiã populum cum clero ſæpius totas noctes in Eccleſijs vigilaſſe. Poſtremò nocturnum feriale, quod vnicum eſt continuè peragebatur in vna aliqua noctis vigilia; cur non ergo & illud officium quod tribus conſtabat nocturnis?

11. *Diuerſa fuit Eccleſiarum conſuetudo in Nocturnis vel diuiſim vel coniunctim cantandis.*

Reſpondeo ergo videri mihi diuerſum fuiſſe per orbem Chriſtianum Eccleſiarum morem in celebrando Officio nocturno, cùm alibi diuerſis horis ſinguli nocturni pſallerentur, iuxta vigiliarum diuerſitatem, vt volunt prædicti doctores; alibi verò totum ſimul & non interruptè circa noctis medium peragerentur, quod mihi maximè arridet, quia hoc paſſim SS. Patres docent, vt Athanaſius lib. de Virgin. ſub finem, Baſilius in qq. fuſiùs explicatis q. 37. Hieronymus epiſt. ad Euſtoch. de obitu Paulæ, Ambroſius ſer. 19. p. 3. in Pſal. 118. explicans illud: *Præuenit in maturitate*, & alij, ad hoc propoſitum adferentes illud Dauidicum: *Media nocte ſurgebam &c.* Quibuſdam denique in locis circa finem 3. vigiliæ, vel 4. initio ſimul cum Laudibus celebraretur. Atque hanc fuiſſe priſcam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem conſtat ex Amalario & alijs pluribus auctoribus.

12. *Paulatim intepuit feruor clericorum in vigilijs.*

Notant verò prædicti auctores, paulatim primo clericorum feruore tepeſcente, factum fuiſſe vt Nocturni non ſeparatim, vt ante, ſed continenter vnà cùm Laudibus decantarentur, & ex tribus vigilijs vna, ſolùm texeretur. Et quidem initio decretum erat, vt media nocte ſurgẽtes Officium Nocturnum tunc temporis cum Laudibus coniungerent, qui mos etiam nunc in religioſis domibus pluribus perſeuerat. Cùm verò nec onus illud media nocte ſurgendi clerus toleraret, hoc ſaltem obtinuerunt Eccleſiæ præſides, vt vltima noctis vigilia ad Matutinum decantandum ſe accingerent, vt iam fieri ſolet in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis. Ita Guilielmus Durandus in Rationali lib. 5. c. 3. n. 3. & 6. & Ioan. Belet in eodem c. 20. & ſeq. Addit his Waldenſis ſup. c. 24. n. 4. quòd quamuis omnes quatuor nocturnæ vigiliæ à ſingulis clericis hodie precibus non conſecrentur, aliquæ tamen obſeruentur ab omnibus, ſicque poſſunt dici omnes ab Eccleſia celebrari. *Ita, inquit, quidam deuoti, in prima noctis vigilia totum officium decantant, vt priuatim fieri ſolet, alij verò in ſecunda, alij in tertia, alij verò in quarta vt plerique omnes clerici.*

Exponamus nunc paucis quid tres no-

Digitized by Google

Qui no- [ćt]urni tres ſignificent.

13. nocturni repræſentent. Hugo de S. Victore lib. 2. de Offic. Eccleſ. c. 9. & alij docent ſignificare tria tempora, ſcilicet tempus ante legem, tempus ſub lege, & tempus gratiæ. Theodorus Peltanus ſup. §. tres nocturni. *Reſpondent*, inquit, *nocturni tribus illâ interpolatis vicibus, quibus Chriſtus Dominus in horto orauit.* Alij docent tres ordines pſalmorum & lectionum referre myſterium SS. Trinitatis in cuius honorem decantantur. Pſalmi duodecim, qui in feriali officio nocturno recitantur iuxta antiquiſſimum Eccleſię vſum (vt patet ex Conc. Turon. 2. ante annos mille c. 19. & ex C. In die de conſec. d. 5. vbi Gregorius VII. id fieri dicit ex more antiquo) ſignificant duodecim noctis horas, quibus Deum piè colimus.

[Noct]urni [...] in pluri[bus] in locis [sepa]ratim [à L]audibus [cele]brabantur.

14. Quod verò ſpectat ad diſtinctionem nocturni officij à laudibus ſatis exploratum eſt olim multis in locis fuiſſe ſeparatim decantatum, diuerſoque tempore, vt manifeſtè colligitur ex Reg. D. Benedicti c. 8. & 16. & probatur ex Hugone de S. Victore in Speculo Eccleſ. c. 3. & l. 2. de Offic. Eccleſ. c. 1. & 9. in fine. Amalario lib. de Ordine Antiphon. c. 7. in principio. Radulpho Tungrenſi l. de Canon. obſeruantia propoſit. 14. Ioan. de Turrecremata tract. 73. in c. 16. Reg. S. Benedicti. Et certè ſic olim factum fuiſſe ſatis aſſequimur ex Baſilio in Regulis fuſiùs diſputatis, q. 37. vbi cùm prælocutus fuiſſet de oratione mediæ noctis, hæc ſubdit: *Poſt, anteuertendum diluculum eſt, & ad orationem ſurgendum, canendumq; ne dies nos in lectulo dormientes opprimat &c.* Hanc diſtinctionem ſatis indicant, tum initium Laudum, quod ſimile eſt aliarum horarum tempore diſtinctarum principijs, tum communis oratio quâ nocturnum olim terminabatur.

Obſerua tamen hanc conſuetudinē interpolato à Laudibus tempore nocturnum officium peragendi non fuiſſe vbique receptam & vniuerſalem: Siquidem multis in locis nocturnis vigilijs etiam primis temporibus, vel ſaltem paulò pôſt, Laudes Matutinæ iungebantur. Ita enim oſtendit Caſſianus lib. 3. de Inſt. Renun. c. 4. *Hæc*, inquit, *matutina ſolemnitas* (laudes) *in Gallia quidem Monaſterijs expletis nocturnis pſalmis, & orationibus poſt medicum temporis interuallum ſolita eſt celebrari, ſed in Orientis partibus cum quotidianis vigilijs pariter conſummatur.* Idem clarè tradit Amalarius in Prologo libri de Ordine Antipho. alibi à me productus. Ex quo loco apparet Romanam Eccleſiam numquam fortè morem illum Laudes à Nocturno ſeparandi recepiſſe.

Tamen hæc conſuetudo vniuerſalis [non fuit,] quia alibi laudes & nocturni iungebantur.

CAPVT XXII.

Quod ſit tempus aptum Nocturno Officio, vt iam eſt ordinatum, Laudibuſque Matutinis celebrandis.

NOcturnum officium, quod ex vſu Eccleſiæ iam, excepta nocte cōſecrata Chriſti natali, ſemper Laudibus coniungitur, ſi tempus canonicum ſeruandum eſt, poſt mediam noctem eſt inchoandum, videlicet in tertia vigilia, vel initio quartæ, pro vt tempus anni æſtiuum vel hybernum, & dierum ſolemnitas exigit, idque ſiue tres Nocturni, ſiue vnus dumtaxat ſit decantandus: ita vt Laudes ſemper cœlo iam albeſcente id eſt in Aurora celebrentur & ante ſolis in Finitorem ingreſſum abſoluantur. 1.

Nocturnum officium, vt Canonicum eius tempus ſeruetur poſt mediā noctem inchoandum, ita vt laudes ſemper in aurora canantur.

Fuit hæc inſtitutio Vener. Patriarchæ Benedicti, excepto eo, quòd interuallum aliquod breuius vel longius, pro ratione hyemis, æſtatis, vel dierum feſtiuorum, inter vtrumque officium Nocturnum & Laudum interponendum ordinarit, vt colligitur ex cap. 8. Reg. 2.

Ita Inſtituit S. Benedict.

 Ea-

Digitized by Google

3. *Fuit hæc obſeruatio Rom. Eccleſ.*

Eadem fuit obſeruatio Romanæ Eccleſiæ, vt colligitur ex Amalario lib. de Ordine Antiphon. c. 4. in fine, vbi ita habet: *Vt reor, ſancta Rom. Eccleſia hoc ſpeciatim nobis inſinuat per ſuam conſuetudinem. Ipſa enim quotocunque ordine vel numero lectionum viderit Matutam præcedere, vt audiui, dimitit Nocturnale officiū, & incipit matutinale id eſt, Laudes.* Idem oſtendit Francolinus, de Tempore Hor. Can. c. 5. n. 19. ex ordine Romano antiquo, & ex Alcuino in lib. de Diuinis Officijs.

4. *Eſt ſententia communis.*

Sententia noſtra eſt communis Doctorum, vt patet ex D. Antonino 3. p. tit. 13. c. 4. §. 4. Soto lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 1. Nauarro Enchir. de Hor. Can. c. 3. n. 39. Bellarmino l. 1. de Oratione c. 11. & alijs. Rationes manifeſtè hoc nobis perſuadent. Nam inprimis plures hymni, qui in Nocturno officio pſalluntur, ſignificant nos ex lecto ſurgere, & partem aliquam noctis ſomno dediſſe. Sic habet hymnus D. Gregorij Dominica ad Matutinum.

5. *Hymni nocturni hoc inſinuant.*

Pulſis procul torporibus
Surgamus omnes ocyùs,
Et nocte quæramus pium,
Sicut prophetam nouimus.

Item in hymno D. Ambroſij ad Matutinum feriæ 6.

Nam lectulo conſurgimus
Noctis quieto tempore,
Vt flagitemus vulnerum
A te medelam omnium.

6. In matutinis item laudibus paſſim fit mentio ſurgentis Auroræ, vt in hymno Prudentij, qui canitur ad laudes feriæ quartæ.

Nox & tenebræ & nubila,
Confuſa mundi & turbida
(Lux intrat, albeſcit polus,
Chriſtus venit) diſcedite.

Et rurſus hymno ſabbathi ad Laudes,

Aurora iam ſpargit polum,
Terris dies illabitur,
Lucis reſultat ſpiculum,
Diſcedat omne lubricum.

Et alibi ſæpè.

Adde ipſa nomina Officij Nocturni & Laudum Matutinarum ſatis innuere iſtud in aliqua ſaltem noctis parte, has verò manè oriente Matuta Deo ſoluendas. Hac etiam ratione humanæ infirmitati conſulitur, corporibus magnam partem ſomno refectis, &, quod inſinuat S. Benedictus ſuprà, digeſtione pridiana iam ferè peracta. 7. *Idem indicant nomina officij nocturni, & laudum Matutinarum.*

8. *Hac ratione conſulitur humanæ infirmitati.*

Accedit nomen ipſum Laudum, quod quamuis in Iure interdum accipiatur generatim pro toto officio matutino, vt patet c. *conſilium* in fine de celeb. Miſſ. vbi dicitur, *Te Deum laudamus*, diebus profeſtis regulariùs dimitti quàm dici in laudibus matutinis, id eſt, officio matutino, propriè tamen ſignificat partem illam quæ in Breuiario nuncupatur Laudes, & olim dicebatur Matutini, vel Matutinæ, vel Laudes aut Officium Matutinale. Cùm autem omni tempore in ore noſtro Dei laus perſonare debeat, præcipuè tamen Deo pro acceptis beneficijs Aurora prodeunte gratiæ referendæ Spiritu ſancto paſſim in literis ſacris ad præclaram illam functionem nos excitante, præeuntibus Sanctorum exemplis, & antiquis Patribus, idem frequenter faciendum inculcantibus, vt ſuo loco vberiùs demonſtrabitur.

9. *Laudes quamuis generatim aliquando ſignificent totum officium matutinum, ſpeciatim tamen, accipiuntur ſolùm pro parte eius vltima, & quare ſic vocentur.*

Poſtremò loco myſterium matutinarum Laudum hìc ſubijciendum. Exploratiſſimum eſt, Catholicam Eccleſiam Laudes ſolemni ritu celebrare in memoriam Anaſtaſis, & Reſurrectionis Chriſti, vt inprimis docet S. Ciprianus tract. de Orat. Dom. in fine; *Mane orandum eſt, vt Reſurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Sermo autem ibi eſt de Laudibus. Nam, an tempore D. Cypriani Prima vſitata fuerit, dubium eſt. D. Hieronymus ſuper illud Marci vltimo, *& valde manè vna ſabbathorum &c. vt tunc*, inquit, *laudes Chriſti tota concrete ſecundum exemplum harum feminarum*

10. *In laudibus recolitur memoria Reſurrectionis Chriſti.*

rum Eccleſia, quando genus humanum exemplo ſuæ Reſurrectionis animauit, quando vitam præſtitit & lumen credulitatis infudit. Idem docent omnes auctores, qui de Officijs Eccleſ. ſcriptorum monimenta ediderunt, vt Iſidorus l. 1. de Eccleſ. Offic. c. 23. & poſt illum Rabanus, Hugo Victor. Guil. Durandus Ioan. Beler. & alij, quos citat Francolinus cap. 16. n. 4. & cap. 46. n. 10.

11. *Prima non repræſentat Chriſti reſurrectionem, ſed tempus quo Angeli eam mulieribus nunciarunt.*

Nec audiendi ſunt, quoad hoc quidem, Canonum Auctores, qui putant Chriſti Anaſtaſim per Primam referri, niſi fortè velint illam ſignificari, non iuxta momentum temporis, quo accidit, ſed ſecundum tempus quo pijs mulieribus eam Angeli orto iam ſole nunciarunt, vt explicat Hugo de S. Victore in Speculo Eccleſiæ c. 3. Chriſtum verò à mortuis reſurrexiſſe rubente Aurora multò etiam eſt certius.

12. *'hriſtum b Aurora ſurrexiſſe mmunis ferè trum entia.*

Exceptis enim S. Athanaſio lib. de Virgin. ſub finem, & Nyſſeno oratione 1. &. 2. de Reſur. & pauculis Græcis Patribus, qui putant Dominum ad vitam redijſſe ſub noctis medium, omnes ferè Latini patres noſtram & communem ſequuntur ſententiam, vt Auguſtinus paſſim, Hilarius, & paulò antè citatus Cyprianus. Idem docent cum D. Thoma omnes Doctores ſcholaſtici: & quia non opus eſt hîc eorum ſyllabum texere, videndus eſt Franciſcus Suarez, qui t. 2. tertiæ partis diſp. 46. ſect. 2. in q. D. Thom. 53. a. 2. fusè hoc probat, & multò etiam pleniùs idem argumentum proſequitur Francolinus c. 46. & 47. Acquieſcamus Eccleſiæ Catholicæ hymno paſchali hoc apertè profitenti ad Laudes.

Aurora lucis rutilat;
Cùm Rex ille fortiſſimus
Mortis confractis viribus,
Victor ſurgis de funere &c.

Portendebat Chriſtiani populi perfectam, Chriſto ab inferis aſcendente, libertatem & communem lætitiam ſubmerſio Regis Egyptij, eiuſque exercitus in mari Erythræo, & Hebræorum liberatio, quæ, vt habet Exodus, contigere tempore vigiliæ matutinæ, vnde & lætum cecinêre Epinicion; quo & nos, ſi mentem aduertimus, inſtruimur victori mortis tartari, æternorumque vectium effractori Chriſto, qui ceruicibus humani generis peccati iugum excuſſit, aureſcente Matuta in vigilia matutina triumphale carmē decātare.

ſubmerſio Pharaonis ſub vigiliam matutinam acciderunt.

14. *Explicatur quomodo canentes matutinum in fine tertiæ vigiliæ, dici poſſint Deo confiteri media nocte.*

Nec hactenus à nobis aſſertis obſtat verſiculus Pſaltæ Regij, *Media nocte ſurgebam &c.* Et laudabilis quà priſcorum Aſcetarum, quâ noſtrorum Cœnobitarum conſuetudo, qui tempus mediæ noctis, etiam Mathemathicè ſumptum ſacrâ pſalmodiâ condecorant, & cœlum ſolumque ſuarum precum fulgoribus illuſtrant: tum quia in perſoluenda hymnodia ſuæ Eccleſiæ & ordinis inſtitutio cuique obſeruanda eſt, vt ſuo loco inferiùs dicetur. & nunquam ſatis extolli laudibus poterit indefeſſum monachorum in peruigilando ſtudium ob difficultatem nocte intempeſta ſōnum abrumpendi; tum quia media nox magnam patitur latitudinem. Siquidem accipi poteſt etiam in illo Dauidico carmine, non per æquale ſpatium vel diſtantiam à meta vtriuſque crepuſculi, veſpertini exacti, & matutini appetentis, ſed per tempus, quod terminis illis continetur, vt explicat Ioan. à Turrecremata in c. presbyter, diſt. 91. & tr. 73. in Reg. S. Bened. in fine, & colligitur ex eadē Reg. c. 6. & 16. Fauet his quod ſcribit D. Thomas 3. p. q. 51. a. 4. ad 2. Dicitur, inquit, Chriſtus reſur- „
xiſſe à Greg. Hom. 21. in Euāg. media „
nocte (pace tamē dixerim tanti viri, „
Gregorium non habere, Media nocte „
ſed ſolùm ante lucem, quod facit „
potiùs pro communi ſententia) non „
quidem diuiſa nocte in partes duas „
æquales, ſed infra ipſam noctem. „
Cuius verba explicat Caietanus ibi- „

I 2 dem

Digitized by Google

dem quibuſdam ſimilibus. „ Sicut, in„quit, dicimus media vita in mor„te ſumus & non propterea limita„mus nos, quaſi diuidamus vitam in „duas partes æquales; & ſimiliter ge„ſta incluſo die dicims facta in medio, „& ſubmerſos in mari, dicimus ſub„merſos in medio mari, non diuidendo „mare in duas partes æquales: ita re„ſurrectionem in quacunque parte „noctis factam dicimus media „nocte, factam, abſque diuiſione no„ctis in duas partes æquales. Hæc Caietanus. Vnde etiam dici poteſt Chriſtus, qui ſub auroram reſurrexit, media nocte reſurrexiſſe; & conſequenter in quæſtione propoſita, de officio nocturno recitando in fine tertiæ vigiliæ, ita vt Laudes circa auroram cantentur; dico id recitari media nocte, quo loco medium noctis ſignificat partem illam, quæ poſt dimidiam noctem inchoatur, & includit totum illud tempus noctis, in quo illud officium vſque ad auroram abſolui poteſt. Ita Suarez l. 4. de Oratione & Horis Canonicis c. 15. n. 2.

CAPVT XXIII.

De Prima, eius antiquitate, tempore, quo ritè perſoluenda.

TRia præmoneo Lectorem. Primum, diuidi diem in naturalem & artificialem, vt communiter loqui ſolemus.
1. *Quid dies naturalis, & artificialis.* *Naturalis* eſt, qui complectitur integram Solis peripheriam & gyrationem per vtrumque hemiſphærium, ſiue diem & noctem artificialem, ideſt viginti quatuor horas: *Artificialis* verò dicitur præſentia Solis in noſtro hemiſphærio vel ſpatium temporis, quo Sol ab ortu, vſque ad occaſum hemiſphærium noſtrum illuſtrat.

Alterum eſt, diſtingui diem quidem
2. *Diſcrimen inter horas diei naturalis & artificialis.* naturalem in horas viginti quatuor; artificialem verò in duodecim, ſicut & noctem: inter quas horas hoc eſt diſcriminis], quòd horæ, ſeu partes diei naturalis, ſint horæ æquinoctiales; (ſic enim appellantur, Græcè ἰσημεριναὶ, & vocari iure poſſunt vulgares) id eſt, tantæ durationis, quantæ ſunt horæ noctis & diei artificialis in æquinoctio tam Verno, quàm Autumnali, Suntque hę horę ſemper ęquales. E contrà verò horæ, ſeu partes diei artificialis, in quas antiquorum inſtituto diuidi ſolet, vocantur horę inęquales (Gręcè καιρικαὶ, id eſt temporales, quod quolibet tempore nox & dies in 12. horas diuidatur) tum ſi conferantur cum horis nocturnis eiuſdem diei, tum cum horis alterius diei, excepto tamen tempore æquinoctiorum; licet etiam ſint æquales, ſi inter ſe componantur.

Tertium eſt, vt anteà vidimus noctē 3.
diuiſam in quatuor vigilias, quarum vnaquæque tres horas inæquales continet; ita quoque veteres diem artificialem in quatuor portiones ſeu ſtationes æquales, quarum ſingulæ tribus horis inæqualibus conſtabant, partiebantur; ita vt prima pars in tertia diei hora, ſecunda in ſexta ſiue meridie, tertia in nona, quarta in duodecima, ſiue veſpera finiretur. Sumebant autem initium horæ illæ ab ortu Solis, ita vt prima hora primæ portionis diei eſſet prima ab ingreſſu Solis in Finitorem, altera ab eiuſdem ortu ſecunda, & ſic deinceps, ita vt quartæ ſtationis vltima Sole occumbente diem clauderet. Porrò nomen ſumebant partes illę à tempore, ſiue hora in qua finiebantur, & ſuum accipiebant complementum. Sic tertia nominabatur pars prima diei artificicalis, quia audita v. g. in Horologio, vel viſa, in Solario tertia finem & perfectionem ſortiebatur; ſic conſequenter Sexta, quæ in ſexta diei hora terminabatur. Peruoluat Lector doctiſſimi viri Marcelli Francolini tract. de Tempore Horarum Canonicarum præſertim capite 9. 10. *Veteres diem artificialem diuidebant in 4. ſtationes, quarum ſingulæ tribus horis inæqualibus conſtabant, & nomen accipiebant ab hora in qua finiebantur.*

15. &

15. & 21. & doctrinam noſtram haud dubiè probabit. Meminit huius diuiſionis præter alios Chryſoſtomus, homil. 59. ad populum, loquens de Monachis: Tertiam,(ait) Sextam, Nonam, & Veſpertinas horas celebrant, & in quatuor partes diem diſpartiti, dum ſingulæ partes implentur, pſalmodiis & hymnis Deum venerantur.

4. *1. Quæritur quo tempore Prima in Eccleſiam fuit introducta.* His prænotatis, prima quæ animum pulſat dubitatio de hora Prima Eccleſiaſtici officij, hæc eſt: quo tempore ſcilicet illa fuerit in Eccleſiam introducta. Siquidem cùm Patres antiquiores frequenter & clarè præter nocturnas vigilias Matutinamque Laudem meminerint. Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Veſpertinæ pſalmodiæ (nam his quatuor ſacris ſtationibus duodecim horas diei artificialis diſtinxerunt) vel numquam, vel admodum raro, & non niſi ambiguè & obſcurè de Prima verba facere videntur. Nihilominus

5. *Antiquiores Patres obſcuriùs de Prima locuti ſunt.* S. Clemens inſinuat Primam Canonicam lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 34. vbi ſic ſcribit; *Manè gratias agentes, quòd illuminârit nos Dominus nocte ſublata & reddita die.* Vbi per *Manè* Franciſcus Turrianus intelligit in ſuis Annotat. Orationem Primæ Canonicæ: & Franciſcus Suarez lib. 4. de Orat. cap. 5. nu. 7. Sed locus dubius eſt, quia poteſt facilè duci ad Laudes Matutinas, vt exponit Francolinus cap. 14. num. 6. & ſequent. Obſcurior etiam eſt locus Cypriani, lib. de Orat. Dom. vbi ait: *Manè orandum eſt, vt reſurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Satis enim manifeſtè loquitur de Laudibus matutinis. Chryſoſtomus in hanc partem trahi poteſt, loquẽs de Aſcetis ſui temporis, homil. 59. ad Populum. *Facto* (inquit) *die cum rurſus matutinas orationes celebrauerint, & Hymnos &c.* Denique SS. Patres, dum multi ſunt in commendanda oratione ad ortum Solis, ſatis videntur Primam Canonicam indicaſſe, vt D. Ambroſius tum ſer. 43. tum lib. 5. in Hexam. cap. 12. & 24. & Chryſoſtomus lib. 1. de orando Deum, in fine.

Præ ceteris autem ex antiquioribus expreſſiùs Primam non nomine, ſed re memorat Athanaſius. lib. de Virginit. dum manifeſtè diſtinguit orationem matutinam, ſiue horæ Primæ, ab ea quæ diluculò fit, cum enim dixiſſet, *Sol oriens videat librum,* (id eſt pſalterium) *in manibus tuis,* poſteà ſubiungit de oratione habẽda ſub noctis mediũ; & addit: *Diluculo verò hunc Pſalmũ dicito, Deus Deus meus ad te de luce vigilio,* &c. En, vt apertè diſtinguit, orationẽ Laudũ à Prima. S. etiam Baſilius omnium apertiſſimè nobis Primam deſcribit in Regulis fuſius diſputatis, interrog. 37. vbi ponit duplicem orationem Matutinam, vnam quidem in exortu diei ſiue Solis, dum ait: *Ac matutinum* (ſupple tempus) *à nobis delectum eſt, vt primi animi ac mentis noſtræ motus conſecrentur Deo &c.* Poſtea clarè ſubiungit Tertiam, Sextam, Nonam, duplicem deinde Veſpertinam, in qua poſtrema indicat Completorium & vlteriùs enumerat vigilias nocturnas. Poſtremò concludens hæc ſubdit de altera matutina id eſt, Laudibus, cùm ait: *Anteuertendum diluculum eſt, & ad orationem ſurgendum, cauendumque ne dies noſtri lectulo dormientes opprimat &c.* En duplicem orationem matutinam, quarum primo loco poſita ſine dubio Primam noſtram ſignificat, quia poſt eam ponit Tertiam. His tamen Patrum teſtimoniis, auctores plures, noſtris præſertim temporibus vicini, non contenti, putant Primam non fuiſſe in vſu Eccleſiæ ante tempora Caſſiani, ſed tunc primo introductam. Ita Radulphus Tungrenſis l. de Canonum obſeruat. propoſit. 14. Francolinus, Sotus, Bellarminus & ante eos Smaragdus Abbas in cap. 16. Reg. D. Benedicti, dum ſcribit Primam, & duodecimam id eſt, Completorium,

6. *Aliqui tamen de eadem agunt, vt Athanaſ. & Baſil.*

7. *Plures auctores putant Primam introductam tempore Caſſiani.*

pro inchoatione, & terminatione diei,
8. poſtea à Patribus fuiſſe adinuentas.
Locus Caſſiani pro Prima. Locus Caſſiani, vnde hoc colligunt, hic eſt lib. 3. de Inſtit. Renunc. capit. 4. „ Sciendum (inquit) hanc Matutinam „ quæ nunc obſeruatur, in Occiduis „ maximè regionibus, Canonicam „ functionem noſtro tempore in no- „ ſtro quoque monaſterio primitus in- „ ſtitutam. Vſque ad illud enim tem- „ pus hac ſolennitate matutinà, quæ ex- „ pletis nocturnis pſalmis & orationi- „ bus, poſt modicum temporis inter- „ uallum ſolet in Galliæ monaſteriis „ celebrari, cum quotidianis vigiliis „ pariter conſummata, reliquas horas „ refectioni corporum deputatas à „ maioribus noſtris inuenimus. Verùm „ cum hac abutentes indulgentià ne- „ gligentiores, quique inducias ſomni „ longiùs protelarent, quorumdam „ illic fratrum feruentium ſpiritu, qui- „ bus hoc negligentiæ genus haud le- „ uiter diſpliceret, ad Seniores quere- „ la delata, decretum eſt ab eis, vt vſque „ ad Solis ortum feſſis corporibus re- „ fectione conceſſa inuitati, poſt hæc „ religionis huius obſeruantia cuncti „ pariter è ſuis ſtratis conſurgerent, ac „ tribus pſalmis & orationibus cele- „ bratis ſecundum modum, qui anti- „ quitus in obſeruatione Tertiæ, vel „ Sextæ; trinæ confeſſionis exemplo „ ſtatutus eſt, & ſomno deinceps finem „ & initium operationi æquali ſimul „ moderatione facerent. Qui typus „ licet ex occaſione videatur inuentus, „ & recenti memoria, pro cauſa, „ quam diximus, ſtatutus appareat; „ tamen illum numerum, quem deſig- „ nat B. Dauid quamquam ſpiritalem „ quoque habeat intellectum ſecun- „ dum literam manifeſtiſſimè, ſupplet „ *Septies in die laudem dixi*, &c. Hac enim „ adiecta ſolemnitate ſepties ſine du- „ bio ſpirituales hos conuentus in die „ facientes, ſepties in ea laudes Domi- „ no dicere conprobamur. Denique „ cùm hic idem typus de Oriente pro- „ cedens huc vſque fuerit vtiliſſimè „ propagatus, in nonnullis nunc vſque „ per Orientem antiquiſſimis mona- „ ſteriis minimè videtur admiſſus. Ha- 9.
ctenus Caſſianus, cuius verba ſi quis diligenter examinet, clarè inueniet duplicem ſolemnitatem Matutinam; vnam, quæ ſimul cum vigiliis nocturnis, vel paulò poſt, peragebatur; alteram, quæ poſt ortum Solis cum tribus pſalmis decantabatur, quæ Primæ noſtræ optimè reſpondet. *Duplex precatio matutino tempore Caſſiani Laudum & Primæ.* Quamuis autem Caſſianus affirmet ſuo tempore in Monaſterium Bethlehem hanc introductam, & exinde propagatam, negare tamen non debemus quin etiam alijs in locis vel Orientis, vel Occidentis, mos obtinuerit, exorto iam Sole Deum pſalmis celebrandi. Hoc enim tum aliorum, tum S. Baſilij & Athanaſij teſtimonia conuincunt. Vnde plures Doctores ante tempora Caſſiani Primam inſtitutam; inter quos eſt Stephanus Durantus lib. 3. de Rit. Eccleſ. Cath. c. 7. n. 4. Suarez lib. 4. de Orat. c. 5. n. 8. & alij.

Ceterùm quia plerique præter rem 10.
ipſam etiam nomen huius precationis requirunt, produco S. Benedictum in Reg. ſua c. 16. & deinceps, primum Primæ Nomenclatorem, quòd quidem legerim, vel obſeruarim. *Nomen primæ primum inuenitur in Regula D. Benedicti.* Deinceps verò frequens Primæ eſt mentio ſeculis poſterioribus, vt apud Rabanum lib. 2. de inſtit. Cler. cap. 3. Amalarium lib. 4. de Eccleſ. Offic. cap. 2. & ſequent. Et in lib. de Ordina. Antiphon. c. 6. & deinceps. Vt omittam Concilium Aquiſgran. 1. Concilium Cabil. 2. c. 59. habitum ſub Carolo Magno, & alia.

Alterum dubium circa Primam eſt, 11.
quâ diei horâ ſit perſoluenda. Sunt enim duæ diſſentientes hac de re ſententiæ. *Quâ horâ Prima ſoluenda.*

Vna

Digitized by Google

12. *Prima ſententia, quæ putat ſoluendam ſub auroram.* Vna eſt multorum doctorum Iuris Pontif. Panormitani, Hoſtienſis & aliorum in c. 1. de celebratione Miſſarum, qui tenent Primam peragendam tempore auroræ, ſeu crepuſculi matutini.

13. *Altera communis & vera, cantandam poſt ortum Solis, prima hora inæquali diei artificialis.* Altera communis, cui inhærendum cenſeo, docet officium Primæ celebrandum poſt ortum Solis: Ita vt totum ſpatium primæ horæ diei artificialis inæqualis complectatur, quo Canonicè perſoluatur. Probatur autem his argumentis. Primum eſt: Laudes matutinæ perſolutæ ſunt omni tempore præcedenti, & nunc etiam perſoluendæ albeſcente cælo, antequam Sol hemiſphæriũ noſtrum ſub-
14. *Rationes pro noſtra ſententia.* eat, vt antè docuimus; Ergo altera hora diurna, quam Primam dicimus, neceſſariò peragenda eſt Sole horizontem noſtrum iam ingreſſo, id eſt hora diei artificialis prima.

15. Accedit ratio ſumpta ex hymno ipſius officij, in quo canitur: *Iam lucis orto ſydere*; qui verſus nullo modo aliò trahi poteſt, quàm ad ortum Solis, & ipſius ingreſſum in orbem Finitorem.

16. Probatur 3. ex Caſſiano iam citato qui cùm lib. 3. c. 3. enumeraſſet alias Horas Canonicas, etiam illam Matutinam, quæ vigilias nocturnas comitatur, id eſt Laudes, poſtea c. ſequenti originem tradit alterius Matutinæ, id eſt, Primæ, quam indicat celebrandam poſt ortum Solis: quia abſolutè dicit poſt priores Matutinas peractas, conceſſum ſpatium reficiendis ſomno corporibus vſque ad Solis ortum.

17. Poſtremo idem oſtendit ipſa notiò vocis Prima, & analogia, quam habet cum ſequent. Horis Canonicis. Hæc enim nomen ſortita eſt à prima hora diei artificialis; Atqui prima hora diei, eſt prima ab ortu Solis; ſic enim denominata eſt Tertia à tertia hora diei, Sexta à ſexta, &c. Ergo prima recitanda poſt ortum Solis, licet namque initium diei artificalis ſumi etiam poſſit ab illuceſcente aurora, non tamen prima illius hora, ſi diei artificialis ſolùm horas duodecim tribuamus, iuxta communem loquendi vſum, tunc enim eſſent horæ tredecim, imò & quatuordecim, ſi etiam alteram horam poſt Solis occaſum adijcias, dum lux adhuc dubia eſt.

Hanc ſententiam tenent plerique omnes, Rabanus & Amalarius ſuprà, 18. *Auctores noſtræ ſententiæ.* Hugo Victorinus in Speculo Eccleſiæ c. 3. Gabriel in Can. Miſſæ, lect. 13. Stephanus Durantus lib. 3. de Ritib. c. 7. Bellarminus, Suarez, Francolinus & alij.

Nec refert, quòd Rubrica Breuiarij 19. *Solutio obiectionis.* Rom. die Natalis Chriſti præſcribat illo die ſummo manè Primam celebrandam, quia hoc peculiariter ſtatutum eſt pro illo die, & in conſequentiam trahi non debet. Et ratio huius eſt, quia decet vt Miſſam ſolemnem ſemper aliqua precatio Canonica præcedat, quæ hîc ante Miſſam in aurora decantandam, nulla alia erat niſi Prima. Nam Laudes celebratæ ſunt vna Hora Canonica cum Nocturnis.

Reſtat vt myſteria & rationes inſti- 20. *Myſteria Horæ Primæ, & rationes eius inſtitutionis.* tutionis Primæ attingamus. Et quidem auctores, qui putant Primam & Completorium circa tempora Caſſiani introductam, & quidem alij docent poſt alias quinque horas, quas SS. Patres antiquitus obſeruabant, etiam has celebrari cœptas, quia multorum Epiſcoporum ſtatutum erat, vt clerus & populus mane & ſerò preces Deo funderent, cum oratione Dominica & Symbolo.

Verùm prima religioſæ inſtitutio- 21. *In Sole iuſtitiæ, vt ambulemus mane nobis orandum.* nis huius horæ ratio eſt, quam habet Rabanus lib. 2. de Inſtit. Cler. cap. 3. quia in exortu diei Solem Iuſtitiæ oriri nobis poſtulare debemus, vt in illius lumine ambulantes, peccatorum tenebras & laqueos mortis effugiamus.

Alte-

Digitized by Google

22. *Paſtor nobis neceſſarius, qui nos à lupis eripiat.* Altera eſt ex Amalario lib. 4. de Eccleſ. Offic. c. 2. Sicut ouibus, quæ nocte cuſtodiuntur in ouilibus, poſt matutinam cuſtodiam exeuntibus ad paſcua, neceſſarius eſt opilio, qui eas defendat à lupis irruentibus; ita nobis primo diluculo ſurgentibus ad mandata Domini, neceſſarius eſt paſtor & ductor, qui nos introducat ad eadem mandata & à lupis defendat. Vnde & dicimus, *Deus in adiutorium meum intende*, &c.

23. *Myſterium paſsionis Chriſti, & apparitionis poſt reſurrectionem in littore.* Tertia eſt ex Ruperto. l. 1. de Diuin offic. c. 2. Prima hora, inquit, „Creatori noſtro laudes offerre debemus ante omnem curam corporis, „quâ ſcilicet horâ Dominus noſter „conſputus, illuſus, atque alapis cæſus „eſt, & Pilato propter nos ligatus „aſtitit. Item rediuiuus ſtans in littore „cùm in captura piſcium, à quibus „retia rupta non ſunt ſignificaſſe Eccleſiam, qualis futura eſt in reſurre„ctione mortuorum, mellitum cum „ſeptem diſcipulis celebrauit conui„uium.

24. *Primitiæ diei Deo offerendæ.* Quarta eſt, Sicut primitias frugum Deus ſibi offerri iubebat, ſic ſacerdotes & clerici per ſingulos dies, ante omnes mortalis huius vitæ curas, primam diei horam, velut lucis primitias offerre debent, primoſque animi motus Deo conſecrare. Vide S. Baſilium in Reg. fuſiùs diſputatis, q. 37. & Ambroſium lib. in Hexam. 5. c. 12. & 24.

25. *Reſurrectio Domini mulieribus hac hora annuntiata.* Addit Hugo de S. Victore in Speculo Eccleſiæ cap. 3. per Primam repræſentari Dominicam reſurrectionem, non quidem in articulo temporis quo facta eſt, ſed quo mulieribus ab Angelis, orto iam Sole, nunciata eſt.

CAPVT XXIV.

Tertia, Sexta, Nona quando peragendæ.

HAbent hæ horæ luculentum in vtriuſque ſacri tabularij libris, & SS. Patrum monimentis teſtimonium vt quilibet facilè diſcere poterit ex antè à me commemoratis. Siquidem dies quatuor inſignibus horis quaſi notis illuſtrabatur, diſtinguebatur, Deo conſecrabatur, ſcilicet Tertia, Sexta, Nona, Veſpertina, (præter Primã & Completoriũ, quæ etiã eiuſdem ortum & occaſum inſigniunt) vt nox tribus nocturnis, & Laudibus, ſeu quatuor ſtationibus notatur & illuminatur. Tres iſtas horas inſigniores in rebus humanis, & ſolemniores in orationibus diuinis (ſic loquitur Tertullianus lib. aduerſus Pſychicos cap. 10.) plures myſticæ notæ nobilitant, & illuſtres reddunt. 1. *Dies 4. inſignioribus horis diſtinguitur*

2. *Myſteria Tertiæ ſunt ſententia mortis à Pilato in Chriſtum lata, & S. Spiritus aduentus.* Tertiam duæ conſecrant, ſcilicet ſententia mortis à Pilato in Chriſtum lata, vt auctores ſunt S. Clemens, lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 34. S. Ignatius Epiſt. 2. ad Trallianos, S. Athanaſius lib. de Virginit. Altera S. Spiritus luce Pentecoſtes ſacra in Chriſti Apoſtolos delapſus, vt ſignificant Tertullianus, Cyprianus l. de Orat. Dom. Baſilius ſerm. 1. de Inſtit. Monach. & alibi, Hieronymus in c. 6. Danielis & alij.

3. *Myſteria Sextæ Chriſti crucifixio & D. Petri oratio in loco ſuperiore.* Sextam horam eximiam honorabilemque efficiunt bina quoque inſignia Primum quidem Chriſti in Cruce exaltatio, vt ſuprà admonuit S. Clemens Rom. Afer Cyprianus, Athanaſius Alexandrinus. Deinde Apoſtoli Petri aſcenſus in tectum ſuperius, vt oraret horâ ſextâ, Actor. 10. vt idem Cyprianus & Hieronymus ſuprà aduertunt.

Poſtremò Nonam duo itidem myſteria notabilem reddunt, Ingreſſus ſcilicet Apoſtolorum Petri & Ioannis

in

Digitized by Google

4. *Nona myſteria ſunt Chriſti mors, Petri & Ioannis aſcenſus in templum*

in templum, vt obſeruarunt S. Baſilius & Hieronymus. Et Chriſti in Cruce viuifica mors, vt S. Clemens, Cyprianus, Athanaſius, Ignatius & alij notatis locis ſuggerunt. Copioſiùs hæc tractantur à Rabano, Ruperto, Amalario, Iſidoro, & alijs, qui de diuinis officijs ſcripta ediderunt.

5. *Quatuor diei ſtationes.*

Vt verò de tempore Canonico, quo horarum iſtarum officia peragenda ſunt, agam; ex ſuprà dictis tanquam certiſſimum ſtatuo, diem olim diuidi ſolitum in quatuor ſtationes, quarum vnaquæque tres horas complectebatur, vt auctor eſt Cenſorinus, lib. de Die Natali c. 10. & apud Iudæos eandem viguiſſe conſuetudinem ex Scriptura conijcio, quæ cùm frequenter meminerit Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Veſperæ, perrarò ceteras recenſet.

6. *Tertiæ officium agendum hora 2. vel 3. ab ortu Solis. Sexta in vna trium horarum ſequentium: Similiter Nona 7. 8. vel 9. hora diei.*

Dico igitur Tertiæ officium perſoluendum in hora 2. vel 3. ab ortu Solis (nam primam horam ab eiuſdem ortu, iure ſuo ſibi vendicat Primæ precatio) Sextæ autem in quarta, quinta, vel ſexta eiuſdem diei hora. Nonæ verò in 7. 8 vel 9. Veſperas in 10. 11. vel 12. nam Completorium ſtatim poſt occubitum Solis eſt peragendum, quamuis de hora Veſperarum & Completorij exactiùs poſtea agendum ſit.

7. *Horæ has nomen accipiunt ab vltima hora in qua ponuntur.*

Aduerte autem has horas nomen accipere ab vltima hora, in qua ponuntur; quia licet etiam in priori hora, vel horis poſſint recitari, præcipuè tamen in vltima, à qua complementum ſumunt ſunt celebrandæ, qua in re ſumus ſecuri ſententiam Cardinalis Baronij Tom. 1. Annalium Eccleſiaſtic. anno Chriſti 34. vbi agit de hora Crucifixionis Chriſti, & Francolinus tract. de Temp. Horarum Canonicarum c. 10. n. 1. & 2. & c. 21. n. 11. & ſequent. Vbi refellit computationem Cornelij Ianſenij, & aliorum diuidentium quidem diem in quatuor ſtationes æquales, ſed quarum Prima diceretur mane, ſiue prima complectens 1. 2. & 3. horas. Secunda diceretur Tertia, ſub ſe continens 4. 5. & 6. Tertia verò Sexta, habens ſub ſe 7. 8. & 9. Vltima appellaretur Nona, ſeu Veſpera, comprehendens 10. 11. & 12.

8. *Aliqui auctores alio modo has horas computant.*

9. *Singulis horis canendis, cur plures diei horæ aſſignatæ.*

Ceterùm nulli mirum videri debet, nos plures diei inæquales horas aſſignaſſe pro horæ vnius Canonicæ recitatione: quia, ſi olim, ſaltem quibuſdam in Eccleſijs diebus ſolemnioribus nocturni ſinguli vigiliam vnam noctis tribus horis inæqualibus conſtantem ſortiebantur, cuius initio, medio, vel fine perſoluerentur: cur etiam vna hora Canonica, v. g. Sexta vel Nona non comprehendat vnam ſtationem diurnam, tribus horis inæqualibus habentem? cùm vt rectè aduertit Francolinus c. 21. ſuprà, per hoc precationem Sextæ vel Nonæ non augeamus, ſed potiùs extendamus tempus, quo illa perſoluenda eſt, ac ſubinde Clericorum commodis inſeruiamus. Exemplum huius extenſionis ſuppeditat nobis D. Benedictus in Reg. ſua c. 48. vbi ſtatuit Nonam Canon. quandoque maturiùs agi ſub horam 8. & Tertiam hora 2.

10. *Tabulas Aſtronomicas pro Horis Canonicis legendis fecit Francolinus.*

Ponendæ hîc eſſent tabulæ aſtronomicæ, vnde Lector colligat, quâ diei vel noctis horâ, quælibet pars diuini officij peragenda ſit, quolibet anni tempore, idque, ſiue in Italia, vbi horæ æquinoctiales in Horologijs currunt ab occaſu Solis, ſiue extra Italiam in Belgio, vel alibi, vbi initium horarum fluit à diei vel noctis meridie. Sed laborem hunc nobis ſuſtulit vir omnibus diſciplinis cultiſſimus, Marcellus Francolinus, qui has accuratiſſimè deſignauit, tract. de Tempore Horarum Canonicarum c. 10. & in fine eiuſdem tractatus per multa capita, ad quem ſtudioſum Lectorem Aſtronomices remitto.

Cùm nobis Theologis tam exacta diligentia minimè neceſſaria ſit, quibus

Digitized by Google

11\. *Clarè oſtenditur quod ſit cuiuſque horæ tempus Canonicum.*

ſufficit rudi, vt aiunt, Mineruâ hanc rem tractare & Lectorem monere, vt obſeruet craſſo modo acceſſus abſceſſuſque Solis, ipſumque meridiem, ſciatque officium nocturnum ſoluendum ſub finem tertiæ vel initio quartæ vigiliæ, Laudeſque poſt in ipſa aurora. Primam deinde ſtatim poſt ortum Solis, id eſt, tempore æquinoctiorum, vbi Aries, vel Libra diei ſomnique pares fecerit horas, hora ſexta ſecundùm Belgica, & extra Italiam Horologia: eodemque tempore ęquinoctiorum Tertiam hora diei nona, aliàs tempore medio inter Solis ortum & meridiem, quod æſtate maturius eſt, v.g. inter 7. & 8. noſtratem horam; hyeme verò ſeriùs inter 9. & 10. Sextam verò circa meridiem omni anni tempore. Nonam tempore medio inter meridiem Solisque receſſum: quòd tempore quo dies æquas cum nocte partes diuidit, eſt ſub horam poſtmeridianam tertiam, æſtate verò hora vna ſeriùs, hyeme vna hora citiùs. Veſperarum tandem legitimum ſpatium ſtatim currit initio horæ inæqualis decimę, quæ ſequitur immediatè Nonam, completiturque totum Canonicum earum tempus, tres horas inæquales ante Solis occubitum; vtque paucis expediam, accuratè quis veſpertinum tempus perſoluet vnâ horâ ante Solem occidentem; Completam verò ſtatim principio crepuſculi, licet de tempore poſtremæ vtriuſque horæ ſit aliqua difficultas poſteà diſcutienda.

12\. *Quæſtio proponitur, An horæ Tertia, Sexta, Nona ſoluendæ ſint horis illis labentibus, an verò iam elapſis.*

Poſtremo loco hîc dubium quoddam expediendum eſt, de quo diſceptant Doctores, an videlicet Horæ Canonicæ Tertia, Sexta, Nona, & Veſperæ perſoluendæ ſint horâ 3. 6. 9. 12. labentibus, an verò iam exactis, & elapſis, hoc eſt, initio horæ quartæ, ſeptimæ, decimæ, & prima hora primæ vigiliæ noctis (nam certum, quidquid aliqui contradixerint, Primam peragendam ſtatim poſt ortum Solis & Completam initio crepuſculi veſpertini.)

13\. *Auctores qui docent ſoluendas horis illis præterlapſis.*

Sunt plures Doctores, qui volunt recitandas poſtquam iam hora, à qua Canonicæ preces nomen habent, effluxit, & præterijt. Ita inſinuat Nauarrus in Enchir. de Horis Canonicis cap. 3. n. 76. Couarruuias lib. 4. Variar. Reſolut. c. 20. n. 14. & ſequitur ex ſententia Ianſenij ſuprà poſita. Clariſſimè verò hanc tradit Franciſcus Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis Canonicis c. 3. n. 6. & c. 15. n. 5. & ſequitur ex ijs quæ fusè proſequitur de hora Crucifixionis Chriſti, tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſp. 40. ſect. 6. vbi etiam rationem adfert, quia hic eſt communis modus, & vſus numerandi horas, ſecundùm quem dicitur aliqua actio, v.g. oratio aut concio fieri horâ tertiâ, aut ſextâ, poſtquam ſonuit hora tertia, aut ſexta in horologio Ergo idem dicendum in horarijs precibus recitandis; vt ſcilicet incipiat tempus earum, v.g. Tertiæ, cùm ſonuerit nona in noſtris horologijs. Itidem & Sextæ, cùm in meridie fuerit audita duodecima,

14\. *Alij doctores volunt recitari horis illis labentibus.*

Alij verò auctores, qui tenent tempora harum orationum accepiſſe nomen ab vltima hora, in qua eſſent perſoluendæ, inter quos eſt Cardinalis Baronius ſuprà citatus, docent precationes Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Veſpertinæ horæ dicendas currente, ſeu labente horâ tertiâ, ſextâ, & ceteris; ſic vt ſimul cùm hora tertia, ſexta &c. audita fuerit, compleantur, nec recitentur in hora quarta aut ſeptima, & ceteris ſequent. Tenent hanc expreſsè Card. Bellarminus tom. 3. Controuer. lib. 1. de Bonis Operibus in particulari, c. 11. & Francolinus de Temp. Horarum Canonicarum c. 10. & 21. Vnde ſcribit c. 10. n. 8. Dicendum, inquit, eſt quòd „ debitum tempus Horæ Canonicæ „ re-

„ recitandæ eſt, vt intra ſpatium horæ „ diei ſibi reſpondentis, non extra il- „ lud, eo ſcilicet tranſacto & finito re- „ citetur. Quod ſi, inquit, magis præci- „ sè quæras, in quanam parte illius ſpa- „ tij recitanda ſit Hora Canonica, in „ principio, an in fine cùm multò lon- „ giùs ſpatium ſit temporis (v. g. trium „ horarum æquinoctialium, tum etiam „ inæqualium) quàm recitationis vnius „ Horæ Canonicæ; Reſpondeo quòd „ in quacumque parte illius temporis „ recitetur dummodo tota recitatio „ intra ſpatium illud compleatur, rectè „ & ſuo tempore recitata cenſebitur, „ Sed ſi fieri poſſit; vt cùm finitur hora „ diei finiatur etiam ſimul tota recita- „ tio Horæ Canonicæ, tunc aptiſſimè „ fiet recitatio; excepta tamen Prima „ Canon. quæ ſtatim poſt ortum ſolis „ incipienda. Sententia hæc ſequenda „ eſt, quia ab initio Eccleſiæ dies arti- „ ficialis in quatuor partes æquales ita „ diſtributus erat pro quatuor Horis „ Canonicis Tertia, Sexta, Nona, & „ Veſperis celebrandis, vt dum ſingulæ „ dictæ partes implerentur, non cùm „ impletæ iam eſſent, Horæ Canonicæ „ exoluerentur, ex quibus tamen qua- „ tuor diei partibus duæ particulæ vel „ tunc vel poſtmodum fuerunt deciſæ, „ prima ſcilicet & vltima diei hora pro „ Prima & Completorio peragendis, Hæc Francolinus.

15. *Poſteriorum auctorum ſententia probatur ex SS. Patribus Cypriano, Chryſoſtomo, Iſidoro.*

Probatur hæc ſententia ex SS. Patribus. S. Cyprianus Tract. de Orat. Dom. pro hac facit; cùm ſic ſcribit: „ In orationibus celebrandis inueni- „ mus obſeruaſſe cum Daniele tres „ pueros in fide & captiuitate victores „ horam Tertiam, Sextam, Nonam, „ ſacramento ſcilicet Trinitatis. Nam „ & prima hora in Tertiam veniens „ conſummatum numerum Trinitatis „ oſtendit; itemque ad Sextam quarta „ procedens declarat alterā Trinitatē, „ & quando à ſeptima Nona cōpletur „ per ternas horas, Trinitas perfecta „ numeratur &c. Notanda verò verba illa (*prima hora in tertiā veniens &c.*) quod ſi hora quarta Tertia recitari deberet: Itēq; Sexta hora ſeptima, & Nona hora diei decima, iam non deſignabunt Horæ Canonicæ myſterium SS. Trinitatis, ſed aliquam informem quaternitatem. S. Chryſoſtomus Hom. 59. ad populum, agens de ſuæ ætatis Aſcetis: *Tertiam, inquit, Sextam, Nonam, & Veſpertinas orationes celebrant, & in quatuor partes diem diſpertiti, dum ſingulæ implentur, pſalmodijs & hymnis Deum venerantur.* Vbi obſerua (τὸ implentur) quod hic ἐμφατικώτερον eſt. Non enim dicit cùm impletæ ſunt, vnde ſignificat currente hora tertia & ceteris ſolutum fuiſſe penſum precum horariarum Tertiæ &c. non verò illa iam præterlapſa.

Pari modò loquitur Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. Offic. c. 19. „ Horam Tertiam, Sextam, & Nonam, Daniel & „ tres pueri ſupplicationibus deuoue- „ runt, ſcilicet vt ab ortu diei in tempus „ precationis tres horæ porrectæ Tri- „ nitatis nobis reuerentiam declara- „ rent, pariterque à tertia ad ſextam „ atque inde ad nonam per paria lucis „ interualla varijs dimenſionibus ter- „ minata Trinitas ter die rogata cole- „ retur; Et quæ ſequuntur.

16. *Rationes pro hac ſententia.*

Rationes idem conuincunt. Prima ſumitur ex proportione aliarum horarum; quia Laudes non debent peragi completa quarta vigilia noctis hora inæquali duodecima, quia iam dicerentur orto ſole: nec Prima canonica tranſacta hora prima ab ortu ſolis; ergo ἀναλόγως nec Tertia recitanda finita hora tertia inæquali, ſed ea labente, & ſic de ceteris.

17. *Altera ratio.*

Secundò, Tunc conuenienter canonicæ preces perſoluuntur, cùm tempus ipſarum reſpondet horæ diei; Atqui ſi Tertia v. g. recitaretur finita hora diei artificialis tertia, non reſponderet tem-

pus ipſius horæ diei ; diceretur enim hora ſequente, id eſt, quarta, quæ pertinet ad horam orationis ſequentis, Sextæ ſcilicet, Ergo.

18. *Solutio obiectionis Franciſci Suarez.* Nec his obſtat, quòd concio vel lectio, vt obijcit Suarez, propriè dicatur fieri horâ tertiâ quæ fit tertiâ auditâ in horologio adeoque eâ elapsâ. Quia hoc verum eſt in vſu hominum communi, vbi functiones illæ primordia ſumunt, poſtquam hora aliqua in horologio effluxit: non habet autem locum in illis actionibus, quæ pro termino ſuo habent alicuius horæ auditæ initium, vnde tunc incipit aliqua noua actio, & immediatè ſequitur. Talis verò eſt oratio v. g. Horæ Canonicæ Sextæ quæ incipit currente hora quarta, & ſextâ auditâ finiri debet, quia iam immediatè ſubſequitur Nona. Hoc autem ita factum fuiſſe in horis ſacris & orationi dicatis docent Patres ante producti.

CAPVT XXV.

De Veſperis & earum hora, ſimulque de Lucernario.

1. *Celebris apud Patres hora Veſpertina.* EVndem honorem cum Tertia, Sexta, & Nona, apud priſcos Patres Hora obtinuit Veſpertina. Meminit huius precationis S. Clemens lib. 8. Conſt. Apoſt. c. 34. dum monet veſpere precationes faciendas. Item & Cyprianus lib. de Orat. Dom. dum docet recedente ſole neceſſariò rurſus orandum eſſe. Et S. Athanaſius lib. de Virgin. alloquens Virginem : *Duodecima*, ait, *hora maiorem & longiorem facies ſynaxin.* Clariſſimè verò S. Baſilius tum ſer. 1. de Inſtit. Monach. tum in Reg. fuſiùs diſputatis q. 37. & Ambroſius lib. 3. de Virginitate: *Certè*, inquit, *ſolemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ hora incenſi*: Ita ipſe. Hanc veteres vocarunt Veſpertinam, aliàs Lucernarem, niſi fortè alludat Ambroſius ad ſacrificium antiquæ legis veſpertinum, de quo Pſal. 140. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Videndus quoque D. Hieronymus tum epiſt. 22. ad Euſtochium, tum epiſt. 8. ad Demetriadem, & epiſt. 7. ad Lætam; in qua eſt illud, *Accensâ lucernâ aſſueſcat ſacrificium reddere veſpertinum*, Subſcribunt Chryſoſtomus hom. 59. ad popul. & Caſſianus lib. 3. de Inſtit Renunc. cap. 3. & 4. 2. *Hora veſpertina, hora incenſi, & lucernari.*

3. *Myſteria horæ veſpertinæ, 5. Euchariſtiæ inſtitutio, Chriſti de Cruce depoſitio, eiuſque ſepultura.* Repræſentat nobis Veſpertina pſalmodia cœnam Euchariſticam, veteris holocauſti veſpertini Antitypon, vt tradit Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 20. Rabanus lib. 2. de Inſtit. Clericorum cap. 7. Rupertus lib. 1. de diuin. Offic. c. 6.

Multum venerationis eidem affert Chriſti in Cruce extincti refixio, vt tradunt paſſim auctores, qui de Eccleſiæ officijs ſcripſerunt, Nec malè aſſerimus eadem veſpertinâ hymnodia Chriſti recoli ſepulturam, quamuis Gloſſa in cap. 7. de Celeb. Miſſarum aſſignet illam Completorio. Verùm cùm conſtet ex Antiquis Patribus, S. Ignatio epiſt. ad Trallian. Clemente l. 5. Conſt. Apoſt. c. 16. exangue Chriſti corpus glorioſo conditum ſepulchro ante ſolis abſceſſum ; & ratio etiam manifeſtè demonſtret (ſiquidem non licebat ſabbatho Iudæis vitâ functorum corpora terræ mandare quòd ſtatim occumbente ſole honorem feſtiuum obtinebat) ideò meritò myſterium Chriſti ſepulturæ Officio damus Veſpertino. Quod ſi quis pertinacior 4. Horæ Complenti diurnum penſum myſterium hoc attribuere obſtinauerit, non reluctabimur cùm hæc duo officia, Veſpertinum & Completorium ſe proximè ſubſequantur; quodque vni conuenit, alteri etiam conuenire poſſit. Sunt etiam aliqui rituum ſcriptores, *Aliqui Chriſti ſepulturam aſſignant Completorio.*

qui

qui Completorio aſſignent Romanorum militum excubias ad Chriſti monumentum. Perperam an rectè, arbitretur lector.

5. *Veteres horam Veſpertinam vocarunt Lucernarium.*

Sciendum porrò Veſpertinam Horam à veteribus vocatam fuiſſe τὴν ὥραν τὴν ἐπιλυχνιον, Latinè verò Lucernarium, vel Horam Lucernalem. Sic accipitur apud S. Clementem lib. 8. Conſtit. Apoſt. c. 34. vti ibi notat Franciſcus Turrianus. S. Epiphanius lib. 3. aduerſus hæreſes in fine ſic habet: *Matutini etiam hymni in ipſa ſancta Eccleſia perpetuò fiunt, lucernaleſque ſimul pſalmi ac orationes*; vbi ſermo eſſe videtur de precibus veſpertinis. Idem habet D. Hieronymus epiſtolâ 7. ad Lætam iam citatâ. Caſſianus lib. 3. de Inſtit. Renunc. cap. 3. Veſpertinam *Lucernalem horam* nominat S. Baſilius lib. de Spiritu S. Ad Ampilochium c. 29. Viſum, inquit, eſt patribus noſtris beneficium veſpertini luminis non ſilentio ſuſcipere, ſed ſtatim vt apparuit, gratias agere. At quinam fuerit pater eorum verborum Lucernariæ gratiarum actionis, dicere non poſſumus: populus tamen antiquam edit vocem, & nemini impij putati ſunt, qui dicunt, laudamus Patrem & Filium, & Spiritum S. Dei. Hæc ille. Chryſoſtomus etiam ſic appellat ſcribens in Pſal. 118. Omitto alios, vt Caſſiodorum in Tripart. cap. 38. lib. 9. & Socratem lib. 5. cap. 21. & alios.

6. *Non eſt omnino certum Lucernarium fuiſſe horam veſpertinam.*

Quamuis autem hæc ſimiliter vero dicantur; non tamen omnino indubitatum eſt, Lucernarium fuiſſe Officium Veſpertinum apud SS. Patres. Fortè enim Lucernarium idem erat olim apud quoſdam, quod iam eſt Completorium, cum videatur fuiſſe perſolutum poſt ſolis occaſum; vel fortè aliqui pſalmi erant, qui tempore inter Veſperas & Completorium medio canebantur; vel poſtremò Lucernarium erat Pſalmus, Hymnus vel Antiphona in Veſperis decantari conſueta, ita dicta ab accenſione lucernæ, vt manifeſtè patet S. Iſidoro in Reg. Monach. cap. 6. vbi Lucernarium ſumit pro initio veſpertini officij, quia accenſis cereis vel lampadibus, in gratiarum actionem pro lumine veſpertino canebatur.

7. *Tres ſententiæ de hora Veſperarum.*

Supereſt controuerſia de tempore, quo ſecundùm primam inſtitutionem Veſpertinum officium ſit perſoluendum; qua in difficultate video tres differentes opiniones.

8. *Prima, fuiſſe Veſperas cantatas ſtatim poſt occaſum ſolis.*

Prima eſt, perſolutum ſtatim poſt ſolis receſſum initio crepuſculi veſpertini, & videtur colligi ex S. Baſilio in Regulis fuſiùs diſputatis Interrog. 37. dum ait: Completo iam die gratiarum actionem ſuccedere debet. Idem ſuadet S. Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. Offic. c. 20. & lib. 6. Origin. c. vltimo, dum docet Veſperas eſſe finem diurni officij, & nominari Veſperas à ſidere quod Veſper vocatur, & decedente ſole exoritur. Denique ſerò celebratas Veſperas ſatis inſinuat, quòd veteres dixerunt eas Lucernarium, & horam lucernalem, vt ante vidimus. Non ſolent autem accendi lampades, niſi initio noctis, vel ſaltem poſt ſolis diſceſſum. Ita ſentit Stephanus Durantus lib. 3. de Ritibus cap. 11. num. 7.

9. *Altera ſententia ponit veſpertinam horam diei hora decima maximè vndecima.*

Altera ſententia eſt Francolini paſſim in lib. de Tempore Hor. Canon. vt cap. 19. n. 10. 11. & 16. vbi docet Veſperarum horam eſſe diei decimam & vndecimam, propriè autem vndecimam, quia hæc eſt poſtrema eius pars, quod probat ex Durando in 4. d. 15. q. 9. a. 3. vbi habet. *Hora veſpertina, eſt in decima vel vndecima.* Item ex Ioanne Belet. in Ration. c. 29. Card. de Turrecremata tract. 73. in Reg. D. Benedicti, Henrico Cuyckio in Elucidatione Alphabetica in Caſſianum V. *Lucernalis*, qui aſſerunt Veſperis propriè vndecimam diei horam tribuendam, tum

Digitized by Google

tum quia illa eſt vltima hora quæ veſpertinis precibus relinquitur (nam Completorio duodecima aſſignata eſt) tum quia in parabola operariorum Matth. 20. vndecima hora dicitur pater-familias ad vocandum operarios exiuiſſe, & conſtat diuinum officium auctore Hugone de S. Victore in Speculo Eccleſiæ c. 3. in ijs celebrari horis, in quibus exiſſe commemoratur Paterfamilias ad conducendum operarios. Vide & Caſſianus lib. 3. de Inſtit. Renunc. c. 3. in fine aſſignans horas illius parabolæ horis canonicis, dicit horam vndecimam noſtram lucernarem, id eſt, veſpertinam indicare.

10. *Poſtrema probabilior eandem decimam, vndecima & maximè duodecima tribuit.* Tertia, in quam animis eundum iudico, aſſignat Officio Veſpertino horam decimam, vndecimam, maximè verò duodecimam, à qua tamquam poſtrema ſui & diei parte nomen & complementum ſumit.

Probatur hæc ſententia primò ex SS. Patribus, Cypriano lib. de Orat. Dom. vbi tempus Veſperarum ponit recedente ſole, ac die ceſſante, quod propriè loquendo eſt hora diei duodecima. 11. *Prob. ſententia hæc 1. ex Patribus.* Clarius S. Athanaſius lib. de Virgin. agens de prece veſpertina; *Duodecima*, inquit, *hora maiorem facies ſynaxin &c.* D. Chryſoſtomus hom. 59. ad popul. clariſſimè, *Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſpertinas Orationes celebrant* (monachi) *& in quatuor partes diem diſpertiti, dum ſingulæ partes implentur, pſalmodijs & hymnis Deum venerantur.* Cum ergo Tertiæ, Sextæ & Nonæ, pars vna diei, id eſt, tres horæ tribuantur, cur non & Veſpertinæ Orationi concedantur? quando verò partes diei magis propriè implentur, quàm cùm vltima hora earum aduenerit?

12. *Prob. 2. ex Conc. Turonico 2.* Probatur 2. ex Concilio 2. Turonico can. 19. vbi Horam Veſpertinam vocat duodecimam, quia videlicet duodecima, id eſt, vltima diei hora officium illius exoluendum eſſet, & de mente Concilij dubitari non poteſt, nam alludit ibi ad locum Caſſiani lib. 2. de Inſt. Renunc. c. 4. vbi Caſſianus horam quam Concilium vocat duodecimam appellat veſpertinam. Fuit autem Concilium iſtud coactum ante annos ampliùs mille.

13. *Prob. 3. ex varijs rituum auctoribus.* Probatur 3. ex Amalario lib. de Ordine Antiphon c. 6. vbi ait: *Veſpertinam ſynaxim agimus circa duodecimam horam quæ eſt circa finem diei.* Hugone de S. Victore lib. 2. de Offic. Eccleſ. c. 5. *In noctis,* inquit, *initio ſole occidente, veſpertinum Deo offerimus ſacrificium.* Idem ſentiunt Iſidorus, Rabanus, Rupertus & alij, qui de Eccleſiæ officijs libros ediderunt, dum ſcribunt in fine diei decantandum.

14. *Prob. 4. Ratione.* Probatur 4. ex congruentia. Habent laudes matutinæ inſignem analogiam & proportionem cum precibus veſpertinis, vt patet vtrarumque officium conferenti & perpendenti. Ergo ſicut ille paulò ante ortum ſolis poſtremâ noctis horâ ritè Deo panguntur, ita & hæ paulò ante eiuſdem abſceſſum vltimâ diei horâ congruè dependuntur.

15. *Prob. 5. ex recentioribus.* Denique video paſſim recentiores hanc ſententiam amplecti, vt Bellarminum lib. 1. de orat. cap. 11. Azorium tom. 1. lib. 10. c. 2. q. 10. Aluarez de Paz tom. 3. de Orat, lib. 1. p. 2, c. 4. & alios.

16. *Soluunt obiectiones de Lucernario.* Nec his aduerſatur nomen Lucernarij. Quis enim ignorat faces, lucernáſve etiam accendi in nocturna lumina ſole ad metam properante, præſertim in Oratorijs vel Eccleſijs obſcurioribus, qualia aduerto fuiſſe antiquorum templa.

17. *Nec Caſſianus nobis repugnat.* Quod autem quidam, vt Francolinus & alij pro ſe ſtare putant Caſſianum, dum lib. 3. de Inſtit. Renunc. c. 3. extremis verbis horam Lucernalem vocat vndecimam, magnopere falluntur. Siquidem pſalmodiam veſpertinam

nam ibi confert cùm labore operarum vocatorum hora vndecima in vineam; Atqui conſtat illos cœpiſſe fodere in vinea elapſâ iam vndecimâ, quâ vocati fuerant, & horam vnam ſolidam compleuiſſe. Ergo hora duodecima decurrens propriè eſt tempus canonicum Veſperarum.

18. *Non obſtat Regula D. Benedicti.* Sed neque his repugnat D. Benedictus cùm in Reg. c. 41. ſic ſcribit: *In quadrageſima vſque ad paſcha ad Veſperam reficiant fratres. Ipſa tamen Veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, ſed luce adhuc diei omnia conſummentur. Sed & omni tempore ſiue cœna, ſiue refectionis, hora ſic temperetur, vt cum luce fiant omnia.* Quibus verbis nihil aliud ſignificat, quàm Veſperas ſuo in ordine ante duodecimam fuiſſe peractas, priuſquam accenderentur lumina, quod nos non negamus. Nam ponimus horam veſpertinam non ſolùm duodecimam, (quamuis præcipuè illâ celebrandæ eſſent.) Sed etiam vndecimam & decimam currentem, id eſt, ſtatim poſt abſolutam Nonam.

CAPVT XXVI.

Completorium, vetus eius inſtitutio, hora pſallendi.

1. PEruenimus in recenſione vectigalium Dei laudum & precum diariarum vſque ad vmbilicos.

Etymologia vocis Completorium. De Completorij Etymo varij varia. Placet mihi originatio, quam poſt alios habet Francolinus c. 17. nu. 1. videlicet ita dictum, quia per illud, & diei curſus, & diuinum officium completur, quamuis ſi Anagogiam ſpectes, non reiectanea ſit illa, quam habet Hugo de S. Victore in Spec. Eccleſ. c. 3. & Guilielmus Durandus lib. 5. Ration. c. 10. ſic vocitatum, quia in eo adumbratur nobis completum ſanctorum gaudium futurum poſt huius mundi occaſum. Ad priorem notationem abſque dubio reſpexit S. Benedictus dum c. 42. Reg. poſtquam præcepiſſet à cœna collationes aut vitas patrum omnibus Cœnobitis in vnum coactis ab Anagnoſte legi, ſubdit: *Omnes ergo in vnum poſiti compleant*, quod verbum rectè ibi exponitur à Smaragdo in Commentario; *Completorium canant*, in quo ſcilicet opus Dei, & diurnum officium completur. Nam mox in Regula ſequitur: *Exeuntes à Completorio nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid.* Quod etiam ampliùs liquet ex capitibus duobus in ſequentibus. Acutè verò obſeruauit Francolinus ex lectione Collationum vel ſpiritualis alteriùs libri in monachorum conuentu, quam mox ſequebatur Completorium, originem accepiſſe lectionem breuem, quæ eidem in Breuiarijs noſtris præter morem aliarũ horarum præmitti ſolet. 2. *Tum ſumpſerit originem lectio breuis Completorij.*

Ceterùm quamuis ſcriptores plures vt Francolinus paſſim in ſuo opere de Temp. Hor. Canon. & Bellarminus lib. 1. de orat. c. 11. poſt Radulphus Tungrenſis lib. de canon. obſeruant. propoſit. 14. putent Completorium officium antiquioribus Patribus incognitum, & poſteà adiunctum quotidianarum precum numerum compleuiſſe, idemque ſentiant de Prima; nihilominus cenſeo cum Franciſco Suarez lib. de Orat. 4. c. 5. n. 9. & 10. & alijs Completorium ſiue precationem ante ſomnum quoad quid rei, vt loquuntur Logici, ſemper in Eccleſiâ maximè Romanâ vſitatam fuiſſe, quamuis interdum difficile ſit in veterum Patrum ſcriptis id officij à Veſpertino diſcernere; vnde loca Clementis lib. 8. Conſtit. Apoſt. c. 34. & Cypriani de Orat. Dom. ambigua ſunt, dum orationem ſub noctem commendant; neſcias enim an de veſpertina, an de vltima diei oratione loquantur. 3. *Completorium putant quidam antiquis Patribus ignotum fuiſſe.* 4. *Complet. ſi reſpectemus etiam olim ab initio Eccleſiæ fuit in vſu.*

Sed ſine nebula & caligine planè purus in manum venit locus S. Baſilij

in

5. *Clarè illud ſignificat D. Baſilius.*

in Reg. fuſiùs diſp. Interrog. 37. Cùm enim de precatione, quæ fit die iam finito, ſermonem habuiſſet, id eſt, de Veſperis, hæc ſubijcit: *Tum primùs ſe iam noctis intendentibus tenebris ſequetur petitio, vt quies, quam ſumus capturi, inoffenſa ac ab omni perturbatione ac vitio libera ſit; quâ horâ etiam neceſſariò nonageſimus recitari Pſalmus debet*. Hæc illæ. Næ ego fungus ſim, aut craſſo Bæotorum ſub aëre natus, ſi non hic manu palpo extremam diei orationem. Quid enim hymnus, quid Antiphona, quid oratio Completorij aliud precatur, quàm inoffenſam & immunem à perturbatione animi requietem? An non hic Pſalmus nonageſimus reſonat? Ne quis autem mihi priuatas precatiunculas & cubiculares ſomniet: legat Baſilium, & intelliget ipſum loqui de orationibus, quas in conuentibus haberi ſtatis temporibus quotidianum & ſolemne erat. Aſſocietur Baſilio coæuus Ambroſius lib 3. de Virginit. circa initium, vbi ad

6. *Conſentit Ambroſ.*

noſtrum propoſitum ait: *Solemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ, & hora incenſi* (id eſt Veſperarum) *cùm denique cubitum pergimus*.

7. *Nomen Completorij primum in Regul. D. Benedict.*

Quòd ſi quis nucleo non contentus etiam corticem & nomen Completorij quærat, non facilè reperiet, niſi in ſuppoſititijs quorumdam Patrũ ſcriptis, ante tempora D. Bened. habes itaq; nomẽ Cõpletorij in Reg. illius multarum gentium & familiarum Patris c. 16. & alibi ſæpius: item apud illi ætate ſupparem Caſſiodorum in illud Pſalmi 118. *Septies in die &c.*

8. *Variæ de hora Completorij ſententiæ.*

Quæ Poſtremò fuerit hora canonica priſco Patrum æuo Completorio ſoluendo decreta, dubium eſt: Sunt ſcriptores aliqui, qui docent decantatum fuiſſe in nocte ſcilicet poſt 1. noctis horam, quod colligitur paſſim ex

9. *Cenſent aliqui ſolum poſt primam horam noctis.*

S. Iſidoro, tum in Reg. Monach. c. 6. tum l. 1. de Eccleſ. Offic. c. 21. qui poſt Veſperas extrema parte diei decantatas c. 20. ibidem, oſtendit aliquantulum temporis impenſum rerum ſacrarum meditationi, vel piæ ſcripturarum collationi, & deinde antequam ſomnum caperent cœnobitæ Completorium depenſum; pro quo adducit exemplum Dauidis Pſal. 131. *Si dedero ſomnum oculis meis &c.* Idem inſinuatur in Reg. D. Benedicti c. 42. & ab Hugone Victorino l. 2. de Offic. Eccl. c. 7. Maximè autẽ fauet Amalarius l. 4. de Offic. Eccl. c. 8. vbi ait celebrari Completorium in conticinio noctis. Verùm non videtur hoc in vſu fuiſſe niſi in cõuentibus quorundã monachorum, non verò in Eccleſia Rom. & vniuerſali.

10. *Alij volunt cantatum extremâ diei horâ probabiliter.*

E contra alij volunt Completorium canendum duodecimâ ſiue poſtremâ diei horâ. Hanc ſententiam acerrimè tuetur ſparſim in opere ſuo de Temp. Hor. Can. Franconinus & ex profeſſo cap. 18. quam dicit communiter ab omnibus ferè teneri, citatque pro hac Durandum & Beletum in Rationali, Dom. Sotum & plures alios Theologiæ & Canonum Doctores, adiungitque S. Franciſcum vt habetur in Chronicis Ord. Seraphici, ſolere dicere: *Aduertant, fratres, vt Completorium dicant antequam ſol occidat, vt exinde ſilentium ſeruare poſſint.* Et hæc ſententia valde probabilis ſecundum quam Veſperarum canonicum tempus erit hora diei decima vel propriè vndecima.

11. *Probabilius quidam aſſignant illi crepuſculum veſpertinum poſt occaſum Solis.*

Nihilominus placet mihi aliorum ſententia (quam neceſſariò ſequi cogor qui Veſperis aſſignaui horam propriam duodecimam ſiue diei extimam) qui complendum cenſent quotidianarum precum penſum poſt ſolis occaſum in crepuſculo veſpertino. Ita tenet Alphonſus à Caſtro lib. aduerſus hæreſes. V. *Hor. Can.* in fine Iudocus Clichtouæus in Expoſit. hymni, *Te lucis ante terminum &c.* & plures noſtri æui ſcriptores, vt Stephanus Durant. lib. 3. de Rit. cap. 12. n. 4. & 5. vbi

Digitized by Google

vbi pluribus ſuadet antiquitus Completorium primâ noctis vigiliâ celebratum fuiſſe. Idem ex profeſſo docet Bellarminus lib. 1. de Orat. c. 11. additque huius Horæ tempus canonicum eſſe initium noctis apertè colligi ex omnibus antiquis auctoribus, Iſidoro, Amalario, Hugone Victorino, Ruperto, quos ibi producit. Idem tradit Ioan. Azor. lib. 10. Inſtit. Moral. c. 2. q. 10. Aluarez de Paz tom. 3. l. 1. p. 2. c. 4. & alij.

12. *Præter auctores plures, S. Baſilius clarè hoc docet.* Et certè quamuis deeſſent Doctores, vnus S. Baſilius eſt mihi inſtar omnium, qui hanc primigeniam eſſe Completorij inſtitutionem dilucidè demonſtrat loco iam proximè prolato, vbi ait: *Primis ſe noctis intendentibus tenebris petitionem pro quiete inoffenſa captanda recitandam.* Quando autem ſe primæ intendunt tenebræ, niſi cum veſperugine in cœlo ſyderum anteſignano ſol occidit, & confinium agitur lucis & tenebrarum.

13. *Prob. ex c. præcedente.* Idem confirmant Patrum & Conciliorum auctoritates, quibus capite ſuperiore probaui veſpertinum officium hora duodecima diei agendum.

14. *Probatur ratione.* Accedit his omnibus congruentia quædam: ſicut enim matutinæ laudes, & preces veſpertinæ inter ſe inſignem habent Analogiam, tum in ordine pſalmorum, Hymni, Cantici, &c. tum in tempore (dicuntur enim illæ hora vltima noctis, hæ verò vltima hora diei) ſic etiam eandem habent proportionem Prima & vltima ſiue Completa: habent enim vtraque Symbolum Apoſt. Generalem Confeſſionē, Pſalmos, Hymnos, Preces, Orationes ſiue Collectas, quæ toto anno perdurant. Ergo ſicut Prima penditur prima hora diei, ita etiam vltima ſiue Completa perſolui debebit primâ horâ noctis.

Nec his obſtant argumenta, quæ opponit Francolinus ſuprà cap. 18. quorum hæc ſunt præcipua.

Primùm, Si Completorium primâ noctis vigiliâ perſoluendum eſt, ergo non erit hora diurna, ſed nocturna, quod repugnat cap. 1. de Celeb. Miſſ. & c. *Presbyter* d. 91. & contrauenit ijs quæ docuimus, ſcilicet omnes ſeptem Horas Canonicas eſſe diurnas. 15. *Reſpondetur argumentis Francolini.*

Dico enim Completorium, quamuis ex prima ſui inſtitutione dicendum ſit primâ noctis vigiliâ; eſſe nihilominus Horam ſiue Officium diurnum. Si enim Ius Pontificium Matutinum, id eſt Laudes, vt in teſtibus præcitatis accipitur, collocat inter Horas diurnas, quia in Aurora ſiue Matutino crepuſculo perſoluitur; Cur, quæſo, Completorium non dicetur Hora diurna, quod initio crepuſculi Veſpertini dependitur? cùm enim in vtroque lux crepera, id eſt; dubia ſit, tantumque ſit luminis quantum caliginis, poterit crepuſculum tanquam diei ac noctis fibula, quà diei, quà nocti adſcribi. 16. *Solutio primi.*

Vrget vlteriùs. Poſitâ noſtrâ ſententiâ non erit Completorium Hora diſtincta à Vigilijs nocturnis, quod canonibus iam productis manifeſtè obuenit, vbi poſt ſeptem Horas canonicas enumratas, ſubiunguntur Vigiliæ Nocturnæ id eſt, tres Nocturni, qui olim ſeparatim ſecundum tres vigilias noctis ſoluebantur. 17.

Reſpondeo nec hoc obeſſe, tum quia, ſicut Prima & Tertia diuerſæ Horæ Canonicæ ſunt; licet in eadem prima parte diei pſallantur, quia vna habet pro tempore ſibi proprio ortum ſolis, ſiue primam horam lucis; altera verò finem primæ partis diei ſiue horam tertiam: ita hic in propoſito duæ diſtinctæ Horæ, vel ſaltem (ne quis in verbo me capiat) Officia erunt duo diſtincta Completorium & Vigiliæ Nocturnæ, licet in eadem parte noctis peragantur: Completa videlicet initio crepuſculi ante lucis terminum & primus Nocturnus in eadem noctis parte 18. *Solutio 2.*

n expri-

expirante ſiue poſtrema; tum quia, an olim Nocturni diſiuncti per tres noctis cuſtodias recitarentur, adhuc ſub iudice lis eſt, nec facilè componetur; quâ de re alibi.

19. *Reſponſio ad 3.* Nec tertiò lectorem percellat hymnus Completorij, *Te lucis ante terminum*, quaſi ob id peragendum indicetur ante ſolis receſſum; quia, vt rectè aduertit Clichtouæus ſuprà, intelligitur de luce crepuſculi non corporis ſolaris: abſoluendum enim Completorium ante finem crepuſculi, non ante occubitum ſolis. Alio modo accipitur in hymno Primæ, *Iam lucis orto ſydere*: quia ibi ſignificatur, Primam non inchoandam niſi ſole exorto, non verò ſolùm luce. Et hæc dicta ſint de antiqua & primæua Completorij inſtitutione.

20. *Rationes inſtitutionis Completorij.* Rationes inſtitutionis nobis ſuggerunt, partim monimenta SS. Patrum Chryſoſtomi Ambroſij & maximè Baſilij; partim ipſum crepuſculi officium die iam inueſperaſcente, Confeſſio, Pſalmi, Hymnus, Antiphona, Preces, Collecta. Sunt autem breuiter hæ: gratiarum actio pro beneficijs in nos à Dei liberali manu toto die congeſtis, noxarum per lucem contractarum, cōcepto animi dolore & propoſito vitę melioris, expiatio, & deprecatio pro inoffenſo capiendo ſomno, humani generis hoſtibus à tutelaribus ſpiritibus, fuſis, fugatiſque.

21. *Myſteria eiuſdem horæ.* Rupertus aſſignat huic horæ pauorem & triſtitiam Chriſti in horto, agoniam & ſudorem ſanguineum. Item ſerotinam die Reſurrectionis apparitionem factam diſcipulis, dicente Chriſto: *Pax vobis*; quæ ſub crepuſculum veſpertinum accidiſſe certum eſt; Vide illum lib. 1. de Diuinis Officijs cap. 7.

CAPVT XXVII.

Non ſunt audiendi hæretici, qui, tum alia multa in Pſalmodia reprehendunt, tum præcipuè linguâ Latinâ vulgo ignotâ eam à Catholicis peragi ringuntur.

MVltò putidè, ne dicam ſtolidè, calumniantur in Eccleſiæ diarijs precationibus aduerſarij, quorum nænias & ineptias fusè proſequuntur, & refellunt, noſtri temporis hæreſiologi: Poſt Thomam Waldenſem diſputantem cum Wicleſiſtis tom. 3. de Sacramentis toto titulo 2. & 3. Videndus Alphonſus à Caſtro aduerſus hæreſes V. *Horæ Canonicæ* & V. *Oratio*. Theodorus Peltanus 3. lib. de Tribus bonorum operum generibus c. 8. & 9. Iudocus Coccius tom. 2. Controuerſ. lib. 8. a. 9. Bellarminus tom. 3. Controuerſ. lib. 1. de Bonis Operibus in particulari c. 12. 16. 17. Gisbertus Scheuichauius lib. 1. de Eccleſ. vita & moribus c. 71. & deinceps, & alij. 1. *Hæretici multa calumniantur in Horis Canonicis.*

Inueteratum in S. Dei Eccleſiam odium, quod à Paulo Samoſateno, Hilario, Ariano, Donatiſtis, Vigilantio, Nyctazontibus ſiue Somniculoſis, Petrobruſianis, Wicleſiſtis, Thaboritis, & ceteris eiuſmodi furijs, quas Sanctorum Patrum etiam eiuſmodi monſtrorum ferax vidit ætas, hæretici nouelli ſuxerunt, multa eos nefanda in precationes, quas canonicas vocamus, à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque propagatas, euomere, & blaterare compulit; quæ, quia meræ calumniæ ſunt, & futiles gerræ, lector ex ijs quæ ante ſcripſimus, & impoſterum ſcripturi ſumus, facilè quaſi aranearum telas diſrumpet. Quis enim non rideat, cùm catholicos ſacerdotes Baaliſmi arguunt? 2. *Imitantur in hoc antiquos hæreticos ſuos parentes.*

Digitized by Google

gunnt? quaſi verò nos idolum aliquod aut falſum Deum laudemus, aut inuocemus, aut in oratione vocem extollere Baaliticum ſit, Chriſtuſque in Cruce clamans, Baal vocauerit. Apage

3. *Calumnia eorum rei propoſita ineptia refelluntur.*

iſtas nugas, quin contra pari iure reponamus illis ⬤o calumnia impacta balatum & boatum, quo paſſim inconditis clamoribus ipſorum Fana reſponſant & remugiunt, quibus meritò illud Satyrici, inſones:

Arcadiæ pecuaria rudere credas,

Quis vmquam Chriſtianorum voce noſtra Deum egere ſibi perſuaſit, vt preces noſtras exaudiat, & non potiùs optauit mille ſibi linguas, & mille ora, &, vt omnia membra verterentur in voces, vt dicant, *Domine quis ſimilis tibi?* Huccine rerum venimus, vt iſthæc audiamus? Sed manum moueo ab hac tabula, quia nec calamum deterere, nec bonas perdere chartas libet. Si quis incidat dignus iudice nodus, ſtylum reprehendam. Iam itaque Germanæ iſtæ Lyræ faceſſant.

4. *Diſputatur quæſtio an Pſalmodia vulgari linguâ ſoluenda.*

Solùm hîc rationem do, cur pſalmodia non vulgari aut vernaculo idiomate, ſed Latino à Catholicis celebretur. Lector interim diſpiciat, quid ex profeſſo ſcripſerint Iacobus Ledeſma lib. de diuinis Scripturis quâuis linguâ non legendis. Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei c. 15. & 16. Franciſcus Coſterus in Enchiridio Controuerſiarum c. 19. & alij.

5. *Nec decens nec expediens fuit offic. diuinum vulgari linguâ dici.*

Dico itaque, nullo modo decens aut expediens fuiſſe, vt officium Eccleſiæ vulgari idiomate perageretur, legeretur, aut cantaretur. Licet enim fructus aliquis in vulgus ex ea lectione vel cantu promanaturus videri poſſit, maior tamen indecentia maiuſque incommodum redundaret. Inſinuauit hoc ante annos 500. & ampliùs Gregorius VII. in Epiſtolâ ad Ducem Bohemorum, dum ei abſolutè recuſat Diuinum Officium in ſua ditione linguâ Sclauonicâ celebrari: *Quia*, inquit, *populo vileſceret, & pateret deſpectui, vel malè intellectum rudiores in errorem induceret.* Plura enumerat Innocentius III. in Epiſtolâ ad Abbatem Ciſtercienſem & eius collegas. Nihil ergo in tanti momenti negotio innouandum, ſed quod hactenus ab Apoſtolorum temporibus obſeruatum eſt, ſanctè retinendum. Confer exiguam paucorum vtilitatem cùm his multiſque alijs, quæ citati auctores commemorant, incommodis, & modò æquus arbiter eſſe velis, cauſam Eccleſiæ adiudicabis: quamuis etiam imperitum vulgus non careat ſpirituali ſuo fructu. Nouit enim ex Paſtorum ſuorum concionibus, & priuata piorum librorum lectione, quid in genere ſaltem recitetur, vel cantetur. Scit diuinam maieſtatem laudari, pro ſe Eccleſiæ miniſtros preces fundere. Audit SS. Trinitatem ſacrâ doxologiâ celebrari, opem D. Virginis cælitumque depoſci. His mentem ſuam, ſupplicationes ſuas, Eulogias ſuas adiungere poteſt. Denique tantum plerumque emolumenti, guſtuſque ſpiritualis idiotæ pij percipiunt ex diligenti attentione ad rituum Eccleſiaſticorum decorem, quantum multi viri eruditi & Latinæ linguæ periti. Non enim is præcipuum fructum ex canonicis horis haurit, qui nudum & grammaticum verborum ſenſum percipit, ſed qui myſteria penetrat, qui vim ſententiarum, ſenſumque ſcripturarum occultiorem peruadit. Quotus autem quiſque ille eſt, non dico ex Rhetoricæ, aut Grammaticæ exedris, aut philoſophorum lycæis, ſed ex Theologorum etiam ſubſellijs? Compello hîc omnes Cœnobitas, Canonicos, Pſaltas, Dei ſeruitio conſecratos myſtas. Plures candidè ſuam fatebuntur inſcitiam. Magno cælitus hauſto lumine, multo ſtudio, aſſidua me-

6. *Greg. 7. hoc oſtendit & Innoc. 3.*

7. *Vtilitates etiam promanant in vulgus ex lectione eff. diuini linguâ Latinâ.*

8. *Pauci etiam Latini ſcripturas intelligunt quas legunt.*

9. *Finis primarius*

Pſalmodia non eſt populi inſtructio, ſed Dei laus.

meditatione, frequenti lectione opus eſt.

10. *Quid linguæ Latinæ imperiti facere debeant cum horas pſallunt.*

Poſtremò primarius finis ſacræ pſalmodiæ non eſt populi inſtructio, ſed Dei cultus & veneratio. Paucula hîc iuuat attexere ad ſpirituale ſolatium Velatarum Virginum & Aſcetriarum, quibus incumbit quot diebus penſum horariarum precum perſoluere. Objicient ſuam ignorantiam, addent mentem ſuam ſine fructu manere. Demus hoc magnam partem verum eſſe: non enim verborum ſacrorum notionem capiunt, cum Latinè neſciant. Verùm agedum, elaborent ſpiritu orare, ſpiritu pſallere, id eſt, animo collecto erecto ad Deum & inflammato, orationes ante thronum Dei offerre, intendant Dei maieſtatem pro viribus laudare, pro acceptis beneficiis gratias agere: in his ſint, hæc agant: Meminerint S. Lutgardis virginis

11. *S. Lutgardis Pſalmos non intelligebat, & tamen dæmones cùm pſalleret, fugabat.*

ſanctiſſimæ, de qua refert Thomas Cantipratanus apud Surium 16. Iunij, quòd cùm Pſalmos non intelligeret, quando tamen Horarum præludium, *Deus in adiutorium, &c.* & quoſdam alios verſus meditabunda cantabat, cernebat tenebriones ſpiritus horrore quaſi panico perfuſos fugam arripere, & à malis ſuggerendis abſiſtere. Rogatus aliquando S. Iordanus Ordinis Prædicatorum quondam Magiſter Generalis, an monialium preces Latinâ

12. *S. Iordanus ſimilitudine de pretio gemmæ oſtendit indoctorum preces Deo gratas eſſe.*

linguâ fuſæ Deo gratæ eſſent; Reſpondit hoc ſimili; Sicut gemma in manu ruſtici, qui pretium ignorat, tantum valet, quantum in manu præſtantis gemmarij, qui pretium nouit; ſic & preces tantum valent in ore rudis & indocti, qui earum ſenſum non capit, quantum in ore periti & intelligentis.

13. *Idem declaratur exemplo*

Placuit Chriſto Domino balbutientium puellorum Acroama accinentium in templo Matth. 21. *O ſanna Filio Dauid*, & ſcribis indignantibus & dicentibus *Audis quid iſti dicunt?* Reſpondetur: *Vtique numquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?*

Infantium Hebræorum in templo Chriſto O ſanna accinentium.

Si perfecta Dei laudatio proceſſit ab ore Hebræorum infantium, qui ea quę canerent, non aſſequebantur (erant enim infantes propr[illegible] dicti, vt obſeruauit Chryſoſtomus, Euthymius) cur negemus canonicas precationes Deo acceptas eſſe, quas ἀναλφάβητοι, linguæ Latinæ rudes, idiotæ, aut Sanctimoniales perſoluunt? Declarari hoc ſolet vulgari ſimilitudine. Sicut imæ plebis 14.

Alia de eadem re ſimilitudo.

homulus Regi, vt eius gratiam ineat, libellum ſupplicem porrigens ab aliquo præclaro Iureconſulto elaboratum, tantumdem impetrat, quamuis idioma, quo conſcriptus eſt, non intelligat, quantum alius illius callentiſſimus; ita illiteratus, latinitatiſque ignarus preces Eccleſiæ, vt plurimùm à Spiritu Sancto dictatas Deo offerens, ſæpiùs plus promeretur quàm ſacerdos linguarum peritiſſimus.

Oſtendit hoc Origenes Homil. 20. 15.

Origines docet multum vtilitatis accreſcere populo ex precibus Eccleſiæ quas non intelligit, adducitque ad hoc ſimile de incantatore qui carmine, quod non intelligit, ſopit ſerpentes.

in Ioſue, vbi copioſè & eleganter probat magnam vtilitatem accreſcere populo, dum recitat, vel audit precationes, quas non percipit. Docet eas placere Deo, delectare Angelos, terrere Dæmones: Addit verba ſacra etiam non intellecta, neſcio tamen quibus arcanis modis afficere in oratione eis vtentes. *Sicut enim*, inquit, *creditum à gentibus eſt incantatorum verba ſerpẽtes ſopire, quæ ne illi quidem qui vſurpãt nôrunt, ita multò magis Dei verba, etiam non percepta mouent & excitant ea promentes.* Aliter applicat hoc ſimile Abbas Paſtor in Vitis Patrum, cùm enim quidam apud eum conquereretur, quòd in oratione pijs affectibus non caperetur, eò quòd verborum ſignificata ignoraret, eum ſic eſt conſolatus, *Tu tamen*, inquit, *orare perge; quoniam ſicut incantator, licet virtutem verborum, quæ dicit, neſciat, ſerpens tamen audit & intelligit ea, iiſque ſubijcitur*

incan-

Digitized by Google

incantanti : Sic & nos quamuis ignoremus virtutem eorum, quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt, terrentur atque diſcedunt.

16. *Soluitur obiectio ex prioris ad Corinth. c. 14.*

Vnus eximendus ſcrupulus, quem Apoſtolus nobis inijcit prioris ad Corinth. 14. vbi præcipere videtur, ne orationes Eccleſiæ ignotâ & peregrinâ linguâ fiant, ſed potiùs vulgari, vt ab omnibus percipiantur, & populi cœtus inſtruatur. Verba, quæ maximè vrgent, ſunt hæc v. 14. & ſequ. *Si orem,* inquit, *linguâ* (ignotâ) *Spiritus* (id eſt affectus) *meus orat, mens autem mea* (intelligentia, & ſenſus aliorum, qui me audiunt) *ſine fructu eſt. Quid ergo eſt?* (id eſt, quid agendum nobis ſupereſt?) *orabo ſpiritu* (vt animus meus intus reficiatur) *orabo & mente* (id eſt intelligenter, vt adſtantes quid orem percipere poſſint) *pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Ceterùm ſi benedixeris ſpiritu,* (Deum laudaueris linguâ & ſermone ignoto, quo ſolùm ſpiritus & affectus tuus paſcatur) *qui ſupplet locum idiotæ* (id eſt, idiota illiteratus quiſpiam & plebeius tui ſermonis ignarus) *quomodo dicit amen ſuper tuam benedictionem?* (quomodo poterit illam approbare, confirmare aut idem tecum optare?) *quoniam quid dicas neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur, &c.* Hactenus Apoſtolus.

17. *Non agit Apoſtolus de diuinis officijs, quæ Dei ſunt laudatio, ſed de hymnis aut Pſalmis quæ in conuentibus olim ad aliorum inſtructionem recitabantur.*

Reſpondeo breuiter Apoſtolum ibi non agere de diuinis officijs aut publicis Eccleſiæ precationibus, quæ ab initio ſemper in Chriſtianorum conuentibus ſermone communi, vt puta, Hebræo, Græco vel Latino celebrata fuêre, non verò vernaculo idiomate; ſed de Hymnis, Canticis aut Orationibus, quas priuatus quiſpiam ſuo nomine in ipſorum cœtibus ex dono linguarum tunc gratis à Deo conceſſo fundere aut canere ſolebat. Cùm autem finis, cur populus cogeretur, eſſet communis omnium inſtructio, ædificatio & conſolatio, fruſtra omnino & ſine fructu auditorum huiuſmodi ſpiritualia, & interdum myſterijs plena cantica aut hymni recitabantur linguâ peregrinâ & incognitâ, niſi explicarentur. Hoc ſatis indicant verba Apoſtoli, quæ immediatè ſubdit; *gratias,* inquit *ago Deo meo, quòd omnium veſtrûm linguâ loquor : ſed in Eccleſia volo* (id eſt malo) *quinque* (pauca verba) *ſenſu meo loqui* (ſic vt alij me ſentiant & intelligant) *vt & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in linguâ ignota* (ſcilicet auditoribus, per quam non inſtruantur.) Nihil ergo hîc contra precationes horarias, quæ Latino ſermone fiunt à publicis Eccleſiæ miniſtris nomine totius populi ex eiuſdem Eccleſiæ approbatione, imò ſtatuto & præcepto : tùm enim earum finis præcipuus non ſit populi inſtructio, ſed Dei cultus, non requiritur vt linguâ vernacula habeantur.

CAPVT XXVIII.

Nihil eorum ex quibus Horariæ precationes conſtant, meritò reprehendi poteſt.

1. *Proponuntur argumenta quæ contra horarum Canonicarum materiam obijci poſſunt.*

Hactenus oſtendimus laudabilem eſſe Canonicarum precum inſtitutionem, & horis, quibus Eccleſia aſſueuit, meritò Deum laudari. Reſtat nunc vt huius officij, materiam quam in argumentum diuinæ laudis & obſecrationis Eccleſia aſſumpſit honeſtam & diuino cultui accommodatam demonſtremus. Quod primum hoc capite ex contrarium rationum quæ in genere obijci poſſunt, confutatione conſtabit: Sunt autem hæ,

2. *Arguitur oratio Canonica quaſi nimis pro-*

Prima, Videtur precatio Eccleſiæ excedere nimium in prolixitate, quod minùs conuenit, tum quia lectorem grauat, faſtidium adfert, & occaſionem præbet diuerſis mentis euagationibus,

tixa contra præceptum Chriſti, ſententiam D. Aug. & D. Thomæ.

nibus, populique deuotionem minuit, tum quia repugnat Chriſti præcepto, Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui*, & ſententiæ D. Auguſtini Epiſt. 121. ad Probam c. 10. vbi videtur improbare longas orationes, cùm inter cetera hæc „habet: Dicuntur fratres in Ægypto „crebras quidē habere orationes, ſed „eas tamen breuiſſimas, & raptim „quodammodo iaculatas, ne illa vigi„lanter erecta, quæ oranti plurimùm „neceſſaria, per productiores moras „euaneſcat, atque hebetetur intentio. „Ac per hoc etiā ipſi ſatis oſtēdūt hanc „intētionē ſicut nō eſt obtūdēda ſi per„durare non poteſt, ita ſi perdurauerit, „non citò eſſe rumpendam. Abſit „enim ab oratione multa locutio, ſed „non deſit multa precatio, ſi feruens „perſeueret intentio. Vbi D. Auguſtinus orationem, eiuſque diuturnitatem vult commenſurari moræ, & extenſioni deſiderij, feruoriſque, qui vbi elanguerit, vult etiam orationem finiri, quæ etiam eſt ſententia D. Thomæ, 2. 2. quæſt. 83. a. 14. vbi ſic ſcribit, Con„ueniens eſt, vt oratio tantum duret „quantum eſt vtile ad excitandum „interioris deſiderij feruorem, cùm „verò hanc menſuram excedit, ita „quòd ſine tædio durare non poſſit, „non eſt vlteriùs protendenda. Et „paulò pòſt. Sicut hoc eſt attendēdū in „oratione ſingulari per comparatio„nem ad intentionem orantis, ita „etiam in communi oratione per „comparationem ad populi deuotionem. Hæc D. Thomas. Eadem de orationis breuitate habet Caſſianus lib. 2. de Inſtit. Renunc. c. 10 loquens de Ægypti monachis, *Vtilius cenſent breues quidem orationes, ſed creberrimas fieri, illud quidem vt frequentiùs Dominum deprecantes, jugiter eidem cohærere poſſimus; hoc verò vt inſidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè cùm oramus, inſiſtit, ſuccinctâ breuitate vitemus.* Vide eundem cap. ſequenti & collat. 9. cap. 36. & Chryſoſtomum homil. 79. ad populum.

3. *Monachi Ægypti breues ſed crebras orationes fundebant.*

4.

Secunda ratio. Moleſta ſolet eſſe tum audienti, tum recitanti eorundem verborum repetitio, quod etiam vetat Sapiens Eccleſ. 7. cùm ait: *Ne ſæpe repeiteres verbum in oratione tua*; quod tamen fieri videmus in officio Eccleſiæ.

2. Obiectio quòd eadem verba repetantur.

5.

Tertia, Oratio vocalis, vt ex D. Auguſtino ſuprà ad Probam cap. 9. & D. Thoma ſuprà artic. 12. docui, adhibetur, vt mentis attentio & deuotio continuetur. Sed hoc commodè fieri non poteſt in horarijs precationibus, quarum materia varia eſt & multiplex, vbi nunc Pſalmi, nunc Lectiones, nunc Orationes ſe offerunt: ſolet enim varietas attentionis aciem abrumpere, orantem diſtrahere, & conſequenter deuotionem reprimere, &c.

3. Quia varietas materiæ obſtat attentioni orantium.

6.

Quarta, Solet magna in Officium Canonicum incidere mutatio. Vt enim omittam diuerſitatem Breuiariorum, dum quidam Romanum, alij ſui ordinis, alij diuerſarum Cathedralium Eccleſiarum legunt vel canunt, &c. ipſa Romani Breuiarij formâ ſæpiùs fuit mutata vel reformata à diuerſis Pontificibus, vt Gelaſio I. Gregorio I. Gregorio VII. & noſtro tempore à Pio Quinto, & Clemente VIII. quibuſdam additis, omiſſis, mutatis, quod minùs congruere videtur eius dignitati.

4. Quia Breuiaria varia ſunt, & ſæpius eorum forma mutatur.

7.

Quinta, Multa ſæpè in Horis ponuntur, quæ vel nihil, vel parum ſpectant ad venerationem myſterij, quod eo die ab Eccleſia colitur, vel ad Sancti illius honorem, cuius lux feſta agitur (vt videre licet ex pſalmis qui ſolemnitati cuilibet aſſignantur) quod mentem orantis à propoſito auocat.

5. Multa ſæpe canuntur quæ ad rem nihil pertinent.

8.

Sexta, Poſtulat dignitas Diuini Officij vt nihil in eo habeatur, quod falſitati aut errori obnoxium eſſe poſſit. Atqui in horis multa continentur, quæ non ſunt infallibilis veritatis, cùm ab hominibus pleraque ſint compoſita,

6 Quædam in diuino officio habentur quæ incerta

qui

Digitized by Google

ſunt & errori obnoxia.

qui errare potuerunt, quia non fuerunt ſcriptores Canonici. Multæ etiam hiſtoriæ referuntur, quæ non nituntur niſi fide humana. Ergo. Accedit Concilium Laodicenum cap. 59. conſtituiſſe, vt lectiones ſolùm ex libris ſacris ſumerentur.

9.

7. Lectiones horarum non videntur ad Dei laudem vel orationem pertinere.

Poſtrema. Finis Officij Diuini, vt ſæpe dictum, eſt Deum colere, & exorare. Atqui proximum medium ad Dei cultum vel orationem non ſunt lectiones ex geſtis Sanctorum, vel Patrum concionibus depromptæ, quæ potiùs ſeruiunt exhortationi aut exemplo. Ergo minùs aptè ad Dei cultum vel orationem aſſumuntur.

Hæc ſunt ferè quæ contra Diuini Officij materiam opponi poſſunt, quæ breuiter ordine diluo.

10.

Reſponſio ad primum vbi oſtenditur non videri officium nimis longum.

Ad primum Dico, Canonicum officium, prout in Eccleſijs religioſis vel ſecularibus benè inſtitutis canitur, vel à viris pijs priuatim legitur, mihi diuturnum aut prolixum non videri, Siquidem hora cum dimidia plus minus perlegi priuatim poteſt; tribus verò horis plus minùs decantari. Quòd ſi pro more ſolemnium dierum plus interdum temporis in cantu impendatur, diuturnitas illa pluribus alijs modis ſolet compenſari, tum graui & ſuaui vocum ſymphoniâ, & organorum modulatione, ſplendoreque & apparatu ſacrarum veſtium, & thymiatibus; tum admirabili, & Spiritus ſancti haud dubiè artificio compoſita, varietate Antiphonarum, Lectionum, Reſponſoriorum dierum celebritati optimè quadrantium; tum maximè incredibili deuotionis dulcedine, quam Deus hominibus rerum ſpiritualium rudibus, imò interdum multis antea criminibus contaminatis, communicare & ſuperinfundere ſolet; tum etiam diuerſitate tonorum, quibus Pſalmi concinuntur. Deinde preces illæ horariæ penſũ ſunt corũ, qui vel ratione ſacrorũ ordinũ vel beneficij Eccleſiaſtici, vel Religionis ad Chorum deſtinatæ, diuino ſeruitio ſunt mancipati, non verò aliorum, niſi ſponte illud aſſumpſerint.

11.

Diuturnitas ſi quæ eſt pluribus modis compenſatur.

12.

Longum videri non debet Eccleſiæ miniſtris ſi paucas horas Dei laudi quotidie impendunt.

Iam verò laborioſumne aut prolixum videri poteſt, ſi Dei miniſtri ipſius cultui dicati pauculas horas orationi aut diuinis laudibus quotidie attribuant? Cùm à Regio pſalmodo ſcriptum ſit Pſal. 103. de hominibus generatim; *Exibit homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam vſque ad veſperum.* Et Vinitores Matth. 20. Portent pondus diei & æſtus, vt accipiant denarium diurnum. Et (vt de frequentia, & extenſione pſalmodiæ aliqua aſpergamus) ipſemet egregius Pſaltes Iſrael, de ſe teſtatur, Pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*, & iterum Pſalm 70. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Et rurſus. *Septies in die laudem dixi tibi.* Pſal. 118. & alibi ſæpe. Quod ſi è vulgo aliqui chori officijs interſint ſuaptè ſponte & pia animi ad diuina propenſi inductione, illis libitum eſt abſcedere cùm placuerit, & eam partem audire precum quam deuotio ſuggeſſerit. Nullum enim onus quotidianarum precum ijs impoſitum eſt.

13.

Tædium animi quomodo in prolixiore oratione ſuperandum.

Adde his, tædium ſæpe prouenire tempore orationis, non ex ipſa precum vocalium diuturnitate, ſed ex animi parum diuinis rebus dediti languore, mali dæmonis impugnatione, & praua conſuetudine, quod cùm accidit, ſequendum in ſpiritualibus exercitatorum conſilium, & inter ceteros S. P. Ignatij in libello Exercitiorum; tum enim diutiùs protrahenda comprecatio, & tædium animi vigore vincendum, prauaque conſuetudo meliore ſuperanda, ita vt clauus clauo pellatur. Inſiſtendum veſtigijs feruentis iſtius animæ, quæ canebat Pſalm. 62. *In terra deſerta, inuia, & inaquoſa ſic in ſancto appa-*

rui

Digitized by Google

tui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. En propheta factus ſicut terra, ſine aqua, & herba arida, nihilominus, quaſi in templi penetralibus conſtitutus, cœleſtibus delicijs irroratur: Saluatoris orantis exemplum ſibi proponat piùs Aſcetes, qui Lucæ 22. factus in agonia prolixiùs, & extenſiùs orabat. Æmulari ſtudeat viros religioſos, qui numquam faſtidio afficiebantur, quàmuis officium diutiſſimè prorogaretur, de quibus alio loco. Quod ſi quis priuatum officium recitet, & tædium excutere non poſſit, me auctore vel in commodius tempus, quo attentiùs & ſapidius oret differet, vel paululum accelerabit recitando, prout prudentia cuique & vnctio dictabit.

14. *Explicantur verba Chriſti: orantes nolite multum loqui.*

Nec repugnant verba Chriſti Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui*, quia mox ſubdit, *ſicut Ethnici. Putant enim quod in multi loquio ſuò* (Græcè propter *βαττολόγιαν*) *exaudiantur*, id eſt, quaſi Deus vana & futili verborum nugacitate faciliùs neceſſitates eorum agnoſcat, & propenſiùs, quæ petuntur concedat. Non vetat ergo Chriſtus prolixam orationem vocalem ſed verborum crepitacula, & bracteatas nugas, ſiue verboſitatem maximè ab errore profectam. Rectè enim ſuprà D. Auguſtinus ad Probam cap. 10. *Neque enim*, inquit, *vt nonnulli putant, hoc eſt, orare in multiloquio, ſi diutiùs oretur.* Et inferiùs *Multum loqui*, ait, *eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis*

15. *Regula D. Auguſtini de oratione æquanda cum feruore deſiderij, intelligitur de oratione priuata ex deuotione.*

Regula autem D. Auguſtini & S. Thomæ de oratione æquanda cum feruore deſiderij interiore, vt bene explicat Suarez lib. 3. de oratione cap. 7. n. 4. intelligenda eſt de oratione, quam quis proprio aſſumit arbitrio, non vero de ea, ad quam quis obligatur, qualis eſt canonica, quæ tantum temporis ex præcepto requirit, quantum opus eſt vt publicè cantando, priuatim autem legendo grauiter & religioſè coram Deo & hominibus peragatur. Hoc verò ſpatium modò longius, modò breuius varijs ex cauſis eſſe ſolet: imò interdum vtile eſt, & conſulendum, vt, cùm frequens populus ad diuinas laudes concurrit, clerus illius deuotioni inſeruiat, cantum modò contrahendo, modò producendo.

16. *Pſalmodia Ægyptiorum non fuit breuis, ſed bene collecta.*

Caſſianus verò loqui videtur de orationibus, quas Collectas vocamus, quas breues conciſas probat. Ceterùm pſalmodiam etiam Ægyptiorum monachorum non fuiſſe breuem ſatis arguit duodenarius pſalmorum numerus, tam in Veſpertinis quàm Nocturnis eorum conuentibus, vt liquet ex cap. 5. & 6. eiuſdem libri 2. cui & lectiones ex veteri & nouo Teſtamento adiungebantur, vt habet ibidem.

17. *Soluitur 2. obiectio.*

18. *Non omnis verborum repetitio ingrata.*

Ad alteram reſpondeo, non omnem verborum aut ſententiarum iterationem grauem aut odioſam eſſe, ſed inſulſam pondere rerum carentium & inanium vocum repetitionem: alioqui quomodo verus ille adagio *δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά*, & iſtud, *decies repetita placebunt*: quod multò etiam magis locum habet in ſuaui modulatione ſententiarum ſacrarum, quibus mentis attentio feruorque continuatur, confirmatur, augetur. Nec illa inculcatio Antiphonarum, Verſuum, &c. occulta ſignificatione caret, vt inferiùs videbitur. Adde & Prophetam Regium paſſim in pſalmis eorumdem verborum crebrâ vti anaphorâ, & Chriſtum in horto tertiò repetiuiſſe eandem orationem.

19.

Locus ex Siracide adductus ſimilis eſt illi Matth. 6. Tantùm enim prohibetur vana verborum infructuoſa, & cum infidelitate aut anxietate coniuncta repetitio.

20. *Alius finis propoſitus meditationi*

Tertiæ ratiunculæ hoc modo occurrimus: alium nempe finem propoſitum eſſe meditationi alicuius è fidei Catholicæ myſterijs, alium verò pſalmediæ

alius Pſalmodia. modiæ & officij canonici recitationi. Siquidem meditans in perfectionem aliquam Dei, vel caput aliquod Domini cruciatuum intendit, vnde pium animi motum, vt puta admirationem, amorem, intimum doloris ſenſum, imitandi deſiderium &c. excitet. Quamquam quis ille eſt, qui in eadem myſterij conſideratione diu mentem figat, aut in eodem affectu animum teneat & non continuè, nunc in hunc, nunc in alium motum ſenſim ſine ſenſu rapiatur? Sic in horologio rota vna alteram mouet, & in cithara fides fidem tinnire facit. Officium verò diuinum, dum pſallitur vel recitatur, non vnam aliquam animi affectionem ſolummodò propoſitam ſibi habet, quam mentibus noſtris imprimat: ſed quibuſlibet ſanctis commotionibus animos noſtros concitare, & in Deum euehere aptiſſimum eſt, vt humana mens, nunc Deum ſuum præſentem fide intueatur, nunc per ſpem in eundem tendat, modò per amorem agglutinetur, modò laudet, & gratias agat, iam ſcelera ſua deteſtetur & lachrymis diluat, & per demiſſionem ſe proſternat, iam verò animi magnitudine ſe erigat, & ſic de ceteris,

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes animi comprehendere formas,
Omnia virtutum percurrere nomina poſſim.

21. *Comparatur officium canonicum conuiuio, apothecæ, cornucopiæ.* Eſt enim Canonica precatio inſtar apparatiſſimi & inſtructiſſimi conuiuij, in quo diuerſæ è cœleſti penaria cella deprompta proponuntur epulæ, vt quilibet accipiat quod ad palatum magis facit. Eſt apotheca præſentiſſimis referta medicamentis, quibus latentibus animæ vulneribus infirmi medeantur, ſani verò eius vnguentis reficiantur. Eſt officina & κέρας ἀμαλθείας omnium cœleſtium deliciarum, & ſpiritualium munerum, ex quibus omnes quod animo arridet accipiant, hauriant, depromant. Nemo hîc mihi queratur, de diſtractione vel diſperſione animi, dum pſalmodiæ vacat, & nunc in hunc affectum, nunc in alium trahitur. Eſt enim hæc non diſtractio, ſed collectio nuncupanda, diſtrahi enim apud ſpirituales ſcriptores, eſt mente ad terrena cogitanda vel appetenda tempore precationis dilabi: quod hîc non fit ratione pſalmodiæ, ſed interdum culpâ noſtrâ, quin potiùs ipſa per ſe in animum noſtrum colligit, & congerit infinitam propemodum vim diuinarum affectionum, & menſuram bonam, confertam, & coagitatam conijcit in ſinus noſtros. Sed hem mei penè oblitus non Theologum ſed encomiaſtem Canonici Officij ago. Apage ergo iſtos pſalmodiæ, prætextu maioris collectionis, occultos calumniatores. 22. *Officium Canonicum aptiſſimum eſt ſanctis affectibus in animo excitandis.*

Quartæ rationi in contrarium diſertè reſpondit Theodorus Peltanus l. 3. de Oratione c. 9. ſub finem. Nos breuiter dicimus inprimis communis Eccleſiæ votum eſſe, vt vbique terrarum idem pſallendi ritus & ordo ſeruetur, quod etiam ante multa ſecula pro Galicia, & Hiſpania ſtatuerat Concilium Toletanum IV. c. 2. *Vnus*, inquit, *ordo orandi atque pſallendi à nobis per omnem Hiſpaniam atque Galiciam conſeruetur.* Idem habetur in Venetico c. 15. in Bracarenſi I. cap. 19. & ſequent. Nunc idem quoque ſuadent Romani Pontifices; non tamen præcipiunt, propter quaſdam difficultates in illa mutatione. 23. *Eccleſia quantum fieri poteſt cupit eundem in pſallendo ritum ſeruari.*

Adiungo, varietatem illam non modò nullam deformitatem, ſed potius magnam venuſtatem & decorem adferre. Tantùm enim abeſt, vt vel fidei vel religioni repugnet, quin potiùs Eccleſiæ Dei pro diuerſitate locorum, temporum, perſonarum &c. non exiguo ſit ornamento; Vt namque in 24. *Varietas officij & mutatio ſæpius ornamento eſt Eccleſiæ & fere po-*

ſita eſt in rebus minutioribus. repub, ciuili diſſimilium morum, rituum,conſuetudinum vel maximè decori eſt varietas, ita & Hiererchiam Eccleſiaſticam hæc in precando & pſallendo qualiſcumque diuerſitas exornat. Præterea Breuiariorum diſtinctio,quæ in diuerſis Eccleſijs & Ordinibus interdum cernitur, ſaltem tacitè à ſummo Hierarcha eſt approbata, vt liquet ex Bulla Pij V. Romano Breuiario præfixa,vbi cùm hoc auctoritate ſua confirmaſſet, reliqua ducentis annis antiquiora permittit. Poſtremò tota hæc varietas ſolùm ſita eſt in rebus minutioribus, & accidentarijs manente eâdem ſubſtantiâ;eodem, vt ſic loquar, ſucco & ſanguine: partibus enim ijſdem principalibus diuinum officium vbique gentium conſiſtit, Pſalmis videlicet,Hymnis,Lectionibus,Antiphonis,Collectis,&c. Tota differentia eſt in colore, ſitu, compoſitione, & cæteris magis exiguis. Idem dicendum de correctione Romani Breuiarij facta per diuerſos Pontifices:ſatis enim conſtat circa res minoris momenti accidiſſe. Quid autem miri ſi incuriâ librariorum,iniuriâ temporum, hominum negligentiâ, errores quidem irrumpant vel irrepant? ſic enim natum eſt fieri mortalium moribus. Denique ea eſt humanæ mentis maximè à Deo illuſtratæ ſolertia, vt ſemper nouum quid & perfectius quolibet in negotio ad eiuſdem cultum & gloriam pertinente indagèt,excogitet,reperiat. Verum eſt enim illud vetus δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι.

25. *Maior pars diuini officij pertinet ad recolendum myſterium quod celebratur* Ad quintum argumentum nihil habeo quod dicam aliud, quàm diuino planè ſpiritu Eccleſiæ officium fuiſſe contextum, vt patet rem intimiùs conſideranti,in quo etiam magna pars propriè pertinet ad adducendum nobis in memoriam myſterium, quod eo die ab Eccleſia celebratur, vel laudes illius ſancti memorandas, cuius feſtiuitas agitur, quod colligere eſt, ex Hymnis, Antiphonis, Lectionibus, Reſponſorijs, Orationibus, &c. Quin imò ipſi Pſalmi de quibus obiectio procedit, ferè ſemper habent aliquos verſus, qui nobis modò apertè, modò tectè myſterium diei feſti declarant, vel inſinuant, aut hiſtoriæ rebuſque geſtis illius Diui, qui colitur, conueniunt. v. g. Pſalmus ſecundus canitur in die paraſceues ratione verſus 2. *Aſtiterunt reges terræ &c.* Canitur in die Natiuitatis Chriſti ratione iſtius: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*; eademque ratione dicitur in die ſanctæ ipſius Reſurrectionis & regenerationis. Rurſus Pſalmus 18. *Cœli enarrant, &c.* Canitur in feſtis Apoſtolorum maximè ob verſum quartum; *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Item Pſal. 44. *Eructauit*,in feſtis Virginũ præcipuè propter verſum, *Adducentur Regi virgines &c.* Deinde plura ſunt in Pſalmis quæ myſteria in noua lege completa inuolucris propheticis adumbrabant, multa etiam in ſenſu myſtico vel ſpirituali facilè ad feſtiuitates, quæ peraguntur aptari poſſunt. Denique, quod caput eſt omnia quæ tam in Pſalmis Dauidicis,quàm in alijs Diuini Officij partibus continentur, ad Dei laudes pertinent. & licet quædam huic vel illi in particulari non ita ſeruiant; ſpectatur tamen in ijs publicum bonum, cui illud imprimis eſt comparatum.

26. *Etiam Pſalmi reuocant nobis memoriam myſterij, quod eo die colitur.*

6. Dubium mouit Franciſcus Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de orat. & Horis Canon. c. 2. & eruditè diſcutit. Reſponſionem in pauca conferam. Nego imprimis officium canonicum vel ex ſe vel vſu hominum poſtulare, vt nihil in eo recenſeatur vel pſallatur, quod non ſit ex ſacris literis depromptum. Si enim viri ſanctitate eximij Spiritu ſancto pleni, ſæpè ſuis verbis vel Deum laudarunt, vel deprecati ſunt: cur Eccleſiæ non liceat, quæ & ſancta

27. *Non eſt neceſſarium vt omnia quæ pſalluntur ſumpta ſint ex ſcriptura.*

Digitized by Google

ſancta eſt & ab eodem Spiritu ſancto regitur, ſua & Doctorum ſuorum verba ad diuinum numen celebrandum transferre? Adde in Eccleſiæ orationibus gratiarum actionibus, vel laudibus nihil falſi inueniri, cùm vera ſemper fide nitantur. 28.

Nullus error in lectionibus vel alijs Eccleſiæ orationibus continetur.

Quòd autem in Diuino Officio admiſceantur quædam adhortationes vel inſtructiones ex ſanctorum Patrum homilijs deſumptæ, quæ non ſint diuinæ auctoritatis, nihil refert. Sufficit enim vt errorem nullum contineant, quo vel recta fide labefactari, vel Chriſtiani mores infici poſſint. Tantùm quippe proponuntur, vt populum Catholicum humano modo erudiant, in fide confirment, ad bene beateque viuendum inſtituant, non verò vt aſſenſu fidei infuſæ eis ſingulis adhæreant.

29. *Sufficit fides humana in geſtis ſanctorum.*

Idem ferè dicendum de factis memorabilibus ſanctorum in ipſorum ſolemnitatibus publicè legi ſolitis, quæ tantùm fidem faciunt humanam, & perſuadent narratione hiſtorica. Satis eſt, ſi honorentur ij qui reuera cum Chriſto æterna felicitate iam fruuntur, & res cum virtute geſtæ ad imitandum exhibeantur, in quo Eccleſia numquàm aberrat. Semper enim & veros colit ſanctos, non fictos, & non vmbras, vel varias virtutum imagines, ſed germaniſſimas virtutes nobis moribus exprimendas depingit. Parum autem obſtat, ſi in minoris momentis adiunctis interdum varient aut certent hiſtorici, vt per ſe notum eſt.

30. *Concilij Laodiceni decretum de ſolis ſcripturis legendis non fuit receptum.*

Quòd autem Synodus Laodicena vetuerit aliud legi tēpore Diuini Officij præter Scripturam ſacram, nec perpetuum, nec generale fuit præceptum. Putat enim Cardin. Baronius Appendice ad quartum Annalem hoc decretum editum ratione cuiuſdam abuſus. Quidquid ſit, conſtat canonem illum ab Eccleſia non fuiſſe obſeruatum, aut receptum, in qua & ante, & poſt illam Synodum ſanctorum Patrum ſcripta tempore Diuini Officij publicè fuere recitata, vt inferiùs, cum de lectionibus ſermo erit, dicetur.

31. *Etſi finis præcipuus Horarum Canonicarum ſit Dei laus, ſecundarius tamen finis eſt noſtra coſolatio &c.*

Ad poſtremum argumentum reſponſio ferè ſumenda eſt ex antedictis. Quamuis enim primarius finis Horarum Eccleſiaſticarum ſit cultus Dei, non eſt tamen neceſſe, vt omnia quæ in ijs canuntur aut leguntur exæquo proximè ad Deum tendant. Pſalmus, Hymnus, Oratio, viciniùs ad Deum referuntur, Lectio verò remotiùs, dum præparat ad meditationem, meditatio diſponit ad orationem, Dei laudem, gratiarum actionem &c. Deinde ſecundarius finis earumdem Horarum etiam eſt exhortatio, conſolatio, fructus animarum noſtrarum, quatenus hæc omnia ad ampliorem Dei cultum, eiuſque maiorem gloriam diriguntur. Dubitari autem non poteſt, quin ſacrarum Literarum, ſententiarum ex ſanctis Patribus depromptarum, rerum præclarè à Diuis geſtarum lectio plurimum ad ea conducat, vt inferiùs ſuo loco declarabitur; cùm de lectionibus agetur. Poſtremò vſus Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus obtinuit, vt non ſolùm in Chriſtianorum publicis conuentibus pſalmodia perſonaret, ſed etiam ſacræ ſcripturæ lectio & interpretatio miſceretur, vt ex priore ad Cor. c. 14. Iuſtino Philoſopho, Tertulliano colligitur.

CAPVT XXIX.

Præcipuarum Officij Canonici partium diſcuſſio & propugnatio.

1. *Partes diuini officij.*

PArtes ex, quibus Officium Eccleſiaſticum coaluit, habentur in Breuiario, & ſunt hæ, Pſalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Reſponſoria, Antiphonæ, Orationes ſiue Collectæ &c. Quod ſi probauerimus has partes om-

Digitized by Google

nes eſſe diuino cultui congruentes & ſalutares, peracta res erit. Breuiter ergo de ſingulis tractabimus.

De Pſalmis.

2. *Pſalmi primum locum obtinent in Horis Canonicis.*

IN Officio Diuino caput, primaſque tenent Pſalmi Regis Dauid, quod inde ſynecdochicὼs Pſalmodia vocatur. Hanc autem partem digniſſimam eſſe & diuiniſſimam, nemo inficias ierit, niſi qui eam nequaquam à Spiritu ſancto hauſtam & dictatam ſacrilego ore effutire auſus fuerit. Porrò pſalmorum dignitas tunc clariùs eluceſcet, cùm lib. 3. multiplices eorum fructus ex SS. Patrum monimentis demonſtrabimus. Iam verò pſalmorum canendorum antiquitatem declaraſſe contenti erimus.

3. *Pſalmorum canendorum antiquitas patet ex veteri teſtamento.*

Patet ea primò ex lege veteri, in qua ſolemne erat, vario fidium concentu Dauidis carmina in templo modulari, 2. Paralip. 7. *Sacerdotes ſtabant in officiys ſuis, & Leuitæ in Organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum, Quoniam in æternum miſericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus ſuas.* Rurſus 1. Eſdræ 3. *Steterunt Sacerdotes in ornatu ſuo cum tubis, & Leuitæ filij Aſaph in Cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid Regis Iſrael: & concinebant in hymnis & confeſſione Domino &c.*

4. *Eadem oſtenditur ex Apoſtolo.*

Idem probari poteſt ex Apoſt. ad Epheſ. 5. *Implemini Spiritu ſancto loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, Hymnis & Canticis ſpiritualibus,* quæ repetit ad Coloſſ. 3. Quamuis verò locus vterque intelligi commodè poſſit de carminibus, quæ tunc temporis Chriſtiani de nouo pangebant, nihil tamen obſtat, quin etiam de Pſalmis Dauidicis capi poſſit.

5. *Prob. ex D. Dionyſ. qui etiam docet pſalmodiam locum ſubſtantiæ in officio diuino obtinere.*

Eumdem vſum probant nobis patres vetuſſimi S. Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarch. p. 3. dum ait: *Porrò pſalmorum ſancta modulatio, quæ omnibus fermè ſacerdotalibus myſteriis ſubiungitur, & ſubſtantiæ ratione cohæret ſummo omnium principalique myſterio* (id eſt Miſſæ ſacrificio) *deeſſe non debuit.* Vbi notandum verbum Græcum *συνουσιωμένη* id eſt ſubſtantiæ inſtar coniuncta; quod indicat pſalmodiam in Diuino Officio habere locum *τῆς οὐσίας* id eſt ſubſtantiæ, quaſi dicat pſalmum eſſe fundamentum, & partem principem diuini officij, reliqua accedere quaſi Emblemata, & decora accidentaria. Vbi & illud in commendationem pſalmorum præclarè adiecit, dum oſtendit Pſalterium eſſe Epitomen, & breuiarium omnium Dei operum, eloquiorum, legum, rerumque à viris ſanctis cum virtute geſtarum, quæ diuinæ ſcripturæ volumine continentur, & quidem per modum encomij & panegyris. Sic ſe habent verba. *Porrò diuinorum carminum ſacroſancta ſcriptura cùm id præcipuè intendat, vt omnia Dei eloquia, operationeſque concelebret, ſacratiſſimeque vitam inſtituentium virorum verba ſimul atque opera laudet diuina vniuerſaliter canit atque exponit.* Hæc ille.

6. *Pſalterium ſecundum S. Dionyſ. eſt Epitome operum & ſermonum Dei.*

7. *Idem docet Tertull.*

Tertullianus l. 2. ad vxorem in fine: *Sonant inter duos Pſalmi, & Hymni, & mutuo prouocant quis melius Deo ſuo canet. Talia Chriſtus videns, & audiens gaudet.* Vide eumdem lib. de Velandis Virgin. extremo.

8. *S. Chryſ. antiquum vſum Pſalmos canendi fusè declarat.*

S. Chryſoſtomus Hom. 6. de pœnitentia, vſum Pſalterij, ſuo tempore frequentiſſimum, eloquentiſſimè deſcribit ſub principium. „Mihi, inquit, ſæpenumero admirari contigit, & mecum mente confundor, cogitans, & dicẽs: Cuius rei gratiâ præ ceteris Veteris Inſtrumenti Nouique ſcripturis „ librum Dauid ſic adamarunt omnes „ Chriſtiani, atque hunc ſolùm ore vo- „ luerunt verſari? Moſes magnus fuit „ legiſlator &c. vixque eum ſemel an- „ nis ſingulis per Eccleſias legimus. Sed „ quid ais, quod veteris eſt inſtrumenti, „ Quid ad lectionem ſacrorum Euan- „ geliorũ? vbi miracula præſentia Chri- „ ſti prædicantur &c. Atque has leges „ ſemel aut bis legimus in hebdomada. „

Et

„ Et quid ad B. Paulum Chriſti
„ Rhetorem, mundi piſcatorem, qui
„ quatuordecim per epiſtolas veluti
„ ſpiritualia retia ad ſalutem captat?
„ &c. Atque hunc bis per hebdoma-
„ dam legimus &c. Quid ergo ad San-
„ ctum habeo dicere Dauid, quomodo
„ Spiritus gratias diſpenſauit, omnes
„ eum dies, noctesque omnes prædica-
„ re? omnes enim hunc odoriferi vn-
„ guenti loco circumferimus ore. In
„ Eccleſijs pernoctantibus & primus, &
„ medius, & nouiſſimus eſt Dauid,
„ diluculo quæruntur hymnorum mo-
„ dulationes: & primus & medius, &
„ nouiſſimus eſt Dauid. Si pompæ in
„ funeralibus defunctorum; & primus,
„ & medius, & nouiſſimus eſt, ſi tela in
„ virginum domibus agitur; & primus
„ & medius, & nouiſſimus eſt Dauid.
„ O rem inauditam! Et pòſt pauca,
„ In monaſterijs ſanctis choris Ange-
„ licarum acierum, & primus, & me-
„ dius, & nouiſſimus eſt Dauid. In
„ cœnobijs virginum greges Mariam
„ imitantium, & primus, & medius, &
„ nouiſſimus eſt. In deſertis viri cru-
„ cifixi colloquentes Deo, & primus,
„ & medius, & nouiſſimus Dauid. Et
„ omnes quidem homines naturali
„ noctis ſomno altè premuntur, ſolu[s]-
„ que Dauid inſtat, atque ipſos Dei
„ ſeruos in Angelicas turmas con-
„ gregans, excitat tota mente, terram
„ in cœlum vertit, & Angelos homines
facit. Pergit deinde vtilitates maximas, & piarum affectionum ſemina recenſere, quæ ex lectione pſalmorum vberrimè promanant, de quibus aliàs dicendum.

9. *Idem oſtendit Baſil. & alij Pſal.*

S. Baſilius proœmio in Pſalmos graphicè ipſorum emolumenta depingit, & inter cetera, *Vox eſt*, inquit, *Eccleſiæ Pſalmus. Hic dies feſtos illuſtriores reddit ac perfundit gaudio &c.* Eadem teſtatiſſima ſunt ex D. Ambroſio, Hieronymo Auguſtino & alijs, de quibus vide Stephanum Durantum lib. 3, de Ritibus cap. 13.

10. *Eccleſia Pſalmos nullos vſurpat præter Dauidicos.*

Porro duo hic obſeruanda 1. nos in Breuiario & Officio Diuino per Pſalmos intelligere, ſolos illos qui in Pſalterio Dauidico continentur, ſiquidem Eccleſia præter eos nullos in diuinas laudes & publicum vſum recepit, imò & alios cantari vetuit in Eccleſijs ſub nomine pſalmorum. Hoc enim habetur in Concilio Laodiceno cap. 59. *Non oportet in Eccleſia* ἰδιωτικοὺς, id eſt *vulgares, priuatos aut plebeios, Pſalmos cantare.*

11. *Hoc facit propter veteres hæreticos.*

Idemque habetur in Concilio I. Bracarenſi can. 30. Quod fortè ſtatutum fuit propter hæreticos, quia & ipſi pſalmos componere ſoliti erant, quos in Eccleſia recitarent & cantarent, eo modo, quo Catholici Dauidicos. Sic loquitur S. Auguſtinus de Donatiſtis Epiſt. 119. c. 18. *Donatiſtæ*, inquit, *nos reprehendunt, quòd ſobriè pſallamus in Eccleſia diuina cantica prophetarum, cùm ipſi ebrietates ſuas ad canticum pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment.*

12. *Diſcrimen inter Pſalmum, Hymnum & Canticum.*

Alterum obſeruandum eſt diſcrimen inter Pſalmum, Hymnum & Canticum. Quamuis enim, ſi rem ad vnguem exigere velimus, & linguæ Græcæ Latinæve proprietatem conſulere, vel nulla, vel exigua inter hæc ſit diſtinctio. Hymnus enim Pſalmus & Canticum idem ferè ſunt, niſi quod Canticum ſit magis commune, Hymnus verò denotat carmen laudes alicuius complectens, Pſalmus autem carmen quod plerumque ad Citharam vel pſalterium canitur: tamen ſecundum vſum Eccleſiæ, & prout antiqui Patres eas voces vſurpant, lata eſt differentia.

13. *Quomodo Eccleſia hæc accipiat.*

Iuxta morem Eccleſiaſticum Pſalmus ſignificat ſolum carmen ſumptum ex Dauidis Pſalterio, Canticum verò vnum ex illis decem, quæ ex alijs libris canonicis accepta decantantur in Laudibus, Veſperis & Completorio. Haben-

tur autem ſeptem in veteri Teſtamento, tria in nouo. Hymnus denique eſt ode à Scriptoribus non quidem canonicis, ſed Eccleſiaſticis in Dei vel ſanctorum laudem compoſita. Antiqui verò Patres diuerſimodè hæc accipiunt: Inter eos D. Hieronymus de his ita ſcribit lib. 3. commentar. in c. 5. ad Epheſ. ad illa verba; *Loquentes* „*vobiſmetipſis in Pſalmis, Hymnis & Canticis ſpiritualibus.* Quid interſit, „inquit, inter Pſalmum & Hymnum „& Canticum, in Pſalterio pleniſſimè „diſcimus. Nunc autē, breuiter Hymnos eſſe dicendum qui fortitudinem „& maieſtatem prædicant Dei, & eiuſdem ſemper vel beneficia vel facta „mirantur: quod omnes Pſalmi continent, quibus Alleluia, vel propoſitum vel ſubiectum eſt. Pſalmi autem „propriè ad Ethicum locum pertinent „vt per organum corporis quid faciendum, & quid vitandum ſit nouerimus. Qui verò de ſuperioribus diſputat, & concentū mundi omniumque creaturarū ordinē atque concordiam ſubtilis diſputator ediſſerit, iſte „ſpirituale Canticum canit; vel certè, „vt propter ſimpliciores manifeſtiùs „quod volumus eloquamur, Pſalmus „ad corpus, Canticum refertur ad mentem. Aliter diſtinguit S. Hilarius Pſalmum & Canticum prologo explanationis in Pſalmos, videlicet, non ratione materiæ, vt S. Hieronymus, ſed ratione modi canendi. *Pſalmus*, inquit, *eſt cùm ceſſante voce pulſus tantùm organi concinentis exauditur. Canticum verò cum cantantium chorus libertate ſua vtens neque in conſonum organi aſtrictus obſequium, hymno canore tantùm vocis exultat.* Vide illum. Aliud diſcrimen adfert Euthymius præfatione in pſalmos. *Pſalmus*, inquit, *propriè eſt illud carmen, quod ſimul cum pſalterij inſtrumento ſuaui voce profertur. Ode ſeu Canticum vox quædam eſt muſica, cum harmonia ſolo ore prolata, quamquam impropriè ipſum etiam canticum ſæpenumero Pſalmus dicatur. Hymnus verò eſt diuinæ gloriæ extenſior atque amplior quædam laus; Nam cùm laudis nomen ſimpliciter dicimus, vulgatiores ac breuiores laudes ſignificamus.* Hæc ille & plura.

14. *Antiqui Patres diuerſimodè hæc capiunt Hieron. Hilar. Euthym.*

De Hymnis.

Hymnum hîc accipimus non ita arctè, vt S. Auguſtinus ad Pſal. 72. vbi definit hymnum cantum continentem laudem Dei: ſed paulò diductius, vt ſit poëma aliquod Dei opera, maximè Coſmopœiam, maieſtatemque, & beneficia decantans, vel ſanctorum virtutes & præclarè geſta commemorans; aut etiam ad meliora nos prouocans parænesis, aut denique ſupplex diuini numinis obſecratio. 15. *Quid Hymnus preſſè, quid latè ſumptus.*

Antiquitas Hymnorum ſatis nota eſt ſiquidem auctore S. Hieronymo ſuprà Pſalmi Dauidici, quibus præponitur vel ſubijcitur Alleluia propriè ſunt Hymni, quia Dei encomion continent, & ideo liber Pſalmorum dicitur ספר תהלים ſepher tehillim, & cōtractè תלים tillim, vt patet ex Euſebio lib. 6. Hiſt. c. 33. σεφὴρ τιλλὶμ, id eſt, liber laudum, & carminum cum lætitia reſonantium, ſiue, vt benè vertit D. Hieronymus, liber Hymnorum, à parte videlicet potiore, quia plures hymnos continet, licet etiam plura alia. Apud principem poëtarum Græcorum extant hymni multi in laudes Deorum gentilium compoſiti. Tempore noui Teſtamenti ſumptâ vltimâ cœna Chriſtus cum Apoſtolis Hymnum dixit. Matth. 26. & Marci 14. vnde rectè Toletus 4. cap. 12. *De Hymnis*, inquit, *canendis, & Saluatoris, & Apoſtolorum habemus exemplum* quod probat ex loco Matth. citato. Exemplum Chriſti imitati primi Chriſtiani in ſuis conuentibus, vt conſtat tum ex prio-

16. *Hymnorum antiquitas.*

17. *Liber pſalmorum dicitur Hebraicè liber hymnorum.*

18. *Hymnus Chriſti & Apoſtolorum in vltima cœna.*

ris

Digitized by Google

19. *Hymnorum vſus apud primos Chriſtianos.* ris ad Corinth. 14. tum ſpeciatim ad Epheſ. 5. & Coloſ. 3. *Commmonentes voſmetipſos Pſalmis, Hymnis &c.* Accedit Philo Iudæus lib. de Vita Contempl. vbi loquens de Chriſtianis Therapeutis, D. Marci diſcipulis: *Non ſolùm* inquit, *contemplantur, ſed etiam cantica & hymnos in Dei laudem componunt, &c.* Et paulò pòſt: *Tum exurgens vnus Hymnum canit in Dei laudem, vel recens à ſe factum, vel pridem ab aliquo priſcorum vatum &c.* Quæ verba citat Euſebius lib. 2. Hiſt. c. 16. S. Dionyſius lib. de Diuin. Nomin. c. 4. p. 1. ſub finem meminit Hierothei ſui in literis ſacris Inſtitutoris, quem ait Hymnos compoſuiſſe, ex quibus in ſequentibus multa profert. Idem c. 3. ibidem tradit Apoſtolos & cum eis Hierotheum diuinas laudationes in funere Deiparæ virginis deprompſiſſe, quod enarrans Nicephorus l. 2. Hiſt. cap. 22. ait ipſos in Dei laudem Hymnos protuliſſe.

20. *Damnatus Paulus Samoſatenus, quòd hymnos ſacros exploſerit.* Poſtremò conſtat ex Euſebio lib. 7. Hiſt. c. 24. in Concilio Antioch. ante annos mille trecentos damnatum fuiſſe Paulum Samoſatenum quia Pſalmos & Hymnos, quos Chriſtiani illius ſeculi in Chriſti honorem decantabant, tanquam recentiores, & à viris memoriæ nouæ compoſitos exploſerat. Hymnographi antiquiores (vt de poſterioribus nihil dicam) celebrantur præ ceteris DD. Hilarius & Ambroſius de quibus ſic ſcribit S. Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 6. *Hilarius Gallus Epiſcopus Pictauienſis hymnorum carmine floruit primus, poſt quem Ambroſius Mediolani Epiſc. copioſius in huiuſmodi carmine clarniſſe cognoſcitur, atque inde hymni ex nomine eius Ambroſiani vocantur, quia eius tempore primùm in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt, cuius celebritatis deuotio poſthac per totius Occidentis Eccleſias obſeruatur.* Hæc Iſidorus. Idem de hymnis à S. Hilario compoſitis teſtatur Hieronymus lib. de Scriptor Eccleſ. De Editis

21. *Hymnographi quinam præcipui.*

verò ab Ambroſio S. Auguſtinus lib. 1. Retractat. c. 11. & ipſemet Ambroſius oratione in Auxentium de non tradendis Baſilicis, & Regula D. Benedicti paſſim vt c. 9. 12. 13. dum Hymnum à S. Ambroſio conſcriptum vocat Ambroſianum.

22. *Hymni non contẽnendi, quamuis à ſcriptoribus canonicis non ſint compoſiti, vt probat Toletan. & Turon. Concil.* Nec refert Hymnos editos fuiſſe à Scriptoribus non canonicis, quia nec carmina, quæ primi Chriſtiani in ſuis cœtibus canebant, huiuſmodi erant. Sufficit, vt nihil erroris contra fidem & bonos mores contineant, & ab Eccleſia ſint approbati. Audiant qui hymnos à SS Patribus editos contemnunt. Concilium Toletanum IV. antè annos mille coactum cap. 12. quod etiam refertur c. *de Hymnis*, de conſecr. d. 1. „Quia, inquit, nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei atque Apoſtolorum & Martyrum triumphos „compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi „quos Beatiſſ. Doctores Hilarius & „Ambroſius condiderunt, quos quidam tamen reprobant, pro eo quòd „de ſcripturis Canonum Sanctorum. „vel Apoſtolica traditione non exiſtunt. Reſpuant ergo & illum hymnum ab hominibus compoſitum, „quem quotidie publico priuatoque „officio in fine omnium pſalmorum „dicimus: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſecula ſeculorum Amen.* Nam & illum „hymnum, quem nato in carne Chriſto Angeli cecinerunt, *Gloria in excelſis*, & reliqua quæ ſequuntur ibi, „Eccleſiaſtici compoſuerunt. Ergo nec „ipſi in Eccleſijs canendi ſunt, quia in „ſacrarum ſcripturarum libris non inueniuntur. Hæc Conc. Tolet.

Accedit Concilium Turronicum II. habitum ſeptuaginta ferè annis ante Toletanum An. 570. quod ſic habet cap. 24. *Licet hymnos Ambroſianos habeamus in Canone; tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt forma cantari,*

„ vtrumque chorum certatim percurrere, modò hunc, modò illum ad alacriter canendum excitantes, plaudentes, & tantùm non ſimul modulantes, & vt Hymnus ille, quàm diutiſſimè protenderetur allaborantes. „ Vnde etiam facilè collegit carmen „ illud cælo amicum eſſe & familiare.

De Lectionibus.

30.
Mos lectiones ſcripturæ ſacræ in Eccleſia legendi ab Hebræis deſcendit.

LEctiones Nocturnorum ſumptæ ſunt; vel ex literis ſacris Veteris & Noui Teſtamenti, vel ex ſcriptis antiquorum Patrum, vel ex probatis Sanctorum geſtis. Rectè porrò obſeruarunt S. Iſidorus lib. 1. Eccleſ. Offic. c. 10. & poſt ipſum Rabanus lib. 2. de Inſtit. Cleric. c. 52. ab Hebræis deſcendere vſum literas ſacras in Conuentibus populi legendi. Sic vterque ſcribit: *Lectiones pronuntiare antiquæ inſtitutionis eſſe Iudæorum traditio docet. Nam & ipſi legitimis præfinitiſque diebus ex lege & prophetis lectione in Synagogis vtuntur, & hoc de veteri Patrum inſtitutione ſeruantes.* Sic illi. Patet hæc conſuetudo tum alibi, tum lib. 2. Eſdræ c. 8. & 9. in quod Caput vide Bedam, & Hugonem de S. Victore, lib. 2. de Reb. Eccleſ. c. 1. Conſtat eadem ex Actorum 13. *Voces*, inquit, *Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur, indicantes impleuerunt.* Et

31.
Inſtitutio huius lectionis ab Apoſtolis eſt.

cap. 15. *Vbi per omne Sabbathum legitur* (Moſes videlicet in Synagogis Iudæorum.) S. verò Paulum & alios Apoſtolos inſtituiſſe, vt Sacra Scriptura in Cœtibus Chriſtianorum legeretur, ſatis liquet ex prioris ad Corinth. c. 14. v. 26. *Cùm conuenitis*, inquit, *vnuſquiſque veſtrùm pſalmum habet, doctrinam habet, &c.* & conſuetudinem illam ad poſteros

32.
Conſuetudo ſacrarum lectionum ad poſteros manauit, vt conſtat ex Patribus.

manaſſe clarè ſignificant, tum alij, tum S. Iuſtinus Apologiâ 11. ad Antoninum ſub finem, vbi ſic ſcribit: *Solis, qui dicitur, die* (id eſt Dominico) *omnium qui in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit, & commentaria Apoſtolorum aut ſcripta Prophetarum leguntur.* Et certè ante annos mille ducentos ſtatutum fuerat in Concilio Laodiceno c. 17. vt Pſalmis lectiones ſacræ miſcerentur: & ante illud adiunctas pſalmodiæ lectiones Veteris & Noui Teſtamenti diſcimus ex Caſſiano l. 2. Inſtit. Renunc c. 6. Meminit etiam S. Auguſtinus Præfatione in Epiſt. S. Joannis lectionum Euangelicarum, quæ pro diuerſitate Feſtorum legebantur. *Eſt*, ait, *ſolemnitas Sanctorum dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Eccleſia recitari, quæ ita ſunt annuæ, vt aliæ eſſe non poſſint.*

33.
Lectiones olim non ſolùm ex Scriptura ſacra, ſed etiam ex Patrum homilijs, & Sanctorum geſtis ſumebantur.

Quòd verò olim etiam illæ ſumerentur ex SS. Patrum concionibus, colligimus ex D. Hieronymo in lib. de Scriptoribus Eccleſ. in Clemente & Polycarpo, vbi refert eorum Epiſtolas ſolitas legi in Eccleſijs Aſiæ. Item in S. Ephrem, vbi dicit Sermones eius conſueuiſſe pronuntiari poſt lectiones Apoſtolorum & Prophetarum. In Concilio Carthaginenſi III. c. 47. aſſignantur lectiones nõ tantùm ex Scriptura ſacra, ſed etiam ex Sanctorum Martyrum Hiſtorijs, ſicut ex D. Auguſtino lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. & Serm. 7. de S. Stephano videmus miracula Sanctorum in Eccleſia recitari populo fuiſſe ſolita. Porrò

34.
Gelaſius Papa ordinem lectionum ex Scriptura ſumptarum ponit pro toto anno, quem hodiè ſequimur.

Gelaſius I. prout habetur Canone, *Sancta Romana*, d. 15. Ordinem ponit lectionum ex Literis ſacris ſumptarum per totum annum, à Dominica Septuageſimæ vſque ad Epiphaniam inchoando; à Geneſi, & deinceps: quem ordinem Canonicorum librorum vſque hodie habemus in Romano Breuiario. Cur autem lectiones iſtæ ſint ordine diſtributæ, docet Rupertus lib. 12. de Diuin. Officijs ſub finem.

35.
Gregor. VII. ponit numerum Lectionum

Gregorius verò VII. in Concilio Generali prout habemus c. *in die Reſurrect.* de conſecrat. d. 5. ponit numerum lectionum, & pſalmorum in Nocturnis,

P quem

& Pſalmorum, quem modò Eccleſia Romana tenet in Nocturnis.

quem etiam modò ſequitur Romana Eccleſia. „ In die, inquit, Reſurrectionis vſque ad Sabbathum in Albis, „ & in die Pentecoſtes vſque in Sabbathum eiuſdem, tres pſalmos „ tantùm ad Nocturnos, treſque lectiones antiquo more canimus & legimus. Omnibus diebus alijs per totum annum, ſi Feſtum eſt, 9. Pſalmos, & 9. Lectiones dicimus. Alijs „ verò diebus 12. pſalmos, & tres lectiones recitamus. In Dominicis verò diebus 18. pſalmos (excepto die „ Paſchæ & Pentecoſtes) & 9. lectiones „ celebramus. Illi autem qui in quotidianis diebus tres tantummodo „ pſalmos, & tres lectiones celebrare „ volunt, non ex Regula SS. Patrum, „ ſed ex faſtidio & negligentia hoc „ comprobantur facere.

36\. *Rationes cur Lectiones Pſalmis miſceantur.*

Sub finem hîc ſuggerendæ rationes, quæ maiores noſtros impulerunt, vt tempore Canonicæ pſalmodiæ grata viciſſitudine lectiones pſalmis ſuccederent, & rurſus pſalmi lectionibus, vt omni tempore in Eccleſia vſurpatum vidimus, & conſtat ex Caſſiano ſuprà, & Regula D. Benedicti Iſidoro, Rabano, & alijs. Generalis ratio ſumitur ex Caſſiano ſuprà. *Venerabilis*, inquit, *Patrum Senatus 12. pſalmis lectiones diuinarum ſcripturarum memoriam poſſidere aſſidua meditatione ſtudentibus addiderunt.* Eccleſia ſiquidem miniſtros ſuos non ſolùm vocali orationi aſſuefacere voluit, ſed etiam ad rerum ſpiritualium meditationem conſiderationemq; præparare.

37\. *Animi pſallentium lectione ad meditationem præparantur.*

Certum eſt autem, & traditur à Scriptoribus ſpiritualibus maximè à S. Bernardo, libello de modo orandi, ſeu Scala clauſtralium, fundamentum meditationis eſſe lectionem, dũ ait: Lectionem quaſi fundamentum primò occurrere, & datâ materiâ mittere nos ad meditationem. Et rurſus: *Lectio quaſi ſolidum cibum ori apponit, meditatio maſticat, & frangit, oratio ſaporem acquirit, contemplatio eſt ipſa dulcedo, quæ iucundat ac reficit.* Hac de re præclarè ſcribit Iſidorus & ex eo Rabanus ſuprà. „ Lectio, inquiunt, eſt non parua audientium ædificatio. Vnde oportet; vt quando pſallitur, ab omnibus pſallatur; cùm oratur, oretur ab omnibus; quando lectio legitur, facto ſilentio æquè audiatur à cunctis. Et pauló pòſt: Obtentu orationis ne perdideris lectionem, quia non ſemper eam quilibet paratam poteſt habere, cùm orandi poteſtas in promptu ſit. Nec putes paruam naſci vtilitatem ex lectionis auditu. Siquidem oratio fit ipſa pinguior, dum mẽs recenti lectione ſaginata per diuinarum rerum, quas nuper audiuit, imagines currit. Nam & Maria ſoror Marthæ, Lucæ 10. quæ ſedens ad pedes IESV, ſorore neglectâ, verbum intentiùs audiebat, bonam partem ſibi elegiſſe Domini voce firmatur. Ideò & Diaconus clara voce ſilentium admonet, vt, ſiue dum pſallitur, ſiue dum lectio pronuntiatur, ab omnibus vnitas conſeruetur; vt, quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur. Hactenus ille.

38\. *Lectio meditationis fundamentum, quâ oratio impinguatur, vt Bernardus, Iſidorus, & alij docent.*

39\. *Diaconus ante lectionem ſilentium indicabat olim.*

Meminit etiam moris, quo Diaconus clara voce ante lectionem ſilentium fieri iubebat, S. Ambroſius Præfatione in Pſalmos. *Quantum*, inquit, *laboratur in Eccleſia, vt fiat ſilentium cùm lectiones leguntur?* Et Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. c. 8. *Facto*, inquit, *tandem ſilentio ſcripturarum ſunt lecta diuina ſolemnia.*

40\. *Cruce frontem ſignabant lectionem audituri.*

Rurſus Iſidorus & Rabanus ſuprà, ſignificant moris olim fuiſſe, vt ſignaculo crucis frontem munirent, lectionem audituri. *Si tunc*, aiunt, *ſuperueniat quiſpiam cùm lectio celebratur, adoret Deum, & præſignata fronte aurem ſollicitè accommodet.*

41\. *Olim tam legentes, quam audientes*

Notat inſuper Amalarius lib. 3. de Offic. Eccleſ. c. 11. & l. 4. c. 3. cùm lectio recitatur, more antiquorum ſolitos eſſe ſedere, vel cum ſilentio ſtare. Certè ex lib. 2. Eſdræ cap. 8. & 9. colligitur lib.

Digitized by Google

ſtabant vel ſedebant. tam legentes, quàm audientes volumen legis Domini, ſtetiſſe.

42. *Fructus ſacræ lectionis.* Fructus ſacræ lectionis hîc recenſere prætermitto, de quibus l. 3. dicendi locus erit. Breuiter tantùm quatuor indico. 1. eſt, quod mens ab intenſiore orandi ſtudio paulùm, dum legitur, reſpirat. 2. quod animus hac varietate lectionis & orationis reficitur. 3. quod iis, qui fortè aliàs lectionem ad manum non haberent, lectio proponatur; &, vt cum maiori reuerentia percipiatur, tempore orationis recitetur. 4. quod ex lectione ſanctis affectionibus animus repletur, & pingueſcit, quò faciliùs quod reliquum eſt Pſalmodiæ percurrat, iuxta illud Prophetæ Pſal. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.*

De Reſponſorijs.

43. *Antiquitas Reſponſoriorum.* Lectiones ſacras excipiunt Reſponſoria, vel ex ſacris deſumpta literis, vel Sanctorum geſtis, vel certè ab Eccleſia compoſita. De eorum antiquitate ſic ſcribunt Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. Offic. c. 8. & Rabanus l. 2. de Inſtit. Cler. c. 51. Reſponſoria ab Italis longo ante tempore ſunt reperta. Videntur autem indicare reperta ante Antiphonas; nam de his in c. præcedenti agebatur. Strabo de Rebus Eccleſ. c. 25.

44. *Vnde dicta Reſponſoria.* Putat horum auctorem primum Ambroſium vel alium. Rationem nominis triplicem inuenio; Vnam D. Iſidori & Rabani ſupra, ſic vocata, quod vno canente chorus conſociando reſpondeat: vel vt idem Rabanus l. 1. ſuprà c. 33. quod alio definente alter reſpondeat. Ante enim id ſolus quiſque agebat, nunc vnus, interdum duo vel tres communiter, choro in plurimis reſpondente. Alteram habent Durandus l. 5. Rational. c. 2. n. 53. & Belet. in eodem c. 26. eò quòd lectioni reſpondere debent, vt ſi, v. g. lectiones ſint de lib. Geneſis, Reſponſoria ſimiliter ſint de eodem, quod vt plurimum verum eſt. Tertiam dat Rupertus lib. 1. de Diuinis officijs c. 15. quia triſtia triſtibus, læta lætis ſuccinere debemus lectionibus. Vide plura apud illum, qui rectè addit, quòd vno præcinente chorus concorditer ſequitur, aſtruere quod Apoſtolus obſecrat, vt id ipſum dicamus omnes. Vetus Reſponſoria cantandi vſus ſatis declaratur in Regula D. Benedicti.

Ceterùm, vt videor colligere ex auctoribus, qui de Offic. Diuin. ſcripſerunt. Reſponſorium læta modulatione lectiones excipit, quæ cum exigua ſolùm vocis flexione pronuntiantur: vnde & lectiones dictæ, quo nobis indicetur fructus bonorum operum, quæ ex doctrina ſacra didicimus facienda, hilariter, & promptè proferendos. Adde hoc modo lectionem interrumpi oratione & laude Dei, & poſtquam Deum loquentem in lectione audiuimus, nos viciſſim cum eo dulces miſcere ſermones, quos etiam aliquoties repetimus, vt meliùs animo noſtro inſculpantur. 45. *Fructus qui colligitur ex Reſponſorijs.*

De Antiphonis.

Antiphona, vt explicatum eſt ſuprà c. 16. duo denotat. Eſt enim vel vox reciproca ex duobus choris alternatim pſallentibus: & ſic Pſalmus alternis modulatus dicitur Antiphona; vel eſt ſententia quæ Pſalmum antecedit, ſic dicta, quia ad eius ſymphoniam Pſalmus cantatur per duos choros, & ipſa coniunguntur ſimul duo chori. Continet autem vel verſum aliquem eiuſdem Pſalmi, vel aliquid breue ad Dei laudem pertinens. 46. *Antiphona duplex ſignificatio.*

De antiquitate porrò Antiphonæ in ſecundo ſenſu acceptæ, nihil hactenus reperire potui. Meminit quidem Anti- 47. *Antiquitas Antiphonæ.*

tiphonarum Concilium Agathonenſe & habetur c. *Conuenit*, de Conſecrat. d. 5. ſed difficile eſt diſcernere, primo, an ſecundo modo accipiat. Rectè verò obſeruauit Ioan. Belet, in Rationali cap. 25. Antiphonas eſſe quaſi quaſdam cantilenas ad animorum recreationem diuinis laudibus inſertas, de qua etiam plura habet Durãdus in Rational. lib. 5. cap. 2. num. 26. & ſequent. Conſilium autem ſalutare eſt os ſuum aperire, & attrahere ſpiritum nouum, dum Antiphonæ cantantur, & attentionis propoſitum renouare; imò feruorem maiorem in ſe excitare ad Deum iucundiùs laudandum & ardentiùs deprecandum.

48. *Dum Antiphonæ cantantur excitanda attentio & feruor orationis.*

De Orationibus, ſiue Collectis.

49. *Quid contineat Oratio.*

OFficium diuinum concluditur oratione aliqua, quæ (ſi excipias Primam & Completorium, quæ ſemper habent orationes eaſdem) ordinariè ſimilis eſt in omnibus alijs Horis cum ea quæ in ſacrificio Miſſæ ſolemniter canitur. Semper autem oratio illa & mentes noſtras ad Deum euehit, pium aliquem affectum eliciendo, & virtutem aut donum aliquod ab eodem poſtulat. Commendat autem maximè ipſius Potentiam, Miſericordiam, aut aliquod Attributum, & ab ipſo tanquam bonorum omnium fonte beneficia multiplicia in ſuum populum ardenter obſecrat deriuari. Solent autem orationes illæ antiquo nomine vocari Collectæ: cuius nominis ratio triplex vel quadruplex ex auctoribus, qui de diuinis officijs ſcripſerunt, deſumitur, ſicut & Collecta vox eſt polyſema.

50. *Prima ratio cur orationes vocentur collectæ.*

Prima, vt inquiunt Durandus in Rationali lib. 4. cap. 15. num. 13. Walafridus Strabo de Rebus Eccleſiaſticis cap. 2. Micrologus de Eccleſ. Obſeruat. cap. 2. Hugo Victorinus lib. 2. de Offic. Eccleſiaſt. cap. 16. & alij quòd Sacerdos, qui fungitur legatione ad Deum pro populo, in eis petitiones omnium compendio, in vnum colligit, vt eas ad Dominum tranſmittat. Et certè manifeſtè notatur hæc ſignificatio à Caſſiano lib. 2. de Inſtit. Renunc. cap. 17. vbi ſic loquitur: *Cùm autem is qui orationem collecturus eſt è terra ſurrexerit, omnes pariter eriguntur; ita vt nullus nec antequam inclinetur ille, genua flectere, nec cùm è terra ſurrexerit, remorari præſumat; ne non tam ſecutus fuiſſe illius concluſionem, qui precem colligit, quàm ſuam celebraſſe credatur.* Vbi notanda ſunt verba *precem vel orationem colligere*, Vide eumdem cap. 10. Indicatur idem Etymon in Concilio Agathonenſi can. 30. & habetur c. *Conuenit*, de Conſecrat. diſt. 5. *Plebs*, ait, *collecta oratione ad Veſperam ab Epiſcopo dimittatur cum benedictione*. Vbi ita exponit Gloſſa. Vocantur ibidem orationes illæ collectiones, ſic enim habetur in Originali, non verò collationes, vt habet Gratianus in Decreto, & ita intelligit Turrecremata. Clariùs hoc habetur ex vita S. Ioannis Epiſcopi Neapolit. in qua hæc leguntur. „Sabbatho autem ſecunda hora diei, Ioannes lætus ad Eccleſiam proceſſit, & aſcenſo tribunali ex more populum ſalutauit, (videlicet dicendo, *Pax vobis*, vel *Dominus vobiſcum*), reſalutatuſq; à populo (per verba. *Et cum ſpiritu tuo*) orationem dedit (præmittendo illud ſolitum, *Oremus*) & collecta oratione ſpiritum exhalauit, „ collecta oratione, id eſt, recitata, & expleta. Cùm enim Epiſcopus vel Sacerdos dicit *Oremus*, videtur populo ſpatium aliquod temporis dare ad orandum & quaſi orationem illis imperare, quã finitâ, ſub ſilentio omniũ preces & vota, vnica ſua breuicula oratiuncula colligit & diuinæ maieſtati offert. Alteram notionẽ huius nominis tradit Albinus Flaccus Alcuinus, lib. de Diuin. Offic. c. de Celeb. Miſſæ quia vi-

quod omnium vota in vnum colligantur.

51. *Altera ratio, quia*

populo collecto dicantur. videlicet populo in vnum collecto dicuntur. Vnde docent Doctores paſſim qui de Ritibus ſcripſerunt, ſpeciatim vocari Collectas orationes illas, quæ apud Romanos ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur vt procedat de vna Eccleſia ad aliam, ad ſtationem faciendam. Vide Micrologum ſuprà, & Durandum in Rationali lib. 4. c. 15. num. 13. & Stephanum Durantum lib. 2. de Ritib. cap. 16. nu. 2.

52. *Tertia, quòd omnium animi ad Deum colligantur.* Tertiam habet Franciſcus Suarez tom. 3. in 3. p. D. Thomæ diſp. 83. ſect. 1. quia videlicet per eam omnium audientium animi ad Deum colligantur, vnde Sacerdos præmittit, *Oremus.*

Poſtremam ponit Card. Bellarminus
53. *Quartà, quia dicuntur in Miſſa, quæ olim vocabatur Collecta.* tom. 2. Controu. lib. 2. de Miſſa c. 16. quam putat aliis veriorem. Dictam nimirum collectam per figuram intellectionis vel Synecdochen, quâ ex toto pars intelligitur, ab ipſa celebratione Miſſæ, quæ ab antiquis dicebatur Collecta, quia ad eam populus colligebatur; vt probat ex antiquis Patribus. *Hinc*, inquit, *oratio, quæ recitatur in Miſſa, Collecta dicta eſſe videtur, quia eſt finis, principium, & medium totius illius actionis, quæ*
54. *Prima notio eſt optima.* *Collecta dicebatur.* Hæc ille. Ego tamen primam ceteris præfero, tum quia etiam in Eccleſ. Officijs extra Miſſam orationes dicebantur, tum propter diuerſos locos Caſſiani allatos, quibus planè conuinci videtur in Horis Canonicis ſub earum finem, omnium orationes ab vno in compendium ſolitas colligi, & ſic conuentum ſolui. Cui multum etiam fauet fruſtum Concilij Agathonenſis in Decreto Gratiani
55. *Antiquitas Collectarum.* allatum. Antiquitas orationum, ſeu collectarum ſatis conſtat ex Iuſtino Apolog. ad Antoninum 2. ſub finem, vbi docet in Chriſtianorum cœtibus preces, & gratiarum actiones fundi ſolitas, quibus populus fauſtè acclamabat, *Amen*, quod nunc chorus Clericorum ſuccinit. Vide pro eadem antiquitate Tertullianum Apolog. cap. 39. Statutum etiam fuit in Carthaginenſi III. Cauſa 23. & Mileuitano cap. 14. vt Sacerdotes non legerent niſi orationes ab Eccleſia approbatas. Certum porrò eſt orationes, quæ in noſtro Breuiario habentur, pleraſque omnes eſſe vetuſtiſſimas, & veriſimiliter à Gregorio Magno in vnum coactas, vel ante ipſum à Gelaſio, vt ſignificat Walafridus Strabo de Rebus Eccleſiaſt. cap. 22. Quidquid ſit redolent illæ venerandam antiquitatem, & ſpirant admirabilem pietatem, plenæque ſunt ſucci ſpiritualis, ſi quis eum exprimere nouerit.

CAPVT XXX.

Compendioſa totius Pſalmodiæ, diuinique officij à capite ad calcem expoſitio.

HOris Canonicis quibuſcunque 1.
primo loco præponi ſolet oratio *Oratio Dominica præmittitur horis.* Dominica, exceptis dumtaxat matutinis Laudibus, quando coniunctim officio nocturno canuntur, vt ordinarium eſt, quia ſic vnam precationem horariam cum illo conficiunt; & Completorio, in quo poſt lectionem breuem Dominica oratio interſeritur. De huius orationis dignitate, perfectione efficacia, ordine, breuitate, vtilitate & neceſſitate hîc tractare, actum eſſet agere, poſt tot ſanctorum veterum Patrum, & recentium ſcriptorum in eam elaboratas lucubrationes. Commentati ſunt in eam ex Societate noſtra complures, vt Bellarminus Card. lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 4. 5. 6. Petrus Caniſius in Catechiſmo maiore c. 2. Franciſcus Suarez lib. 3. de orat. Dom. cap. 8. Ioannes Azorius tom. 1. Inſtit. moral, lib. 9. cap. 37. Aluarez de Paz tom. 3. (qui eſt de ſtudio orat.) lib. 1. p. 2. c. 13. Breuiter autem

Digitized by Google

autem poſt D. Thomam 2. 2. q. 83. art. 9. Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 4. Et nos in Tractatu ſeq. de ſacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 26. Ceterùm in Eccleſia obſeruatum fuit, vt tempore diuini officij omnium princeps ſupplicatio recitaretur. Sic enim ſtatutum fuerat in Concilio Toleta-

2. *Præceptum de oratione Dominica recitanda tempore Officij.* no IV. c. 9. *Quiſquis*, inquit, *Sacerdotum vel ſubiacentium Clericorum hanc orationem Dominicã quotidie aut in publico, aut in priuato officio prætererit, propter ſuperbiam iudicatus Ordinis ſui honore priuetur.* In Concilio verò Gerund. cap. 10. prout refertur c. *Id ſemper* de conſec. d. 5. ſic ordinatum fuit: *Id ſemper placuit obſeruari, vt omnibus diebus poſt Matutinas, & Veſperas, Oratio Dominica à ſacerdote proferatur.* Verùm in hoc ſeruandæ ſunt Breuiarij Rubricæ, in quibus diſcernitur dicenda in principio omnium Horarum, excepto Completorio. Item in fine cuiuſque Horæ, de quibus ſuo loco dicetur. Nauarrus

3. *Non eſt dicenda bis oratio Dominica initio Completorij, quamuis id velit Nauar.* in Miſcel. 73. de Orat. probat iure communi dicendam poſt Veſperas orationem Dominicam etiam ſi ſubſequatur Completorium, in cuius initio dicitur; Sed contrarium conſtat ex Rubrica Breuiarij, tit. de orat. Domin. „quæ ſic habet: *Pater noſter*, & *Aue Maria* ſemper dicitur ante omnes „Horas præterquam ad Completo„rium, in cuius principio tantùm poſt „lectionem breuem dicitur; *Pater noſter* „ſecretò. Et paulò pòſt: Si autem alia „Hora ſubſequatur, in fine præcedentis „Horæ dicitur, *Pater noſter*, ſemel tan„tùm pro principio ſequentis Horæ „addito *Aue Maria*. Ex quibus colligitur, ſemel tantùm dicendum *Pater* ante Completorium.

4. *Refellit Nauar. qui putat melius eſſe* Quod verò idem Nauarrus in Enchir. de orat. cap. 10. num 62. aſſerit, melius eſſe Orationem Dominicam dici in fine, quàm in principio, quod multis probat: totum benè refellitur à Francolino ſuprà nu. 13. & ſequent. quem conſulat Lector. Solet autem *orationem Domin. dici in fine, quàm initio horarum.* oratio illa præmitti Horis Canonicis ſecretò, vt hac ratione animi clericorum & diuino officio præſentium, per priuatam orationem colligantur, & in Deum prouocentur; quod perbene fit per omnium orationum lectiſſimam. 5. *Oratio Dominica ſecretò cur dicatur.* Statuit inſuper S. Benedictus Reg. c. 13. in fine matutinæ & veſpertinæ orationis, eandem orationem recitandam omnibus audientibus propter 6. *Cur aliquando dicatur alta voce.* ſcandalorum ſpinas (id eſt, vt explicat Turrecremata tract. 70. vt iræ, odia, diſſenſiones tollantur) vt conuenti per ipſius orationis ſponſionem, quã dicitur, *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ſe purgent ab huiuſmodi vitio.

7. *Tribus de cauſis præmittitur etiam Aue Maria.* Addi etiam ſolet admodum conuenienter Orationi Domini Angelica Salutatio, vt opem Virginis Matris Deo acceptiſſimæ ad ritè deuoteque publicam precationem peragendam imploremus. Ludouicus Pontanus tom. 4. de Perfect. Chriſt. tract. 3. c. 10. §. 2. oſtendit tribus de cauſis Horis præmitti Angelicam Salutationem. Prima eſt, vt reuerentiam & amorem erga Virginem monſtremus tanquam Dei matrem, noſtramque mediatricem. Secunda vt ſua interceſſione nos iuuet in opere orationis ſancto, vt ſignificat τὸ *nunc*, quod cùm ſpiritu dicendum. Tertia vt & ipſa partem laudis accipiat, vtpote ea digniſſima: quã etiam ratione ſemper Horæ inchoantur, ab eadem Salutatione & finiuntur per aliquam ad ipſam directam Antiphonam, vt ab ipſa principium & finis. Si lector huius explicationem deſideret, inueniet apud Petrum Caniſium in Catechiſ. ſuprà c. 2. Suarez dicto lib. 3. c. 9. & Aluarez de Paz ſuprà c. 14. Adiungitur prætere- 8.

Cur præmittatur Symbolum Apoſt. ea Symbolum Apoſtolorum ad Matutinum & ad Primam, vt principium orandi à confeſſione fidei ſumatur: Propter quod etiam optimè finis horis

imponi-

imponitur poſt Completorium per eamdem confeſſionem fidei: vt corde credamus ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fiat ad ſalutem. Sic iuſtus ex fide viuit, cùm per illam orat & operatur, Deum laudat, &c. Accipiendum etiam ante orationem ſcutum fidei, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Statuerat quidem Damaſus, vt in Diuino officio ad ſingulas horas Symbolum diceretur; vt de eo referunt Supplementum Chronic. in vita ipſius, & Polydorus Virgilius lib. 6. de Inuentoribus Rerum capit. 2. Sed per contrariam conſuetudinem & alias ordinationes factum

9. *Mane & veſperi ſymbolum recitabatur olim.*

eſt, vt ſolùm ad Matutinũ, ad Primam, & Completorium recitetur. Certè S. Ambroſius l. de Velandis Virginibus, Symbolum, tamquam cordis noſtri ſignaculum, quotidie antelucanis horis recenſendum monet. Et D. Auguſtinus lib. 1. de Symbol. ad Catechum. c. 1. & lib. 50. homil. 42. homil. ad finem, vult quotidie dicendum Symbolum quando ſurgimus, & quando ad ſomnum nos collocamus. Vide de hoc præter ceteros Stephanum Durantum lib. 2. de Rit. Eccleſiæ c. 24.

10. *Cur officium inchoetur per Deus in adiutorium, Domine labia, & Conuerte nos Deus.*

Poſteà clara voce Officium Diuinum inchoatur Dei ſemper auxilium implorando, per verſum 1. Pſal. 69. *Deus in adiutorium meum intende, &c.* Matutino tamen præmittitur verſus ex Pſalm. 50. *Domine labia mea aperies,* &c. & Completorio verſus ex Pſal. 84. *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, &c.* De quibus paucis agendum.

Notat Card. à Turrecremata ad cap. 9. Reg. D. Benedicti tract. 66. ex Guilielmo Durando in Rationali lib. 5. c. 2. tribus modis hominem peccare, videlicet corde, ore, & opere; Ideoque tribus diuerſis modis horas inchoari: Completorium per *Conuerte nos Deus &c.* contra peccatum cordis, Matutinum verò per *Domine labia mea aperies, &c.* contra peccatum oris; aliàs verò omnes diei Horas, per *Deus in adiutorium &c.* contra peccatum operis, & quoniam in peccato cordis & oris, eſt aliquid operis; ideo in omnibus horis tam diurnis, quàm nocturnis dicitur, *Deus in adiutorium &c.* Hæc illi. Sed meo iudicio melior ratio exordij diuerſi aſſignari poterit, ſi dicamus, omnes horas initium ſumere à verſu, *Deus in adiutorium &c.* quia cùm in omnibus religionis functionibus, tum præcipuè in oratione, vt reuerenter, attentè, & meritoriè fiat, diuina ope indigemus;

11. *Melior illius datur ratio.*

ſpeciatim verò nocturna precatio principium ſumit à verſiculo, *Domine labia mea aperies, &c.* Quia poſt diuturnum noctis & ſecretæ meditationis ſilentium, tum primum die illo vocem in Dei laudes ſoluere decernimus. Vnde rectè ad illum ingemiſcimus, qui claues illius habet, & ora etiam mutorum aperit, Sapient. 10. & ex ore infantium & lactentium perficit laudem, Pſal 8. vt ipſe linguæ vincula laxet, quâ præclara eius opera & præconia enarrare poſſimus. Poſtremam diei precationem rectè aggredimur hiſce verbis: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, &c.* vt benigniſſimus Deus mentes noſtras per diem varijs vitæ caducæ negotijs diſtractas, & fortè ab ipſius præceptis auerſas, ad ſe conuertat, noſque ſub noctem intra nos cogat, vt ſalutari peccatorum concepto dolore in pace dormiamus & requieſcamus. Vnde prius illius verſus Hemiſtichium pertinet ad animi collectionem inſinuandam, poſterius verò peccatorum veniam expoſcendam monet. Sic olim Num. 10. v. 36. cùm columna nubis ſiſteret, & arca fœderis poneretur, dicebat Moyſes: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.*

12. *Conuenit illud, Conuerte, cum verbis Moſis, Reuertere Domine*

Et quidem negari non poteſt principium illud, *Domine labia mea aperies, &c* conuenientiſſimum eſſe, quod etiam conſtat Hebræos cuiuſuis orationis exor-

ut, &c. Num. 10.

13. *Præconium verſus, Domine labia aperies, & congruentia.*

exordio præmittere, vt Teſtatur liber eorum, qui inſcribitur Berachoth. Eſt enim præſentiſſimus ad orationem præparatus, & quaſi Iſagoge ad ſalutares eius ſatus fructuſque capiendos. Hortatur nos ſæpè Deus vt in oratione os aperiamus, ſicut vir ſapiens facere ſolet, de quo dicitur Eccleſ. 39. *Aperiet os ſuum in oratione, &c.* & Pſalmographus Pſal. 118. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum.* Sed quia non ſumus ſufficientes ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ab ipſo eſt; ideò de profundis ad ipſum clamamus, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit, &c.* Plurima in laudem huius verſiculi diſertè & eleganter dici poſſunt. Qui-
„ dam illum vocat primam aciem Ec-
„ cleſiaſtici exercitus, ſymbolum mi-
„ litiæ noſtræ, tubam & ſignum, quo
„ audito arma capiunt Eccleſiæ mini-
„ ſtri contra hoſtes qui ſub aſpectum
„ non cadunt: vocat vexilliferum, qui
„ labarum crucis erigit per confertas
„ monachorum, Virginum, canonico-
„ rum phalangas; auroram, primitiaſ-
„ que diurnæ orationis, & felix inſe-
„ quentium orationum prognoſticum
„ procemium, quo æterni numinis
„ captatur beneuolentia, quo animus
„ orantium attentus, auditor docilis
„ redditur: vocat auem lucis, & diei
„ temporanei & æterni prænunciam,
„ quæ iacentes excitat, & ſomnolen-
„ tos increpat, Hugo de Sanct. Victore lib. 2. de offic. Eccleſ. capit. 8. tradit nos ideo dicere, *Domine labia mea aperies, & os meum, &c.* quia in Completorio nos Deo commendauimus & ora concluſimus ſinguli quodammodo in ſingulis ſepulchris quieſcentes, & Deo ſoli aſtantes, cui non ſunt verba neceſſaria, ſed cogitationes nouit; at quia nocte iterum conuertimur ad Domino labijs confitendum, precamur eum, vt labia noſtra aperiat. S. Benedictus Regul. cap. 9. nocturnas Horas præcipit inchoari per verſum, *Deus in adiutorium, &c.* Deinde ſecundò, inquit, ter dicendum eſt, *Domine labia mea aperies, & os meum, &c.* Huius rationem adfert Durandus in Ration. lib. 5. cap. 2. num. 8. quia ſine auxilio Dei, nec cor, nec labia ad Dei laudem aperire valemus.

14. *Melius eſt Matutinum inchoare, per Domine labia, quàm per Deus in adiutorium vt habet regula S. Benedicti.*

Nihilominus conuenientius ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ præmittere verſum, *Domine labia mea aperies, &c.* tum propter rationes iam dictas, tum quia, vt rectè obſeruauit Beleth. in Ration. cap. 24. fuit religio ſacerdotum primitiuæ Eccleſiæ, cùm quieti ſe traderent, ſignaculo crucis ſe munire vocem comprimentes ad tempus vſque matutinum, & tunc demum ore in Dei laudem prorumpere. Sequendo verò Rubricam Breuiarij Romani Hebdomadarius exordiens, *Domine labia mea aperies, &c.* pollice os ſibi ſignat crucis ſignaculo quaſi Claue Dauid antè per ſilentium clauſum reſerans, & virtute Chriſti crucis donum orationis cælitus nobis demitti proteſtans & obſecrans.

15. *Cur ſigno crucis os ſignamus cum Domine labia.*

16. *Ratio cur præmittatur, Deus in adiutorium.*

Sequitur iam alter verſus primordijs omnium Horarum communis paululùm illuſtrandus ſcilicet, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* quo petimus præſentem Dei opem quàm velociſſimè nobis adeſſe tempore orationis. Vt enim præclarè Gloſſa in verſum primum Pſalm. 69. adnotauit, cùm orare debemus, tum maximè nititur tentare diabolus; vt muſcæ morientes perdant ſuauitatem vnguenti. Vnde contra illius inſultus auxilium Domini ante omnia poſtulamus. Licet autem verſiculus ille ex Pſalm. 69. mutuò acceptus ſit, putat tamen Abulenſis in c. 10. Num. v. 35. Durandus ſuprà nu. 7. & alij hanc orandi in Eccleſia conſuetudinem originem ſumpſiſſe ex prece Moyſis, qui cùm eleuaretur Arca, dicebat Nu. 10. ſup. *Surge*

17. *Originem ſumpſit hæc verba præmittendi conſuetudo ex verbis Moſis Num. 10. Surge Domine & diſſipentur inimici tui, iuxta Abulenſem & alios.*

Domine

Domine & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua; quæ verba etiam expreſſit pſaltes Pſal. 67. *Exurgat Deus, &c.* Quâ precandi formulâ petebat Moſes Deum qui cum Arca & Caſtris Hebræorum antea quodammodo quieuerat, exurgere ad iter aperiendū, & vicinos hoſtes ſua ope diſpergendos. Verba Abulenſis ſunt hæc: *Ex illis verbis,* inquit, *inoleuit in Eccleſia conſuetudo, quæ iam pro lege ſuſcepta eſt, ſcilicet, vt in principijs Canonicarum Horarum dicatur, Deus in adiutorium meum intende &c. In quo petimus, vt Deus ſurgat ad iuuandum nos, ſicut Moſes petebat in principio cuiuſlibet profectionis caſtrorum, vt Deus ſurgeret ad diſſipandum hoſtes.*

18. *Docent hiſtoriæ SS. verſu illo magno affectu pronuntiato dæmones fugari.*

Verùm, vt dixi, Eccleſia primordia ſuarum precum ſumpſit ex initio Pſal. 69. potuit tamen etiam reſpexiſſe ad orationem Moſis. Quidquid ſit, certum eſt, verſiculo illo debitè & magno affectu pronuntiato terreri fugarique dæmones, vt plura docent exempla. Occurrit modò quod refert Thomas Cantipratanus, in vita Sanctæ Lutgardis 16. Iunij tom. 3. Surij. *Cùm,* inquit, *Lutgardis, Pſalmos non intelligeret, tamen cum verſum, Deus in adiutorium, & alios quoſdam inter pſallendum ruminaret, videbat dæmones cum horrore refugere, & à malis ſuggerendis ceſſare.*

Si ergo vt ante dictum, verſus *Domine labia mea &c.* clangor tubæ eſt, & ſignum magni Regis, quo ciemur ad conferendum manus cum aduerſaria acie, erit hic verſus prima miſſilia quæ Eccleſiaſtici velites rorarij & fundibularij in hoſtes vibrare ſolent. Nullum ſiquidem telum amentarum, aries, aut catapulta nulla, nullæ pilæ ferreæ, nulla bombardarum fulgetra, aut tonitrua dæmonibus & tartaro hoc verſu magis formidanda.

19. *Vis & laus verſiculi, Deus in adiutorium ex Caſsiano.*

Quòd ſi lector mihi non credat, perlegat, quæ de huius verſus præconio & efficacia concionetur Abbas Iſaac apud Caſſianum Collatione 10. c. 10. vbi demonſtrat hanc precandi formulam contra veternoſi ſerpentis inſultus & aſtus munitiſſimum eſſe præſidium. „Hic namque verſiculus, inquit, non immeritò de toto ſcripturarum excerptus eſt inſtrumento. Recipit enim omnes affectus quicumque inferri humanæ naturæ poſſunt, & ad omnem ſtatum atque vniuerſos incurſus propriè ſatis & competenter aptatur. Habet ſiquidem aduerſus vniuerſa diſcrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confeſſionis, habet ſollicitudinis, ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis ſemperque aſtantis præſidij. Qui enim iugiter ſuum inuocat protectorem, certus eſt eum eſſe ſemper præſentem. Habet amoris & charitatis ardorem, habet inſidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem, quibus perſpiciens ſemetipſum die noctuque vallatum, confitetur ſe non poſſe ſine defenſoris ſui auxilio liberari. Hic verſiculus omnibus infeſtatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, & impenetrabilis lorica ac munitiſſimus clypeus. Hactenus Caſſian. & longè plura quæ toto capite, imò concione integra proſequitur elegantiſsimè.

20. *Familiaris hic verſus antiquis Patribus in tentationibus dæmonum.*

Notet lector ad propoſitum noſtrum verba Caſsiani vltima, ſciatque hoc carmen antiquis patribus admodum fuiſſe familiare, vſurpatum quacumque tandem dæmonis tentatione irruente, aſſiduèque Dei famulis in ore, multoque magis in corde habendum. Quotieſcumque igitur ſacerdos vel Eccleſiæ miniſter ſurgente Dei in ſe ſpiritu Horas Canonicas aggreditur recitare, Dominum obſecrat, vt ſibi præſidio ſit aduerſus principes tenebrarum, qui attentionem & deuotionem impedire moliuntur.

Digitized by Google

Procul hinc procul eſte profani:
Conclamat Vates; totoque abſiſtite templo.

Vt velociùs autem diffugiant, ſymbolo ſe crucis & ſcuto obarmat, vt Dauidis baculo immundi canes abigantur, ne oranti oblatrent.

21. *Cur poſtea ſequatur SS. Trinitatis glorificatio.*

Implorationi diuini auxilij ſuccedit doxologia ſiue ſummæ Trinitatis glorificatio, de qua etiam pluſcula dicenda. Imprimis itaque aduertendum meritò in capite pſalmodiæ gloriam accini Deo trino & vno: tum quia ab illo eiuſque laude ſumenda ſunt omnium actionum bonarum primordia, quem etiam nobis orantibus præſentem eſſe coguoſcimus; vnde & in ſignum noſtræ ſubiectionis ipſum adorando, caput inclinamus: tum quia quaſi nos exauditos nouerimus, gratiarum actionem illi perſoluimus. Siquidem deſiderium pauperum exaudit Dominus, præparationem cordis eorum audit auris eius. Solet autem eadem glorificatio poſt ſingulos Pſalmos, & aliàs repeti ob varias cauſas, quarum pauculas hîc attingam ſpeciales.

22. *Cauſæ cur Eccleſia toties SS. Trinitatem laudet per Gloria &c.*

23. *Prima eſt Toleti, vt cantus Eccleſiæ militantis conformetur cantui Triumphantis.*

Prima eſt Toleti ſerm. 14. in Pſalm. 31. vt militantis Eccleſiæ cantus conformetur cantui triumphantis: vtpote quia immediatè ex hac noſtra tranſitur ad illam, in qua laudatur SS. Trinitas Iſaiæ 6. *ſanctus*, &c. huic ſe adiungit noſtra: quia tamen multis indiget, ob id præter glorificationem vtitur Pſalmis, quibus exprimit multa quibus hîc indigemus, propter quod non in principio pſalmorum, ſed in fine ponitur; quia laus eſt poſt petitionem & orationem, quæ in Pſalmo continentur, & eſt propriè illius patriæ, vbi finis eſt, & nulla indigentia premit. Occurrit & altera, eò quòd Religioſa Deum glorificandi voluntas, ipſiuſque glorificationis opus, præcipua, propria, & maximè eximia portio eſt Eccleſiaſticæ pſalmodiæ: vnde in eo ſequimur Apoſtoli conſilium qui cùm de Pſalmis & Canticis ſpiritualibus modulandis locutus fuiſſet, ad Epheſ. 5. & Coloſſ. 3. ſtatim ſubiicit apponendam doxologiam. Et priori quidem loco ſic ſcribit, *Pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & Patri*; poſteriori verò ſic: *In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti. Gratias agentes Deo & Patri per ipſum.*

24. *Altera eſt, quia præcipua pars pſalmodiæ eſt Dei glorificatio.*

25. *Tertia eſt Franciſci Suarez, quia per additam glorificationem fit pſalmodia propria legis nouæ: in qua eſt expreſſa SS. Trinitatis notitia.*

Tertiam affert Franciſcus Suarez libr. 4. de Orat. capit. 2. numero 10. Quoniam, inquit, pſalmorum vſus „antiquior eſt quàm lex gratiæ, vt„ propriam eius perfectionem participet, & ita fieret Pſalmus conſummatus, non ſine ſpeciali Dei prouidentia factum eſt, vt ex inſtitutione Eccleſiæ in fine vniuſcuiuſque Pſalmi adderetur Trinitatis confeſſio, & glorificatio per ſolitum hymnum, *Gloria &c.* ad profeſsionem, & diſtinctionem. Eandem dat Toletus ſuprà: *Solebant, ait, Iudæi etiam Pſalmos cantare, ſed licet apud eos eſſet vera Dei cognitio, non erat tamen in populo expreſſa SS. Trinitatis notitia, vt docent Patres & Doctores.*

26. *Quarta, vt fides noſtra diſtinguatur ab errore paganorum & Arianorum, &c.*

Addit præterea & aliam, vt fides noſtra diſtinguatur ab errore paganorum, plures falſos Deos in natura ex perſonis colentes. Quin etiam, vt ab hæreticorum maximè Arianorum falſitate dignoſcatur ponentium filium patre inferiorem & poſteriorem. Omitto aliorum rationes. Iuuat verò paululum hîc exſpatiari, & primò quidem ſucculentam iſtorum verborum explicationem proponere. Deinde exactiùs vetuſtum iſtius hymnodiæ vſum rimari. Cornelius à Lapide ediſſerens vltima verba capit. 11. Epiſt. ad Rom. *Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula Amen*

men

Digitized by Google

27. *Pia glorificationis expoſitio.*

men. Hymnum glorificationis piè & vtiliter, vt ipſe dicit, exponit in gratiam eorum, qui in Horis Canonicis eum crebrò repetunt. „Eſt autem eius „diſſertatiuncula hæc. Gloria Patri, „ex quo omnia tanquam primo omnium principio. Gloria filio, per „quem omnia facta ſunt quaſi per ſa„pientiam, & homines redempti quaſi „per mediatorem. Gloria Spiritui ſan„cto, in quo omnia veluti in vinculo „& conſummatione. Gloria Patri, ex „quo omnis paternitas in cœlo & in „terra, Gloria Filio, per quem omnis „filiatio, Gloria Spiritui ſancto, in quo „omnis ſanctitas & ſanctificatio. „Gloria Patri, ex quo æternitas, Gloria „Filio, per quem omnis ſpecies & „pulchritudo, Gloria Spiritui ſancto, „in quo omnis felicitas & fruitio. „Gloria Patri, ex quo omnis vnitas, „Gloria Filio, per quem omnis æqua„litas, Gloria Spiritui ſancto, in quo „omnis amor & concordia. Gloria „Patri, ex quo omnis potentia, Gloria „Filio, per quem omnis ſapientia, „Gloria Spiritui ſancto, in quo omnis „bonitas. Gloria Patri, qui me creauit, „Gloria Filio, per quem redemptus „ſum, Gloria Spiritui ſancto, in quo „iuſtificatus ſum. Gloria Patri, qui me „prædeſtinauit, Gloria Filio, per cuius „ſanguinem ablutus ſum, Gloria Spi„ritui ſancto in quo glorificabor in æ„ternum, Amen. Hæc ille.

28. *Etſi forma glorificationis non reperiatur in ſcriptura res tamen ipſa apertè habetur.*

Cæterùm quamuis hic hymnus illa forma, quâ canitur diuini officij tēpore, non reperiatur in ſacris literis, res tamen ipſa Deus trinus & vnus, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, apertè habetur & exprimitur in forma baptiſmi, Matth. vltimo; Imò quem Eccleſia hiſce verbis glorificat, eumdem Iſai. 6. laudarunt Seraphim, clamando: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, &c.*

Reſtat iam vt de veteri vſurpatione, & celebratione hymni glorificationis (ſic eum vocarunt priſci Chriſtiani) pauca proferamus, non incerta recentiorum ſectantes veſtigia, ſed antiquiſſimorum patrum ſolo inhærentes: exemplo Illuſt. Card. Baronij diligentiſſimi antiquitatis perſcrutatoris, qui hac de re fusè tractat Annal. 3. an. Chriſti 325. relegens Acta Concilij Nicæni. 29. *Vetus vſurpatio hymni glorificationis.*

30. *Glorificatio SS. Trinitatis nata cum fide Chriſtiana & Eccleſia.*

Dicimus ergo hymnum Glorificationis natum ſimul cum ipſa fide & baptiſmo, eiuſque forma, & ad noſtra vſque tempora diutina poſſeſſione vſuque captum, tranſmiſſum, & propagatum. Cùm enim Neophyti audirent ſe aquis ſalutaribus tingi In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cœperunt etiam SS. tres perſonas glorificationis hymnodia euehere. A temporibus ergo Apoſtolorum profluxit hæc glorificatio (vt & Symbolum Apoſtol. quod habemus) non ſcripto mandata, ſed traditione accepta. Ita diſertè S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto ad Amphiloch. cap. 9. 27. & 29. ſic inter cetera habet: *Quis fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad Lucernas, dicere non poſſumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam viſi ſunt vnquam impietatem committere, qui dicunt, Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Dei &c.* Alibi tamen, vt cap. 27. ſub finem ponit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto vt iam cantamus. Non ergo Conciliū Nicænum inſtituit glorificationem illam cani, quia Baſilius hoc ignorare non potuiſſet, & ineptè ad traditiones Apoſtolicas retuliſſet. Alluſit ad hanc glorificationem Concilium Conſtantinopolitanum cum in Symbolo fidei de Spiritu ſancto profitetur, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur. Meminit eiuſdem S. Athanaſius lib. de Virginitate, vbi virginem inſtituens hortatur illam, vt à menſa gratias Deo agat ter dicens, 31. *Concil. Nicæn. non inſtituit Glorificationem cani.*

Miſerator & miſericors Dominus eſcam dedit timẽtibus ſe, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. Vnde multò minùs referendum hoc

2. *...cto Mi... nus illius auctor fuit Flauianus Hieron. aut Damaſus.*

eſt ad Flauianum Antiochenum, qui Conſtantio Imperatore floruit, vt inſinuat Nicephorus libro 9. Hiſt. capite 24. Sozomenus libro 3. capite 19. quem aliqui pro eodem citant, Flauiani non meminit. Nec Theodoretus libro 2. capite 24. illum facit auctorem iſtius hymni, prout aliqui citant, ſed ſolùm Chori in duas partes diuiſi; quod quomodo intelligendum, alibi eſt explicatum. Maneat ergo hymnum glorificationis, & Flauiani & Concilij Nicæni tempora multò magis D. Hieronymi aut Damaſi præceſsiſſe; quod tamen Alcuinus voluit, dum libro de Diuinis Officijs cap. de Celebr. Miſſæ compoſitum putat à D. Hieronymo petente Damaſo, & Strabo libro de Rebus Eccleſ. capite 25. dum ex aliorum ſententia aſſerit

33. factum à Concilio Nicæno. Addimus inſuper ne quidem in Synodo Nicæna decretum fuiſſe, vt in fine pſalmorum glorificatio adderetur. Si enim hoc ſtatuiſſet, id ab omnibus Eccleſijs tanquam Sacroſanctum obſeruatum fuiſſet; cùm tamen in vſurpatione huius hymni diuerſos ritus diſſimileſque per orbem inter orthodoxos conſuetudines reperiamus.

Nec quidem ſtatutum fuit a Nicæno vt in fine pſalmorum adderetur.

34. Siquidem tantùm inuenimus ſtatutum a Damaſo in Romano Concilio (vt habent Damaſi acta) vt in fine cuiuſque pſalmi *Gloria &c.* apponeretur, vt docet Baronius tom. 4. Annal. anno Chriſti 382. Vt etiam legimus ipſo die ſancti Damaſi in Romano Breuiario. Eandem glorificationem in fine hymnorum introductam in Eccleſiam Mediolanenſem à B. Ambroſio idem teſtatur eodem tom. 4. anno Chriſti 387. idque conſtat ex D. Ambroſij Oratione in Auxentium vbi inter cetera hæc habet. *Certatim*, inquit, *omnes ſtudent fidem fateri, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, norunt verſibus prædicare.*

Quid Damaſus circa illum conſtituerit & Ambroſ.

35. Sed varium fuiſſe Eccleſiarum hac in re morem clariùs conſtat ex Caſſiano lib. 2. de Inſtit. Renunc. cap. 8. *Illud*, inquit, *quod in hac prouincia* (Gallia) *vidimus, vt vno cantante in clauſula Pſalmi omnes aſtantes concinant cum clamore, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nuſquam per omnem Orientem audiuimus, ſed cùm omnium ſilentio ab eo qui cantat finito pſalmo orationem ſuccedere, hac verò glorificatione Trinitatis tantummodo ſolere Antiphonam terminari.* Hæc ille.

Varius Eccleſiarum mos in cantanda glorificatione.

36. Sed quid ergo Nicænum Concilium ſtatuit de hoc glorificationis hymno, qui vbique, ſed diuerſo ritu celebrabatur? Reſpondeo colligi ex Concilio Vaſenſi primo (non ſecundo, vt nonnulli volunt) in fine cap. 5. quod habitum fuit paulò poſt Concilium Nicænum Imperante Conſtantio; Nicænos patres addidiſſe glorificationi, id eſt, verbis his, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, appendiculam, quæ hodieque vbique perſonat, *Sicut erat in principio, & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Cùm enim Ariani blaſphemi oblatrarent, *erat quando non erat*, ſcilicet tempus quo non erat filius, addidit S. Synodus doxologiæ verſiculum, *Sicut erat in principio, &c.* vt hæreticorum blaſphemæ diræ retunderentur, verba Concilij Vaſenſis ſunt hæc: *Quia non ſolùm in ſede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum aſtutiam, quâ Dei filium non ſemper cùm Patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe blaſphemant; in omnibus clauſulis, poſt Gloria &c. dicitur, Sicut erat in principio, &c. etiam & nos in vniuerſis Eccleſijs noſtris hoc ita dicendum eſſe decernimus.*

Nicænum Conc. addidit glorific. appendicem, Sicut erat in principio & nunc, &c. & cur.

36. Hæc ibi: Senſus ergo verborum iſtius hymni hic eſt. NOS gloriam DEO damus, & optamus ſimilem illi, quæ erat in principio, id eſt, ab omni æternitate, in principio, de quo dictum eſt, *In principio erat &c.*

Senſus verborum: Sicut erat in principio,

erat Verbum. Sicut ab æterno Pater, ita Filius & Spiritus ſanctus, ita & gloria æterna. Porrò de corruptione Doxologiæ per Arianos, & varijs eam canendi formulis, ad quas alludunt Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus ſuprà, vide eumdem, Baronium tom. 4. Annal.
37. *Varietas quædam in doxologia.* an. Chriſti 371. Paululum deflectit à communi doxologia Concilium Toletanum IV. can. 12. & habetur de conſec. d. 1. c. de hymnis, vbi ſic dicitur. *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.* Sed præualuit conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis. Vide hunc hymnum eruditè & luculentè explicatum à Cardinali Toleto ſerm. 14. & 15. in Pſalm. 31. & multo fuſiùs à Iulio Mazarino 30. concionibus de eadem glorificatione.

38. *V. Beda canens glorificationem mortuus eſt.* Dicitur Venerabilis Beda, cùm penè animam agens commentaretur in S. Ioannis Euangelium ſcribæ excipienti tandem dixiſſe, bene conſummatum eſt, & cygnæum canens *Gloria Patri &c.* placidiſſimè ſpiritum reddidiſſe, anno 731. Concludet hoc caput
39. *P. Nicol. Serarius magnus amator & cultor glorificationis.* de doxologia, id quod ſcriptum eſt in Annuis literis Societatis noſtræ an. 1609. De P. Nicolao Serario, cuius præclara extant & viuunt literarum „monimenta. & vitam finijt in Collegio Moguntino. Nicolaus Serarius in „literarum ſtudijs Dei optimi maximi gloriam tantâ animi contentione „quæſiuit, vt nemo magis aſſiduè honores, opes, atque alias hominum „illecebras: atque vt ad id ſe, alioſque „excitaret, incredibile memoratu eſt, „quanto pietatis ſenſu illam identidem diuinæ laudationis formulam, „quâ Pſalmos Eccleſia concludit, ſit „ſolitus vſurpare, hæc illi priuatim „publiceque operum omnium principium erat ac finis, hanc numquam „ſine præcipuo quodam ardore, qui in „vultu quoque emicaret, pronunciabat. Hanc ſi à ſymphoniacis cani „audiret ornatiùs, geſtire ſcilicet gaudio, ac triumphare quodammodo videbatur. Quàm vero vberes illi ex ea „cæleſteſque ſententiæ de adoranda „illa diuinitate affluerent quamque „ea voluenda inflammatum in dies „diuinæ gloriæ ſtudium in pectore „gliſceret, non modò frequentibus, „vbi ſe dabat occaſio ſermonibus, ſed „publicis etiam monimentis prodere „olim ſtuduit: Et verò luculentiùs aliquando feciſſet, ſi eum de diuina „doxologia librum, cuius Argumentum in apparatu ſacro Poſſeuinus „expoſuit, abſoluere per fata licuiſſet; „Hæc de Serario in Annalibus noſtris.

Poſt doxologiam ſequitur à Paſchate vſque ad Septuageſimam hymnus Angelicus *Alleluia*; & meritò quidem, cùm enim Deo placeat iucunda decoraque laudatio, & Pſalmographus nos exhortetur Pſal. 99. *Introite in conſpectu eius in exultatione*: ſubiungitur vox lætitiæ *Alleluia*, quæ ſignificat (*Laudate Deum*; animo videlicet dilatato & exultabundo. Quia verò numquam à Dei laude ceſſandum, ne quidem tum cùm recolitur tempus miſerandi hominum caſus, ſupponitur ipſius loco diebus, qui intra Septuageſimam, & Paſcha continentur, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*. Et mirum quidem alicui videatur Eccleſiam laudem laudi intexere, glorificationem glorificationi. Sed conſideret ille quiſquis eſt Deum maiorem eſſe omni laude, pſalmodiamque debere eſſe laudem catenatam. Hinc choragus & præſes noſtræ pſalmodiæ vociferatur; *ſemper laus eius in ore meo*, & toties ingeminat *Alleluia Laudate Deũ* in ſuis Pſalmis; toties etiã Apoſtolus in ſuis Epiſtolis ad melos Euchariſticum Deo offerendum conclamat: hinc Apocal. 10. in cælis, perpetuum lætabundo plauſu reſpontat *Alleluia*. O ſi nobis liceat, dum pſallimus laudem. 40. *Cur poſt glorif. ſequitur Alleluia.* 41. *Cur Eccleſia laudem laude miſceat & continuet.* 42. *Aſpiratio ad Deo æternam laudem.*

Digitized by Google

limus, olorino iſti noſtrum anſerinum permiſcere! Sed intempeſtiuis votis parcite ô ſuperi; neſcio enim quò me rapiat amabilis inſania; quia Dei laus modum neſcit: efferor etiam ſupra modum, ſupra meritum, ſupra mentem, ſupra me. Non ſemel eſt laudare ſatis, iuuat vſque morari. Vſque quo illud vſque moratur? Quouſque cantabimus canticum Domini in terra aliena? Sed vt video plauſui planctum miſceo, & gaudio lachrymas attempero. Redeo ad orbitam.

43. *Antiquitas cantus Alleluia.*

Acroama illud *Alleluia*, non minùs fortè inter Eccleſiaſtica cantica vetus eſt, quàm doxologia, quod quamuis in linguam Græcam aut Latinam transfundi potuerit; propter tamen ſanctiorem auctoritatem D. Auguſtino teſte lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 10. & alijs, integrum manſit. Dulciùs enim in fonte ſuo, id eſt Hebraico, ſapit. Nolo hîc ridiculas quorundam, qui de officio diuino ſcripſerunt, meis chartis illinere interpretationes, norunt linguæ ſacræ periti, quid illud ſonet, & videndus de huius ſignificatione Hieronymus Epiſt. 137. ad Marcellam.

44. *Olim infantes illud cantabant.*

Antiquum illius vſum in Eccleſia multa oſtendunt, quæ ex D. Hieronymo & alijs peti poſſunt. Olim infantes lalantes vocem illam blæſo ore ſubmurmurabant teſte eodem Epiſt. 7. ad Lætam Albini Pontificis Gentilis filiam. Vbi loquens de Lætæ filia Paula iuniore ſic ait: *Quis crederet vt Albini Pontificis neptis de repromiſſione martyris naſceretur, vt præſente & gaudente auo paruula adhuc lingua balbutiens Chriſti Alleluia reſonaret?* Et inferiùs, *cùm auum viderit, in pectus eius tranſiliat, nolenti Alleluia decantet.*

45. *Erat olim teſſera conueniendi ad Eccleſiã &c.*

Item in Monaſterio S. Paulæ omnes Moniales voce *Alleluia* audita, velut ſigno dato ad Collectam ſiue ſynaxin vocabantur; vt idem teſtatur Epiſt. 27. Rurſus idem Ep. 17. ad Marcellam, loquens de Bethlehẽ, & S. Paulæ Parthenone: *In Chriſti villula tota ruſticitas, & extra pſalmos ſilentium eſt quocumque te verteris arator ſtiuam tenens Alleluia decantat, &c.*

46. *Frequens Rom illius vſurpatio; ita vt & in exequiis defunctorum caneretur.*

Quod autem ſpectat ad vſum Eccleſiæ præſertim Romanæ errant Sozomenus lib. 7. Hiſto. c. 19. Nicephorus & alij hiſtorici, dum aiunt in Eccleſiâ Romanâ non niſi ſemel in anno cani ſolitum *Alleluia* primo die Paſchalis feſti: ſiquidem Vigilantius hæreſiarcha illius moris inducendi auctor fuit Hieroſolymis, vt S. Hieronymus de eo teſtatum reliquit libro cõtra eum edito. Quin imò adeò frequens fuit olim Romæ eius vſurpatio teſte eodem Hieronymo Epiſt 30. vt etiam in exequiis defunctorum caneretur. Sic ipſe ibidem ſcribit de funere Fabiolæ. *Sonabant pſalmi & aurata tecta templorum reboans in ſublime Alleluia quatiebat.* S. certè Auguſtinus in pſal. 106. ſcribit ſecundum antiquã traditionem ab Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa cantari ſolitũ *Alleluia*; licet ibidem doceat certis tantùm diebus conſuetudinis fuiſſe ſolemniter decantari, vnde & idem Epiſt. 119. ad Ianuar. c. 17. tradit varium fuiſſe morem in cantu illius, quod intellige extra tempus Quinquageſimæ: hoc eſt à Paſcha ad Pentecoſten: nam diebus Quinquageſimæ ait vbique cantari, quod etiam docet Epiſt. 86. ad Caſulanum, & in Pſal. 110. dicit diebus Quadrageſimæ ab eo cantico abſtinere in vſu fuiſſe. D. Gregorius lib. 7. Epiſt. 63. ſcribit ex Hieroſolymorum Eccleſia per S. Hieronymum Damaſum accepiſſe, vt Romana Eccleſia concineret *Alleluia*. Eius verba ſunt: *vt Alleluia hîc diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractus.* Quod quomodo intelligendum ſit ex dictis facilè ſumitur; non enim tempore Damaſi cœptum eſt Romæ *Alleluia* cani *Alleluia*, ſed ſolùm extra tempus paſchale, vt ſuper idem Gregorius de-

47. *Vbique à Paſcha vſque ad Pentecoſtem canebatur olim Alleluia; diebus verò quadrageſimæ ab eo abſtinebatur.*

48. *Romana Eccleſia ſumpſit ex Hieroſol. morem dicendi Alleluia extra tempus paſchale.*

clarat.

49. *S. Epiphan. putat vſum huius cãtici prouenire ab Aggæo propheta.* clarat. D. Epiphanius lib. de Prophetarum vita & interitu cap. 20. vſum hoc canticum pſallendi in Eccleſia putat proueniſſe ex Aggæo Propheta, qui primus omnium cantauit *Alleluia*, cùm nouam templi ſtructuram vidit, idque ſecundum Tobiæ Prophetiam cap. 13. v. 22. Cùm alioqui multi pſalmi titulo *Alleluia* inſcripti ante eorum tempora haberentur. De conſuetudine verò Romanæ Eccleſiæ, quâ Alleluiaticum melos (ſic enim veteres loquuntur, vt Victor Vticenſis libro 3. perſecutionis Wandalicæ & alij) tempore

50. *Quare intermittatur Alleluia tempore Septuageſimæ.* Septuageſimæ intermittitur, ſcribit Leo IX. & refertur C. *Hi duo*, De conſecrat. D. 1. Hi, inquit, duo ſolummodo hymni ab Angelis in nouo Teſtamento inueniuntur decantati Alleluia, & Gloria in Excelſis, quos pariter in Septuageſima intermittimus, quia peccato hominis veteris à conuentu Angelicæ iubilationis expulſi in huius miſeræ vitæ Babyloneni ſuper flumina eius ſedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus. Vbi etiam rationem adfert cur nouem præciſè hebdomadas *Alleluia* intermittatur & decima tandem reſumatur De eadem conſuetudine loquitur Auguſtinus in Pſal. 118. S. Benedictus Reg. c. 15. Bernardus ſerm. 1. in Septuageſima.

51. *Alleluia decantatum nocte in templo Serapidis præſagium fuit illud in Eccleſiam Chriſtianorum conuertendum.* Mira & rara de hoc hymno referuntur paſſim ab hiſtoricis, vt à Sozomeno lib. 7. c. 15. de Olympio quodam Ethnico Philoſopho. Qui cùm concubio noctis ſubaudiuiſſet Alexandriæ in templo Serapidis quendam *Alleluia* cantantem, & foribus clauſis, & conſtante quiete neminem conſpexiſſet, ſed tantummodo vocem audiſſet eundem pſalmum modulantem, præſagium intellexit Serapidis templum in Eccleſiam Chriſtianorum conuertendum. Plura huiuſmodi mira hac de re collegit Cornelius à Lapide in c. 5. ad Epheſ. 4. ad v. 20. Videndus etiam Stephanus Durantus lib. 2. de Ritibus c. 20. Vbi proponit quæſtionem: Cur tempore Septuageſimæ prætermittatur ab Eccleſia illud canticum, cùm tamen *Laus tibi Domine* illi æquiualeat; Et poſt plures ſolutiones, reſpondet tandem ex D. Thoma & Gloſſa in cap. 19. Apocal, canticum illud ſupra communem Dei laudem inſinuare iubilum dictu non effabilem. Vt colligitur ex Apocal. 5. Adde ſimul indicare exuberantiam lætitiæ, & cœleſte gaudium vt patet. Tob. 13. Vnde ait D. Auguſtinus in Pſal. 106. cãticũ *Alleluia* cantari ſolẽniter certo tempore ſecundum Eccleſiæ traditionem non ſine Sacramento. Item certo tempore nos cantare *Alleluia*, ſed omni die cogitare. Ex quo dicendum diebus Septuageſimæ cogitandum quidem illud, non tamen cantandum, ne vt dicit Sapiens: Muſica in luctu importuna ſit narratio: Sed rectè tamen illud in ore perſonare diebus reſurrectionis & gaudij. Vide Auguſtinum Epiſt. 119. cap. 15. & Toletan. IV. Can. 10. 52. *Alleluia præter Dei laudem inſinuat iubilum mentis, & lætitiam cæleſtem.*

Carmen *Alleluia* excipit Inuitatorium, quod definitur à Petro Damiani lib. qui vocatur Dominus vobiſcum c. 7. *Inuitatorium dicitur, quod per hoc ad Dei laudes populus inuitatur*, & deinde pſ. Inuitatorius 94. quo tanquam præconio, celeuſmate, & ſtentoria tuba choras prouocatur, & Dei glorificatio magis accenditur, omniumque animi ad pſalmodiam excitantur, præſertim cùm in pſalmo illo quinque efficaciſſimæ rationes contineantur, cur Domino confitendum & exultandum, & ſit exhortatio aptiſſima ad animos & voces coniungendas ad Domino alacriter iubilandum. Vnde notant illius Pſalmi enarratores, & inter eos Card. Bellarminus Eccleſiam Catholicam 53. *Quid inuitatorium, & cur Pſalmus 94. immediatè ſubſequatur.*

re-

Digitized by Google

rectiſſimè inſtituiſſe, vt hic Pſalmus eſſet initium nocturnę pſalmodiæ, quæ vt longiſſima eſt, ita etiam iſta præparationę & excitatione indigebat. Vide Lector Cardinalem doctè & piè hoc carmen exponentem.

54. *Non ſolùm præſentes homines, ſed & cælites omnes ad nobiſcum Dei laudes promendas inuitamus.*

Quamuis verò diuina hac parænesi potiſſimum propoſitum nobis ſit præſentium in choro Eccleſiæ miniſtrorum animos euibrare, poteſt tamen etiam ad cælites beatasque illas mentes etiam dirigi amica & beneuola inuitatio, vt etiam ſuas noſtris laudationes miſceant, quo diuinæ Maieſtatis auribus gratiùs inſonent. Inuitamus ergo ad pſallendum nobiſcum primò Angelos, ſecundò patriarchas, & prophetas, & deinceps reliquos, vt in communibus Eccleſiæ Litanijs proponuntur, per ſeptem hebdomadæ dies. Cùm verò inciderit feſtiuitas alicuius è beatorum agmine, ita vt Inuitatorium, in hæc verba formetur. Regem Apoſtolorum, Martyrum, aut Confeſſorum Dominum venite adoremus: tunc illi familarius inuitandi ſunt, vt nos cœleſti quaſi corona circumdent, vt ipſorum meritis adiuti, faciem Domini præoccupemus, & in Pſalmis iubilemus ei.

55. *Exemplo viri cuiuſdam religioſi omnes animæ vires ad Deo alacriter pſallendum inuitandæ dum canitur Pſalm. Inuitatorius.*

Sic olim Saül 1. Reg. 10. permixtus cuneo prophetarum prophetabat & ipſe, Deumque laudabat. Denique hoc quiſque, dum feſtus hic pæan voce perſonat, agat; euocet omnes interiores animæ vires, vt coniunctim Deo benedicant, vt olim vir quidam Religioſus exordio orationis omnibus animæ ſuæ facultatibus intus ſic loqui ſolitus erat: Venite exultemus Domino, venite & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. q. d. vos meæ vires eſtis Dei populus; eſtis oues paſcuæ eius. Venite ergo quotquot eſtis, & primę in terram procidite, peccatis veſtris illacrymate, & deprecemini, vt Dominus vos paſcat cœleſtibus ſuis delitijs & ſpiritualibus epulis.

56. *Cur inuitatorio ſuccedant hymnus & poſtea Pſalmi cum Antiphonis.*

Poſt Inuitatorium Chorus obaudiens inflammatiùs intonat hymnum, ſiquidem, audiuit & lætata eſt Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ Pſal. 96. Sequitur deinde pſalmodia plenior ſimul cū Antiphonis, quibus omnibus ſignificatur Deum corde, ore, & opere prædicandum, & quidem concordibus animis. *Pſalmus inuitatorius indicat exultationem & iubilum cordis: Hymnus laudationem vocis, Pſalmus actiones laudabiles, Antiphona concordiam & caritatem.* Succedunt pſalmis decantatis breues verſiculi, de quibus crebra mentio in Reg. S. Benedicti & alijs. Reperio apud veteres duas rationes maximè probabiles, cur ſententiæ illæ quæ in nocturnis poſt Pſalmos, in laudibus & veſperis poſt hymnos, in alijs horis poſt capitula, vel aliter recitantur, vocati ſint, Verſus & huiuſmodi locis interponantur.

57. *Quid verſus ſignificent qui Pſalmodiæ interponuntur.*

Nam de earum honeſtate non eſt dubitandi locus, cùm vt plurimùm ex ſcripturis ſint deprompti, & ſint quaſi floſculi quidam redolentes ſuauitatem cœleſtis odoris.

Prima ratio eſt Durandi lib. 5. Rational. cap. 2. num. 40. Quia ſignificant nos, ſi fortè diuerſi abierimus per vanas diſtracti cogitationes propter pſalmodiæ prolixitatem, ad Deum reuerti debere, vel certè ad cor redeundum eſſe ſecundum diuerſa verſiculorum ſignificata. Idem habet Hugo Victor. lib. 2. de Offic. Eccleſ. c. 1.

Altera ratio eſt Amalarij lib. de Ordine Antiphon c. 1. & aliorum, quia ſcilicet per illos intentio mentis & affectus vertitur de vno in alium v. g. in nocturnis de pſalmodia ad lectionem, de labore ad quietem, de laude Dei ad orationem &c. Vide plura apud Stephanum Durantum lib. 3. de Ritibus c. 20. num. 1. & 2.

Sub-

59. *Quid abſolutio ante lectiones ſignificet.*

Subſequitur deinde Oratio Dominica, de qua ſuprà actum. Poſt hanc ſequitur etiam breuis oratiuncula ad Deum vel Chriſtum, quæ vocatur Abſolutio, vt ipſe nos protegat, purget, illuſtret, & oratione præparet ad lectionem. Ratio huius redditur à Ruperto lib. 1. de Diuinis Officijs c. 11. „ Quia, „ ait, rogare debemus Dominum meſ- „ ſis, vt mittat operarios in meſſem „ ſuam, & vt aperiat cor noſtrum in „ lege ſua, & in præceptis ſuis, ne ſe- „ men verbi Dei quod audituri ſumus, „ aut volucres comedant. aut ſpinæ „ ſuffocent, aut duritia petræ fruſtrata „ radice ſupplantet.

60. *Quare petatur Benedictio.*

Petitur deinde benedictio & quaſi legendi facultas, quæ formula indicat auctore Ruperto ſuprà cap. 12. quòd nemo ſine permiſſu maioris officium prædicandi debeat vſurpare. Audiat lector quid ſcribat in hanc rem Petrus Damiani in libro *Dominus vobiſcum* c. 2. „ Lecturus, inquit, magnæ „ humilitatis gratiâ non à ſacerdote, „ ſed ab eo cui ſacerdos iuſſerit ſe po- „ ſtulat benedici, dicens, iube Domne „ benedicere; Sacerdos autem vt tantæ „ humilitati vicem reddat, non ſubie- „ cto cuiquam delegat benedicendi of- „ ficium, non per ſeipſum benedictio- „ nem dare præſumit, ſed potiùs à „ Deo, qui eſt ſuper omnia benedictus, „ vt prærogetur, expoſcit: Hæc ille. Datur autem Benedictio in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vt lector ſibi perſuadeat ſine eius benedictione lectionem fore inutilem. Cùm verò capitula ad Laudes & ad alias Horas pronuntiantur, non petitur benedictio à maiore, quia lectiones cantor vel lector recitabat, at capitula Epiſcopus, vel ſacerdos legere ſolebat, vt obſeruat Amalarius lib. 4. de Offic. Eccleſ. cap. 3.

61. *Cur ſacerdos per ſe non benedicat, ſed à Deo illam benedictionem petat.*

62. *Cur in capitulis quæ in laudibus & alijs horis canuntur, non petatur benedictio.*

In fine lectionum lector dicere ſolet. *Tu autem Domine miſerere noſtri*; quibus verbis, vt ait Rupertus lib. 1. de „ Diuin. Offic. cap. 12. ſignificatur ne „ quidem ipſum verbum diuinum an- „ nuntiandi munus ſine alicuius, vel le- „ uiuſculæ noxæ puluere perfici poſſe. „ Nam auctore D. Auguſtino *Verbum* „ *prædicationis ſecuriùs auditur, quàm dicitur.* Prædicator quippe cùm bene dicere „ ſe ſentit, difficile nimis eſt, vt non „ quantulumcumque ſpiritu elationis „ tangatur. Et quia quaſi per terram „ ambulat, & pedes eius aliquo puluere „ ſordidantur, idcircò Dei miſericordiâ „ indiget, vt in hac parte lauetur, et- „ iamſi mundus ſit totus. Hæc Ruper- „ tus. His adde, benedictionem Dei & orationem noſtram debere præcedere & comitari lectionem, vt audita penetralibus cordis imprimatur, & diuini verbi ſementis in animo foueatur, herbeſcat, & multiplici fructuum fœnore augeatur.

62. *Quid clauſula lectionum Tu autem Domine, nos moneat.*

63. *Cur ſubijciatur mox à choro, Deo gratias.*

Chorus autem ſuccinere ſolet, *Deo gratias*, quod eodem Ruperto aucto- „ re ſuprà cap. 14. non ad vltimam „ precem lectoris, ſed totam lectio- „ nem refertur. Gratias namque agi- „ mus Deo, quòd doctrinæ ſuæ panem „ nobis frangere dignatur, ne fame au- „ diendi Verbum Dei pereamus. Hæc „ Rupertus.

64. *Quare toties in horis iteretur, Deo gratias.*

Circa hanc clauſulam duo notanda ſe offerunt. 1. Frequenter tempore Diuini Officij iterari tam in fine lectionum prolixiorum, quàm Breuium & Capitulorum, & ſemper in fine cuiuſlibet Horæ: Et certè iure optimo. Siquidem & humilitas, & charitas, & gratia formulam illam commendant, quâ Deo, cuius eſt totum quod eſt optimum, quidquid in oratione præſtat, aſcribitur, & de eo gratiæ referuntur. Certè, crede mihi lector, videntur in labris pronuntiantis *Deo gratias*, omnes Charites ſeſſitare, & Atticæ apes frangrantia mella conſtipaſſe. Sed præſtat de hoc argumento audite

Digitized by Google

65. verba Diui Auguſtini dulciora ſuper mel & fauum. Sic ipſe cum Alipio ſcribit Aurelio Epiſt. 77. *Quid*, inquit, *melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus quàm Deo gratias? Hac nec dici breuiùs, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt. Deo gratias, qui te iam fideli pectore ditauit ergà filios tuos, &c.* Hoc eſt quod toties nobis inculcat Diuus Paulus ſuis in Epiſt. *In omnibus*, inquit, *gratias agite* 1. ad Theſſalon. c. 5. Hoc agebat pſalmodus noſter, *Benedicam Dominum in omni tempore, &c.* Hoc agamus dum viuimus, mouemur & ſumus, quia in ipſo viuimus, & mouemur & ſumus.

Laus verborum illorum à D. Aug.

66. Alterum eſt, antiquum fuiſſe Chriſtianorum maximè monachorum morem hac formulâ ſeſe inuicem vocandi, ſalutandi, compellandi, in congreſſibus, & occurſibus, cuius locuples teſtis eſt idem Auguſtinus in Pſal. 132, agens pro monachis & fratribus in domo habitantibus contra Circũcelliones: „ Hi (Circumcelliones) inſultare nobis audent quia fratres cùm vident „ homines, Deo gratias dicunt. Quid „ eſt, inquiunt, Deo gratias? Itáne ſurdus es, vt neſcias quid ſit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias „ agit Deo. Vide ſi non debet Frater „ Deo gratias agere quando videt „ fratrem ſuum. Num enim non eſt „ locus gratulationis, quandò ſe inuicem vident qui habitant in Chriſto? „ & tamen vos Deo gratias noſtrum „ ridetis. Hæc Auguſtinus. Permanſit hæc laudabilis ſalutandi conſuetudo in pleriſque viris religioſis præſertim in Societate noſtra, vbi inuiolata ſeruatur. Alibi in Cœnobijs ſacrarum Virginum ſe mutuò compellant per *Aue Maria*. Sic olim, vt ante dictum, in monaſterio D. Paulæ ſe vocabant ad ſynaxin per *Alleluia*. In ſacris literis habetur ſalutatio *Pax vobis, Dominus vobiſcum*, quæ huc vſque perennat in Miſſa, & in Diuinis Officijs.

Vetus conſuetudo monachorum ſe mutuò ſalutandi per Deo gratias.

Poſt lectiones tertij Nocturni ſuccedere interdum ſolet Hymnus Sanctorum Ambroſij & Auguſtini, poſtea Matutinæ Laudes, in quibus nihil peculiare occurrit explicandum niſi Capitulum, quod Hymno ſolet permitti.

Vbi notandum Capitula nihil aliud eſſe quàm lectiones breues, quæ in ſingulis Horis diurnis dicuntur, & ſemper ſumuntur ex literis ſacris & ferè ex epiſtola diei. Mentio fit, iuxta quoſdam capitulorum in Concilio Agathonenſi cap. 3. & refertur C. *Conuenit*, *vſu*, de Conſec. diſtinct. 5. *Statuendum eſt*, inquit, *ſicut vbique fit, vt poſt Antiphonas, collationes* (vel vt alij legunt collectiones) *ab Epiſcopis vel presbyteris dicantur*. Vbi Gloſſa explicat eſſe quædam Capitula quæ dicuntur ab Epiſcopis, & hanc plures ſequuntur. Alij tamen intelligunt orationes quæ Collectæ dici ſolent. Additur poſtea in Canone 5. *Hymni Matutini vel Veſpertini diebus omnibus decantentur, & in concluſione Matutinarum, vel Veſpertinarum Miſſarum poſt Hymnos, Capitula* (vel Capitella, vt alij legunt) *de Pſalmis dicantur*. Vbi putant aliqui Concilium de hiſce capitulis loqui. Sed Radulphus de Riuo lib. de Canon. obſeruantia propoſ. 13. per Capitula intelligit Verſiculos, qui poſt Hymnos dicuntur, & ex Pſalmis ferè ſumuntur. Quidquid tandem Concilium per Capitula intellexerit iam vocamus illa breues lectiones, de quibus etiam frequenter meminit S. Benedictus in Reg. ſub nomine lectionum. Voluit enim Eccleſia omnibus Horis miſcere lectiones, ſed longis nocturnis longas, diurnis breuioribus breues, quæ & Capitula vocauit, quia ſunt breues lectiones Lectionum, vel Nocturni, vel Epiſtolæ ſacrificij Miſſæ, vel ſaltem ſcripturæ alicuius Canonicæ, ſeruiuntque 68.

Quid ſint capitula in horis, & de eorum antiquo vſu.

69. *Cur miſceantur horis Capitula.*

que

cum, & vetere eius vſu.

ſque omnibus diei horis refectioni mētis. Hugo Victorinus l. 2. de Offic. Eccleſ. c. 1. putat dici Capitula, quia ſunt principia alicuius varietatis in Diuino Officio, vt puta poſt Pſalmos, qui plerumque iidem canuntur, maximè in Horis minoribus.

70. *Quid Kyrie eleiſon vel Litania, & cur Græcè pronuntietur.* Præter hæc nihil magnopere ſupereſt explicandum, præter paucula, quæ collectis, vel præponi, vel poſtponi ſolent. Præponuntur aliquando collectis preces, quæ inchoantur per *Kyrie eleiſon*, & vocat eas D. Benedictus cap. 9. Reg. ſupplicationem Litaniæ, vbi Græcam vocem explicat. Eſt enim λιτανεύειν ſupplicare. Eſt autem conſuetudo illa in Eccleſia Latina antiquiſſima Litaniam, ſiue ſupplicationem, Græcis vocibus efferendi, vt patet ex D. Auguſtino Epiſt. 178. vbi teſtatur ab omnibus Chriſtianis, Græcis, Latinis, Barbaris, ſupplicari Deo vt miſereatur, linguâ Græca, vbi & rationem reddit, cur linguâ Græcâ hoc fiat. Concilium etiam Valenſe ſub Leone Magno can. 3. eiuſdem ritus meminit, cum præcipit ad Matutinum, ad Miſſas, ad Veſperam, *Kyrieeleiſon* dici, quia in Sede Apoſtolica & per totas Orientales, atque Italiæ prouincias dulcis & nimiùm ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, vt *Kyrie eleiſon* frequentiùs cùm grandi affectu & compunctione dicatur. Clariùs verò antiquum illius vſum indicat Sanctus Gregorius lib. 7. Epiſt. 63.

71. *Cur ter geminetur Kyrie eleiſon.* At D. Thomas 3. p. q. 83. art. 4. in corp. dicit hac ſupplicatione contineri commemorationem præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur dicendo *Kyrie eleiſon* pro perſona Patris, *Chriſte eleiſon*, pro perſona Filij, & rurſus *Kyrieeleiſon*, pro perſona Spiritus Sancti, contra triplicem miſeriam, Ignorantiæ, Culpæ, & Pœnæ.

72. *De Dominus vobiſcum, & vetere eius vſu.* Sequitur mox Oratio Dominica, & quidam verſiculi ex Pſalmis Dauidicis deprompti, vel ad Dei laudem, vel ad ipſum deprecandum compoſiti, quibus omnibus ſubijcitur collecta, præmiſſo, *Dominus vobiſcum*, quæ eſt amica ſalutatio & bona precatio, prouocans ſimul ad orandum & ad attendendum, & deſumpta eſt ex ſcriptura Iudicum 6. vbi dicitur in ſingulari, *Dominus tecum*, vt & Lucæ primo. In plurali verò Ruth 2. & 2. Paralip. 15. Vide de hac ſalutandi formula plura apud Nicolaum Serarium in cap. 2. lib. Ruth q. 12. 16. & 17. Antiquiſſima eſt autem illa ſalutatio tempore orationis, vt patet ex Concilio Bracarenſi I. can. 21. vbi dicitur deriuata ex Apoſtolica traditione, & D. Dionyſio cap. 3. Eccleſ. Hierarch. Vide plura de hoc apud Petrum Damiani Epiſt. 12. quæ inſcribitur Liber *Dominus vobiſcum*, cap. 3. & ſequent. & Nauarrum Miſcel. 67. de orat. Reſpondet verò chorus, *Et cum ſpiritu tuo*, vbi ſacerdoti talionem bonæ precationis reddit: ſumptum autem eſt ex Apoſtolo 1. ad Timoth. vltimo.

73. *Qui Diaconus non eſt, non dicit Dominus vobiſcum.* Notant verò Rubricæ Rom. Breuiarij §. de Oratione, hunc verſum *Dominus vobiſcum* non dici ab eo, qui non eſt ſaltem in Ordine Diaconatus, nec à Diacono præſente Sacerdote, niſi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus Ordinem non peruenerit, eius loco dicit; *Domine exaudi orationem meam*. Hæc autem generali Eccleſiæ conſuetudine ſunt recepta. Vide plura apud Stephanum Durantum lib. 2. de Rit. cap. 15. & Nauarrum ſupra.

74. *Excommunicatus Presbyter etiam non dicit Dominus vobiſcum.* Ex quo nota Presbyterum excommunicatum non poſſe, ſaltem ſub peccato veniali, dicere *Dominus vobiſcum*. 2. Obſerua, quod etiam is, qui ſolus recitat Horas, debeat dicere, *Dominus vobiſcum*, vt rectè Nauarrus ſuprà num. 4. tum quia totam ſalutat Eccleſiam, & ab ea viciſſim reſalutatur; tum quia nuſquam ſalutatio illa mutanda vel omittenda præcipitur, imò contra-

rium

tium paſſim in Breuiario ſignificatur.

75. *Solus horas recitans dicit, Dominus vobiſcum, & quare hoc faciat.*

Sed plura habet, eaque erudita hac de re Petrus Damiani ſuprà, vbi hanc quæſtionem ex profeſſo tractat, & inter cetera hoc egregiè cap. 10. lib. „ Sicut, ait, homo Græco eloquio dicitur „ Microcoſmus, quoniam per mate„rialem eſſentiam iiſdem quatuor ele„mentis conſtat, quibus & vniuerſalis „ hic mundus; ita etiam vnuſquiſque „ fidelium, quaſi quædam minor vide„tur eſſe Eccleſia, dum, ſaluo vnitatis „ myſterio, etiam cuncta redemptionis „ humanæ vnus homo ſuſcipit Sacra„menta, quæ ipſi vniuerſali Eccleſiæ „ ſunt diuinitus attributa. Si ergo vnus „ homo non ambigitur communia to„tius ecclesię ſacraměta ſuſcipere; cur „ prohibeatur communia Eccleſiæ „ verba ſolus proferre, cùm videlicet „ multò maioris momenti ſint ſacra„menta quàm verba? Hactenus Petrus Damianus.

76. *Vetus vſurpatio vocalæ Amē ab Hebræis deriuata.*

Poſt Collectas ſubijcitur vocula *Amen*, tamquam generalis clauſula orationum, quæ etiam Apoſtolicam & naſcentis Eccleſiæ redolet antiquitatem, vt patet ex prior ad Corinth. 14. *Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem.* Vide & Iuſtinum Apolog. 2. ad Antoninum ſub finem, Tertullianum lib. de Spectac. c. 25. & alios. Deriuata autem eſt etiam illa formula aſſentiendi orationi ſacerdotis ab Hebræis, quam etiam Chriſtus precationi ſuæ, quam nobis omnium orationum medullæ inſtar habenti tradidit, includere voluit, imò eam hoc ſignaculo Matth. 6. firmauit.

77. *Quid ſignificet Amen.*

Cæterùm obſeruandum eſt *Amen*, quod ab Hebræo אמן, id eſt *firmauit*, deriuatur, Nomen eſſe & Aduerbium, vt norunt in ſcripturis verſati, Nomen ſignificat *veritatem*, & *ſtabilitatem*; Aduerbium ſignificat *verè & firmiter*, quod verterunt Aquila, Symmachus & Theodotion *πεπιστωμένως*, id eſt, *fideliter*, LXX. Interpr. *γένοιτο*, id eſt, *fiat*. Cùm orationem antecedit, tunc eſt Aduerbium affirmantis, vt *Amen dico vobis*, id eſt, *verè*; cum verò ſubſequitur, interdum eſt aſſerentis & concedentis, interdum optantis: quod poſtremum, locum habet in Oratione Dominica, & omnibus Eccleſiæ orationibus. Significat enim ibi *Amen*, votum commune populi & noſtrum eſſe, vt verè & plenè fiat, quod petimus; *Fiat, Fiat*.

78. *Suffragia Sanctorum.*

In fine Laudum & Veſperarum adduntur Suffragia communia ſanctorum, quæ omnes Catholici admittunt, contra aduerſarios fidei, & orthodoxię de quibus nobis propoſitum non eſt agere; ſufficiant contra illos quæ hæreſiologi Doctores tradiderunt de Sanctorum Inuocatione.

79. *Precatiuncula, fideliū animæ, pro defunctis.*

Vt autem & fidelibus in Chriſto defunctis aliquod orationis refrigerium tribuatur, adiungitur precatiuncula breuicula: *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* Inſuper vt meminerint ſe mortales, recogitentque illud vetus: hominem memento te: & illud; Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum; mihi heri, tibi hodie. Poſtremò, vt hoc inſtillet quiſque animo ſuo, dum huius Horæ Canonicæ penſum traho aut ſoluo, fortè vitæ penſa & ſtamina præcidet mors. An rectè ergo depenſum, & perſolutum? O vide, appende, examina.

81. *Generalis peccatorum confeſſio ad Primam & Completorium.*

Præter pſalmodiam & alia iam dicta propriam ſibi vendicant Generalem peccatorum Confeſſionem Prima, & Completorium: & quidem optima ratione; ſaluberrimum enim eſt orto die illa, quæ nocte delinquimus, humili confeſſione abſtergere; quæ item diei totius decurſu non rectè legimus lachrymis & gemitibus diluere, iuxta illud Pſal. 5. *Manè aſtabo tibi & videbo, quoniam non*

Deus

Digitized by Google

Deus volens iniquitatem tu es, & Pſal. 4. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris cõpungimini*. Conſtat autem hanc publicæ Exomologeſis formulam eſſe veterrimam, ex ijs qui de Officijs Eccleſiaſticis ſcripſerunt. Nihil autem reprehendi in illa poteſt niſi ab hæreticis, qui inuocationem Sanctorum abrogant.

81. *Antiphona ad virginem Matrem in fine officij diuini.*

Poſtremò ſub finem Matutinarum, Laudum & Completorij ſolet Antiphona aliqua ad honorandam, rogandamque Virginem Matrem, imò ſemper quandocumque in Choro Hora aliqua finitur, recitari, inter quas præcipua eſt *Salue Regina* &c. Mens autem Eccleſiæ eſt hac ratione pectoribus noſtris altiùs imprimere tantæ Matris, & Virginis reuerentiam & amorem, ſimulque nos monere, vt officiũ iã decantatum aut perlectum ipſius manibus committamus, vt ipſa illud ſuis efficaciſſimis orationibus adiunctis offerat diuinæ maieſtati, faciatque magis commendabile, & ſiquid culpæ in eo percurrendo contractum eſt, clementer indulgeat.

82. *Antiphona Salue Regina.*

Porrò Antiphonam *Salue Regina &c.* quam præ cæteris omnibus cane peius & angue oderunt noſtri Mariomaſtiges, & Antidicomariani accurratè propugnarunt, tum alij, tum verò Card. Bellarminus lib. 1. de Bonis Operibus in particulari cap. 15. Franciſcus Suarez lib. 3. de Orat. cap. 9. & Petrus Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 13.

83. *Synopſis diuini officij apud Hugonem de S. Victore.*

Hugo de S. Victore in ſpeculo Eccleſiæ c. 3. ſingularum partium Diuini Officij breuem, ſed piam adfert explicationem. Aliam rurſus habet lib. 2. de Offic. Eccleſ. à cap. 1. vſque ad 11. quem lector conſulat: Similem ſibi quiſque ſcriba doctus in regno cœlorum conficere poterit.

CAPVT XXXI.

Origo Officij minoris B. Virginis & breuiter de alijs quibuſdam precibus ſolitis Horis Canonicis adiungi.

1. *Origo officij Mariani tempore Petri Damiani in monaſterijs illi ſubditis.*

IVuat prima incunabula officij magnæ Matris & Virginis inueſtigare, & ſacros recludere fontes. Tempore Henrici ſenioris Imperatoris circa annum Domini 1055. floruit Petrus Damiani, qui cùm monachos eremi inſtitueret, auctor eis fuit, vt Horis maioribus & canonicis auctarii loco Officium Deiparæ adiungerent. Iam „
ferè per triennium ex communi de- „
creto in monaſterio Gamugenſi „
laudabilis illa viguerat conſuetudo „
penſum parthenium perſoluendi, „
cum Gozo, quidam (aliàs Gazo) acu- „
leatæ facundiæ, vt inquit Petrus Da- „
miani, & inquinatæ vitæ, ibidem mo- „
nachus de nouo iſto præter regulam „
S. Benedicti impoſito onere conque- „
ſtus reliquis cœnobitis, vt humeris „
illud excuterent, perſuaſit. Sed mag- „
no illis hic neglectus ſtetit. Siquidem „
ingentem monaſterio calamitatum „
Iliadem intulit. Tot enim incubue- „
runt repente hoſtium incurſus, præ- „
donum rapinæ, cædes, incendia, id- „
que Dei iuſto permiſſu, vt illis auer- „
tendis aut depellendis, ne quidem „
Imperatoris auctoritas implorata à „
monachis, ſuffecerit. Itaque cauſa „
tandem tot cladium eodem ſugge- „
rente Petro Damiani perſpecta, quia „
nimirum, vt ipſe ſcribit, matrem ve- „
ræ pacis de ſuo monaſterio proiece- „
rant, ſimulatque culpam ſuam defle- „
uerunt, & ad intermiſſam laudes Dei „
Matris celebrandi conſuetudinem re- „
uerſi ſunt, & polliciti numquam im- „
poſterum ſe neglecturos; ſubitò et- „
iam Dei vindicta reſedit, itaque ma- „

2. *Punit Deus officium ſuæ Matris negligentes.*

tris eius poſuit. Refert hæc horum ,, teſtis oculatus Petrus Damiani epiſt. ,, 1. ad fratres tom. 3. Biblioth. San- ,, ctorum Patrum , & ex eo Baron. ,, tom. 11. Annal. an. Chriſti 1036. Et ,, hic quidem auctor fuit vt in ſuo mo- ,, naſterio officium B. Virginis diceretur , quod poſtea toto Occidente non tantùm à Cœnobitis & clero, ſed etiam à vulgo promiſcuè quotidie perſolutum fuiſſe conſtat, vt iam dicam.

3. Vrbanus 2. Clericis auctor Mariani officij ſuſcipiendi in Conc. Claromontano.

,, Itaq; anno Domini 1095. alias 1096. ,, cùm Vrbanus II. Pontif. Epiſcopos ,, & Eccleſiarum præſules in Concilio ,, Claromontano vehementi oratione ,, excitaret; vt expeditionem in terram ,, ſanctã omni ope promouere ſtuderent: placuit ad propitiandum cæle- ,, ſte numen etiam precibus Dei pa- ,, rentis & virginis communiri, eò quod ,, omnes ſibi perſuaderent bellum ſa- ,, crum felici exitu terminandum , ſi ,, auxiliares cœlorum Reginæ copiæ ,, illi præſto eſſent. Ad eius ergo ſub- ,, ſidium promerendum egit Pontifex, ,, vt Horariæ eius preces , quæ apud ,, monachos eremi incolas , ex familia ,, & diſciplina Petri Damiani frequen- ,, tari, vt vidimus, cœptæ fuerant, etiam ,, ad clericos promanarent , à quibus ,, eo nomine perſoluerentur , vt ipſa ,, Virgo & Mater apud filium interce- ,, deret, vt populus Chriſtianus in tot ,, viarum hoſtiumque periculis ſub- ,, eundis diuinò præſidio muniretur; ,, quod tunc à Concilio Claromonta- ,, no inductum , & à clericis religioſè ,, ſuſceptum, etiam ad vtriuſque ſexus ,, populum Chriſtianum tranſmiſſum ,, eſt, & quidem magno gratiarum & ,, ſpiritualium donorum fœnore, vt ex- ,, perti ſunt omnes & in dies experiun- ,, tur, qui virgineum illud penſum, quâ ,, decet pietate , percurrunt. Hæc Radulphus Tungrenſis lib. de Canon. Obſeruant. propoſ. 20. Durandus lib. 6. Rational. c. 2. n. 7. D. Antoninus p. 2. tit. 16. c. 5. §. 29. & Baronius annal. 11.

4. Carthuſiani idem officium diuino monitu ſuſcipiunt.

Adde his, circa id temporis diuino monitu Carthuſianos eaſdem parthenias laudes ſuſcepiſſe recitandas, vt refert Laurentius Surius tom. 5. ex Religioſis Hiſtoricis in geſtis D. Brunonis cap. 21. & 22. Octob. 6. In quibus etiam mentio fit earumdem precum à Concilio Claromontano indictarum.

Sic ergo res ſe habet. Cùm primi ,, Carthuſiani inſtituti Patres vitæ ar- ,, reptæ difficultate, ſolitudinis , quam ,, incolebant, horrore , & aſperitate, in- ,, ſuper fallacibus improborum ſermo- ,, nibus perculſi, die quodam hiſce de ,, rebus anxiè inter ſe colloquerentur: ,, interuenit quidam vultu , canitie, to- ,, toque corporis habitu venerabilis ,, (cœleſtium è numero forma huma- ,, nâ auguſtior eum eſſe ſatis prodebat) ,, qui abſterſa Patrum animis caligine ,, & ſollicitudine , huiuſmodi verbis ,, conſilioque eos confirmauit, Animis ,, pendetis, inquit, vt video, fratres mei, ,, vtrum deſertum hoc incolere , an ,, hinc migrare vobis expediat. At ego ,, Dei Optimi Maximi verbis denun- ,, tio ſanctiſſimam eius parentem per- ,, petuò vobis hac in ſolitudine fore ,, auxiliatricem , maliſque omnibus ,, præſidium vnicum & ſingulare , ſi in ,, eius honorem quotidie Horarias pre- ,, ces eidem dicatas perſoluendas ſuſ- ,, cipiatis. His ille dictis repente ex eo- ,, rum ſublatus oculis incredibili eos ,, voluptate delibutos reliquit. Fuit ,, omnium conſtans opinio ſenem il- ,, lum fuiſſe Apoſtolorum principem, ,, eo quod eius ſucceſſor Vrbanus II. ,, in Concilio Claromontano Dei Ge- ,, netricis preces Horarias à toto clero ,, recitãdas inſtituerit. Igitur hoc viſo ,, religioſi patres animis erecti ſtatue- ,, runt, vaſtâ illâ & horenti in ſolitudine ,, ſub protectione Dei Matris ad ex- ,,

tre-

„ tremum vſque ſpiritum perduraret:
Hæc ibi. Vide Hieron. Rubeum lib. 5. hiſt. Rauennatis, vbi fertur Gregorium VII. iuſſiſſe, vt Horæ Deiparæ ab iis, qui ſacris eſſent initiati, recitarentur.

5. *Officium ſabbathi de B. Virgine non fuit inſtitutum à diſcipulis D. Dominici, vt vult D. Antonin. ſed ab Vrbano II. in Claromon. Conc.*

D. Antoninus 3. p. hiſt. tit. 3. c. 3. ſect. 1. refert à diſcipulis S. Dominici inſtitutum, vt diebus ſabbathi horariæ preces eſſent de B. Virgine, niſi vel quadrageſima, vel feſti ſolemnitas obſtaret. Verum Officium de B. Virgine diebus ſabbathi in Eccleſia Romana diu tempora D. Dominici anteiuit. Siquidem teſtantur, ipſe etiam Antoninus 2. p. tit. 16. cap. 1. §. 23. Durandus & Radulphus ſupra, Nauarrus in Enchir. de horis c. 10. num. 2. Vrbanum II. in in Concilio Claromontano ſimul cum eiuſdem Virginis Horariis precibus minoribus inſtituiſſe inſuper Officium Deiparæ maius, quod in ſabbatis non impeditis clerici perſoluunt, ſicut antea in Concilio Placentino adiecerat nouem præfationibus antiquis decimam, *Et te in veneratione B. Mariæ ſemper Virginis collaudare &c.* Vt habetur C. *Sanctorum* d. 70. Vnde quod D. Antoninus affirmat de inſtituto cultu, diei ſabbathi in honorem Deiparæ à primis D. Dominici alumnis, accipiendum eſt de peculiari aliqua illius diei obſeruantia v. g. in cantanda aliqua proſa, vel ſequentia, vt vocant, tempore diuini ſacrificii in Virginis honorem, non verò de Officio Canonico de eadē Dei Matre. Inſinuat hoc Sotus cum libr. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 4. ſic ſcribit. Ante Bernardi tempora, & Ordinum Mendicantium inſtitutionem non increbuiſſe tantam Virginis deuotionem. Vnde & ipſe ibidem dolet D. Virginis Horas minores per Cardinalis S. Crucis Breuiarium omnino fuiſſe ſublatas. Conſule Alardum Gazæum libell. de Officio D. Virg.

6. *Quæritur, an Vrbanus II. legem tulerit de recitandis horis D. Virginis.*

Solum hîc examinandum ſupereſt an Vrbanus II. ſimpliciter legem tulerit in Synodo Claromontana, quâ obligarentur clerici, præter Horas canonicas etiam recitare D. Virginis minus Officium: an ſolùm vt pium aliquod inſtitutum conſuluerit.

7. *Sententia Nauarri affirmans.*

Duæ ſe feruntur hac de re Doctorum ſententiæ. Nauarrus ſiquidem Enchir. de Orat. & Horis canonicis c. 10. n. 3. ſic loquitur. „Qui tenetur re„citare Horas Canonicas, tenetur et„iam recitare horas minores B. Virgi„nis, quæ ſunt pars Horarum canoni„carum. Quidquid enim Albertus „cum communi aſſerat. Vrbanus Pa„pa ſecundus in Concilio Claromon„tano præcepit eas dici ſingulis die„bus, & eius Officium maius ſabbatho, „vt Gloſſa quædam aſſerit, ſtatuti Gal„licani. Idem rurſus inculcat eiuſdem Enchir. c. 21. nu. 25. & Miſcel. 77. de Orat. & probat ex Formula Breuiarii Pii quinti, & aliorum, concluditque tandem Horas illas non ſolùm conſuetudine fuiſſe introductas, ſed etiam antiquo præcepto Vrbani Papæ; quod tamen concedit poſteà multis modis fuiſſe limitatum, vt quibuſdam diebus dicerentur, quibuſdam verò non.

8. *Communis ſententia negans.*

Contrà communiter tenent alii Doctores ipſo teſte Nauarro, ſcilicet nullo iure ſcripto clericos ante etiam editum Breuiarium Pii V. fuiſſe obligatos ad officium illud recitandum. Ita Sotus lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. art. 4 qui tenet non iure ſcripto ad illud fuiſſe obligatos clericos, ſed primùm illud ſolùm ex deuotione cœpiſſe recitare, poſteà verò ex conſuetudine habente vim præcepti: Idem tradit Syluester v. *Hora*, q. 5. nu. 6. & Fumus v. *Hora* num. 8. Idem docent Doctores canonum. Vide Hieronymum à Politio in expoſitione Regul. D. Franciſci cap. 3. & Ioannem Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 10. c. 16. q. 1.

Cenſeo ego dicendum, cum Azor. ſupra & Franc. Suarez l. 4. de orat. c.
25. num.

9. *Lex obligans ad horas Virginis recitandas vel lata non fuit ab Vrbano, vel non fuit geraliter receptas.*

25. num. 11. vel ſtrictum ius legendi Minus illud Officiũ Diuæ Virg. numquam editum fuiſſe ab Vrbano ſecundo; quia de illo non ſatis conſtat; vel certè non fuiſſe receptum ſaltem generaliter; poſteà tamen conſuetudine introductum paulatim fuiſſe. Cardinalis Iacobus à Vitriaco, qui floruit circa annum Domini 1210. videtur ſatis indicare, non fuiſſe ſuo tempore Officiũ hoc ex obligatione perſolutum, cum ita ſcribit in Hiſtor. Occident. fol. 365. *Sufficit*, ait, *ſacerdoti canonicis Horis Beatæ Mariæ Virginis Horas ſupererogando cauſâ deuotionis addere.*

10. *Origo officij defunctorum non ſatis conſtat licet oratio pro illis ex traditione Apoſtolica promanarit*

Officij Defunctorum originem hactenus non reperi: conſtat tamen etiam priſcis temporibus à maioribus noſtris vſurpatum. Quod autem dico, intelligendum eſt de Officio Defunctorum, vt iam in Breuiarijs ordinatum eſt. Nam ex traditione Apoſtolica ſolere Pſalmos in funeribus vitâ functorum decantari, notiſſimum eſt ex vetuſtiſſimis Patribus, & quidem Pſalmos ferè eoſdem quos iam frequentamus in Defunctorum Officio, vt obſeruaui ex Chryſoſtomi homilia 4. in cap. 2. ad Hebræos. Quin imò à multis hoc Officium vocatur Vigiliæ Mortuorum, quia olim nocte, quæ funebrem pompam præcedebat, veteres vigilaſſe, nocturnaſque vigilias Pſalmis egiſſe, ex antiqua memoria colligimus vt teſtis locuples eſt Gregorius Nyſſenus epiſtol. ad Olympium de morte ſororis ſuæ Macrinæ. Vide Stephanum Durantum libro 1. de Ritibus capit. 23. De Officij verò huius antiquitate & vſu conſule Radulphum Tungrenſem lib. de Canon. Obſeruant. propoſit. 20. vide Gazæum ſuprà Diſquiſitione de Offic. Defunctorum, de eius religione Vitriaco ſuprà. Poſtremò nihil in hoc reprehendi iure poteſt: contra verò hæreticorum, qui ſuffragia pro defunctis tollunt, iniurias, hæreſiologi conſulendi.

Pſalmi Graduum, qui certis diebus in Breuiario recitandi ponuntur, ſumpti ſunt ex lib. pſalmorum à Pſ. 119. vſque ad 133. incluſiuè; ſũtque quindecim habentes ſinguli in fronte epigraphen Canticum Graduum. Cur autem vocentur pſalmi graduum vel aſcenſionum pulchrè explicat Cardinalis Bellarminus in argumento Pſalmi 119. Nihil ergo hic eſt quod dente canino rodant hæretici. 11. *Pſalmi graduum.*

Pſalmi Pœnitentiales ſeptẽ ex eodem Pſalte deſumpti ſunt, ſuntque preces peccatoris formidantis horribile Dei tribunal, & ad veniam peccatorum gemebundo animo ſuſpirantis, eſtque eorum in Eccleſia vſus antiquiſſimus, vt patet ex Commentarijs D. Gregorij Magni in illos, nec hos allatrare audent hæretici. 12. *Pſalmi pœnitentiales.*

Hos Pſalmos in Breuiario ſequuntur Litaniæ, contra quas multa aduerſarij obijciunt qua parte in ijs ſancti inuocantur: verùm ipſorum argutijs ſatisfecerunt illi, qui dogmata fidei noſtræ propugnanda ſuſceperunt. Videndus etiam Suarez lib. 3. de orat. capit. 9. num. 23. & ſequent. vbi & earum vetuſtum vſum, quà in Græca, quà in Latina Eccleſia demonſtrat & ſimul docet nihil continere, quod veritati repugnet, quin imò omnia ſpirare ſanctitatem & religionem. 13. *Litaniæ & earum antiquitas.*

Ad maiorem Dei Gloriam.

DE

Digitized by Google

DE OBLIGATIONE HORARVM CANONICARVM LIBER SECVNDVS.

Perſtrinximus paucis Originem, Inſtitutionem, Numerumq́ue Horarum Canonicarum, & earum priſcis temporibus Vſurpationem. Materiam inſuper vel partes, ex quibus componuntur, percurrimus, Theoria potiſſimùm inherentes. Supereſt modò, vt ad earum Praxim oratio noſtra ſe porrigat, perſpiciamuſque, quinam eas pſallendi vel legendi obligatione teneantur, quo etiam ritu, tempore, modo, ordine, ab illis perſoluendæ ſint, totámque moralem de eis diſputationem accuratiùs pertractemus.

CAPVT PRIMVM.

Quinam lege Preces Canonicas pſallendi, præſertim in Choro, obligentur.

1. *Tria hominum genera ad horas tenentur: in ſacris conſtituti, ad chorum profeſſi, & beneficiati.*

DICENDVM primò, certum eſſe communi Doctorum conſenſu, vt videre eſt apud Nauarrum Enchir. de Horis c. 7. n. 1. Tres hominum claſſes hac obligatione teneri: ſacris videlicet Ordinibus Initiatos: Religioſos ex profeſſionis ſuæ vinculo choro deſtinatos: & Beneficio aliquo Eccleſiaſtico gaudentes.

2. *Publica pſalmodia in choro quibuſdam tantùm eſt impoſita.*

Dicendum ſecundò. Publica pſalmodia, ſiue officium Horas in choro pſallendi non impoſitum eſt toti fidelium congregationi, ſed lectis quibuſdam è populo hominibus, & Eccleſiæ miniſtris. Ex propoſito aſſertionem hanc confirmauimus l. 1. c. 12. & declarat eam vſus Eccleſiæ Catholicæ, & nomen loci à populo ſecreti, qui Motonymicῶs Chorus dici ſolet; vbi clerus ſeparatim Pſalmis Deum celebrat; quamuis nullo iure prohibitum ſit etiam laicos aliquos canere, doctoſque & honeſtis moribus præditos ad pſallendi munus aſſumi, vt etiam conſuetudo Eccleſiarum habet.

Tantùm hîc obſerua, quòd etiam l. 1. c. 11. inſinuatum eſt, pſalmodiam ita ad Clericos ſpectare, vt tamen grauioribus Eccleſiæ functionibus intenti eadem non detineantur. Vnde D. Gregorius l. 4. Regiſtri c. 88. & refertur C. *Inſancta Romana* d. 92. olim prohibuit ne in diaconatus ordine conſtituti cãtores eligantur, & modulationi vocis inſeruiant. Et rectè quidem: cùm enim ex vi ordinis ſui prædicationi intendere deberent, incongruè ad cantum primariò deſtinabantur. Verùm cùm iam prædicationis onus à Diaconis ad Epiſcopos, & Presbyteros, alioſq́; Paſtores & Doctores, viroſque religioſos tranſierit, hinc lex illa magnam partem deſijt; licet eius ratio adhuc vigeat, & vrgeat maioribus Eccleſiæ munijs impeditos Chori onere non prægrauandos. 3. *Maioribus Eccleſiæ negotijs detenti non ſunt officio grauandi.*

Dicendum 3. Publicum hoc officium quotidie in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus celebrandum: quoad alias, conſulenda eſt earum inſtitutio & conſuetudo. 4. *Publica pſalmodia quotidie celebran-*

Digitized by Google

da in Eccleſiis Cathedral, Colleg. Regular.

Colligitur ex Clementinâ 1. de Celeb. Miſſ. & conſentiunt Summiſtæ Angelus, Sylueſter, Caietanus, Fumus & alij V. *Horæ*.

5. *Conuentus Regularium ordinariè obligantur ex conſuetudine.*

Nota verò obligationem pſallendi in choro ſi eam ad Religioſorum Eccleſias extendamus, pendere ferè ex conſuetudine; vnde ea ſequenda eſt, nec ſine iuſta cauſa & diſpenſatione ab ea recedendum. Vide Sotum l. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 3. vbi tenet Religioſorum conuentus in communi obligari omnes; quod intellige de ijs, in quibus eſt ea conſuetudo, & quos Eccleſia diuinis laudibus mancipauit.

6. *Poſſunt aliquando excuſari Eccleſiæ Collegiatæ, ne omnes horas canant ratione tenuis cenſus.*

Nota 2. ex Caietano V. *Horæ* n. 14. vbi tenues cenſus ſunt, ſemperque fuerunt, excuſari Eccleſias Collegiatas ex conſuetudine: dicendo tantùm Miſſam maiorem & Veſperas in Choro, prout mos vetus obtinuit: quia derogatum ibi videtur Iuri communi ex rationabili Prælatorum tolerantia.

7. *Prælati Eccleſiarum ſub mortali curare debent, vt in choro pſallatur.*

Dicendum 4. Prædictarum Eccleſiarum præſides ſub mortali curare tenentur, vt Officium Canonicum in Choro à Clericis deſtinatis pſallatur. Sequitur ex Clemẽtinâ ſuprà, vbi præcipitur, vt ſuperiores & illi ad quos id pertinet, ſollicitam curent diligentiam adhibere, vt in Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis Eccleſijs horis debitis deuotè pſallatur, ſi Dei & Apoſtolicæ ſedis indignationem euitare voluerint. Ita Fumus V. *Horæ* n. 21. & Sotus ſuprà loquens in ſpeciali de Prælatis Regularibus.

8. *Tenentur clerici in choro iuxta canones pſallere.*

Dicendum 5. Tenentur Eccleſiæ miniſtri & clerici miniſterio publicæ pſalmodiæ aſtricti ex præcepto Canonum in Choro ad eam deſtinato Horarias preces perſoluere. Colligitur ex c. 1. de Celeb. Miſſ. vbi præcipitur officium diuinum horis competentibus publicè compleri. Item ex C. Finali *Si quis presbyter* d. 92. vbi ſic dicitur: *Si quis presbyter aut diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus in quolibet loco fuerit in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi officium matutinis vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponatur à clero; ſi tamen caſtigatus veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.* Idem ſequitur ex probata & recepta vbique terrarum conſuetudine.

9. *Huiuſmodi clerici cenſentur beneficiarij dictarum Eccleſiarum.*

Nota huiuſmodi miniſtros cenſeri Presbyteros, Diaconos, & alios Eccleſiarum Clericos beneficium poſſidentes, quod officium pſallendi ex debito ſibi annexum habet. Tales etiam ſunt Canonici Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, & alij Beneficio in ſimilibus, vel etiam in inferioribus Eccleſijs fruentes, vel etiam ſtipendio ad hoc conducti; imò & parochus, niſi alia fuerit inſtitutio vel conſuetudo, quamuis hîc facilius excuſari poſſit propter maioris momenti negotia, vt patet cap. 1. de Celebratione Miſſarum & C. *Presbyter* d. 91.

10. *Dubium inter Doctores an Epiſcopus ad chorum teneatur.*

Nota 2. de Epiſcopo dubium eſſe: ſi quidem Angelus ſup. n. 26. & Sylueſter ſup. n. 12. putant Epiſcopum etiam debere diuinis intereſſe officijs. Contrà ſentit Suarez lib. 4. de Orat. c. 10. n. 13. & ſequent. Sed non videntur hi auctores multùm diſcrepare; ſiquidem Angelus, Sylueſter & alij cenſent Epiſcopum poſſe abeſſe ex cauſa rationabili; Suarez verò docet talem cauſam eſſe obligationem muneris Epiſcopalis, quod multiplex eſt, & ſecum aliam obligationem non compatitur: Quod ſi verum eſt, non requiretur alia iuſta cauſa niſi diebus Dominicis, idque propter C. *Epiſcopus* de Conſec. d. 3. vbi ſic dicitur. *Epiſcopus ſi infirmitate non fuerit impeditus* (ſub qua intelligunt Doctores quamlibet aliam æquè iuſtam cauſam) *Eccleſiæ cui proximus fuerit die Dominico deeſſe non debet*; quod à Doctoribus extenditur etiam ad dies feſtos, & multò magis ad dies ſolemnes. Sentio ego cum Nauarro Enchir.

Digitized by Google

11. *Sine cauſa à choro non debet abeſſe Epiſcopus.* Enchir. de Horis Canonicis c. 5. n. 16. Epiſcopos non poſſe etiam profanis diebus ſine cauſa abeſſe, ſed tunc ſuffi-cere cauſam leuiorem quam diebus Dominicis; quia maiori reuerentiâ ipſis præſentibus officium diuinum peragi-tur. Vide pro hoc C. Finale d. 32.

12. *Quomodo peccent religioſi in particulari ſi à choro abſint.* Nota 3. Singulos Religioſos non ita ſtrictè teneri, vt Beneficiarios ſeculares ad Pſallendum in choro, niſi vbi fuerit peculiare præceptum obligans ſub mortali, vel veniali impoſitum. Solùm enim tenentur ſinguli ratione regulæ, quæ, vt rectè Sotus ſup. ſæpè ſolùm obligat ad pœnam aliquam ſubeun-dam, non vero ad aliquam culpam; li-cet ſæpiùs peccent venialiter, ſi ratio-nabilis cauſa deſit quæ eos excuſet: imò & mortaliter, vt quando chorus ob eorum abſentiam pateretur notabi-le damnum in celebratione diuini offi-cij. Rectè verò dixit Hieronymus à Politio in Expoſ. Reg. D. Franc. c. 3. Religioſos peccare mortaliter, ſi ſine cauſa ex conſuetudine à choro abſint, præſertim ſi à ſuperiore compellantur; venialiter autem ſi interdum abſint ex negligentia etiam correcti.

13. *Quod non peccent clerici benefic. in particulari ſi à choro abſint.* Nota 4. Quamuis Clerici ſæcula-res ad pſallendum in choro, vt dictum eſt, obligentur, ratione officij vel ſtipen-dij, ideoque ex iuſtitia, & generatim lo-quendo ſub reatu peccati mortalis, vt etiam conſtat ex graui depoſitionis pœna C. Finali *Si quis presbyter* d. 92. impoſita; ex duplici tamen capite ex-cuſari poſſunt, videlicet, vel ratione le-uitatis materiæ, vel iuſtitiæ cauſæ, quæ ſi diutiùs duret, opus erit diſpenſatione vel ſuperioris facultate, qua in re ſe-quendæ erunt legitimæ cuiuſque Ec-cleſiæ conſuetudines. Vnde notant Angelus ſuprà, n. 26. Syluester ſuprà, n. 12. Caietanus ſuprà, n. 13. Nauarrus Enchir. de Horis c. 5. n. 18. & alij, non toties peccare mortaliter beneficiarios quoties ſine rationabili cauſa à choro abſunt (non enim ſemel aut iterum ab eo abeſſe ſine cauſa peccatum erit mortale, licet veniale) ſed quando id ducerent in conſuetudinem (quam Caietanus & Fumus contemptum vo-cant) vel quando officium Eccleſiæ non celebraretur cum debita ſolemni-tate, vel propter ipſorum abſentiam detrimentum notabile pateretur: Vn-de ſequitur frequenter ſine cauſa ab-ſentes peccare mortaliter.

Nota poſtremò ex Suarez ſuprà n. 14. *Excuſantur à choro, qui ratione officij ad aliud miniſterium tenentur.* 19. C. fin. ſuprà, intelligendum eſſe de ijs beneficiarijs qui ratione beneficij ad aliud officium non obligantur. Qui enim tempore quo Preces Horariæ canuntur, ex vi officij vel beneficij ſui ad aliud ſacrum miniſterium obligan-tur, v. g. in ſacriſtia, non tenentur in choro pſallere. Nemo enim poteſt ad actiones duas incompatibiles obligari.

CAPVT II.

An Clerici ratione Ordinis, Horarias preces recitare teneantur.

INdubitatum eſt apud omnes Do- 1. *Tenentur ad Horas Clerici maiores, ſed dubium quo iure.*
ctores maiorum Ordinum Cleri-cos, Presbyteros nempe, Diaconos & Hypodiaconos hac lege teneri. Du-bium verò eſt, an illi obligentur lege humanâ ſcriptâ, an ſolùm conſuetudi-ne præcepti vim habente.

Cenſeo ego Diaconum & Hypodia- 2. *Diaconi & hypodiaconi non tenentur lege ſcripta.*
conum nullo iure ſcripto ad hoc ob-ſtringi, cùm nullum à Doctoribus pro-feratur. Nam quod in C. *Si quis presby-ter*, d. 92. ſic legatur: *Si quis presbyter aut Diaconus &c. ad quotidianum pſallendi offi-cium non conuenerit, deponatur.* Non loqui-tur de Diacono, vt habet ordinem dia-conatus, ſed vt Beneficium obtinet in aliqua Eccleſia, quòd colligitur, tum ex eo quòd etiam comprehendat ſuo decreto quoſlibet inferiores Clericos Eccleſiæ deputatos, tum quòd loqua-

tur de Officio Chori, ad quod Diaconos, vt ſic, non aſtringi certum eſt. Ita ſentiunt Nauarrus in Enchiridio de Horis c. 7. n. 2. Caietanus V. *Hora*, n. 1. Azor. 1. p. Inſt. lib. 10. cap. 5. q. 1. Leſſius 2. de Iuſtitia cap. 37. Dubit. 9. & probabilem cenſet Suarez lib. 4. de Orat. c. 16. n. 9.

3. *Presbyter etiam ſolùm obligatur ex conſuetudine.* Idem cenſeo ego, quidquid alij contradixerint: de presbytero videlicet, illum ſolùm obligari ad penſum Horarum conſuetudine moribus receptâ, & vim legis habente; nullo autem iure ſcripto, quia nuſquam extat; licet in quibuſdam canonibus obligatio ipſius, vndecumque proueniat, ſupponatur. Siquidem cap. 1. de Celeb. Miſſ. quod idem eſt cum C. *Presbyter* d. 91. manifeſtè loquuntur de Parocho rurali, ideoque Beneficiato; C. verò, *Siquis presbyter* d. 92. agit de presbytero & quibuſlibet clericis Eccleſiæ ſeruitio deputatis; ſimiliter C. *Dolentes*, de Celebratione Miſſarum de iiſdem loquitur.

4. *Dubium, an illi qui ſunt in ſacris, ad Horas obligentur iure diuino.* Dubitatur prætereà, An ſacris Ordinibus initiati teneantur ad ſeptenarium Horarum iure diuino.

5. *Putant aliqui eos teneri, iure diuino ſcripto.* Variè hac in re cenſent Doctores; quidam enim exiſtimant eos obligari lege diuinâ ſcriptâ, ſaltem generatim ad ſepties Dei laudes per diem perſoluendas, licet modus & formula per Eccleſiam determinata ſint; vnde inferunt Papam non poſſe eos hac lege ſoluere, licet poſſit cum eis in modo diſpenſare. Ita Abbas Siculus in c. 1. de Celeb. Miſſ. n. 31. & plures Iuris Pontificij Interpretes, quos ſequuntur Angelus V. *Hora*, num. 6. Roſella num. 13. & alij probant ex illo Pſalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Sed verſiculus ille ſolùm indicat quid S. Propheta fecerit, nullum verò præceptum proponit alijs neceſſariò ſeruandum. Vide Syluestrum V. *Hora*, q. 8. n. 9. & Bellarminum lib. 1. de Orat. c. 19.

Alij verò docent eos obligari iure diuino naturali. Ita expreſsè Nauarrus in Enchir. de Orat. c. 7. num. 2. 13. 14. dum ait Subdiaconos, & Diaconos non tam iure humano ſcripto, quàm lege naturali diuina determinata per vniuerſalem conſuetudinem ad Horas obligari cœpiſſe, quod etiam num. 13. extendit ad clericos inferiores, videlicet iure naturæ ad maiores gratias Deo referendas obligari, quàm laicos. Idem inſinuat Bellarminus ſuprà, & Fumus V. *Hora*, n. 21. & Syluester V. *Hora* q. 4. num. 5. & q. 8. n. 9. cum quibuſdam Canoniſtis quos ibi citat; ſcilicet clericos teneri ad aliquid indeterminatum Deo perſoluendum. Idem videtur tenere Sotus lib. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 3. & propendet D. Thomas quodlib. 6. art. 8. & Leſſius c. 37. dubit. 9. Ratio adferri poteſt, quia hi ad huiuſmodi ſtatum aſſumpti ſunt, in quo obligantur Deo peculiarem laudis cultum exhibere, qui per Eccleſiam reſtrictus eſt ad horarias preces. Eſt hæc ſententia probabilis, & ad eam confirmandam adferuntur D. Thom. & Sotus ſuprà locum Iſaiæ 43. num. 7. *Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Quibus verbis ſignificat Deus olim in populo electo fuiſſe, & magis etiam in Eccleſia Chriſti fore, quos ipſe magno Conſilio ſuo deſtinauerit ad nomen ſuum celebrandum, quales ſine dubio ſunt illi, qui ſtatum ipſius cultui inprimis conſecratum ſortiuntur. Addi etiam poteſt illud ex eodem capite n. 21. *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Ad idem propoſitum adducit Durantus lib. 3. de Ritib. cap. 22. locum Actorum 6. n. 4. vbi Apoſtoli, in quorum locum Sacerdotes ſucceſſerunt, profitentur, *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.*

6. *Alij teneri iure naturæ.*

7. *Rationes multæ pro hac ſententia.*

Poſtremò, aliqui quibus aſſentior, docent clericos in ſacris conſtitutos decere

8. *Solum ex decentia tenentur maiores clerici Deum frequentiùs laudare, quàm alij.*

cere quidem, vt frequentius Deum laudent, & pro populo deprecentur: Hoc enim, ſuppoſito ſtatu in quo collocati ſunt, ius naturæ manifeſtè ſuggerit; nihilominus ipſam orationem Canonicam quoad determinationem temporis, ordinis, modi, &c. Imò etiam quoad ſubſtantiam, pendere ſolùm ex iure Eccleſiaſtico. Vnde presbyter iure naturæ ſolùm tenetur præſtare munus ad quod deſtinatur ex ſua ordinatione, quod eſt Deum per ſacrificiū honorare, & pro populo deprecari: Diaconus verò & Hypodiaconus in ordine ad illud ſacerdoti miniſtrare, & alia munia, ſi quæ ſint ipſorum ordinationi annexa ſubire. Probat hanc ſententiam copioſè Suarez lib. 4. de orat. c. 16. n. 2. & ſequent.

9. *An Clerici cenſurâ irretiti teneantur ad Horas.*

Petes hic 1. An Clerici in ſacris (idemque quæri poteſt de Beneficiatis & Religioſis) irretiti cenſurâ Excommunicationis, Suſpenſionis, Interdicti, aut Irregularitate, aut etiam depoſiti, aut realiter degradati ad recitationem precum Canonicarum teneantur?

Reſpondeo. Communis omnium ſententia eſt, vt colligitur ex Sylueſtro, V. *Hora*, q. 3. n. 4. & Nauarro in Enchir. de Orat. cap. 7. num. 16. & 17. eos omnes teneri, quia nemo debet referre commodum ex delicto.

10. *Excommunicatus non debet recitare in Eccleſia, vel cum alio.*

Notant verò Sylueſter & Nauarrus ſuprà excommunicatum non debere peragere officium in Eccleſia, neque cum alio recitare, nec dicere, *Dominus vobiſcum*, (quod poſtremum Sylueſter etiam extendit ad ſuſpenſum, degradatum) nec ſi Abbas fuerit, inquit Nauarrus vel Abbatiſſa cum ſuo monacho vel moniali. Nec refert quòd talis fortè fructu Beneficij priuetur, quamdiu retinet Beneficium, quia per ipſum ſtat quo minus fructus recipiat; vnde ſuæ contumaciæ hoc imputare debet.

11. *Sacerdos excommunicatus non fit irregularis, etiam ſi dicat Dominus vobiſcum, ſaltem priuatim.*

Quod autem quidam addunt ſacerdotem aut diaconum excommunicatum dicentem, *Dominus vobiſcum*, in recitando Horas fieri irregularem quia eſt actus Ordinis, bene refutatur ab Ægidio Coninck tom. 2. de Sacramentis diſp. 14. dub. 7. n. 54. quia etſi probabile ſit, quando hoc facit ſolemniter in officio publico, quod ego intellexerim de ſolo Sacrificio Miſſæ; non videtur tamen verum, quando ſolus priuatim legit, quia tum non eſt vllo modo actus Ordinis. Deinde vt incurratur irregularitas vt pœna, requiritur peccatum mortale: hic autem materia leuior eſt nec capax peccati mortalis: vnde talis dicendo *Dominus vobiſcum* in Horis, ſolùm peccat venialiter, vt docent communiter DD. & fortè nullo modo peccat, vt probabiliter tenet Auila 2. p. de Cenſuris c. 6. diſp. 4. dub. 6. concluſ. 3. quia propter leuiculam vel nullam potiùs communicationem, non videtur forma Horas dicendi quam præſcribit Eccleſia immutanda, dicendo *Domine exaudi orationem*, loco *Dominus vobiſcum*.

12. *Imo talis vel nullo modo peccat, vel ſolùm venialiter.*

13. *An Clericus in ſacris triremibus adiudictus ad Horas obligetur, & ſimiliter Monachus.*

Petes 2. An Clericus in ſacris, triremibus per ſententiam adiudicatus, vel Monachus, recitare nihilominus Horas teneatur. Idem quæritur de remigante apud Turcas. Negat Leſſius ſuprà dubit. 9. affirmat verò Azor. c. 5. ſuprà, q. 6. & c. 6. q. 6. & Suarez c. 17. n. 9. Sentio teneri vtrumque per ſe loquendo, niſi hic excuſetur ratione periculi verberum vel vulnerum, vel aliter; ille verò ratione dedecoris, quod ſtatus clericalis incurreret, ſi ordinem ſuum proderet. Faciliùs tamen excuſarim monachum quàm clericū; imò videtur monachus talis planè non teneri, cùm extra monaſterium & vitam monaſticam viuat, & ad eam redire non poſſit.

14. *Tenentur per ſe, excuſari tamen poſſunt per accidens.*

15. *An Clericus metu graui ordinatus teneatur.*

Petes 3. An Clericus ſacris initiatus, metu per iniuriam incuſſo eóque graui penſum Horarum compellatur ſoluere.

Reſpondeo, Hunc nolentem Ordi-

16. *Non tenetur ſi nolit Ordine ſacro vti.* ne vti, non teneri ad Horas recitandas; ſicut enim talis non obligatur caſtitatem ſeruare, ita nec Horas legere, cùm vtrumque ſit onus adiunctum Ordini planè ſpontaneè aſſumpto. Ita Emmanuel Sa, *V. Ordo.* nu. 24. Nauarrus in Enchir. Confeſſ. c. 22. n. 51. ſub finem. Viualdus 1. p. n. 26. de Sacramento Ordinis. Sanchez tom. 2. de Matrimonio lib. 7. diſp. 29 n. 7.

17. *An ordinatus ante annos pubertatis teneatur.* Petes 4. An Ordo ſacer ante vſum rationis, vel poſt eum ante annos pubertatis ſuſceptus obliget clericum ad Officium Canonicum recitandum.

18. *Non obligatur, niſi ordinem ſuſceptum ratum habeat poſt ætatem legitimam.* Reſpondet Thomas Sanchez ſuprà, diſp. 30. nu. 12. talem non obligari, donec poſt legitimam ætatem ratificet Ordinem, quod fit ſcienter vtendo Ordine ſacro. Cùm enim non teneatur ad principale onus annexum Ordini, quod eſt colere caſtitatem, non etiam tenebitur ad onera acceſſoria. Et certè non eſt dubium non obligari nondum compotem vſus rationis, cùm non ſit capax obligationis. Probabile etiam eſt non teneri impuberem, cùm nec olim ante Tridentinum Profeſſione obligaretur, multò minùs iam poſt illud. Ergo nec voto ſolemni continentiæ in Ordinis ſuſceptione, & conſequenter nec ad Horarias preces.

19. *An teneantur qui ſunt in ſacris, cum quibus Papa diſpenſauit, vt matrim. contrahant.* Petes 5. An teneantur ad Horas ſacris Ordinibus initiati, vel profeſſi, cum quibus Papa diſpenſauit, vt matrimonium contrahant.

Affirmat Azor. lib. 10. Inſtit. c. 5. q. 5. de Clerico exiſtente in Sacris. Nauarrus tom. 1. Conſil. lib. 3. tit. de Celeb. Miſſ. conſil. 21. dubitat. De vtroque verò melius negat Sanchez tom. 3. de Matrim. lib. 8. diſp. 8. n. 11.

20. *Non tenentur modò veſtem accipiant ſecularem, vt diſpenſatione contrahendo matrim. vtantur.* Si videlicet hic veſtem monaſticam exuat, induatque ciuilem, vt diſpenſatione vtens matrimonium ineat, quia iam tum conſtituitur extra ſtatum religioſum: vnde eius oneribus liberatur. Ille verò ſimiliter liberatur dum habitum ſecularem aſſumit, vt diſpenſatione ad nuptias tranſeat: quia iam tum transfert ſe ad ſtatum politicum, nec gaudet priuilegiis Clericorum, vnde etiam eximitur ab oneribus Ordini ſacro annexis. Vterque verò tenebitur antequam habitum mutent, vt diſpenſatione vtantur, & conſentit Nauarrus c. 7. de Horis nu. 20. Multò minùs ſentio teneri illum, qui cùm antea matrimonium contraxerit, poſtea Ordinem ſacrum ſuſcipit, & à Pontifice compellitur vxori cohabitare, quia ad ſtatum ſecularem planè tranſit; quamuis aliter doceat Azor. ſuprà.

Dubitatur 3. An Clerici Ordinum minorum aut ſolâ tonſurâ inſigniti ad Horarias preces obligentur. 21. *An Clerici minores, vel ſolùm tonſurati teneantur.*

Quidam Canonum DD. citati ab Azorio & Nauarro videntur affirmare cum Gloſſa c. fin. d. 92. idque partim vi iuris diuini, partim humani: licet quidam concedant eos per generalem conſuetudinem excuſari. Sed dicendum eſt eos penitus ab onere Horarum eſſe liberos, vt communiter docent DD. Vide Nauarrum Enchir. de Horis c. 7. nu. 12. Medinam cod. de Orat. q. 7. Sotum l. 10. de Iuſt. q. 5. ar. 3. vbi & rationem reddit, quia nondum habent firmum in Eccleſia ſtatum: poſſunt enim matrimonio coniungi, nec ita proximè ad cultum Dei ordinantur vt Clerici Ordinum maiorum. Adde obligationem hanc non poſſe deduci ex vllo iure, vel diuino vel Eccleſiaſtico, nec etiam conſuetudinario. 22. *Sunt planè liberi.*

Petes: An hi ſaltem ad aliquid aliud quotidie recitandum teneantur. 23. *An ſaltem ad aliquid aliud legendum obligentur.*

Aſſerunt quidam eos obligari ad aliquid in genere legendum, cùm maiori ratione debeant Deum colere quàm laici, quia ſunt in ſortem Domini vocati, tranſlati in Deum & Eccleſiam; vnde & priuilegijs Cleri fruun-

Digitized by Google

24. *Putant aliqui eos teneri ad aliquid ſaltem generatim recitandũ.* fruuntur. Tenentur ergo, vt illi aiunt, vi iuris naturæ ex virtute Religionis vel Gratitudinis. Ita Nauarrus ſuprà n. 13. vbi dicit minores clericos ſaltem quamdiu priuilegio clericali gaudent, obligari ad aliquot preculas in genere, non tamen ad determinatas, niſi fortè Epiſcopus eas de eorum conſenſu determinaſſet. Vnde nu. 14. dicit plurima peccata committi ab iſtis clericis, quia non plures precationes faciunt, quàm ſi clerici non eſſent. Idem inſinuat Paludanus in 4. diſt. 15. q. 5. ar. 1. & alij.

25. *Melius alij negant.* Verùm hoc iure à DD. alijs paſſim refutatur, vt videre eſt apud Azor. ſuprà c. 5. q. 2. & Suarez ſuprà c. 16. nu. 14. & ratio eſt, quia obligationi ſuæ qualicunque, vel potiùs decentiæ, ſatisfacere potuerunt ritè obeundo miniſteria ad quæ ſunt ordinati. Vide Sotum ſuprà.

26. *Cenſent aliqui obligari ad 7. Pſalmos, vel Pſalmum 50.* Cenſent præterea alij eoſdem ſaltem teneri ex conſuetudine recitare ſeptem pſalmos, qui vocantur Pœnitentiales, vel quindecim graduum, vel paruum D. Virginis Officium, ſi verò tantùm fuerint primâ tonſurâ donati Pſalmum quinquageſimum. Inſinuat Nauarrus ſuprà n. 13. vbi eſt illa conſuetudo in vigore, ſecus vbi non obſeruatur. Dicit tamen n. 14. conſuetudinem illam ſolùm obligare ad peccatum veniale. Ibidem c. 21. nu. 8. dubitat de illa conſuetudine; Sotus

27. *Ad nihil obligantur vel lege, vel generali conſuetudine.* verò ſuprà docet ad nihil eos teneri recitandum, nec vllam extare legem vel conſuetudinem quæ eos ad aliquid obliget, quem plerique DD. noſtri temporis ſequuntur: vt Medina, Leſſius, Suarez, Azorius, imò & Nauarrus quod intelligunt de conſuetudine generali, & obligante ſub peccato.

Aduerte hic 1. docere Sotum ſuprà, Epiſcopum non poſſe huiuſmodi clericos ad quidquam recitandum obligare; quod limitandum videtur cum Azorio ſuprà q. 4. Suarez n. 15. Leſſio dubit. 9. primum quidem vt intelligatur de onere perpetuo pſalmos illos recitandi, non verò de legendis aliquot pſalmis per pauculos dies: quia & hoc vſitatum eſt, & non graue. 2. limitandum eſt cum Suarez & Azorio ſuprà, niſi conſuetudine introductâ fuerit obligatio aliquid recitandi, quæ ſeruanda erit: Tunc enim præcipere ſuo iure poterit Epiſcopus, vt in ſua Diœceſi à Clericis huiuſmodi obſeruetur. Poſſe autem talem conſuetudinem introduci nuſquam negat Sotus, neque negare iure poteſt, cum ſtatum clericalem apprimè deceat. Vnde probabile cenſet Leſſius ſuprà teneri ſub peccato veniali huiuſmodi clericos ad recitandum pſalmum 50. ex generali conſuetudine, licet verius putet hunc morem ſolùm obſeruari ex conſilio, non præcepto, & ſubinde non obligare ad vllum peccatum. Idem docet de obligatione ſub veniali, vel potiùs decentia ratione Iuris naturalis.

28. *Poteſt Epiſcopus tales obligare ad aliquos Pſalmos aliquoties recitandos, item ad ſemper, ſi in Diœceſi fuerit huiuſmodi conſuetudo, quæ ſi introduci poteſt.*

29. *Non poteſt Epiſcopus obligare minores Clericos ad aliquid certum quotidie recitandum.* Aduerte 2. Nauarrum pluribus locis tum in Enchir. Confeſſar. c. 25. n. 108. tum in Enchir. de Horis cap. 7. num. 13. & 14. & cap. 21. num. 8. docere, quòd eſto Epiſcopus non poſſit auctoritate ſuâ ſolâ huiuſmodi clericos in minoribus conſtitutos, nolentes ad aliquid certum recitandum in ſingulos dies obligare; poſſe tamen de eorum conſenſu, videlicet, ſi promittant, vel imponenti conſentiant, id facere; dicit tamen obligationem illam ſolùm fore ſub veniali. Sed certè videtur mihi pactum illud non ſatis æquum, nimiſque durum; vnde illi ſtare non tenebuntur, cùm ab Epiſcopis tale onus imponi generatim non poſſit; ſed pertineat ad primam ſedem ſingulis ordinatis ſuas præſcribere obligationes.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

An Religioſi profeſsione ad Chorum deputati, vel Moniales ſimili ratione profeſſæ Pſalmodiæ lege aſtringantur.

1. *Obligantur Profeſſi ad chorum, & Moniales.* ASſertio. Communis ſententia DD. eſt huiuſmodi obligari, vt docet Nauarrus c. 7. Enchir. de Horis n. 1. 4. 21. Dubitatur verò, quo iure obligentur; laborant enim in hoc DD. quia difficile eſt obligationis radicem inuenire. 2. *Dubitatur quo iure, cùm non teneantur ratione ipſius religionis, aut aliter.* Non enim vt per ſe patet, tenentur ratione ipſius Religionis in genere, quia ex hac ordinantur ad perfectionem, quæ hoc medium neceſſariò non requirit, cùm religio, & quidem valde perfecta ſine Officio chori reperiatur, vt 1. lib. à nobis probatum eſt, & conuerſi illarum Religionum, quæ chorum profitentur, ſine obligatione ad Horas, veri ſint nihilominus Religioſi.

3. Nec etiam ſequitur debitum hoc ratione profeſſionis, aut votorum, quia in votis ſubſtantialibus hoc non exprimitur. Prætereа non tenentur ad horarias preces aliquo iure Pontificio, quia nullus pro hoc canon profertur. Vlteriùs non aſtringuntur ex vi virtutis Religionis, cùm ſolùm ad eum modum diuini cultus ſe obligent, qui votorum formulâ vel ipſâ profeſſione continetur, vel ipſâ regulâ præcipitur per modum legis, Pſalmodia verò neutro iſtorum comprehenditur. Intuitu etiam alimentorum, quæ à Chriſtiano populo recipiunt, non videntur præſtare debere illud onus, vt contra Paludanum diſputans concedit Nauarrus ſuprà n. 4. tum quia illa mente nō tribuuntur, nec etiam cum illis hoc pactum initur; tum quia monaſteria fundari ſolent, vt religioſi in ijs viuant conuenienter ſuo inſtituto: Vnde ſolùm tenentur titulo gratitudinis ad orandum pro benefactoribus, quomodo regula præſcribit, vel ipſi voluerint. Poſtremò non pendet hæc obligatio ex approbatione Eccleſiæ, vt vult Antoninus 3. p. tit. 14. c. 4. §. 1. quem ſequitur Nauarrus ſuprà. Verùm dico Eccleſiam cenſeri approbare aliquam Religionem, dum approbat ipſius Inſtitutum, & Regulam. Vnde non imponit hæc approbatio ſtrictiorem obligationem religioſis quam ipſi profiteantur. Si ergo ipſorum viuendi formulâ hoc debitum non comprehenditur, Eccleſia illis ſua approbatione non inijcit. Vide Caietanum V. *Hora* n. 3.

4. *Tenentur conſuetudine vim legis habente.* Vnde dicendum eſt cum communi ſententia DD. eos teneri conſuetudine vim legis habente. Ita expreſſè Sotus lib. 10. de Iuſtitia q. 5. ar. 3. Licet autē de ea conſuetudine dubitet Caietanus & eum ſecutus Fumus, V. *Hora bene*. num. 4. & Ioannes Medina cod. de Orat. q. 7. videtur tamen poſtea Caietanus eam agnoſcere, dum ait de Profeſſis clericis ſtandum conſuetudini. Quidquid ſit certum eſt eos non tam arctè teneri atque beneficiarios: cùm hi teneantur Deum pro populo deprecari & laudare, & piæ plebis deuotioni ſeruire, illi verò ſolùm quatenus neceſſarium eſt ad propriam perfectionem aſſequendam, niſi fortè peculiaris fundationis titulus monaſterium obliget ad aliud; quod extrordinarium eſt. Ceterùm huius conſuetudinis congruentia in Profeſſis ad chorum aſſignari poterit ex eo, quod ex ſua profeſſione, inſtituto, & regula, ab Eccleſia approbatis mancipati ſint diuinis laudibus celebrandis: orta autem eſt hæc conſuetudo ex Regula, quod manifeſtè apparet ex Regula D. Benedicti, in qua à cap. 8. vſque ad 20. de Pſalmodiæ modo tractatur. 5. *Conſuetudo hæc orta eſt ex Regula.*

Petes hîc 1. An Nouitij religionum, quæ

Digitized by Google

quæ chorum profitentur, teneantur hac lege Horas recitandi.

6. *Non tenentur religionis Nouitij.* Reſpondeo, communem Doctorum ſententiam eſſe, teſte Nauarro ſuprà n. 23. eos non teneri, contra Paludanum in 4. diſt. 15. q. 5. quia in oneroſis non veniunt Nouitij nomine Religioſorum. Quod autem religionis priuilegiis gaudeant, & eleemoſynis fidelium nutriantur, non conuincit eos ex obligatione teneri ad Horas: ſufficit enim ad hoc, vt ſe religioſæ diſciplinæ & ſuperiorum directioni ſponte ſubijciant.

7. Petes 2. An qui in iure Conuerſi talium Religionum vocantur, ad penſum Horarum aſtringantur.

Nec etiam religionum ad chorum profeſſarum Conuerſi. Reſpondeo cum communi non obligari. Et ratio eſt, quia officio chori ex profeſſione non ſunt deputati. Si verò illis incumbat recitatio aliquorum Roſariorum aut aliarum orationum, ad illas ſolùm tenebuntur ex præſcripto Regulæ & non arctiùs, vt rectè Nauarrus & Caietanus ſuprà, qui etiam docent Tertianos profeſſos S. Franciſci extra Congregationem viuentes ab Horis Canonicis liberos eſſe.

8. Petes 3. An Monachus transfuga liberetur onere ſoluendi penſum Horarium.

Transfuga Monachus tenetur. Reſpondeo cum Nauarro ſuprà nu. 20. & aliis paſſim teneri ſoluere; tum quia ſuâ culpâ à monaſterio abeſt; tum quia non debet ei ſua malitia patrocinari.

9. Petes 4. An eadem ratio ſit de Religioſo è monaſterio ob culpam, vel ſine culpa eiecto.

Eiecti à monaſterio Monachi veriùs non tenentur. Sanchez lib. 8. de Matrim. diſp. 8. num. 11. dicit DD. docere eiectum non teneri, & certè ita docet Sotus ſuprà, & ſequitur Leſſius c. 37. dubit. 9. Contrarium tamen tenet Nauarrus ſuprà nu. 20. cui aſſentiuntur Suarez c. 17. nu. 9. & Azor. cap. 6. q. 6. Videtur mihi ſententia Soti probabilior: tum quia poſtquam peccati ſui pœnitentiam egerit, iuſtè extra Monaſterium & vitam monaſticam degit, cui quippe ad reditum aditus interclusus eſt, vnde meritò ab eius oneribus eximitur: tum quia non videtur eſſe conſuetudo vt talis Horas recitet.

Nec refert quòd maneat Religioſus, quia hoc non ſufficit, vt teneatur ad Horas, ſed debet eſſe choro deputatus, quod non habet locum in eiecto, qui non ſolùm à choro, ſed etiam à monaſterio exulat.

Petes 5. An talis Religioſus iuſſu moderatoris ſui tranſlatus à ſtatu Choriſtarum, vt vocant, ad ordinem Laicorum, ſubiectus ſit recitationi quotidianarum precum. Nauarrus ſuprà cap. 21. n. 20. contra Sotum, fortiter probat non poſſe regularem Prælatum transferre Monachum vel Monacham à chori munijs ad laicas functiones. Contrà Sotus negat talem Religioſum teneri ampliùs ad Horas recitandas, quem ſequitur Azor. ſuprà q. 7. Suarez ſuprà n. 7. & alij; & manifeſta fauet ratio, quia cùm conſuetudo obligans huiuſmodi religioſos oriatur ex deputatione ad chorum, ſublato antecedente, neceſſariò tollitur conſequẽs. Simile videmus in clericis Beneficiariis nondum ſacris Ordinibus initiatis, qui priuati ſuis Beneficiis, vel illa reſignantes, conſequenter etiam ab Horarum tributo ſoluendo liberantur. 10. *Tranſlati ad ſtatum laicorum à ſtatu Choriſtarum non tenentur.*

Idem dicendum iudico de Monachis, cum quibus auctoritate Pontificis diſpenſatum eſt, vt non ſolùm ad tempus aliquod; ſed etiam in perpetuum extra monaſterium degant. Quamuis Nauarro num. 20. ſuprà, quem ſequitur Suarez ſuprà num. 8. contrarium placeat. Sed ſententia noſtra probatur Azorio ſuprà q. 8. Et ratio eſt, quia cum ratione deputationis ad chorum conſuetudo hoc onus Religioſis impoſuerit, ſublata per diſpen- 11. *Idem dicendum de illis, cum quibus diſpenſauit Pontifex, vt in perpetuum extra Monaſterium degant.*

t ſationem

ſationem illa deputatione, conſuetudo non ampliùs obligabit.

12. *Non peccat choro deputatus Monachus, ſi bis terue priuatim Horas omittat.* Aduerte hîc poſtremò, non eſſe improbabile, quod docet Petrus Arragonius 2.2. q 83. ar. 11. dub. 4. ſcilicet non tam ſtrictè obligari Religioſos huiuſmodi profeſſos, atque in Sacris conſtitutos. Quapropter non peccare mortaliter, ſi ſemel, iterum, aut tertiò omittant: & fauent huic ſententiæ multum Caietanus, Medina, Bartholomæus Fumus ſuprà citati, qui de conſuetudine obligante dubitant, & plures alij variarum Religionum Doctores, qui de conſuetudine officium Canonicum dicendi à ſingulis extra chorum non ita rigidè loquuntur. Imò Emmanuel Sa V. *Horæ*, num. 1. dicit probabile eſſe Moniales & Religioſos qui non ſunt in Sacris, ab obligatione Horas legendi liberos eſſe. Addit tamen hoc non eſſe vſu receptum. Dici etiam poteſt hanc conſuetudinem non ita ſtrictè ſingulos religioſos ad priuatim recitandum preces Horarias in quibuſdam ſaltem ordinibus vel Cœnobijs obligare. Quidquid tandem ſit,

13. *Poteſt Prælatus diſpenſare cum ſuis religioſis, vt ex cauſa horas non recitent, imò nulla requiritur diſpenſatio, ſi mos eſt in aliquo monaſterio non recitare, certis cauſis interuenientibus.* cenſeo planè cum Leſſio ſuprà: qui rectè contendit monaſterio præpoſitum poſſe hanc obligationem, quando cauſa iuſta ſubeſt, relaxare, v.g. ſtudiorum vel negotiorum cauſâ, vt & in aliis ſimilibus ſtatutis, quidquid contradicat Reginaldus Volum. 2. Praxis fori pœnitentialis lib. 18. cap. 12. ſect. 2. Imò addit Leſſius, ſi in aliqua Religione vel Congregatione mos inualuerit, vt profeſſi Clerici dum in ſtudiis vel aliis negotiis verſantur, priuatim Horas non recitent, (quem audio alibi eſſe) non opus eſſe diſpenſatione. Hoc ipſum docet Gregorius de Valentia 2. 2. diſput 6. quæſt. 2. puncto 10. §. *qui teneantur recitare Horas*, ſub finem, *Religio*, inquit, *quæ conſuetudinem Horas recitandi numquam recipit, ad illius obſeruationem minimè obligatur.* Quod quamuis fortiter impugnetur à Reginaldo ſuprà; Videtur tamen mihi valde rationabile, limitando cum Leſſio, cùm grauibus de cauſis Religioſi impediuntur, ne priuatim officium dicant; Non verò de publica in choro pſalmodia.

CAPVT IV.

An Beneficiarij preces Horarias perſoluere teneantur, & quo iure.

Dico 1. Certum eſt apud omnes illis incumbere onus diuini officij recitandi, vt colligitur ex dictis c. 1. Proferuntur à DD. paſſim varij canones pro hac re, vt Canon final. d. 92. vbi ſub pœna depoſitionis quilibet Eccleſiæ deputati Clerici, ſiue Beneficiarij conuenire iubentur ad quotidianum pſallendi officium, quod decretum, ex quocumque tandem Concilio deſumptum ſit, pro lege ab omnibus ſuſceptum fuit: & quamuis de publica pſalmodia agat; rectè tamen ad priuatam etiam, ſi publicè perſoluta non ſit, extenditur Accedit C. *Quia per ambitioſam* de Reſcriptis in 6. Vbi Bonifacius VIII. dicit Beneficium dari propter Officium, in quo vel maximè continetur Officij canonici recitatio. Denique Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſione 9. §. *ſtatuimus*, idem propoſitâ pœnâ decernit: quam conſtitutionem confirmauit, & extendit Pius quintus in Bullario Conſtitutione 138. 1. *Tenentur ad Horas beneficiarij iure Canon.*

Sed dubium eſt An debitum hoc precum canonicarum ſit etiam iuris naturæ in Beneficiarijs. Multi enim canonum DD. & Summularij cum Nauarro in Enchir de Orat c. 7. n. 3. generatim dicunt illos teneri, has preces ſoluere iure naturæ. Vide Azor. ſuprà c. 4. q. 13. quod tamen negat Sylueſter ſuprà, q. 8. n. 9. 2. *Dubitatur an ijdem iure naturæ obligentur.*

Dico

3\. *Per ſe iure naturæ præciſè non tenentur.*

Dico 2. Per ſe præciſè loquendo non tenentur Beneficiarij iure naturæ ad preces canonicas reddendas. Ratio eſt, quia ſine pacto tacito vel expreſſo non tenerentur clerici ratione Beneficij pro benefactoribus orare, vel Deum laudare niſi titulo gratitudinis; hoc autem fieri poteſt quolibet genere precum. Ità Syluester ſup. Quòd ſi pactum intercedat, non tamen inde ſtatim ſequitur Beneficium dari propter Officium legendi preces horarias, cùm poſſit multis alijs titulis conferri, v. g. ratione obligationis ad prædicandum Dei Verbum, ob ſpirituale miniſterium Sacramentorum; vel Sacrificiorum &c.

4\. *Ex hypotheſi inſtitutionis beneficiorum tenentur ex iuſtitia naturali.*

Dico tertiò, Ex hypotheſi tamen, conſiderata Beneficiorum inſtitutione & voluntate Eccleſiæ, cuilibet beneficio annectentis debitum preces canonicas perſoluendi; quæ nobis ex communi DD. ſententia, & conſuetudine toto orbe recepta, & per Concilij Lateranenſis ſtatutum manifeſtè declaratur, tenentur ratione naturalis iuſtitiæ Beneficiarij Horas canonicas quotidie recitare.

5\. *Ratio huius redditur.*

Probatur, quia ſtipendiarius lege iuſtitiæ tenetur præſtare opus, propter quod ſtipendium accipit; atqui Beneficiarij ſunt Eccleſiæ, & fidelium ſtipendiarij, qui beneficium accipiunt propter officium; ergo illud præſtare tenentur. Hoc voluit S. Bernardus epiſt. 2. ad Fulconem puerum, dum ſic ſcribit: *Quæ ſunt illa tua? Beneficia Eccleſiæ? Rectè, quia ſurgis ad vigilias, vadis ad miſſas, horis chorum nocturnis diurniſque frequentas, benefacis. Sic Eccleſiæ præbendam gratis non accipis. Dignum eſt vt qui altario deſeruit, de altario viuat. Conceditur ergo tibi, vt, ſi bene deſeruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris*, &c. Vide plura apud Durantum lib. 3. de Ritibus c. 22. n. 8.

6\. Petes hic primò, An omne Beneficium ſimpliciter ex Eccleſiæ inſtitutione annexum habeat onus preces Horarias legendi?

7\. *Docent aliqui non omne beneficium habere onus annexum horarum, & nominatim loquuntur de teſtimonijs.*

Leſſius l. 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 30. docet regulariter ita eſſe, nihilominus eſſe quædam Beneficia, quæ ex ſua inſtitutione ad preces illas non aſtringunt, ſed ad aliquas alias, vt ſunt quædam Præpoſituræ, Perſonatus & Præſtimonia, quæ non requirunt quotidie niſi Horas Beatæ Virginis, vel quinque Pater noſter & Aue Maria, vel ſemel Pſalmum Miſerere. Idem ſentiunt multi DD. de Præſtimoniis, quæ ſunt portiones quædam ſiue præbendæ detractæ ex reditibus Eccleſiaſticis, quæ quibuſdam varijs de cauſis aſſignari ſolent, maximè verò in ſubſidium ſtudiorum. Non teneri verò ad Horarias preces qui huiuſmodi portiones poſſident, docent Ioannes Medina C. de Orat. qu. 6. & alij multi qui citantur ab Azor. lib. 10. Inſtit. cap. 3. quæſt. 4. & à Franciſco Suarez libr. 4. de Orat. cap. 22. num. 7.

8\. *Controuertitur inter Doctores an præſtimonium ſit beneficium.*

Cæterùm controuertitur inter Doctores, An Præſtimonium ſit Beneficium propriè dictum, quod conferatur intuitu ſpiritualis officij præſtandi. Quamuis enim auctore Petro Rebuffo, in practica Cancellariæ Apoſtolicæ, ſub inſcriptione, Notabilia ſuper vacantibus non reſeruatis, §. *Beneficij appellatione*; Præſtimonia contineantur nomine Beneficij quando clericis ſolita ſunt concedi in perpetuum; Incertum tamen eſt, an in titulum ſiue pro titulo Beneficij aſſignentur, quibuſdam negantibus, alijs affirmantibus. Vnde, Dicendum eſt huiuſmodi

9\. *Præſtimonia obtinentes iure antiquo non tenebantur.*

adoleſcentes portionibus præſtimonialibus gaudentes, iure antiquo non fuiſſe obligatos preces canonicas recitare, imò nec quidem Concilij Lateranenſis ſtatuto ſub Leone X. ſeſſ. 9. §. *ſtatuimus*. Vbi decernitur, vt nemo Beneficium curatum aut ſim-

plex habens, qui elapſis ſex menſibus ab eius conſecutione, ſine legitimo impedimento, officium diuinum recitare omiſerit, pro tempore quo non recitauit, fructus ſuos faciat &c. quia poterit ſtatutum illud ad Beneficium propriè & ſtrictè ſumptum facilè reſtringi.

10. *Hoc tempore omne beneficium etiam praeſtimonium habet onus legendi horas annexum ex Bulla Pij V.*

Reſpondeò nihilominus ad quæſtionem, & dico, Hoc tempore omne Beneficium Eccleſiaſticum ex inſtitutione Eccleſiæ (quidquid olim fuerit) habere annexum debitum Horas recitandi tamquam primum & fundamentale officium, propter quod Beneficium confertur: atque adeò huc pertinere etiam Præſtimonia, & præſtimoniales portiones, quomodocumque tandem appellentur. Inductus ſum ad hoc ſentiendum verbis Pij V. in Conſtitutione quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi Concilio* vbi ſic ait; *Declarantes Præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſeruitium habentia obtinentes cum prædictis (beneficiarijs manifeſtè ad officium Horarum obligatis) pariter comprehendi.* Hæc ibi. Et ideo hanc ſententiam docent Nauarrus in Enchir. de Horis. c. 21. n. 9. extendens ſententiam ſuam ad omnes ſimpliciter Beneficiarios, affirmanſque præſtimonia ex communi opinione eſſe propriè Beneficia. Idem docet Sotus 10. de Iuſtitia q. 5. a. 3. Azor. & Suarez ſuprà, & alij. Et certè non implicat Præſtimonium inſtitutum fuiſſe, vt ex eius reditibus adoleſcentes in ſtudijs viuerent, vel in ſubſidium contra fidei hoſtes bellantium ſimul cum debito Horas legendi: Sicut iam videmus fundari quas vocant Burſas, impoſito Burſarijs onere quot diebus aliquid in gratiam fundatorum orandi. Adde quamuis Beneficia initio non fuerint erecta propter Officium Diuinum recitandum, potuerunt tamen poſteà ſtatuente id Romano Pontifice ob id, & non aliter conferri.

Petes ſecundò, An poſſidens Capellaniam obligatus ſit preces Horarias quotidie recitare? 11.

12. *Habens Capellaniam collatiuam ad horas tenetur.*

Reſpondeo ſecutus ſententiam Medinæ Codice de Orat. q. 7. Nauarri Enchir. de Horis can. c. 20. n. 17. Azorij l. 10. Inſtit. cap. 3. q. 5. & aliorum. Habentem Capellaniam, quam vocant Collatiuam, quæ ſcilicet auctoritate Apoſtolicâ vel ordinariâ conferri ſolet, omnino pſalmodiæ oneri ſubditum eſſe, cum huiuſmodi Capellania ſit propriè Beneficium Eccleſiaſticum ab aliquo Eccleſiæ Præſide conferri ſolitum.

13. *Habens verò non collatiuam nõ tenetur.*

Dixi habentem Capellaniam Collatiuam teneri, ad diſtinctionem earum, quæ vocari ſolent non collatiuæ, alias profanæ vel laicæ, quas teſtamento fundare & inſtituere interdum pro more habent viri opulenti vel nobiles, quo ſubueniant inopiæ ſuorum conſanguineorum, idque ſine interuentu poteſtatis Apoſtolicæ vel Epiſcopalis, quas euidens eſt non eſſe Beneficia, cùm auctoritate Eccleſiæ non erigantur, vel ſaltem poſteà non confirmetur, vt ſuppono. Vnde etiam conſequenter nullum habent debitum Diuinum Officium perſoluendi. Signum autem ponit Azor. ſupra dignoſcendi, quænam ſit Capellania ſacra & Collatiua; quæ verò laica, & non Collatiua; quod tale eſt; Si Capellania fuerit ab initio erecta ex bonis laicorum, auctoritate tamen Epiſcopi, vel ſaltem temporis lapſu ſpatio annorum 40. bis aut ter ab eo collata, vel ſi Epiſcopus præſentatum à laico clericum eodem interuallo in ea inſtituerit, habenda erit Collatiua, & proinde Beneficium Eccleſiaſticum: Sin verò fundator laicus eam inſtituerit ex ſuis reditibus, & alicui clerico aſſignet, & reliqui poſtea, qui ei in ius illud ſuccedunt, eodem pacto clericum eligant ſine Epiſcopi poteſtate, habebitur &

14. *Qua ratione dignoſcatur collatiua à non collatiua Capellania.*

erit

erit Capellania profana, & minimè Collatiua. Vide plura apud Suarez ſuprà c. 22, n. 12.

15. *An habens Capellaniam, cui per ætatem ſeruire non poteſt ad Horas obligetur.* Mouet ibidem ipſe dubium, An videlicet talis Capellania conceſſa prouiſione Epiſcopi adoleſcenti à patrono laico oblato, qui nondum capax eſt ſacerdotij ob ætatem, & proinde Miſſas, ad quas ex fundatione Beneficij obligatur, exoluere per ſe nō poteſt, ſed per alium id præſtat, teneatur nihilominus officium Canonicum recitare. Cui ego addo (vnde maior exſurgit dubitandi ratio) ſæpenumero beneficiolum Capellaniæ adeo eſſe tenue, vt præter ſtipendium quod adoleſcens Sacerdoti Miſſas exoluenti tribuit, vix aliquid ſuperſit ad victum.

16. *Reſponſio eſt, talem omnino teneri.* Et ad prius quidem reſpondeo affirmatiuè, cùm Diuini Officij recitatio onus ſit perſonale, & per alterum impleri non poſſit, ſicut Miſſarum celebratio: cui accedit nullam cauſam excuſantem occurrere, quâ ab Horis legendis eximatur: Suppono enim Capellaniam ſatis lautam eſſe, quæ præter ſtipendium, quod Sacerdoti perſoluitur, aliquam etiam notabilem alimentorum portionem adoleſcenti miniſtret. Denique adoleſcens ille Beneficiarius eſt, non verò ſacerdos, qui ipſius vice Miſſas dicendas ſuſcepit. Ergo non huic, ſed illi onus incumbit Horas perſoluendi ratione Capellaniæ. Ita Syluester V. *Hora* q. 2. §. 3. vbi alios citat, Fumus eodem n. 3. & alij. Idem dicendum de clerico ratione ſtudiorum vel alia de cauſa abſente à ſua Eccleſia, & per ſubſtitutum ſeruitium præſtante: talis enim priuatim Horas legere tenetur.

17. *Si rigorem iuris ſequamur, etiam tenebitur adoleſcens, cui præter ſtipendium, quod ſacerdoti pro miſſis exſoluendis tribuit vix aliquid ſupereſt.* Ad poſterius verò dubium dicendum, ſi communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam rigoremque Iuris ſpectemus; omnino teneri huiuſmodi adoleſcentem ad Horarum recitationem, cùm per ipſum, id eſt, ipſius incapacitatem ſtet, quo minùs integros ſui Beneficij prouentus recipiat, & Eccleſia Officio Canonico precum fraudari non debeat, quod voluit eſſe primum omniū Beneficiariorum miniſterium. Ipſe autem Beneficiarius eſt, non verò Sacerdos ille qui ipſius vices obit ſacrificia ſtata perſoluendo. Videri poſſunt Azor. ſuprà c. 4. q. 8. Suarez c. 20. n. 13. & 14. Leſſius 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 31. num. 172. Si verò *interpretatione* & æquitate quadam vtamur,

18. *Probabile tamen eſt huiuſmodi excuſari per Epiſcopum ne quotidie horas legat.* probabiliter dici poterit adoleſcentem huiuſmodi, qui nihil vel perparum ex Beneficiolo ſuo recipit præter ſtipendium ſacerdoti dandum, dum in ſtudijs verſatur, excuſari poſſe, ne quotidie Horas recitet. Sufficiet enim Dominicis feſtiſque diebus illas legere. Ita quidam Doctores hoc tempore, & propendet Syluester V. *Hora* q. 2. §. 3. Vbi, licet fateatur primam opinionem eſſe tutiorem; dicit tamen fortè poſſe alteram eſſe veram, ſi nullam vtilitatem pro tunc reciperet ex Beneficio, & clariùs Angelus V. *Hora* num. 4. probans aliorum hoc ſentientium opinionem, & Ioannes Andreas, in C. *Eleutherius* diſt. 91. q. 6. dicit conſentaneum eſſe rationi, ſi Eccleſia tales eximeret à lege Horarum, quod etiam aſſerit Panormitanus in c. 1. de Celebratione Miſſarum.

19. Petes tertiò. An is qui accipit Beneficium non in proprietatem ſiue titulum, ſed ſolùm in cuſtodiam vel Commendam Horarum Canonicarum lege teneatur?

20. *Habens beneficium in commendam, ad horas obligatur.* Reſpondeo cum Medina cod. de Orat. q. 7. quem ſequitur Nauarrus ſuprà cap. 20. num. 16. & alij, omnino aſtringi commendatarium ſiue Beneficium in perpetuum ſiue ad tempus tantùm ei fuerit Commendatum; & ratio eſt, quia licet talis non habeat Titulum Beneficij, quo iure proprietatis illud poſſideat; habet tamen titu-

Digitized by Google

lum Canonicum (ſi quidem Gloſſa communiter recepta in C. *Nemo*, de Electione, & Electi poteſtate in 6. Commendam vocat Titulum canonicum) ratione cuius plenam Beneficij tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus habet adminiſtrationem (nam de tali Commenda hîc eſt ſermo) & fructus percipere poteſt, quod abundè ſufficit, vt ad penſum Horarium teneatur.

21. *Tenetur etiam habens vicariam perpetuam vel temporariam alicuius beneficij.* Idem dicendum de omnibus alijs, quibus à Pontifice vel Ordinario committitur tota alicuius Beneficij vel Eccleſiæ adminiſtratio in perpetuum vel ad tempus tantum, hoc eſt, ſiue ſit Vicaria perpetua, quæ eſt Beneficium propriè dictum, ſiue temporaria; quia eadem ratio ibi locum habet. Nullus enim alius tunc Beneficium adminiſtrat, & Eccleſia immeritò quotidiano precum obſequio careret. Sic vacante Beneficio cum cura, vicarius ab ordinario conſtitutus, in onus totum etiam Horas recitandi ſuccedit.

22. *Non obligatur autem vicarius à Parocho conſtitutus vel Coadiutor ad eodem aſſumptus.* Quòd ſi in abſentia Beneficiarius ipſe, vel parochus vicario parochiam ſuam committat, vel commendet ad tempus aliquod; tunc non vicarius, ſed ipſe ad Horarium penſum ratione Beneficij obligatur, vt per ſe patet. Idem militat in Coadiutore, quem parochus ſibi adſciſcit, vt ab eo iuuetur in ſacramentorum adminiſtratione & ſimilibus, aſſignato honeſto ſtipendio: tunc enim non Coadiutor, ſed parochus ratione Beneficij ad Horas Canonicas obligatur. Vt rectè Nauarrus ſuprà cap. 20 n. 17.

Petes quartò, An Beneficium regulare quod communiter Manuale vocatur, eò quòd à manu præſidis pendeat, & eius nutu auferri poſſit, hanc obligationem Horas legendi inducat?

Reſpondetur affirmatiuè, quia communis D. Doctorum ſententia eſt, Manuale Beneficium eſſe propriè Beneficium; quamuis enim reſpectu Beneficiarij & ſubditi ſit reuocabile ad nutum conferentis; ex natura tamen & inſtitutione ſua tribuit ius perpetuum fructus percipiendi, alicui ſaltem regulari, vt traditur in materia de Beneficijs. Cùm ergo naturam induat Beneficij propriè dicti, conſequenter ſecum etiam Officium annexum in poſſidentem transferet. 24. *Etiam beneficium Regulare habet obligationem habet.*

Petes quintò, An Coadiutor Epiſcopi, parochi, Canonici, Abbatis ratione Coadiutoriæ ſubeat onus preces canonicas recitandi. Voco autem hîc Coadiutorem, qui vices ſupplet principalis ſeu Coadiuti in Officij adminiſtratione, cum iure ad ſucceſſionem in ipſius Beneficium. 25. *Quid ſit Coadiutor.*

Reſpondeo, cum Nauarro ſuprà c. 20. num. 18. Coadiutorem numquam obligari ad Horas ratione Beneficij (licet poſſit teneri ratione pacti) nec hoc tempore ad priuatim ſupplendum pro altero Officium Canonicum inſtitui, vt docet praxis. Et ratio eſt, quia Coadiutor nullum beneficium accipit vel in Titulum vel in Commendam, ſed ſolùm ius ad rem, ſcilicet ad Beneficium morte Coadiuti vacaturum; ſolùm autem ius in re reſpectu ſuæ Coadiutoriæ, ratione cuius poteſt illius accipere poſſeſſionem. Deinde non poſſunt duo obligari ad Horas recitandum, ex vno Beneficio; Cùm ergo hic principalis teneatur ratione Beneficij, quod poſſidet, non tenebitur ſubrogatus & Coadiutor: & quamuis hic etiam vice Coadiuti illud perſolueret, non proptereà alter obligatione liberaretur, cùm ſit onus perſonale, ſicut Miſſæ auditio & ieiunij obſeruatio. Et certè Suarez ſuprà cap. 22. num. 19. dicit id declaratum à S. D. N. Paulo V. in quodam breui anni 1606. ſcripto ad Eccleſiam Cathedralem Conimbricenſem, in quo definit Coadiutores 26. *Coadiutor Epiſcopi Abbatis non tenetur.*

Cano-

Digitized by Google

Canonicorum non eſſe verè Canonicos, nec pro talibus habendos viuentibus Coadiutis: Atqui eadem ratio eſt de Coadiutoribus aliorum Beneficiariorum. Ergo Coadiutores non ſunt propriè Beneficiati.

27. *Non obſtat quòd Coadiutor portionem beneficij Coadiuti ſuſcipiat.* Nec refert, quòd portionem fructuum congruam ſuſtentationi neceſſariæ ex Beneficio Coadiutor ſuſcipiat, quia illam ſolùm habet tanquam ſtipendium, ſicut accipit Capellanus aliquis exonerans alterum celebrandi ſacrum obligatione, vel parochum in officio adiuuans; Quod ſi Penſionem ex Beneficio recipiat, tunc ad Horas D. Virginis ex Bulla Pij V. recitandas tenebitur, vt per ſe patet.

CAPVT V.

An qui plura habet Beneficia ſæpius etiam Diuinum Officium in die ſoluere obligetur.

1. *Quid Nauarrus doceat de hoc dubio.* MOuet hoc dubium Nauarrus in ſuis Miſcellan'js de Orat. Miſcel. 60. & duo circa illud tradit. Primum, non eſſe ita euidentem partem negantem huius dubij, quin in contrarium multa occurrant argumenta. Ideoque eos qui legitimè plura Beneficia poſſident, debere conari ad ſupplendum deuotione ſua, id, quod iteratio adderet. Ita ipſe n. 1. & 10. Docet ſecundò, nullo modo excuſari habentem plura Beneficia à recitando pluries quolibet die Horas, ſi ea non habet iuſtè, vel habet plura quàm vnum, quod ad honeſtam ſuſtentationem ſit ſufficiens. Ita docet num. 10. & 15. Vnde numquam ſenſit habentem plura Beneficia iuſtè, teneri ad pluries Horas recitandum. Abſolutè tamen & generatim teneri Beneficiarios pluribus Beneficijs, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè oneratos, ſæpiùs recitare, docuerunt Guilielmus Pariſienſis tract. de Collat. Benefic. & Dionyſius Carthuſianus Opuſculo contra pluralitatem Beneficiorum a. 1. 2. *Quid alij quidam DD. cenſeant.*

Aſſertio. Beneficiarius abſolutè loquendo, obligationi plurium beneficiorum ſatiſfacit, ſemel quot diebus diuinum officium perſoluendo. 3. *Plura poſſidens beneficia ſemel quotidie horas legens ſatisfacit.*

Eſt certa, & communi Eccleſiæ conſuetudine recepta, eamque tradunt cum D. Thoma quodlib. 1. art 13. Theologi & Canoniſtæ paſſim.

Conſuetudo Eccleſiæ fundatur in ratione petita ab inſtitutione Horarum Canonicarum, ad quas quidem obligari voluit Eccleſia Beneficiarios, non tamen vſquam expreſſit plura habentes Beneficia, pluries etiam debere recitare; & meritò: certum eſt enim apud Theologos opere vel officio vno exhibito poſſe pluribus titulis vel rationibus obligantibus ſatisfieri. Sic audiendo vnum ſacrum die Dominico, in quem feſtum aliquod ex præcepto ſeruandum incurrit, Eccleſiæ ſatisfacimus, & vnico ieiunio pluribus obligationibus voti, vigiliæ, quatuor temporum in eumdem diem incidentibus; & in materia noſtra, Religioſus in ſacris habens Beneficium regulare ſemel legens Diuinum Officium implet diuerſa Eccleſiæ præcepta, quibus tenentur Religioſi profeſſi, in ſacris ordinibus conſtituti, & Beneficiarij ad Horas Canonicas. 4. *Ratio hoc oſtendit.*

Solùm refellenda argumenta quæ partem affirmantem ſtatuere videntur, & habentur apud Nauarrum ſuprà, num. 2. & ſequent. Stephanum Durantum lib. 3. de Ri, cap. 22. num. 9. Turrecremata c. 1. diſt. 91. q. 13. & alios. 5. *Argumenta in contrarium.*

6. Primum, Qui ſentit commodum, debet etiam ſentire onus, iuxta Regulam Iuris. *Qui ſentit*, de Regulis Iuris in 6. Atqui hic percipit duplex com-

commodum : ergo.

7\. Secundum, Beneficium datur propter officium, C. vltimo de Reſcriptis in 6. Ergo qui poſſidet duplex Beneficium, tenetur ad duplex Officium.

8\. Tertium, Qui duobus creditoribus dena deberet, non ſatisfaceret ſi ambobus tantùm decem ſolueret; Ergo nec hic qui duabus Eccleſijs tantum vnum officium perſoluit.

9\. Quartum, Qui duo ſacella acciperet, quibus ſingulas Miſſas quotidie dicendi onus eſſet annexum, non ſatisfaceret dicendo vnam tantùm. Ergo neque qui duo Beneficia, quorum cuilibet eſt iniunctum onus dicendi Horas Canonicas ſatisfacit dicendo vnas tantùm.

10\. Quintum, Qui voto vel pœnitentiâ tenetur ad dicendas Horas Canonicas vltra debitas ratione Ordinis vel Beneficij, non ſatisfaceret illas dicendo ſemel in die, ſecundum omnium mentem, inquit Nauarrus. Ergo neque qui eas debet ratione duorum Beneficiorum.

11\. *Regula illa Iuris, Qui ſentit commodum, debet ſentire onus non ſemper eſt vera.*

Ad primum reſpondeo. Cum Gloſſa in Regulam illam 55. Iuris: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra;* Regulam illam ordinariè veram eſſe. *Non enim ferendus eſt qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat*, Cod. de caduca tol. lege vnica §. *pro ſecundo*, in fine; fallere tamen interdum ratione ætatis vel perſonæ, interdum ratione naturæ contractuum, interdum ex ſpeciali pacto. Fallit hîc ex duplici capite, Primo, ratione Eccleſiæ inſtituentis & onus Horarum imponentis, cuius illa mens eſt, vt duplex poſſidens Beneficium poſſit vnica recitatione ſatisfacere. Secundò, ratione ipſius oneris quod eiuſmodi eſt, vt quis illud ſubiens impleat vna vice plura præcepta.

12\. *Officium quoddam ex ſua inſtitutione aliquando debet repeti à beneficiario, aliquando non.*

Ad ſecundum reſpondeo. Axioma illud Iuris, *Beneficium datur propter Officium*, generatim eſſe intelligendum, de quolibet Officio, ad quod Beneficiarius obligatur. Inter Officia autem Eccleſiaſtica quædam ſunt, quæ ex natura vel inſtitutione ſua ſæpiùs repeti debent, vnde ſi commodè non poſſint ab eadem perſona obiri, diuerſis ſunt committenda. Et ſi Beneficium detur propter huiuſmodi officium, qui duplex ſortietur, ad duplex quoque officium obligabitur, vel ſi ſatisfacere non poſſit vtrique, vnum beneficium erit reſignandum. Alia verò ſunt Officia, quæ ex natura ſua hoc non requirunt, vt videlicet neceſſariò iterari debeant, & tale eſt Horarum recitatio, cui ſatisfacit quis ſemel legendo, quamuis plura habeat Beneficia.

13\. *Diſcrimen magnum eſt inter ſolutionem rei temporalis, & ſpiritualis.*

Ad tertium reſpondeo. Argumentum illud de Creditoribus ſimile non eſſe, quia ex natura rei temporalis non poſſum duobus creditoribus, quorum vtrique diuiſim decem debeo, ſatisfacere tantum decem vni, vel cuilibet quinque ſoluendo, quia ſic vel vnum vel vtrumque defraudo, niſi fortè fuerint Correi credendi, id eſt, quibus idem in ſolidum debeatur ex vna eademque cauſa principali. Aliud longè eſt in Officio ſpirituali, quale eſt precatio canonica, quæ ex natura materiæ in ſolidum perſoluitur pro pluribus particularibus Eccleſijs, & ſecundum probabilem ſententiam, tantum valet pro pluribus quantum valeret ſi funderetur pro ſingulis, quoad vim impetrandi, quod maximè verum eſt, ſi quis intentionem, deuotionemque ſuam in particulari ad plures extendat. Quidquid ſit de hac opinione, certum eſt orationem illam cùm publica ſit, & nomine Eccleſiæ Chriſti cariſſimæ ſponſæ fundatur, eſſe maximæ efficaciæ ad impetrandum, vt per illam poſſit pluribus Eccleſijs particularibus ſatisfieri.

Nota tantùm ex Medina Cod. de ſatisfac. quæſt. 4. Magnam eſſe differentiam

14. *Differentia inter debita iuſtitiæ & legalia.* rentiam inter realia iuſtitiæ commutatiuæ debita & legalia, vt legis, voti, pœnitentiæ iniunctæ: quod in illis æqualitas rei ad rem attendatur, & ideo nequit vna ſolutione pluribus debitis ſatisfieri: hæc autem ex legiſlatoris intentione pendent: Intentio verò legis, voti, & pœnitentiæ poſſunt in vnum & idem opus tendere.

15. *Diſpar ratio miſſarum ad quas dicendas quis obligatur, & Horarum Canonicarum.* Ad quartum reſpondeo, diſparem eſſe rationem Miſſarum ad quas dicendas quis obligatur ratione duarum Capellaniarum, & Horarum Canonicarum: quia in priori vnica celebratione non poteſt quis plures Miſſas exſoluere: pendet enim hoc ex ipſa inſtitutione iſtorum Beneficiorum, vt vna actione non poſſit quis pluribus obligationibus ſatisfacere; in poſteriori verò, talis eſt recitatio officij Canonici, vt ſemel quis recitans plures præcepti vel debiti rationes impleat.

16. *Differentia inter obligationem prouenientem ex voto, & prouenientem ratione beneficij duplicis, reſpectu Horarum Canonicarum.* Ad poſtremum reſpondeo primò, negando conſequentiam, quia qui tenetur legere Horas ratione ſimul Beneficij vel Ordinis, & ratione voti, vel pœnitentiæ, tenetur ad illas duplici titulo, videlicet, ratione præcepti Eccleſiæ, & præterea ratione voti, &c. Quæ ordinariè ſunt de opere aliàs indebito; qui verò ratione duplicis Beneficij ſolùm tenetur ex vi præcepti Eccleſiæ, ſed duplici ratione, cui tamen ſatisfieri poteſt vnâ recitatione, quamuis aliàs debita. Si enim quis Sacerdos poſteà beneficium obtinens ſatisfacit ſemel legendo Horas, cur non ſatisfaciet habens duo Beneficia?

17. *Vouens vel pœnitentiã iniungens non ſemper vel aſſumit vel imponit opus aliàs indebitum.* Reſpondeo ſecundò, antecedens non eſt ita certum ſecundum omnium mentem, vt putat Nauarrus. Quamuis enim ordinariè ſacerdos pœnitentiam imponens, vel aliquis opus bonum vouens, niſi aliud ex mente confeſſarij vel vouentis colligatur, opus aliàs indebitum, ſeu voluntarium iniungat, vel aſſumat; Quando tamen ex circumſtantijs crederetur confeſſarium noluiſſe multum grauare pœnitentem, vel vouentem ſe ipſum, præſumi meritò poterit vtrumque intellexiſſe de opere aliàs præcepto vel debito. Vnde ſi confeſſarius alicui ſacerdoti ſæpius culpabiliter Horas omittenti iniungeret pro pœnitentia Horarum aliquo die recitationem præſumi poterit illum intellexiſſe de penſo debito ratione ſacerdotij, vt hac ratione ſacerdotem negligentem ad obſeruationem præcepti Eccleſiaſtici ſuauiùs induceret. Pari modo ſi quis ſæpiùs ſolitus Horas negligere, ad quas ratione Ordinis tenetur, voueret Deo, ſe impoſterum eas ſemper lecturum, cenſeretur ſolùm votum ſuum extendiſſe ad Horas titulo Ordinis debitas. Idem dicendum de eo, qui antea habens votum ſingulis diebus Horas Canonicas legendi, poſteà ſuſcipit Ordines ſacros vel Beneficium. Is enim & voto, & præcepto Eccleſiæ ſemel dumtaxat recitando ſatisfaciet, quia præceptum Eccleſiæ per opus alio titulo debitum impleri poteſt, vt conſtat. In dubio autem tam Votum, quàm Sacramentalis pœnitentia intelligitur de opere non debito.

CAPVT VI.

An onus Horas Canonicas ſoluendi imponemdum ſit eis, qui ſacerdotium poſſident cùm exiguo vectigali.

1. *Communis ſententia eſt huiuſmodi ad horas tenerí.* COmmunis ſententia Doctorum præſertim Pontificij Iuris, eſt, huiuſmodi Beneficiarijs onus iſtud incumbere, vt videre eſt apud Nauarrum Enchir. de Horis Canonicis cap. 7. num. 27. & cap. 21. num. 11. Durantum lib. 3. de Rit. cap. 22. num. 10. Sua-

Digitized by Google

10. Suarez lib. 4. de Orat. cap. 21. n. 4. & alios.

2. *Probatur ex Iure.* Probatur primò ex cap. *Clericus victum*, diſt. 91. vbi dicitur: *Clericus victum & veſtitum ſibi artificiolo vel agricultura abſque Officij ſui dumtaxat detrimento paret.* Loquitur autem manifeſtè de Clerico Beneficiario, vt & alij canones eiuſdem Diſtinctionis; & ſupponit illum ex ſuo Beneficio non recipere ſufficientem ſuſtentationem, & ita explicat Gloſſa ſingularis ab omnibus recepta in C. citatum, & probat, tum quia clerici exiguum acceptantes ab Eccleſia Beneficium, præiudicium ſibi fecerunt, quando permiſerunt ſe promoueri ab tam tenuem Eccleſiam; tum quia ſicut vir tenetur alere vxorem, quæ tamen ei debitum reddere non valet, ita iſti officiarii Eccleſiam, licet pauper ſit, & dicere cum Apoſtolo ad Philip. 4. *Scio ſatiari & eſurire, abundare, & penuriam pati*: & Actor. 20. *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ.* Neque iuxta eandem Gloſſam refert an Beneficium quando acceptatum fuit, tenuem prouentum reddiderit, an verò initio lautum, poſtea decreuerit.

3. *Probatur ratione ex Iure ſumpta.* Probatur ſecundò, quia poſſidens Beneficium quantumuis exiguum, poſſidet verum beneficium, C. *Conquerente*, de Clerico non Reſidente: C. *Si motu proprio*: & C. *non poteſt*, de Præbendis: C. *Si proponente*, de Reſcriptis, & conſequenter gaudet omnibus priuilegijs & honoribus, quibus alij ditiores ſui gradus beneficiarij, ergo & ad idem etiam officium præſtandum tenetur.

4. *Altera ratio.* Probatur tertiò, Ratio præcipua, propter quam Beneficiarius ad Officium Canonicum obligatur, non eſt annui cenſus ex bonis Eccleſiæ receptio; ſed titulus beneficij, quod inde conſtat, quia multi, alij vitæ neceſſaria ab Eccleſia ſumunt, qui tamen preces Horarias ſoluere non tenentur, vt ſunt Ludimagiſtri, qui vt iuuentutem literis imbuant præbendæ alicuius fructus annuatim colligunt c. 1. de Magiſtris, & ſic de ceteris.

Probatur 4. beneficiarius ob quodlibet beneficium quantumuis exiguum, deſtinatur ab Eccleſia ad Deum laudandum & orandum pro populo, à quo ſaltem aliquid emolumenti percipit, ſicut clerici in ſacris ad ſimile officium deputantur, quamuis ex ſuo patrimonio viuant, & nihil fructuum ab Eccleſia capiant. Ergo. 5. *Quarta ratio.*

Probatur 5. quia in exhibendo officio ſpirituali non eſt habenda ratio Iuſtitiæ commutatiuæ ad ſtipendium, quaſi debeat ſpectari æqualitas inter officium ſpirituale, & ſtipendium, quia alioqui ſpirituale pretio æſtimaretur & Simonia committeretur accipiendo ſtipendium pro labore intrinſecè neceſſario ad obeundum officium ſpirituale, Ergo. 6. *Quinta ratio.*

Denique nullus Canon tales Clericos excuſat; quin imò ex pleriſque decretis Eccleſiæ oppoſitum planè colligitur. 7. *Poſtrema ratio.*

Cæterùm ſunt plures viri docti & pij qui docent eum, qui Beneficium poſſidet exiguos prouentus annuos reddens, à recitatione officij excuſari. vt videre eſt apud Nauarrum ſup. c. 7. n. 27. Azor. ſup. c. 3. q. 3. & Leſſium l. 2. de Iuſtitia c. 34. dub. 31. Ita inter primos tenuit Sotus l. 10. de Iuſtitia q. 5. a. 3. Cuius hæc ſunt verba: *Excuſatur Beneficiarius cuius beneficium eſt tenuiſſimum, ita vt ſaltem non attingat ſummam octo aureorum. Nam beneficium tale ex natura ſua non obligat, parum enim pro nihilo reputatur. Quod ſi pauperi clerico ſit bona pars ſuſtentationis, non omnino poſſidẽs excuſatur, ſed pendet hoc ex iudicio prudentum.* Hæc Sotus, quem ſequitur Petrus Arragonius 2. 2. q. 83. a. 12. & alij recentiores, qui etiam plus requirunt, 8. *Multi Doctores eximuntur poſſidentes tenue beneficium à recitatione horarum.*

runt, v. g. quindecim vel ſexdecim aureos, ita vt ſuppeditet ſaltem bonam aliquam partem tenuis ſuſtentationis, vt ad quotidianum penſum Horarum obligetur. Imò quidam etiam laxiùs loquuntur, neceſſarium videlicet eſſe vt quis abſolutè teneatur, vt beneficium ipſius ſit ſufficiens ad vitam ſuſtentandam, quod tamen apud nullum legere memini.

9. *Rationes pro hac ſententia.*

Confirmatur hæc opinio his rationibus. Primò, quia parum pro nihilo reputatur, videturque tenue beneficium pro nullo habendum, ſi ſpectes præceptum Horas recitandi.

Secundò, qui ex ſuo beneficio nullos per ſe, vel per alium fructus percipit aut percipere poteſt, ad nihil ſecundum omnes tenetur. Ergo qui exiguum percipit ad partem ſolum, non ad totum tenebitur.

Tertiò, Qui altari deſeruit, de altari viuere debet, prioris ad Corinth. 9. Atqui talis clericus Eccleſiæ deſeruit, Ergo de Eccleſiæ bonis viuere debet: vt autem cenſeatur moraliter ſic viuere, debet ſaltem aliquam mediocrem victus portiunculam accipere.

Quartò, Quia, vt ſuprà vidimus, plura habens beneficia etiam copioſa & & ampla non tenetur niſi ſemel Horas recitare, quamuis etiam tria millia aureorum capiat. Ergo rationabile non eſt, vt quis tantumdem oneris ſuſtineat, qui ſolùm quatuor vel ſex aureos.

Quinto, Beneficium tenue in Iure habetur pro non beneficio, vt conſtat ex C. *Is cui*, de Præbendis in 6. vbi Bonifacius Papa definit, quòd is, cui ſit poteſtas conferendi beneficia perſonis idoneis, non poteſt illa conferre ijs qui beneficia ad decentiam vitæ ſufficientia poſſident, non habentibus verò huiuſmodi poſſit conferre, quo ſignificatur non habere beneficium qui non habet ſufficiens.

Concluſio. Etſi prior ſententia ſit longè Iuri conformior, receptior, tutior & probabilior; poſterior tamen rationabilis eſt, & per quandam decentiam, & ἐπιείκειαν introducta; & propter DD. qui illam tradunt in praxi probabilis. Non enim videtur mens Eccleſiæ eſſe vt ad tantum obligetur, is, qui ſex aureos ex beneficio recepit, atque is quiſexcentos; Eſt tamen nonnihil quoad praxim explicanda & reſtringenda. Vnde

10. *Prior ſententia probabilior eſt, poſterior tamen etiam in praxi eſt probabilis.*

Nota primò, probabile videri beneficiarium non teneri ad quotidianum Horarum penſum, ſi beneficium non præſtet, ſaltem bonam aliquam partem tenuis ſuſtentationis, v. g. quartam vel tertiam: & ratio eſt, quia quidquid aliqui dixerint, quotidiana pſalmodia onus eſt valde graue: Ergo meritò ſuſtentationis ſaltem mediocris, aliquod ei reſpondere debet ſtipendium: Vnde qui ſolùm recipit viginti quinque florenos, ſatisfaciet Canonicum Officium feſtis Dominiciſque diebus legendo: Non enim attingit ſumma illa quartam partem mediocris ſuſtentationis, vt quotidie teneatur; quia tamen aliquid ab Eccleſia recipit, æquum eſt vt aliquod etiam obſequium Eccleſiæ reddat.

11. *Probabile non teneri beneficiarium ad quotidianum penſum horarum, ſi beneficium non præſtet, ſaltem 3. vel 4. partem tenuis ſuſtentationis.*

Nota ſecundò, ſententiam Soti, & aliorum exponendam de beneficio quod à principio fuit tenue & modicum, non verò de illo, quod ab initio pingue & opulentum, poſteà caſu aliquo ad tenuiores prouentus redactum fuit. Qui enim perſenſit commodum, debet & ſentire incommodum, & quilibet æquus rerum arbiter, vtriuſque fortunæ vices cuilibet beneficiario iure ferendas iudicauerit, vnde rectè aduertit Suarez, beneficiarium meritò pati debere pericula ordinaria, & moralia, quibus ipſius fructus ſubijciuntur; vnde non propterea excuſandus erit à lectione Horarum, ſi fur eum bonis ſpoliauerit, vel ſegetes exuſſerit, vel a-

12. *Intelligitur tamen hæc ſententia de beneficio quod ab initio fuit tenue.*

ger ſterilis aliqua tempeſtate effectus fuerit; ſicut enim ab alijs officijs per iſta infortunia non eximeretur, ſic neque per eadem à lectione precum liberandus erit. Vide illum cap. 20. n. 15.

13. *Qui hanc ſententiam extendunt ad beneficiarium non habentem totam ſuſtentationem ex beneficio non loquuntur probabiliter.*

Nota tertiò, quorumdam Doctorum ſententiam, Soti opinionem ad beneficiarium non habentem totam ſuſtentationem ex beneficio extendentium, non videri mihi probabilem ac practicè ſecuram. Non enim debet Beneficium totum victum & amictum clerico ſuppeditare, cùm præſertim lectio Horarum vix duas horas diei requirat, vt commodè recitentur. Non ergo conqueri de Eccleſia vt nouerca poterit, quod non totum victum ab illa ſumat, cùm eius ſeruitio ſolùm quot diebus vnam & alteram horam impendat.

14. *Sententia hæc maximè locum habet in ijs, quibus aliud officium ratione beneficij debitum incumbit.*

Nota quartò, Soti opinionem multò magis habere locum in Beneficiarijs illis, quibus præter Horarum recitationem aliud ſeruitium Eccleſiæ impendendum incumbit; cui ſi fructus, qui ex Beneficio colliguntur, ex æquitate quoad tertiam vel quartam partem ſuſtentationis commenſurentur, prorſus nihil prouentuum relinquatur quod ſeruitio recitationis Horarum reſpondeat. Tunc enim tales ab Officij Diuini lectione meritò excuſabuntur, vt rectè Suarez ſuprà, num. 11. quia talia Beneficia reſpectu recitationis Horarum reputari poſſunt pro non Beneficijs.

CAPVT VII.

An nullos fructus ex bonis Eccleſiaſticis Beneficiarius recipiens nihilominus ad Officium Canonicum obligetur.

Video conſtare inter Doctores, Beneficiarios, qui ex Beneficio ſuo nullos fructus, nec per ſe, nec per alium recipiunt, nec recepturi ſunt, neque per illos ſtat quo minùs ijs fruantur, liberos eſſe ab onere preces Horarias perſoluendi. Nec hoc mirum cenſeri debet, cùm hæc obligatio non aliter oriatur ex Beneficio, niſi cum ordine ad fructuum perceptionem. Hi autem Beneficiarij ita ſe habent moraliter atque ſi beneficio carerent, cum illis ablata ſit facultas prouentum aliquem ex bonis Eccleſiæ colligendi, vt contingere ſolet in prouincijs hæreſi infectis, vbi hæretici Eccleſiæ reditus inuaſerunt. Ita Paludanus in 4.d. 15.q. 5. n. 13. Turrecremata in Can. 1. d. 91. q. 14. Nauarrus in Enchir. de Horis cap. 7. num. 28. & alij paſſim. 1.

Conſtat beneficiarios qui nullos fructus recipiunt vel recepturi ſunt, neque per eos ſtat quo minus recipiant, ad nihil legendum obligari.

Dictum autem eſt ſignanter *per ſe* vel *per alium* ob multos iuuenes, quorum parentes ipſorum nomine percipiunt. Dixi *nullos*, quia ſi ſaltem diſtributiones quotidianas caperent, ad id tenerentur iuxta eoſdem DD. Addidi *nec recepturi ſunt*; ſi enim litigarent de Beneficio, & ſperarent ſe in lite fore ſuperiores, quoniam ius habent ad Beneficium; tenerentur perſoluere penſum Horarum: tunc enim fructus iudicis auctoritate deponuntur apud aliquem ſequeſtrum, ipſiſque debentur, in ipſorum commodum lata ſententia à die conteſtatæ litis ceſſuri; quod etiam locum habet, etiamſi aduerſarius, & collitigator eos recepiſſet, quia tunc illos reſtituere compelletur. Addit Azor. ſuprà cap. 4. q. 9. eum qui poſſeſſionem habet cum titulo colorato in foro exteriori, teneri; in dubio autem recipiendorum fructuum videtur ſecundum Suarez ſupra cap. 20. num. 14. pacificus beneficij poſſeſſor teneri ad recitandum. Adiunctum eſt poſtremò: *Nec per illos ſtat, quo minùs recipiant*, quia ſi culpâ ſuâ poſſeſſionem Beneficij non habeant, aut eâ aditâ in loco funda- 2.

Explicatur concluſio.

ti

ti Beneficij non reſideant, ex negligentia, aut ob crimen aliquod commiſſum aut cenſuram fructibus priuentur, non excuſabuntur ab Horarum lectione.

3. Controuertitur iam primò, An Canonicus lege Horas recitandi ſoluatur, eò quòd fructus Beneficij primo anno, quo ſtadium facit, vel etiam pluribus, reſeruantur fabricæ templi, vel mortuo deceſſori, vel in aliquem alium vſum pium impenduntur, idque ex vſu vel priuilegio illius Eccleſiæ, in qua reſidet, & ſic nullum ex Beneficio pro tunc emolumentum capit.

4. *Canonicus primis annis ex beneficio ſuo nihil fructuum recipiens, ad horas tenetur.*

Reſpondeo cum Nauarro ſuprà cap. 7. nu. 30. talem canonicum minimè ſolui lege preces Horarias perſoluendi; tum quia Beneficium tranſit cum ſuo onere in eum in quem confertur, quod onus ſponte aſſumpſit, cùm Beneficij collationem acceptauit; tum quia illos poſt mortem ſuam recipiet; tum quia cum alijs ſuccedit in onus templi fabricam ſartam tectamque conſeruandi, cuius portio canonicorum bonis fuit permixta. Adde his, deberi ei dimidiam partem fructuum, prout habetur in Extrauaganti Ioannis XII. quæ incipit: *Suſcepti regiminis.* inter Extrauagantes communes tit. Ne ſede vacante C. vnico, & inter Extrauagantes Ioannis XII. tit. de Electione & Electi poteſtate: Et etiã ante eam poterat Eccleſiæ ſuæ deſeruire, & ſuſtentationem vicario debitam percipere.

5. Sed, quid dicendum ſi ſtatuto, vel conſuetudine, vel priuilegio quarumdam Eccleſiarum introductum ſit, etiam accedente Romani Pontificis confirmatione, vt Beneficiarius ſtadium faciens, hoc eſt, primo ſuæ reſidentiæ anno, vel etiam vlteriùs nihil prorſus fructuum recipiat, etiamſi paratus ſit Eccleſiæ ſeruire, ſed totum cedat in vſum fabricæ, vel alios pios, vel Canonicis ſenioribus.

Reſpondet Nauarrus huiuſmodi morem abrogatum fuiſſe per Extrauagantem Pij V. quæ incipit: *Dudum* (ſed legendum eſt, *Durum*) editam an. 1570. eſtque conſtitutio centeſima ſexta Pij V. Sed quia aliquæ Eccleſiæ eam nec receperunt, nec recipere volunt, Credo, inquit, nouum Canonicum excuſari à recitando, etiamſi iure deberentur ei dimidiati fructus: quia cùm non poſſit eos ſine impenſa fructibus maiore, & lite moleſtiſſima cõtra Eccleſiam ſuam exigere, ſatis videtur non poſſe eos recipere. Aliter reſpondet Suarez ſuprà c. 20. nu. 8. ſcilicet talem nouum Canonicum, ſi ex conſuetudine præſcripta & honeſta (quod fortè interdum fieri poteſt) fructus Beneficij inter alios Canonicos diuidantur omnino debere recitare, quia licet iam patiatur incommodum & grauamen; poſteà tamen ex nouis accedentibus Canonicis commodum & leuamen æquale percipiet, partem fructuũ ex eorum Beneficijs colligens. Quòd ſi ex conſuetudine iniqua (vt in ſpeciẽ ferè ſẽper eſſe videtur) huiuſmodi Beneficij fructus alijs Canonicis accedant, ſitque huiuſmodi exactio, & retentio fructuum iniuſta, tunc ex illo capite ad recitandum non tenebitur, cum huiuſmodi expectato emolumento, vtpote iniuſto, tutâ conſcientiâ frui non poſſit, nec damnum prius eo compenſare. Vnde putat conſtitutionem Pij V. ſuprà editam eſſe ad firmandum decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 14. In quo nõ reprobantur generatim illæ conſuetudines, ſed ſolum quæ videntur ſpeciem habere Simoniæ, vt quando primorum annorum fructus ex Beneficio cedunt Epiſcopo, vel alijs Canonicis. Condemnat enim ibi Concilium omnes deductiones & ſolutiones ex fructibus, quæ non conuertuntur in vſus pios. Vnde docet ibidem num. 7. Suarez valde

6. *Quomodo tamen hoc intelligendum ſit, explicatur allatis varijs Doctorum ſententijs.*

ger ſterilis aliqua tempeſtate effectus fuerit; ſicut enim ab alijs officijs per iſta infortunia non eximeretur, ſic neque per eadem à lectione precum liberandus erit. Vide illum cap. 20. n. 15.

13. *Qui hanc ſententiam extendunt ad beneficiarium non habentem totam ſuſtentationem ex beneficio non; loquuntur probabiliter.*

Nota tertiò, quorumdam Doctorum ſententiam, Soti opinionem ad beneficiarium non habentem totam ſuſtentationem ex beneficio extendentium, non videri mihi probabilem ac practicè ſecuram. Non enim debet Beneficium totum victum & amictum clerico ſuppeditare, cùm præſertim lectio Horarum vix duas horas diei requirat, vt commodè recitentur. Non ergo conqueri de Eccleſia vt nouerca poterit, quod non totum victum ab illa ſumat, cùm eius ſeruitio ſolùm quot diebus vnam & alteram horam impendat.

14. *Sententia hæc maximè locum habet in iis, quibus aliud officium ratione beneficij debitum incumbit.*

Nota quartò, Soti opinionem multò magis habere locum in Beneficiarijs illis, quibus præter Horarum recitationem aliud ſeruitium Eccleſiæ impendendum incumbit; cui ſi fructus, qui ex Beneficio colliguntur, ex æquitate quoad tertiam vel quartam partem ſuſtentationis commenſurentur, prorſus nihil prouentuum relinquatur quod ſeruitio recitationis Horarum reſpondeat. Tunc enim tales ab Officij Diuini lectione meritò excuſabuntur, vt rectè Suarez ſuprà, num. 11. quia talia Beneficia reſpectu recitationis Horarum reputari poſſunt pro non Beneficijs.

CAPVT VII.

An nullos fructus ex bonis Eccleſiaſticis Beneficiarius recipiens nihilominus ad Officium Canonicum obligetur.

VIdeo conſtare inter Doctores, Beneficiarios, qui ex Beneficio ſuo nullos fructus, nec per ſe, nec per alium recipiunt, nec recepturi ſunt, neque per illos ſtat quo minùs ijs fruantur, liberos eſſe ab onere preces Horarias perſoluendi. Nec hoc mirum cenſeri debet, cùm hæc obligatio non aliter oriatur ex Beneficio, niſi cum ordine ad fructuum perceptionem. Hi autem Beneficiarij ita ſe habent moraliter atque ſi beneficio carerent; cum illis ablata ſit facultas prouentum aliquem ex bonis Eccleſiæ colligendi, vt contingere ſolet in prouincijs hæreſi infectis, vbi hæretici Eccleſiæ reditus inuaſerunt. Ita Paludanus in 4.d. 15.q. 5. n. 13. Turrecremata in Can. 1. d. 91. q. 14. Nauarrus in Enchir. de Horis cap. 7. num. 28. & alij paſſim. 1.

Conſtat beneficiarios qui nullos fructus recipiunt vel recepturi ſunt, neque per eos ſtat quo minus recipiant, ad nihil legendum obligari.

Dictum autem eſt ſignanter *per ſe* vel *per alium* ob multos iuuenes, quorum parentes ipſorum nomine percipiunt. Dixi *nullos*, quia ſi ſaltem diſtributiones quotidianas caperent, ad id tenerentur iuxta eoſdem DD. Addidi *nec recepturi ſunt*; ſi enim litigarent de Beneficio, & ſperarent ſe in lite fore ſuperiores, quoniam ius habent ad Beneficium; tenerentur perſoluere penſum Horarum: tunc enim fructus iudicis auctoritate deponuntur apud aliquem ſequeſtrum, ipſiſque debentur, in ipſorum commodum lata ſententia à die conteſtatæ litis ceſſuri; quod etiam locum habet, etiamſi aduerſarius, & collitigator eos recepiſſet, quia tunc illos reſtituere compelletur. Addit Azor. ſuprà cap. 4. q. 9. eum qui poſſeſſionem habet cum titulo colorato in foro exteriori, teneri; in dubio autem recipiendorum fructuum videtur ſecundum Suarez ſupra cap. 20. num. 14. pacificus beneficij poſſeſſor teneri ad recitandum. Adiunctum eſt poſtremò: *Nec per illos ſtat, quo minùs recipiant*, quia ſi culpâ ſuâ poſſeſſionem Beneficij non habeant, aut eâ aditâ in loco fundati 2.

Explicatur concluſio.

ti

Digitized by Google

ti Beneficij non reſideant, ex negligentia, aut ob crimen aliquod commiſſum aut cenſuram fructibus priuentur, non excuſabuntur ab Horarum lectione.

3. Controuertitur iam primò, An Canonicus lege Horas recitandi ſoluatur, eò quòd fructus Beneficij primo anno, quo ſtadium facit, vel etiam pluribus, reſeruantur fabricæ templi, vel mortuo deceſſori, vel in aliquem alium vſum pium impenduntur, idque ex vſu vel priuilegio illius Eccleſiæ, in qua reſidet, & ſic nullum ex Beneficio pro tunc emolumentum capit.

4. *Canonicus primis annis ex beneficio ſuo nihil fructuum recipiens, ad horas tenetur.*

Reſpondeo cum Nauarro ſuprà cap. 7. nu. 30. talem canonicum minimè ſolui lege preces Horarias perſoluendi; tum quia Beneficium tranſit cum ſuo onere in eum in quem confertur, quod onus ſponte aſſumpſit, cùm Beneficij collationem acceptauit; tum quia illos poſt mortem ſuam recipiet; tum quia cum alijs ſuccedit in onus templi fabricam ſartam tectamque conſeruandi, cuius portio canonicorum bonis fuit permixta. Adde his, deberi ei dimidiam partem fructuum, prout habetur in Extrauaganti Ioannis XII. quæ incipit: *Suſcepti regiminis.* inter Extrauagantes communes tit. Ne ſede vacante C. vnico, & inter Extrauagantes Ioannis XII. tit. de Electione & Electi poteſtate: Et etiã ante eam poterat Eccleſiæ ſuæ deſeruire, & ſuſtentationem vicario debitam percipere.

5. Sed, quid dicendum ſi ſtatuto, vel conſuetudine, vel priuilegio quarumdam Eccleſiarum introductum ſit, etiam accedente Romani Pontificis confirmatione, vt Beneficiarius ſtadium faciens, hoc eſt, primo ſuæ reſidentiæ anno, vel etiam vlteriùs nihil prorſus fructuum recipiat, etiamſi paratus ſit Eccleſiæ ſeruire, ſed totum cedat in vſum fabricæ, vel alios pios, vel Canonicis ſenioribus.

6. *Quomodo tamen hoc intelligendum ſit, explicatur allatis varijs Doctorum ſententijs.*

Reſpondet Nauarrus huiuſmodi morem abrogatum fuiſſe per Extrauagantem Pij V. quæ incipit: *Dudum* (ſed legendum eſt, *Durum*) editam an. 1570. eſtque conſtitutio centeſima ſexta Pij V. Sed quia aliquæ Eccleſiæ eam nec receperunt, nec recipere volunt, Credo, inquit, nouum Canonicum excuſari à recitando, etiamſi iure deberentur ei dimidiati fructus; quia cùm non poſſit eos ſine impenſa fructibus maiore, & lite moleſtiſſima cõtra Eccleſiam ſuam exigere, ſatis videtur non poſſe eos recipere. Aliter reſpondet Suarez ſuprà c. 20. nu. 8. ſcilicet talem nouum Canonicum, ſi ex conſuetudine præſcripta & honeſta (quod fortè interdum fieri poteſt) fructus Beneficij inter alios Canonicos diuidantur omnino debere recitare, quia licet iam patiatur incommodum & grauamen; poſteà tamen ex nouis accedentibus Canonicis commodum & leuamen æquale percipiet, partem fructuũ ex eorum Beneficijs colligens. Quòd ſi ex conſuetudine iniqua (vt in ſpeciẽ ferè ſẽper eſſe videtur) huiuſmodi Beneficij fructus alijs Canonicis accedant, ſitque huiuſmodi exactio, & retentio fructuum iniuſta, tunc ex illo capite ad recitandum non tenebitur, cum huiuſmodi expectato emolumento, vtpote iniuſto, tutâ conſcientiâ frui non poſſit, nec damnum prius eo compenſare. Vnde putat conſtitutionem Pij V. ſuprà editam eſſe ad firmandum decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 14. In quo nõ reprobantur generatim illæ conſuetudines, ſed ſolum quæ videntur ſpeciem habere Simoniæ, vt quando primorum annorum fructus ex Beneficio cedunt Epiſcopo, vel alijs Canonicis. Condemnat enim ibi Concilium omnes deductiones & ſolutiones ex fructibus, quæ non conuertuntur in vſus pios. Vnde docet ibidem num. 7. Suarez valde

Digitized by Google

probabile eſſe Canonicum primo anno ne deſtributiones quidem recipientem, cùm tamen cogatur reſidere, excuſari, ſi ex iniuſta conſuetudine omnes fructus eius beneficij Epiſcopo approprientur; licet idem velit numer. 11. illum teneri ad recitandum, ſi ſaltem accipiat diſtrubutiones & fructus primi anni conuertantur in vſus pios.

7. *Non improbabile nouos canonicos excuſari cùm primis annis omnes fructus fabricæ vel pijs vſibus applicantur.*

Cæterùm cum Nauarro ſentit Azor. ſuprà c. 4. q. 4. ſcilicet nouos Canonicos non teneri ad recitandum, ſi ipſorum Beneficiorum fructus, quos primo vel etiam ſecundo anno recipere debuiſſent, ex conſuetudine ſuæ Eccleſiæ in pios vſus expendantur. Denique Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 34. dubit. 31. docet nō eſſe improbabile nouos Canonicos non teneri pro anno fabricæ, ſi non eſt penes eos, vt aliquid ex eo recipiant: ſicut enim potuerunt ab initio beneficia ſic inſtitui, vt primis duobus annis ſint prouiſis planè inutilia; ſic etiam multorum annorum conſuetudine induci potuit, vt tales à recitando excuſarentur.

8. *Idem probabile eſt de litigantibus ſi nulla ſpes victoriæ affulgeat.*

Iudico quoque idem dicendum de litigantibus pro fructibus Beneficij, quod poſſident, ſi nulla probabilis ſpes illis affulgeat, lite terminata ſe pro rata temporis, quo lis durauit, prouentibus Beneficij fruituros. Ita enim docent multi DD. vt Caietanus, Sotus, Nauarrus & alij: eſtque ſecura in praxi ſententia.

9. *Dubium.*

Controuertitur ſecundo, An is, qui alteri in fauorem ſuum Beneficium reſignanti omnes fructus illius reſeruauit loco penſionis, nihilominus recitare preces Horarias teneatur.

10. *Is qui alteri beneficium ſuum in fauorem reſignanti omnes fructus loco penſionis reſeruauit tenetur nihilominus recitare.*

Reſpondeo, cum Nauarro ſuprà c. 7. n. 3. & cap. 20. n. 15. & Ioanne Medina, quem Nauarrus ibi citat, Cod. de Orat. q. 7. omnino teneri; tum quia ipſius conſenſu fructus alteri conceduntur proinde atque ſi poſt multos annos amicis eos percipiēdos relinqueret; tum quia ipſe verè beneficiarius eſt, non verò is, cui penſio eſt aſſignata; tum denique quia per ipſum ſtat percipere fructus ſaltem mediocres. Poteſt enim beneficio deſeruire, vt debet, & tùnc, is cui omnes fructus ſunt reſeruati, pro ſeruitio impenſo cogetur ſatisfacere. Iij namque ſoli, qui oneribus deductis ſuperſunt, cenſentur fructus L. *Fructus*, ff. Soluto matrimonio. Poſtremò talis Beneficiarius tenetur ad alia ſeruitia adminiſtrationi ſui beneficij annexa. v. g. ad Sacramentorum diſpenſationem, ſi eſt parochus, aſſiſtentiam in choro, ſi habet præbendam &c. Ergo etiam ad Horarum recitationem, quod eſt quaſi fundamētale cuiuſlibet beneficiati officium. Nihil autem refert an huiuſmodi beneficij acceptatio fiat proprio conſenſu ipſius beneficiarij, an verò iuſſu Pontificis, quia ſemper militat hæc ratio, quòd poſſit beneficio ſuo deſeruire, & ſtipendium ſuis ſeruitijs debitum accipere; quod ſi Beneficium adminiſtrare noluerit, ſibi imputet, quod diſtributionibus, & neceſſaria ſuſtentatione careat. Quod ſi quis ex Pontificis conſenſu ſolum titulum beneficij recipiat, fructibus, & totius beneficij adminiſtratione, & obligatione penes alterum remanentibus (quod genus inſolentis reſeruationis dicit Nauarrus ab aula Romana ſuo tempore exulaſſe) videtur idem Nauarrus c. 20. nu. 5. ſentire talem beneficiarium adhuc obligari, quia ipſius conſenſu hæc reſeruatio accidit. Cæterùm quidquid

11. *Quod ſi conſenſu Pontificis omnes fructus & adminiſtratio beneficij alteri reſeruentur.*

ibi ſenſerit Nauarrus clarè oppoſitum tenet in capit. 21. numer. 12. & in Manuali Confeſ. c. 25. n. 104. ſcilicet conſentientem vt renuntianti omnes fructus, & omne ſeruitium & adminiſtratio beneficij reſeruarentur, non obligari ad Horas, quia is neque percipere quidquam ex fructibus beneficij poteſt, neque ſeruire nolente Pen-

Digitized by Google

& apud alterum ſolus ſit titulus beneficij tunc ad nihil recitandum tenebitur.

Penſionario. Quam ſententiam plures Doctores ſequuntur : & ſic intellige Sotum lib. 10. de Iuſt. q. 5. ar. 3. Vbi excuſat beneficiarium, qui habet titulum ſine fructibus. In illo itaque caſu onus legendi remanebit apud Penſionarium, non vt Penſionarium, ſed vt habentem adminiſtrationem beneficij, cuius pars eſt Horarum Canonicarum recitatio ; alter verò ſolùm titulum habet beneficij, cum iure ſuccedendi in ſeruitium & fructus eius.

12. *Dubium de adoleſcentibus metu patris acceptantibus beneficium.*

Quæres hîc, An ad penſum Horarum aſtringendi adoleſcentes, qui cum affectu careant Deo in ſtatu Eccleſiaſtico ſeruiendi; nihilominus acceptauerunt beneficium metu reuerentiali patris, alioqui ſponte illud reſignaturi?

13. *Tales tenentur ſi intendunt ex beneficio annuos fructus colligere vt beneficiarij.*

Reſpondet Leſſius ſuprà Dubit. 3. ſub diſtinctione ; vel enim intendunt huiuſmodi ex bonis Eccleſiæ colligere annuos prouentus, vt alij beneficiarij, & ſic conſequenter ad Officium annexum ſe obligant; vel nihil ad ſe volunt peruenire de fructibus, & tunc non videntur teneri ad Officium, quia acceptatio illa Beneficij fuit coacta graui & iuſto parentis metu, qui eos tum ab alijs, tum à recitatione Horarum ſoluit. Tenentur tamen habere animum reſignandi beneficium; quàm primùm potuerint, & fructus qui ad ſe peruenerunt reſtituere ; reliquos verò pater vel eius hæredes ex rata: quibus adoleſcentes obligationem hanc aperire debent. Ita Leſſius.

CAPVT VIII.

Vtrum Beneficiariorum obligatio de precibus Horarijs dicendis inchoetur à tempore collati Beneficij, an ſolùm à die adita poſſeſſionis.

1. *Beneficiarius lege horarum non tenetur per ſolam præſentationem, electionem &c.*

CErtum eſt apud omnes beneficiarium non teneri hac lege per ſolam præſentationem, electionem, nominationem, aut quamcumque prouiſionem, etiam collationem nondum acceptatam ; quia hæc ſolùm illi tribuunt ius ad rem, nec dominium beneficij conſtituunt, aut ius in re concedunt, quod neceſſarium eſt ad hanc obligationem.

2. *Aſſcriptus in numerum Canonicorum, nondum tamen præbendam adeptus ad horas non tenetur.*

Vnde ſentio ego, quidquid alij teneant, eum qui in Canonicorum numerum aſſcriptus eſt, nondum tamen præbendam eſt adeptus ; ſed ſolùm primam vel ſecundam vacaturam recepturus, hac lege non teneri, etſi habeat ſedem in Choro, ſuffragium in Capitulo, &c. imò etiam ſi diſtributiones aliquas accipiat, quia meo iudico ille ſolùm habet ſpem ad canonicatum, non verò eſt propriè Canonicus cum iure & dominio alicuius beneficij : & ita videtur ſentire Azor. ſuprà, cap. 4. q. 12.

3. *Ad horas non tenetur qui titulum habet beneficij ſine ſpe tamen adeundæ poſſeſſionis.*

Conſtat præterea ſolùm titulum Beneficij ſine ſpe adeundæ poſſeſſionis, aut cum ſpe quidem illa, ſed tamen ſine probabilitate recipiendi aliquando fructus, non obligare ad penſum Horarum, quia ille ſolùm nomine eſt beneficiarius ſine fructibus.

4. *Prima ſententia tenet beneficiarium ſtatim obligari ab acceptata collatione.*

Extant iam de propoſita quæſtione opiniones duæ. Vna eſt Nauarri ſuprà, cap. 7. num. 29. & Tom 1. Conſil. lib. 3. titu. de celeb. Miſſ. Conſil. 17. ſcilicet beneficiarium ſtatim teneri atque ſibi factæ collationi conſenſit: tum quia per ſolam collationem acceptatam ante quæſitam poſſeſſionem acquiritur ius in re, & ipſius beneficij dominium: tum quia, ſicut in matrimonio carnali ante poſſeſſionem acquiritur dominium, ita & in ſpirituali: Denique fructus debentur Beneficiario à die admiſſæ Collationis, quia fructus rei debentur domino ipſius rei, quamuis non percepturus ſit antequam poſſideat. Intelligit tamen hoc Nauarrus de eo qui non impeditur accipere poſ-

ſeſſio-

Digitized by Google

ſeſſionem,& accepta poſſeſſione gaudere fructibus temporis quo poſſeſſionem non cepit. Vide eundem in Enchir. confeſ. c. 25. n. 103.

5. *Altera ſententia docet ſolùm obligari à die poſſeſſionis adeptæ.* Altera eſt Flaminij Parilij lib. 1. de Reſignatione benef. q. 9. num. 15. qui docet beneficiarium non obligari ad preces Horarias, niſi à die adeptæ poſſeſſionis, & ita obſeruari in Curia Rom. Rationes huius Sententiæ eſſe poſſunt; quia multa ſeſe aperiunt inter tempus collationis acceptatæ, & poſſeſſionis capiendæ, quæ poſſeſsionem ipſam de facto impediant, qualia ſunt, beneficium collatum non vacaſſe, vel ab alio priùs impetratum & obtentum fuiſſe. Deinde licet per collationem acceptatam dominium acquiratur beneficij, habetur tamen illud imperfectè & diminutum. Poſſeſſio enim pertinet ad perfectionem ipſius iuris & dominij. Denique illud per admiſſam collationem ſine poſſeſſione non eſt fructuoſum, & propterea non videtur obligare illud habentem ad ſtatim officio plenè ſeruiendum.

6. *Vtraque ſententia probabilis.* Concluſio. Quamuis Nauarri ſententia rationi magis conſentanea videatur; opinio tamen Flaminij videtur quoque valde probabilis. Ita enim tenent plerique DD. vt Azor. l. 10. c. 4. q. 7. Suarez l. de Horis Canonicis c. 19. n. 8. Leſſius l. 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 30. & eam ſupponunt Card. à Turrecremata diſt. 91. in principio q. 14. Paludanus in 4. d. 15. q. 5. Maior ibidem d. 12. q. 6. ad 9. dum docent præter titulum beneficij neceſſariam eſſe poſſeſſionem.

7. *Sententia poſterior limitatur, vt ſolùm locum habeat in ijs, per quos non ſtat quo minus adeant poſſeſſionem.* Aduerte autẽ hîc, Sententiam hanc limitandam vt ſolùm locum habeat in ijs beneficiarijs, per quos non ſtat, quo minùs poſſeſſionem apprehendant; ſi enim contingat eos vel fraude vel negligentia non adire poſſeſſionem, non ſunt ab Horarum recitatione eximendi: Nam non eſt æquum vt ipſorum culpa eis quidem patrocinetur, Eccleſiæ verò detrimentum adferat. Ita DD. citati.

8. *Obiectio Nauarri.* Obijcies cum Nauarro Beneficiarius habet ius in ſui Beneficii fructus à die admiſſæ collationis; fructus enim rei domino debentur, vt colligitur ex C. *Grauis ad nos* de Reſtitu. ſpoliat. cum Gloſſa V. *fructus*; ſi verò ab alio poſſeſſore fuerint percepti, Domino reſtitui iubentur, vt ibidem habetur. Ergo ante apprehenſam poſſeſſionem meritò ad Horas Canonicas recitandas eſt compellendus.

9. *Reſponſio.* Reſpondeo. Ius ad fructuum perceptionem ante realem poſſeſſionem ſæpe incertum eſſe, vt experientiâ conſtat, cùm alius in Beneficium titulo colorato ſe intrudit, & frequẽtius lites mouendæ ſint. Et cum parte de bona etiam fructuum portione tranſigendum, multæque expenſæ faciendæ ante pacificam poſſeſſionem: Quòd ſi contingat illum acquirere fructus aliquos à tempore collationis, illud accidentarium, & bonæ illius fortunæ aſſcribendum, nec propter hoc incertum ius obligandus ad recitationem Horarum ante re ipſa aditam poſſeſſionem.

CAPVT IX.

An penſionem vel fructus ex bonis Eccleſiæ abſque titulo tamen Beneficij percipientibus præceptum incumbat Horarias preces recitandi.

1. *Penſio quæ percipitur ex bonis Eccleſiaſticis ratione alicuius miniſterij temporalis* INdubitatum eſt apud DD. penſionem ſeu ius percipiendi fructus, vel ſtipendium ex bonis Eccleſiaſticis ratione alicuius miniſterij temporalis præſtiti in gratiam Eccleſiæ nullam parere obligationem officium canonicum vel D. Virginis, aut aliquid ſimile recitandi. Ratio eſt, quia talis penſio vel ſtipendium non eſt Beneficium, cum

Digitized by Google

nullam obligationem inducit Horas Canonicas vel aliud recitandi.

cùm non ſupponat ius perpetuum vectigal ex bonis Eccleſiæ colligendi, ortum ex functione alicuius muneris ſpiritualis. Ita immunis erit à recitando officio Quæſtor vel Oeconomus Eccleſiæ, vel cuicumque honorarium aliquod ſoluitur ex patrimonio Chriſti, ob vtilem operam Eccleſiæ nauatam, vel ſpem eandem iuuandi, in eius fauore, potentiâ, induſtriâ repoſitam. Item quibus merces penditur ob temporalem laborem, vt ſunt illi qui campanas pulſant, ſacram ſupellectilem cuſtodiunt, ſacriſtæ, ianitores, ſymphoniacorum magiſtri, imò illi qui ſtipendio conducti, Philoſophiam, vel Theologiam docent, & ſimiles, quamuis etiam ijdem Clerici ſint: quia ad talia miniſteria per ſe non requiritur ſtatus clericalis, cùm per laicos obiri poſſint, & ſoleant. Aliud eſt ſi quis præbendam obtineat affectam onere Theologiam profitendi: nam certum eſt talem propriè eſſe Beneficiarium. In eamdem claſſem redigendi ſunt, qui ob infirmitatem, ſenium, aut quid ſimile, portionem aliquam vitæ ſuſtentandæ neceſſariam recipiunt ab aliquo Canonicorum Collegio, vel Monaſterio; per accidens enim illis eſt, quod ſæpe Clerici ſint. Vide Nauarrum ſuprà c. 7. n. 26.

2. *Illi etiam qui penſionem obtinent titulo Clerici non obligantur ad Horas Canonicas.*

Certum etiam eſt apud Theologos & Canonum Doctores ad Officium Canonicum non obligari eos qui ex patrimonio Eccleſiæ alimenta per modum penſionis capiunt, etiam titulo Clerici, id eſt, vel ob ſpirituale aliquod miniſterium, vt cum penſio alicui conſtituitur, vt parochum vel Epiſcopum iuuet, in officio concionandi, ſacramenta adminiſtrandi &c. quæ penſio eſt omnino ſpiritualis; vel ſaltem tribuitur illis, vt clericis, qualis eſt illa quæ ſoluitur parocho ſeni, vel ratione reſignationis in fauorem permutationis vel tranſactionis in lite beneficiaria, quæ etiam eſt penſio Eccleſiaſtica, & ſaltem ratione ſubiecti ſpiritualis, quia clericatum in penſionario ſupponit. Ita Sotus lib. 10. de Iuſtitia quæſt. 5. artic. 3. Medina eod. de Orat. quæſt. 7. Nauarrus ſuprà capit. 7. numer. 25. & reliqui omnes. Ratio eſt, quia penſio propriè loquendo non eſt Beneficium, vt rectè probat Caietanus Tom. 1. Opuſc. Tract. 31. Reſponſ. decima, idque ex duobus. Primo, quia penſio ſolos fructus Beneficij Eccleſiaſtici reſpicit. Secundò ex eo, quod poteſt etiam laicis concedi, ſicut conceduntur eis decimæ Eccleſijs debitæ. Vt enim D. Thomas docet 2. 2. quæſt. 100. art. 4. ad 3. cùm Papa concedit decimas Eccleſiarum laicis, non intelligitur concedere ius ſpirituale decimarum, ſed temporalem actionem circa fructus decimarum. Similiter dicendum de penſione, quod conceſſio annuæ penſionis non eſt niſi puræ temporalis rei donatio, ac per hoc poteſt licitè pro certa ſumma pecuniæ Beneficium ab onere penſionis liberari. Hæc Caietanus. Quod poſtremum intellige de penſione quæ datur ob miniſterium temporale licet Clerico, non verò ſi ob officium ſpirituale. Adde his penſionem ex natura inſtitutione ſua eſſe ſolùm temporariam, & morte penſionarij extingui; Beneficium verò ex ſua cōditione eſſe ius perpetuum, & tale, vt ſi vni auferatur, alteri neceſſariò concedendum ſit. Poſtremò, quia poſſidens Beneficium ex quo annua debetur penſio, tenetur ad Horas Canonicas. Ergo non ille qui penſionem ex illo percipit: Non enim ratione vnius Beneficij duo obligari ſolent ad Officium Canonicum.

3. *Etſi iure antiquo clerici titulo clericali*

Concluſio. Etſi iure antiquo illi qui vt clerici penſione Eccleſiaſtica gaudebant ad nihil obligarentur recitandum; noua tamen conſtitutione Pij V. tenentur dicere ad minus Officium D.

ſationem illa deputatione, conſuetudo non ampliùs obligabit.

12. *Non peccat choro deputatus Monachus, ſi bis terue priuatim Horas omittat.*

Aduerte hîc poſtremò, non eſſe improbabile, quod docet Petrus Arragonius 2.2. q. 83. ar. 11. dub. 4. ſcilicet non tam ſtrictè obligari Religioſos huiuſmodi profeſſos, atque in Sacris conſtitutos. Quapropter non peccare mortaliter, ſi ſemel, iterum, aut tertiò omittant: & fauent huic ſententiæ multum Caietanus, Medina, Bartholomæus Fumus ſuprà citati, qui de conſuetudine obligante dubitant, & plures alij variarum Religionum Doctores, qui de conſuetudine officium Canonicum dicendi à ſingulis extra chorum non ita rigidè loquuntur. Imò Emmanuel Sa V. *Horæ*, num. 1. dicit probabile eſſe Moniales & Religioſos qui non ſunt in Sacris, ab obligatione Horas legendi liberos eſſe. Addit tamen hoc non eſſe vſu receptum. Dici etiam poteſt hanc conſuetudinem non ita ſtrictè ſingulos religioſos ad priuatim recitandum preces Horarias in quibuſdam ſaltem ordinibus vel Cœnobijs obligare. Quidquid tandem ſit,

13. *Poteſt Prælatus diſpenſare cum ſuis religioſis, vt ex cauſa horas non recitent, imò nulla requiritur diſpenſatio, ſi mos eſt in aliquo monaſterio non recitare, certis cauſis interuenientibus.*

cenſeo planè cum Leſſio ſuprà: qui rectè contendit monaſterio præpoſitum poſſe hanc obligationem, quando cauſa iuſta ſubeſt, relaxare, v.g. ſtudiorum vel negotiorum cauſâ, vt & in aliis ſimilibus ſtatutis, quidquid contradicat Reginaldus Volum. 2. Praxis fori pœnitentialis lib. 18. cap. 12, ſect. 2. Imò addit Leſſius, ſi in aliqua Religione vel Congregatione mos inualuerit, vt profeſſi Clerici dum in ſtudiis vel aliis negotiis verſantur, priuatim Horas non recitent, (quem audio alibi eſſe) non opus eſſe diſpenſatione. Hoc ipſum docet Gregorius de Valentia 2. 2. diſput. 6. quæſt. 2. puncto 10. §. *qui teneantur recitare Horas*, ſub finem, *Religio*, inquit, *quæ conſuetudinem Horas recitandi numquam recipit, ad illius obſeruationem minimè obligatur.* Quod quamuis fortiter impugnetur à Reginaldo ſuprà; Videtur tamen mihi valde rationabile, limitando cum Leſſio, cùm grauibus de cauſis Religioſi impediuntur, ne priuatim officium dicant; Non verò de publica in choro pſalmodia.

CAPVT IV.

An Beneficiarij preces Horarias perſoluere teneantur, & quo iure.

Dico 1. Certum eſt apud omnes illis incumbere onus diuini officij recitandi, vt colligitur ex dictis c. 1. Proferuntur à DD. paſſim varij canones pro hac re, vt Canon final. d. 92. vbi ſub pœna depoſitionis quilibet Eccleſiæ deputati Clerici, ſiue Beneficiarij conuenire iubentur ad quotidianum pſallendi officium, quod decretum, ex quocumque tandem Concilio deſumptum ſit, pro lege ab omnibus ſuſceptum fuit: & quamuis de publica pſalmodia agat; rectè tamen ad priuatam etiam, ſi publicè perſoluta non ſit, extenditur. Accedit C. *Quia per ambitioſam* de Reſcriptis in 6. Vbi Bonifacius VIII. dicit Beneficium dari propter Officium, in quo vel maximè continetur Officij canonici recitatio. Denique Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſione 9. §. *ſtatuimus*, idem propoſitâ pœnâ decernit: quam conſtitutionem confirmauit, & extendit Pius quintus in Bullario Conſtitutione 138. 1. *Tenentur ad Horas beneficiarij iure Canon.*

Sed dubium eſt An debitum hoc precum canonicarum ſit etiam iuris naturæ in Beneficiarijs. Multi enim canonum DD. & Summularij cum Nauarro in Enchir de Orat c. 7. n. 3. generatim dicunt illos teneri, has preces ſoluere iure naturæ. Vide Azor. ſuprà c. 4. q. 13. quod tamen negat Syluester ſuprà, q. 8. n. 9. 2. *Dubitatur an ijdem iure naturæ obligentur.*

Dico

3\. *Per ſe iure naturæ præciſè non tenentur.*

Dico 2. Per ſe præciſè loquendo non tenentur Beneficiarij iure naturæ ad preces canonicas reddendas. Ratio eſt, quia ſine pacto tacito vel expreſſo non tenerentur clerici ratione Beneficij pro benefactoribus orare, vel Deum laudare niſi titulo gratitudinis; hoc autem fieri poteſt quolibet genere precum. Ità Syluester ſup. Quòd ſi pactum intercedat, non tamen inde ſtatim ſequitur Beneficium dari propter Officium legendi preces horarias, cùm poſſit multis alijs titulis conferri, v.g. ratione obligationis ad prædicandum Dei Verbum, ob ſpirituale miniſterium Sacramentorum, vel Sacrificiorum &c.

4\. *Ex hypotheſi inſtitutionis beneficiorum tenentur ex iuſtitia naturali.*

Dico tertiò, Ex hypotheſi tamen, conſiderata Beneficiorum inſtitutione & voluntate Eccleſiæ, cuilibet beneficio annectentis debitum preces canonicas perſoluendi; quæ nobis ex communi DD. ſententia, & conſuetudine toto orbe recepta, & per Concilij Lateranenſis ſtatutum manifeſtè declaratur, tenentur ratione naturalis iuſtitiæ Beneficiarij Horas canonicas quotidie recitare.

5\. *Ratio huius redditur.*

Probatur, quia ſtipendiarius lege iuſtitiæ tenetur præſtare opus, propter quod ſtipendium accipit; atqui Beneficiarij ſunt Eccleſiæ, & fidelium ſtipendiarij, qui beneficium accipiunt propter officium; ergo illud præſtare tenentur. Hoc voluit S. Bernardus epiſt. 2. ad Fulconem puerum, dum ſic ſcribit: *Quæ ſunt illa tua? Beneficia Eccleſiæ? Rectè, quia ſurgis ad vigilias, vadis ad miſſas, horis chorum nocturnis diurniſque frequentas, bene facis. Sic Eccleſiæ præbendam gratis non accipis. Dignum eſt vt qui altario deſeruit, de altario viuat. Conceditur ergo tibi, vt, ſi bene deſeruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris,* &c. Vide plura apud Durantum lib. 3. de Ritibus c. 22. n. 8.

6\. Petes hic primò, An omne Beneficium ſimpliciter ex Eccleſiæ inſtitutione annexum habeat onus preces Horarias legendi?

7\. *Docent aliqui non omne beneficium habere onus annexum horarum, & nominatim loquuntur de præſtimonijs.*

Leſſius l. 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 30. docet regulariter ita eſſe, nihilominus eſſe quædam Beneficia, quæ ex ſua inſtitutione ad preces illas non aſtringunt, ſed ad aliquas alias, vt ſunt quædam Præpoſituræ, Perſonatus & Præſtimonia, quæ non requirunt quotidie niſi Horas Beatæ Virginis, vel quinque Pater noſter & Aue Maria, vel ſemel Pſalmum Miſerere. Idem ſentiunt multi DD. de Præſtimoniis, quæ ſunt portiones quædam ſiue præbendæ detractæ ex reditibus Eccleſiaſticis, quæ quibuſdam varijs de cauſis aſſignari ſolent, maximè verò in ſubſidium ſtudiorum. Non teneri verò ad Horarias preces qui huiuſmodi portiones poſſident, docent Ioannes Medina C. de Orat. qu. 6. & alij multi qui citantur ab Azor. lib. 10. Inſtit. cap. 3. quæſt. 4. & à Franciſco Suarez lib. 4. de Orat. cap. 22. num. 7.

8\. *Controuertitur inter Doctores an præſtimonium ſit beneficium.*

Cæterùm controuertitur inter Doctores, An Præſtimonium ſit Beneficium propriè dictum, quod conferatur intuitu ſpiritualis officij præſtandi. Quamuis enim auctore Petro Rebuffo, in practica Cancellariæ Apoſtolicæ, ſub inſcriptione, Notabilia ſuper vacantibus non reſeruatis, §. *Beneficij appellatione*; Præſtimonia contineantur nomine Beneficij quando clericis ſolita ſunt concedi in perpetuum; Incertum tamen eſt, an in titulum ſiue pro titulo Beneficij aſſignentur, quibuſdam negantibus, alijs affirmantibus. Vnde, Dicendum eſt huiuſmodi

9\. *Præſtimonia obtinentes iure antiquo non tenebantur.*

adoleſcentes portionibus præſtimonialibus gaudentes, iure antiquo non fuiſſe obligatos preces canonicas recitare, imò nec quidem Concilij Lateranenſis ſtatuto ſub Leone X. ſeſſ. 9. §. *ſtatuimus.* Vbi decernitur, vt nemo Beneficium curatum aut ſim-

plex habens, qui elapſis ſex menſibus ab eius conſecutione, ſine legitimo impedimento, officium diuinum recitare omiſerit, pro tempore quo non recitauit, fructus ſuos faciat &c. quia poterit ſtatutum illud ad Beneficium propriè & ſtrictè ſumptum facilè reſtringi.

10. *Hoc tempore omne beneficium etiam præſtimonium habet onus legendi horas annexum ex Bulla Pij V.*

Reſpondeò nihilominus ad quæſtionem, & dico, Hoc tempore omne Beneficium Eccleſiaſticum ex inſtitutione Eccleſiæ (quidquid olim fuerit) habere annexum debitum. Horas recitandi tamquam primum & fundamentale officium, propter quod Beneficium confertur: atque adeò huc pertinere etiam Præſtimonia, & præſtimoniales portiones, quomodocumque tandem appellentur. Inductus ſum ad hoc ſentiendum verbis Pij V. in Conſtitutione quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi Concilio* vbi ſic ait; *Declarantes Præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſeruitium habentia obtinentes cum prædictis (beneficiarijs manifeſtè ad officium Horarum obligatis) pariter comprehendi.* Hæc ibi. Et ideo hanc ſententiam docent Nauarrus in Enchir. de Horis. c. 21. n. 9. extendens ſententiam ſuam ad omnes ſimpliciter Beneficiarios, affirmanſque præſtimonia ex communi opinione eſſe propriè Beneficia. Idem docet Sotus 10. de Iuſtitia q. 5. a. 3. Azor. & Suarez ſuprà, & alij. Et certè non implicat Præſtimonium inſtitutum fuiſſe, vt ex eius reditibus adoleſcentes in ſtudijs viuerent, vel in ſubſidium contra fidei hoſtes bellantium ſimul cum debito Horas legendi: Sicut iam videmus fundari quas vocant Burſas, impoſito Burſarijs onere quot diebus aliquid in gratiam fundatorum orandi. Adde quamuis Beneficia initio non fuerint erecta propter Officium Diuinum recitandum, potuerunt tamen poſteà ſtatuente id Romano Pontifice ob id, & non aliter conferri.

Petes ſecundò, An poſſidens Capellaniam obligatus ſit preces Horarias quotidie recitare? 11.

12. *Habens Capellaniam collatiuam ad horas tenetur.*

Reſpondeo ſecutus ſententiam Medinæ Codice de Orat. q. 7. Nauarri Enchir. de Horis can. c. 20. n. 17. Azorij l. 10. Inſtit. cap. 3. q. 5. & aliorum. Habentem Capellaniam, quam vocant Collatiuam, quæ ſcilicet auctoritate Apoſtolicâ vel ordinariâ conferri ſolet, omnino pſalmodiæ oneri ſubditum eſſe, cum huiuſmodi Capellania ſit propriè Beneficium Eccleſiaſticum ab aliquo Eccleſiæ Præſide conferri ſolitum.

13. *Habens verò non collatiuam nō tenetur.*

Dixi habentem Capellaniam Collatiuam teneri, ad diſtinctionem earum, quæ vocari ſolent non collatiuæ, alias profanæ vel laicæ, quas teſtamento fundare & inſtituere interdum pro more habent viri opulenti vel nobiles, quo ſubueniant inopiæ ſuorum conſanguineorum, idque ſine interuentu poteſtatis Apoſtolicæ vel Epiſcopalis, quas euidens eſt non eſſe Beneficia, cùm auctoritate Eccleſiæ non erigantur, vel ſaltem poſteà non confirmētur, vt ſuppono. Vnde etiam conſequenter nullum habent debitum Diuinum Officium perſoluendi. Signum autem ponit Azor. ſuprà dignoſcendi, quænam ſit Capellania ſacra & Collatiua; quæ verò laica, & non Collatiua; quod tale eſt; Si Capellania fuerit ab initio erecta ex bonis laicorum, auctoritate tamen Epiſcopi, vel ſaltem temporis lapſu ſpatio annorum 40. bis aut ter ab eo collata, vel ſi Epiſcopus præſentatum à laico clericum eodem interuallo in ea inſtituerit, habenda erit Collatiua, & proinde Beneficium Eccleſiaſticum: Sin verò fundator laicus eam inſtituerit ex ſuis reditibus, & alicui clerico aſſignet, & reliqui poſtea, qui ei in ius illud ſuccedunt, eodem pacto clericum eligant ſine Epiſcopi poteſtate, habebitur & erit

14. *Qua ratione dignoſcatur collatiua à non collatiua Capellania.*

Digitized by Google

erit Capellania profana, & minimè Collatiua. Vide plura apud Suarez ſuprà c. 22. n. 12.

15. *An habens Capellaniam, cui per ætatem ſeruire non poteſt ad Horas obligetur.*

Mouet ibidem ipſe dubium, An videlicet talis Capellania conceſſa prouiſione Epiſcopi adoleſcenti à patrono laico oblato, qui nondum capax eſt ſacerdotij ob ætatem, & proinde Miſſas, ad quas ex fundatione Beneficij obligatur, exoluere per ſe nō poteſt, ſed per alium id præſtat, teneatur nihilominus officium Canonicum recitare. Cui ego addo (vnde maior exſurgit dubitandi ratio) ſæpenumero beneficiolum Capellaniæ adeo eſſe tenue, vt præter ſtipendium quod adoleſcens Sacerdoti Miſſas exoluenti tribuit, vix aliquid ſuperſit ad victum.

16. *Reſponſio eſt, talem omnino teneri.*

Et ad prius quidem reſpondeo affirmatiuè, cùm Diuini Officij recitatio onus ſit perſonale, & per alterum impleri non poſſit, ſicut Miſſarum celebratio: cui accedit nullam cauſam excuſantem occurrere, quâ ab Horis legendis eximatur: Suppono enim Capellaniam ſatis lautam eſſe, quæ præter ſtipendium, quod Sacerdoti perſoluitur, aliquam etiam notabilem alimentorum portionem adoleſcenti miniſtret. Denique adoleſcens ille Beneficiarius eſt, non verò ſacerdos, qui ipſius vice Miſſas dicendas ſuſcepit. Ergo non huic, ſed illi onus incumbit Horas perſoluendi ratione Capellaniæ. Ita Syluester V. *Hora* q. 2. §. 3. vbi alios citat, Fumus eodem n. 3. & alij. Idem dicendum de clerico ratione ſtudiorum vel alia de cauſa abſente à ſua Eccleſia, & per ſubſtitutum ſeruitium præſtante: talis enim priuatim Horas legere tenetur.

17. *Si rigorem iuris ſequamur, etiam tenebitur adoleſcens, cui præter ſtipendium, quod ſacerdoti pro miſſis exſoluendis tribuit vix aliquid ſupereſt.*

Ad poſterius verò dubium dicendum, ſi communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam rigoremque Iuris ſpectemus; omnino teneri huiuſmodi adoleſcentem ad Horarum recitationem, cùm per ipſum, id eſt, ipſius incapacitatem ſtet, quo minùs integros ſui Beneficij prouentus recipiat, & Eccleſia Officio Canonico precum fraudari non debeat, quod voluit eſſe primum omniū Beneficiariorum miniſterium. Ipſe autem Beneficiarius eſt, non verò Sacerdos ille qui ipſius vices obit ſacrificia ſtata perſoluendo. Videri poſſunt Azor. ſupra c. 4. q. 8. Suarez c. 20. n. 13. & 14. Leſſius 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 31. num. 172. Si verò ἐπιεικείᾳ & æquitate quadam vtamur, probabiliter dici poterit adoleſcentem huiuſmodi, qui nihil vel perparum ex Beneficiolo ſuo recipit præter ſtipendium ſacerdoti dandum, dum in ſtudijs verſatur, excuſari poſſe, ne quotidie Horas recitet. Sufficiet enim Dominicis feſtiſque diebus illas legere. Ita quidam Doctores hoc tempore, & propendet Syluester V. *Hora* q. 2. §. 3. Vbi, licet fateatur primam opinionem eſſe tutiorem; dicit tamen fortè poſſe alteram eſſe veram, ſi nullam vtilitatem pro tunc reciperet ex Beneficio, & clariùs Angelus V. *Hora* num. 4. probans aliorum hoc ſentientium opinionem, & Ioannes Andreas, in C. *Eleutherius* diſt. 91. q. 6. dicit conſentaneum eſſe rationi, ſi Eccleſia tales eximeret à lege Horarum, quod etiam aſſerit Panormitanus in c. 1. de Celebratione Miſſarum.

18. *Probabile tamen eſt huiuſmodi excuſari per Epiķiam ne quotidie horas legat.*

Petes tertiò, An is qui accipit Beneficium non in proprietatem ſiue titulum, ſed ſolùm in cuſtodiam vel Commendam Horarum Canonicarum lege teneatur? 19.

20. *Habens beneficium in commendam, ad horas obligatur.*

Reſpondeo cum Medina cod. de Orat. q. 7. quem ſequitur Nauarrus ſuprà cap. 20. num. 16. & alij, omnino aſtringi commendatarium ſiue Beneficium in perpetuum ſiue ad tempus tantùm ei fuerit Commendatum; & ratio eſt, quia licet talis non habeat Titulum Beneficij, quo iure proprietatis illud poſſideat; habet tamen titu-

Digitized by Google

lum Canonicum (ſi quidem Gloſſa communiter recepta in C. *Nemo*, de Electione, & Electi poteſtate in 6. Commendam vocat Titulum canonicum) ratione cuius plenam Beneficij tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus habet adminiſtrationem (nam de tali Commenda hîc eſt ſermo) & fructus percipere poteſt, quod abundè ſufficit, vt ad penſum Horarium teneatur.

21. *Tenetur etiam habens vicariam perpetuam vel temporariam alicuius beneficij.*

Idem dicendum de omnibus alijs, quibus à Pontifice vel Ordinario committitur tota alicuius Beneficij vel Eccleſiæ adminiſtratio in perpetuum vel ad tempus tantum, hoc eſt, ſiue ſit Vicaria perpetua, quæ eſt Beneficium propriè dictum, ſiue temporaria; quia eadem ratio ibi locum habet. Nullus enim alius tunc Beneficium adminiſtrat, & Eccleſia immeritò quotidiano precum obſequio careret. Sic vacante Beneficio cum cura, vicarius ab ordinario conſtitutus, in onus totum etiam Horas recitandi ſuccedit.

22. *Non obligatur autem vicarius à Parocho conſtitutus vel Coadiutor ad eodem aſſumptus.*

Quòd ſi in abſentia Beneficiarius ipſe, vel parochus vicario parochiam ſuam committat, vel commendet ad tempus aliquod; tunc non vicarius, ſed ipſe ad Horarium penſum ratione Beneficij obligatur, vt per ſe patet. Idem militat in Coadiutore, quem parochus ſibi adſciſcit, vt ab eo iuuetur in ſacramentorum adminiſtratione & ſimilibus, aſſignato honeſto ſtipendio: tunc enim non Coadiutor, ſed parochus ratione Beneficij ad Horas Canonicas obligatur. Vt rectè Nauarrus ſuprà cap. 20 n. 17.

Petes quartò, An Beneficium regulare quod communiter Manuale vocatur, eò quòd à manu præſidis pendeat, & eius nutu auferri poſſit, hanc obligationem Horas legendi inducat?

24. *Etiam beneficium Regulare obligationem habet.*

Reſpondetur affirmatiuè, quia communis D. Doctorum ſententia eſt, Manuale Beneficium eſſe propriè Beneficium; quamuis enim reſpectu Beneficiarij & ſubditi ſit reuocabile ad nutum conferentis; ex natura tamen & inſtitutione ſua tribuit ius perpetuum fructus percipiendi, alicui ſaltem regulari, vt traditur in materia de Beneficijs. Cùm ergo naturam induat Beneficij propriè dicti, conſequenter ſecum etiam Officium annexum in poſſidentem transferet.

Petes quintò, An Coadiutor Epiſcopi, parochi, Canonici, Abbatis ratione Coadiutoriæ ſubeat onus preces canonicas recitandi. Voco autem hîc Coadiutorem, qui vices ſupplet principalis ſeu Coadiuti in Officij adminiſtratione, cum iure ad ſucceſſionem in ipſius Beneficium. 25.

Quid ſit Coadiutor.

Reſpondeo, cum Nauarro ſuprà c. 20. num. 18. Coadiutorem numquam obligari ad Horas ratione Beneficij (licet poſſit teneri ratione pacti) nec hoc tempore ad priuatim ſupplendum pro altero Officium Canonicum inſtitui, vt docet praxis. Et ratio eſt, quia Coadiutor nullum beneficium accipit vel in Titulum vel in Commendam, ſed ſolum ius ad rem, ſcilicet ad Beneficium morte Coadiuti vacaturum; ſolùm autem ius in re reſpectu ſuæ Coadiutoriæ, ratione cuius poteſt illius accipere poſſeſſionem. Deinde non poſſunt duo obligari ad Horas recitandum, ex vno Beneficio; Cùm ergo hic principalis teneatur ratione Beneficij, quod poſſidet, non tenebitur ſubrogatus & Coadiutor: & quamuis hic etiam vice Coadiuti illud perſolueret, non propterea alter obligatione liberaretur, cùm ſit onus perſonale, ſicut Miſſæ auditio & ieiunij obſeruatio. Et certè Suarez ſuprà cap. 22. num. 19. dicit id declaratum à S. D. N. Paulo V. in quodam breui anni 1606. ſcripto ad Eccleſiam Cathedralem Conimbricenſem, in quo definit Coadiutores 26.

Coadiutor Epiſcopi Abbatis non tenetur.

Cano-

Digitized by Google

Canonicorum non eſſe verè Canonicos, nec pro talibus habendos viuentibus Coadiutis: Atqui eadem ratio eſt de Coadiutoribus aliorum Beneficiariorum. Ergo Coadiutores non ſunt propriè Beneficiati.

27. *Non obſtat quòd Coadiutor portionem beneficij Coadiuti ſuſcipiat.* Nec refert, quòd portionem fructuum congruam ſuſtentationi neceſſariæ ex Beneficio Coadiutor ſuſcipiat, quia illam ſolùm habet tanquam ſtipendium, ſicut accipit Capellanus aliquis exonerans alterum celebrandi ſacrum obligatione, vel parochum in officio adiuuans; Quod ſi Penſionem ex Beneficio recipiat, tunc ad Horas D. Virginis ex Bulla Pij V. recitandas tenebitur, vt per ſe patet.

CAPVT V.

An qui plura habet Beneficia ſæpius etiam Diuinum Officium in die ſoluere obligetur.

1. *Quid Nauarrus doceat de hoc dubio.* MOuet hoc dubium Nauarrus in ſuis Miſcellanijs de Orat. Miſcel. 60. & duo circa illud tradit. Primum, non eſſe ita euidentem partem negantem huius dubij, quin in contrarium multa occurrant argumenta; Ideoque eos qui legitimè plura Beneficia poſſident, debere conari ad ſupplendum deuotione ſua, id, quod iteratio adderet. Ita ipſe n. 1. & 10. Docet ſecundò, nullo modo excuſari habentem plura Beneficia à recitando pluries quolibet die Horas, ſi ea non habet iuſtè, vel habet plura quàm vnum, quod ad honeſtam ſuſtentationem ſit ſufficiens. Ita docet num. 10. & 15. Vnde numquam ſenſit habentem plura Beneficia iuſtè, teneri ad pluries Horas recitandum. Abſolutè tamen & generatim teneri Beneficiarios pluribus Beneficijs, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè oneratos, ſæpiùs recitare, docuerunt Guilielmus Pariſienſis Tract. de Collat. Benefic. & Dionyſius Carthuſianus Opuſculo contra pluralitatem Beneficiorum a. 1. 2. *Quid alij quidam DD. cenſeant.*

Aſſertio. Beneficiarius abſolutè loquendo, obligationi plurium beneficiorum ſatiſfacit, ſemel quot diebus diuinum officium perſoluendo. 3. *Plura poſſidens beneficia ſemel quotidie horas legens ſatisfacit.*

Eſt certa, & communi Eccleſiæ conſuetudine recepta, eamque tradunt cum D. Thoma quodlib. 1. art 13. Theologi & Canoniſtæ paſſim.

Conſuetudo Eccleſiæ fundatur in ratione petita ab inſtitutione Horarum Canonicarum, ad quas quidem obligari voluit Eccleſia Beneficiarios, non tamen vſquam expreſſit plura habentes Beneficia, pluries etiam debere recitare: & meritò: certum eſt enim apud Theologos opere vel officio vno exhibito poſſe pluribus titulis vel rationibus obligantibus ſatisfieri. Sic audiendo vnum ſacrum die Dominico, in quem feſtum aliquod ex præcepto ſeruandum incurrit, Eccleſiæ ſatisfacimus, & vnico ieiunio pluribus obligationibus voti, vigiliæ, quatuor temporum in eumdem diem incidentibus, & in materia noſtra, Religioſus in ſacris habens Beneficium regulare ſemel legens Diuinum Officium implet diuerſa Eccleſiæ præcepta, quibus tenentur Religioſi profeſſi, in ſacris ordinibus conſtituti, & Beneficiarij ad Horas Canonicas. 4. *Ratio hoc oſtendit.*

Solùm refellenda argumenta quæ partem affirmantem ſtatuere videntur, & habentur apud Nauarrum ſuprà, num. 2. & ſequent. Stephanum Durantum lib. 3. de Ri, cap. 22. num. 9. Turrecremata c. 1. diſt. 91. q. 13. & alios. 5. *Argumenta in contrarium.*

Primum, Qui ſentit commodum, debet etiam ſentire onus, iuxta Regulam Iuris. *Qui ſentit*, de Regulis Iuris in 6. Atqui hîc percipit duplex 6.

com-

commodum: ergo.

7\. Secundum, Beneficium datur propter officium, C. vltimo de Reſcriptis in 6. Ergo qui poſſidet duplex Beneficium, tenetur ad duplex Officium.

8\. Tertium, Qui duobus creditoribus dena deberet, non ſatisfaceret ſi ambobus tantùm decem ſolueret; Ergo nec hic qui duabus Eccleſijs tantum vnum officium perſoluit.

9\. Quartum, Qui duo ſacella acciperet, quibus ſingulas Miſſas quotidie dicendi onus eſſet annexum, non ſatisfaceret dicendo vnam tantùm. Ergo neque qui duo Beneficia, quorum cuilibet eſt iniunctum onus dicendi Horas Canonicas ſatisfacit dicendo vnas tantùm.

10\. Quintum, Qui voto vel pœnitentiâ tenetur ad dicendas Horas Canonicas vltra debitas ratione Ordinis vel Beneficij, non ſatisfaceret illas dicendo ſemel in die, ſecundum omnium mentem, inquit Nauarrus. Ergo neque qui eas debet ratione duorum Beneficiorum.

11\. *Regula illa Iuris, Qui ſentit commodum, debet ſentire onus non ſemper eſt vera.*

Ad primum reſpondeo. Cum Gloſſa in Regulam illam 55. Iuris: *Qui ſentit onus, ſentire deb.t commodum, & è contra;* Regulam illam ordinariè veram eſſe. *Non enim ferendus eſt qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat*, Cod. de caduca tol. lege vnica §. *pro ſecundo*, in fine; fallere tamen interdum ratione ætatis vel perſonæ, interdum ratione naturæ contractuum, interdum ex ſpeciali pacto. Fallit hîc ex duplici capite. Primo, ratione Eccleſiæ inſtituentis & onus Horarum imponentis, cuius illa mens eſt, vt duplex poſſidens Beneficium poſſit vnica recitatione ſatisfacere. Secundò, ratione ipſius oneris quod eiuſmodi eſt, vt quis illud ſubiens impleat vna vice plura præcepta.

12\. *Officium quoddam ex ſua inſtitutione aliquando debet repeti à beneficiario, aliquando non.*

Ad ſecundum reſpondeo. Axioma illud Iuris, *Beneficium datur propter Officium*, generatim eſſe intelligendum, de quolibet Officio, ad quod Beneficiarius obligatur. Inter Officia autem Eccleſiaſtica quædam ſunt, quæ ex natura vel inſtitutione ſua ſæpiùs repeti debent, vnde ſi commodè non poſſint ab eadem perſona obiri, diuerſis ſunt committenda. Et ſi Beneficium detur propter huiuſmodi officium, qui duplex ſortietur, ad duplex quoque officium obligabitur, vel ſi ſatisfacere non poſſit vtrique, vnum beneficium erit reſignandum. Alia verò ſunt Officia, quæ ex natura ſua hoc non requirunt, vt videlicet neceſſariò iterari debeant, & tale eſt Horarum recitatio, cui ſatisfacit quis ſemel legendo, quamuis plura habeat Beneficia.

13\. *Diſcrimen magnum eſt inter ſolutionem rei temporalis, & ſpiritualis.*

Ad tertium reſpondeo. Argumentum illud de Creditoribus ſimile non eſſe, quia ex natura rei temporalis non poſſum duobus creditoribus, quorum vtrique diuiſim decem debeo, ſatisfacere tantum decem vni, vel cuilibet quinque ſoluendo, quia ſic vel vnum vel vtrumque defraudo, niſi fortè fuerint Correi credendi, id eſt, quibus idem in ſolidum debeatur ex vna eademque cauſa principali. Aliud longè eſt in Officio ſpirituali, quale eſt precatio canonica, quæ ex natura materiæ in ſolidum perſoluitur pro pluribus particularibus Eccleſijs, & ſecundum probabilem ſententiam, tantum valet pro pluribus quantum valeret ſi funderetur pro ſingulis, quoad vim impetrandi, quod maximè verum eſt, ſi quis intentionem, deuotionemque ſuam in particulari ad plures extendat. Quidquid ſit de hac opinione, certum eſt orationem illam cùm publica ſit, & nomine Eccleſiæ Chriſti cariſſimæ ſponſæ fundatur, eſſe maximæ efficaciæ ad impetrandum, vt per illam poſſit pluribus Eccleſijs particularibus ſatisfieri.

Nota tantùm ex Medina Cod. de ſatisfac. quæſt. 4. Magnam eſſe differentiam

14. *Differentia inter debita iuſtitiæ & legalia.* rentiam inter realia iuſtitiæ commutatiuæ debita & legalia, vt legis, voti, pœnitentiæ iniunctæ : quod in illis æqualitas rei ad rem attendatur, & ideo nequit vna ſolutione pluribus debitis ſatisfieri : hæc autem ex legiſlatoris intentione pendent: Intentio verò legis, voti, & pœnitentiæ poſſunt in vnum & idem opus tendere.

15. *Diſpar ratio miſſarum ad quas dicendas quis obligatur, & Horarum Canonicarum.* Ad quartum reſpondeo, diſparem eſſe rationem Miſſarum ad quas dicendas quis obligatur ratione duarum Capellaniarum, & Horarum Canonicarum: quia in priori vnica celebratione non poteſt quis plures Miſſas exſoluere: pendet enim hoc ex ipſa inſtitutione iſtorum Beneficiorum, vt vna actione non poſſit quis pluribus obligationibus ſatisfacere; in poſteriori verò, talis eſt recitatio officij Canonici, vt ſemel quis recitans plures præcepti vel debiti rationes impleat.

16. *Differentia inter obligationem prouenientem ex voto, & prouenientem ratione beneficij duplicis, reſpectu Horarum Canonicarum.* Ad poſtremum reſpondeo primò, negando conſequentiam, quia qui tenetur legere Horas ratione ſimul Beneficij vel Ordinis, & ratione voti, vel pœnitentiæ, tenetur ad illas duplici titulo, videlicet, ratione præcepti Eccleſiæ, & præterea ratione, voti, &c. Quæ ordinariè ſunt de opere aliàs indebito; qui verò ratione duplicis Beneficij ſolùm tenetur ex vi præcepti Eccleſiæ, ſed duplici ratione, cui tamen ſatisfieri poteſt vnâ recitatione, quamuis aliàs debita. Si enim quis Sacerdos poſteà beneficium obtinens ſatisfacit ſemel legendo Horas, cur non ſatisfaciet habens duo Beneficia?

17. *Vouens vel pœnitentiã iniungens non ſemper vel aſſumit vel imponit opus aliàs indebitum.* Reſpondeo ſecundò, antecedens non eſt ita certum ſecundum omnium mentem, vt putat Nauarrus. Quamuis enim ordinariè ſacerdos pœnitentiam imponens, vel aliquis opus bonum vouens, niſi aliud ex mente confeſſarij vel vouentis colligatur, opus aliàs indebitum, ſeu voluntarium iniungat, vel aſſumat; Quando tamen ex circumſtantijs crederetur confeſſarium noluiſſe multum grauare pœnitentem, vel vouentem ſe ipſum, præſumi meritò poterit vtrumque intellexiſſe de opere aliàs præcepto vel debito. Vnde ſi confeſſarius alicui ſacerdoti ſæpius culpabiliter Horas omittenti iniungeret pro pœnitentia Horarum aliquo die recitationem præſumi poterit illum intellexiſſe de penſo debito ratione ſacerdotij, vt hac ratione ſacerdotem negligentem ad obſeruationem præcepti Eccleſiaſtici ſuauiùs induceret. Pari modo ſi quis ſæpiùs ſolitus Horas negligere, ad quas ratione Ordinis tenetur, voueret Deo, ſe impoſterum eas ſemper lecturum, cenſeretur ſolùm votum ſuum extendiſſe ad Horas titulo Ordinis debitas. Idem dicendum de eo, qui antea habens votum ſingulis diebus Horas Canonicas legendi, poſteà ſuſcipit Ordines ſacros vel Beneficium. Is enim & voto, & præcepto Eccleſiæ ſemel dumtaxat recitando ſatisfaciet, quia præceptum Eccleſiæ per opus alio titulo debitum impleri poteſt, vt conſtat. In dubio autem tam Votum, quàm Sacramentalis pœnitentia intelligitur de opere non debito.

CAPVT VI.

An onus Horas Canonicas ſoluendi imponemdum ſit eis, qui ſacerdotium poſſident cùm exiguo vectigali.

Communis ſententia Doctorum præſertim Pontificij Iuris, eſt, huiuſmodi Beneficiarijs onus iſtud incumbere, vt videre eſt apud Nauarrum Enchir. de Horis Canonicis cap. 7. num. 27. & cap. 21. num. 11. Durantum lib. 3. de Rit. cap. 22. num. 10. Sua- 1. *Communis ſententia eſt huiuſmodi ad horas teneri.*

10. Suarez lib. 4. de Orat. cap. 21. n. 6. & alios.

2. *Probatur ex Iure.*

Probatur primò ex cap. *Clericus victum*, diſt. 91. vbi dicitur: *Clericus victum & veſtitum ſibi artificiolo vel agricultura abſque Officij ſui dumtaxat detrimento paret.* Loquitur autem manifeſtè de Clerico Beneficiario, vt & alij canones eiuſdem Diſtinctionis; & ſupponit illum ex ſuo Beneficio non recipere ſufficientem ſuſtentationem, & ita explicat Gloſſa ſingularis ab omnibus recepta in C. citatum, & probat, tum quia clerici exiguum acceptantes ab Eccleſia Beneficium, præiudicium ſibi fecerunt, quando permiſerunt ſe promoueri ab tam tenuem Eccleſiam; tum quia ſicut vir tenetur alere vxorem, quæ tamen ei debitum reddere non valet, ita iſti officiarii Eccleſiam, licet pauper ſit, & dicere cum Apoſtolo ad Philip. 4. *Scio ſatiari & eſurire, abundare, & penuriam pati*: & Actor. 20. *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ.* Neque iuxta eandem Gloſſam refert an Beneficium quando acceptatum fuit, tenuem prouentum reddiderit, an verò initio lautum, poſtea decreuerit.

3. *Probatur ratione ex Iure ſumpta.*

Probatur ſecundò, quia poſsidens Beneficium quantumuis exiguum, poſsidet verum beneficium, C. *Conquerente*, de Clerico non Reſidente: C. *Si motu proprio*: & C. *non poteſt*, de Præbendis: C. *Si proponente*, de Reſcriptis, & conſequenter gaudet omnibus priuilegijs & honoribus, quibus alij ditiores ſui gradus beneficiarij, ergo & ad idem etiam officium præſtandum tenetur.

4. *Altera ratio.*

Probatur tertiò, Ratio præcipua, propter quam Beneficiarius ad Officium Canonicum obligatur, non eſt annui cenſus ex bonis Eccleſiæ receptio; ſed titulus beneficij, quod inde conſtat, quia multi, alij vitæ neceſſaria ab Eccleſia ſumunt, qui tamen preces Horarias ſoluere non tenentur, vt ſunt Ludimagiſtri, qui vt iuuentutem literis imbuant præbendæ alicuius fructus annuatim colligunt c. 1. de Magiſtris, & ſic de ceteris.

5. *Quarta ratio.*

Probatur 4. beneficiarius ob quodlibet beneficium quantumuis exiguum, deſtinatur ab Eccleſia ad Deum laudandum & orandum pro populo, à quo ſaltem aliquid emolumenti percipit, ſicut clerici in ſacris ad ſimile officium deputantur, quamuis ex ſuo patrimonio viuant, & nihil fructuum ab Eccleſia capiant. Ergo.

6. *Quinta ratio.*

Probatur 5. quia in exhibendo officio ſpirituali non eſt habenda ratio Iuſtitiæ commutatiuæ ad ſtipendium, quaſi debeat ſpectari æqualitas inter officium ſpirituale, & ſtipendium, quia alioqui ſpirituale pretio æſtimaretur & Simonia committeretur accipiendo ſtipendium pro labore intrinſecè neceſſario ad obeundum officium ſpirituale, Ergo.

7. *Poſtrema ratio.*

Denique nullus Canon tales Clericos excuſat; quin imò ex pleriſque decretis Eccleſiæ oppoſitum planè colligitur.

8. *Multi Doctores eximuntur poſſidentes tenue beneficium à recitatione horarum.*

Cæterùm ſunt plures viri docti & pij qui docent eum, qui Beneficium poſſidet exiguos prouentus annuos reddens, à recitatione officij excuſari, vt videre eſt apud Nauarrum ſup. c. 7. n. 27. Azor. ſup. c. 3. q. 3. & Leſſium l. 2. de Iuſtitia c. 34. dub. 31. Ita inter primos tenuit Sotus l. 10. de Iuſtitia q. 5. a. 3. Cuius hæc ſunt verba: *Excuſatur Beneficiarius cuius beneficium eſt tenuiſſimum, ita vt ſaltem non attingat ſummam octo aureorum. Nam beneficium tale ex natura ſua non obligat, parum enim pro nihilo reputatur. Quod ſi pauperi clerico ſit bona pars ſuſtentationis, non omnino poſſidẽs excuſatur, ſed pendet hoc ex iudicio prudentum.* Hæc Sotus, quem ſequitur Petrus Arragonius 2. 2. q. 83. a. 12. & alij recentiores, qui etiam plus requirunt,

Digitized by Google

runt, v. g. quindecim vel ſexdecim aureos, ita vt ſuppeditet ſaltem bonam aliquam partem tenuis ſuſtentationis, vt ad quotidianum penſum Horarum obligetur. Imò quidam etiam laxiùs loquuntur, neceſſarium videlicet eſſe vt quis abſolutè teneatur, vt beneficium ipſius ſit ſufficiens ad vitam ſuſtentandam, quod tamen apud nullum legere memini.

9. *Rationes pro hac ſententia.*

Confirmatur hæc opinio his rationibus. Primò, quia parum pro nihilo reputatur, videturque tenue beneficium pro nullo habendum, ſi ſpectes præceptum Horas recitandi.

Secundò, qui ex ſuo beneficio nullos per ſe, vel per alium fructus percipit aut percipere poteſt, ad nihil ſecundum omnes tenetur. Ergo qui exiguum percipit ad partem ſolum, non ad totum tenebitur.

Tertiò, Qui altari deſeruit, de altari viuere debet, prioris ad Corinth. 9. Atqui talis clericus Eccleſiæ deſeruit, Ergo de Eccleſiæ bonis viuere debet: vt autem cenſeatur moraliter ſic viuere, debet ſaltem aliquam mediocrem victus portiunculam accipere.

Quartò, Quia, vt ſuprà vidimus, plura habens beneficia etiam copioſa & & ampla non tenetur niſi ſemel Horas recitare, quamuis etiam tria millia aureorum capiat. Ergo rationabile non eſt, vt quis tantumdem oneris ſuſtineat, qui ſolùm quatuor vel ſex aureos.

Quinto, Beneficium tenue in Iure habetur pro non beneficio, vt conſtat ex C. *Is cui*, de Præbendis in 6. vbi Bonifacius Papa definit, quòd is, cui ſit poteſtas conferendi beneficia perſonis idoneis, non poteſt illa conferre ijs qui beneficia ad decentiam vitæ ſufficientia poſſident, non habentibus verò huiuſmodi poſſit conferre, quo ſignificatur non habere beneficium qui non habet ſufficiens.

Concluſio. Etſi prior ſententia ſit longè Iuri conformior, receptior, tutior & probabilior; poſterior tamen rationabilis eſt, & per quandam decentiam, & ἐπιείκειαν introducta; & propter DD. qui illam tradunt in praxi probabilis. Non enim videtur mens Eccleſiæ eſſe vt ad tantum obligetur, is, qui ſex aureos ex beneficio recepit, atque is qui ſexcentos; Eſt tamen nonnihil quoad praxim explicanda & reſtringenda. Vnde

10. *Prior ſententia probabilior eſt. poſterior tamen etiam in praxi eſt probabilis.*

Nota primò, probabile videri beneficiarium non teneri ad quotidianum Horarum penſum, ſi beneficium non præſtet, ſaltem bonam aliquam partem tenuis ſuſtentationis, v. g. quartam vel tertiam: & ratio eſt, quia quidquid aliqui dixerint, quotidiana pſalmodia onus eſt valde graue: Ergo meritò ſuſtentationis ſaltem mediocris, aliquod ei reſpondere debet ſtipendium: Vnde qui ſolùm recipit viginti quinque florenos, ſatisfaciet Canonicum Officium feſtis Dominiciſque diebus legendo: Non enim attingit ſumma illa quartam partem mediocris ſuſtentationis, vt quotidie teneatur; quia tamen aliquid ab Eccleſia recipit, æquum eſt vt aliquod etiam obſequium Eccleſiæ reddat.

11. *Probabile eſt non teneri beneficiarium ad quotidianum penſum horarum, ſi beneficium non præſtet, ſaltem 3. vel 4. partem tenuis ſuſtentationis.*

Nota ſecundò, ſententiam Soti, & aliorum exponendam de beneficio quod à principio fuit tenue & modicum, non verò de illo, quod ab initio pingue & opulentum, poſteà caſu aliquo ad tenuiores prouentus redactum fuit. Qui enim perſenſit commodum, debet & ſentire incommodum, & quilibet æquus rerum arbiter, vtriuſque fortunæ vices cuilibet beneficiario iure ferendas iudicauerit, vnde rectè aduertit Suarez, beneficiarium meritò pati debere pericula ordinaria, & moralia, quibus ipſius fructus ſubijciuntur; vnde non propterea excuſandus erit à lectione Horarum, ſi fur eum bonis ſpoliauerit, vel ſegetes exuſſerit, vel a-

12. *Intelligitur tamen hæc ſententia de beneficio quod ab initio fuit tenue.*

Digitized by Google

ger ſterilis aliqua tempeſtate effectus fuerit; ſicut enim ab alijs officijs per iſta infortunia non eximeretur, ſic neque per eadem à lectione precum liberandus erit. Vide illum cap. 20. n. 15.

13. *Qui hanc ſententiam extendunt ad beneficiarium non habentem totam ſuſtentationem ex beneficio non, loquuntur probabiliter.*

Nota tertiò, quorumdam Doctorum ſententiam, Soti opinionem ad beneficiarium non habentem totam ſuſtentationem ex beneficio extendentium, non videri mihi probabilem ac practicè ſecuram. Non enim debet Beneficium totum victum & amictum clerico ſuppeditare, cùm præſertim lectio Horarum vix duas horas diei requirat, vt commodè recitentur. Non ergo conqueri de Eccleſia vt nouerca poterit, quod non totum victum ab illa ſumat, cùm eius ſeruitio ſolum quot diebus vnam & alteram horam impendat.

14. *Sententia hæc maximè locum habet in ijs, quibus aliud officium ratione beneficij debitum incumbit.*

Notá quartò, Soti opinionem multò magis habere locum in Beneficiarijs illis, quibus præter Horarum recitationem aliud ſeruitium Eccleſiæ impendendum incumbit; cui ſi fructus, qui ex Beneficio colliguntur, ex æquitate quoad tertiam vel quartam partem ſuſtentationis commenſurentur, prorſus nihil prouentuum relinquatur quod ſeruitio recitationis Horarum reſpondeat. Tunc enim tales ab Officij Diuini lectione meritò excuſabuntur, vt rectè Suarez ſuprà, num. 11. quia talia Beneficia reſpectu recitationis Horarum reputari poſſunt pro non Beneficijs.

CAPVT VII.

An nullos fructus ex bonis Eccleſiaſticis Beneficiarius recipiens nihilominus ad Officium Canonicum obligetur.

Video conſtare inter Doctores, Beneficiarios, qui ex Beneficio ſuo nullos fructus, nec per ſe, nec per alium recipiunt, nec recepturi ſunt, neque per illos ſtat quo minùs ijs fruantur, liberos eſſe ab onere preces Horarias perſoluendi. Nec hoc mirum cenſeri debet, cùm hæc obligatio non aliter oriatur ex Beneficio, niſi cum ordine ad fructuum perceptionem. Hi autem Beneficiarij ita ſe habent moraliter atque ſi beneficio carerent, cum illis ablata ſit facultas prouentum aliquem ex bonis Eccleſiæ colligendi, vt contingere ſolet in prouincijs hæreſi infectis, vbi hæretici Eccleſiæ reditus inuaſerunt. Ita Paludanus in 4.d. 15.q. 5. n. 13. Turrecremata in Can. 1. d. 91. q. 14. Nauarrus in Enchir. de Horis cap. 7. num. 28. & alij paſſim. 1.

Conſtat beneficiarios qui nullos fructus recipiunt vel recepturi ſunt, neque per eos ſtat quo minus recipiant, ad nihil legendum obligari.

2. *Explicatur concluſio.*

Dictum autem eſt ſignanter *per ſe* vel *per alium* ob multos iuuenes, quorum parentes ipſorum nomine percipiunt. Dixi *nullos*, quia ſi ſaltem diſtributiones quotidianas caperent, ad id tenerentur iuxta eoſdem DD. Addidi *nec recepturi ſunt*; ſi enim litigarent de Beneficio, & ſperarent ſe in lite fore ſuperiores, quoniam ius habent ad Beneficium; tenerentur perſoluere penſum Horarum: tunc enim fructus iudicis auctoritate deponuntur apud aliquem ſequeſtrum, ipſiſque debentur, in ipſorum commodum lata ſententia à die conteſtatæ litis ceſſuri; quod etiam locum habet, etiamſi aduerſarius, & collitigator eos recepiſſet, quia tunc illos reſtituere compelletur. Addit Azor. ſuprà cap. 4. q. 9. eum qui poſſeſſionem habet cum titulo colorato in foro exteriori, teneri; in dubio autem recipiendorum fructuum videtur ſecundum Suarez ſupra cap. 20. num. 14. pacificus beneficij poſſeſſor teneri ad recitandum. Adiunctum eſt poſtremò: *Nec per illos ſtat, quo minùs recipiant*, quia ſi culpâ ſuâ poſſeſſionem Beneficij non habeant, aut eâ aditâ in loco fundati

ti Beneficij non reſideant, ex negligentia, aut ob crimen aliquod commiſſum aut cenſuram fructibus priuentur, non excuſabuntur ab Horarum lectione.

3. Controuertitur iam primò, An Canonicus lege Horas recitandi ſoluatur, eò quòd fructus Beneficij primo anno, quo ſtadium facit, vel etiam pluribus, reſeruantur fabricæ templi, vel mortuo deceſſori, vel in aliquem alium vſum pium impenduntur, idque ex vſu vel priuilegio illius Eccleſiæ, in qua reſidet, & ſic nullum ex Beneficio pro tunc emolumentum capit.

4. *Canonicus primis annis ex beneficio ſuo nihil fructuum recipiens, ad horas tenetur.*

Reſpondeo cum Nauarro ſuprà cap. 7. nu. 30. talem canonicum minimè ſolui lege preces Horarias perſoluendi; tum quia Beneficium tranſit cum ſuo onere in eum in quem confertur, quod onus ſponte aſſumpſit, cùm Beneficij collationem acceptauit; tum quia illos poſt mortem ſuam recipiet; tum quia cum alijs ſuccedit in onus templi fabricam ſartam tectamque conſeruandi, cuius portio canonicorum bonis fuit permixta. Adde his, deberi ei dimidiam partem fructuum, prout habetur in Extrauaganti Ioannis XII. quæ incipit: *Suſcepti regiminis.* inter Extrauagantes communes tit. Ne ſede vacante C. vnico, & inter Extrauagantes Ioannis XII. tit. de Electione & Electi poteſtate: Et etiã ante eam poterat Eccleſiæ ſuæ deſeruire, & ſuſtentationem vicario debitam percipere.

5. Sed, quid dicendum ſi ſtatuto, vel conſuetudine, vel priuilegio quarumdam Eccleſiarum introductum ſit, etiam accedente Romani Pontificis confirmatione, vt Beneficiarius ſtadium faciens, hoc eſt, primo ſuæ reſidentiæ anno, vel etiam vlteriùs nihil prorſus fructuum recipiat, etiamſi paratus ſit Eccleſiæ ſeruire, ſed totum cedat in vſum fabricæ, vel alios pios, vel Canonicis ſenioribus.

Reſpondet Nauarrus huiuſmodi morem abrogatum fuiſſe per Extrauagantem Pij V. quæ incipit: *Dudum* (ſed legendum eſt, *Durum*) editam an. 1570. eſtque conſtitutio centeſima ſexta Pij V. Sed quia aliquæ Eccleſiæ eam nec receperunt, nec recipere volunt, Credo, inquit, nouum Canonicum excuſari à recitando, etiamſi iure deberentur ei dimidiati fructus: quia cùm non poſſit eos ſine impenſa fructibus maiore, & lite moleſtiſſima cõtra Eccleſiam ſuam exigere, ſatis videtur non poſſe eos recipere. Aliter reſpondet Suarez ſuprà c. 20. nu. 8. ſcilicet talem nouum Canonicum, ſi ex conſuetudine præſcripta & honeſta (quod fortè interdum fieri poteſt) fructus Beneficij inter alios Canonicos diuidantur omnino debere recitare, quia licet iam patiatur incommodum & grauamen; poſteà tamen ex nouis accedentibus Canonicis commodum & leuamen æquale percipiet, partem fructuũ ex eorum Beneficijs colligens. Quòd ſi ex conſuetudine iniqua (vt in ſpeciẽ ferè ſẽper eſſe videtur) huiuſmodi Beneficij fructus alijs Canonicis accedant, ſitque huiuſmodi exactio, & retentio fructuum iniuſta, tunc ex illo capite ad recitandum non tenebitur, cum huiuſmodi expectato emolumento, vtpote iniuſto, tutâ conſcientiâ frui non poſſit, nec damnum prius eo compenſare. Vnde putat conſtitutionem Pij V. ſuprà editam eſſe ad firmandum decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 14. In quo nõ reprobantur generatim illæ conſuetudines, ſed ſolum quæ videntur ſpeciem habere Simoniæ, vt quando primorum annorum fructus ex Beneficio cedunt Epiſcopo, vel alijs Canonicis. Condemnat enim ibi Concilium omnes deductiones & ſolutiones ex fructibus, quæ non conuertuntur in vſus pios. Vnde docet ibidem num. 7. Suarez valde

6. *Quomodo tamen hoc intelligendum ſit, explicatur allatis varijs Doctorum ſententijs.*

u 3 proba-

Digitized by Google

probabile eſſe Canonicum primo anno ne deſtributiones quidem recipientem,cùm tamen cogatur reſidere, excuſari , ſi ex iniuſta conſuetudine omnes fructus eius beneficij Epiſcopo approprientur;licet idem velit numer. 11. illum teneri ad recitandum , ſi ſaltem accipiat diſtrubutiones & fructus primi anni conuertantur in vſus pios.

7. *Non improbabile nouos canonicos excuſari cùm primis annis omnes fructus fabricæ vel pijs vſibus applicantur.*

Cæterùm cum Nauarro ſentit Azor. ſuprà c. 4. q. 4.ſcilicet nouos Canonicos non teneri ad recitandum , ſi ipſorum Beneficiorum fructus, quos primo vel etiam ſecundo anno recipere debuiſſent,ex conſuetudine ſuæ Eccleſiæ in pios vſus expendantur. Denique Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 34. dubit. 31. docet nõ eſſe improbabile nouos Canonicos non teneri pro anno fabricæ, ſi non eſt penes eos , vt aliquid ex eo recipiant:ſicut enim potuerunt ab initio beneficia ſic inſtitui,vt primis duobus annis ſint prouiſis planè inutilia;ſic etiam multorum annorum conſuetudine induci potuit,vt tales à recitando excuſarentur.

8. *Idem probabile eſt de litigantibus ſi nulla ſpes victoriæ affulgeat.*

Iudico quoque idem dicendum de litigantibus pro fructibus Beneficij, quod poſſident,ſi nulla probabilis ſpes illis affulgeat,lite terminata ſe pro rata temporis,quo lis durauit, prouentibus Beneficij fruituros. Ita enim docent multi DD. vt Caietanus, Sotus, Nauarrus & alij :eſtque ſecura in praxi ſententia.

9. *Dubium.*

Controuertitur ſecundo, An is, qui alteri in fauorem ſuum Beneficium reſignanti omnes fructus illius reſeruauit loco penſionis, nihilominus recitare preces Horarias teneatur.

10. *Is qui alteri beneficium ſuum in fauorem reſignanti omnes fructus loco penſionis reſeruauit tenetur nihilominus recitare.*

Reſpondeo, cum Nauarro ſuprà c. 7.n.3.& cap. 20. n. 15. & Ioanne Medina,quem Nauarrus ibi citat, Cod.de Orat. q. 7. omnino teneri ; tum quia ipſius conſenſu fructus alteri conceduntur proinde atque ſi poſt multos annos amicis eos percipiẽdos relinqueret;tum quia ipſe verè beneficiarius eſt, non verò is , cui penſio eſt aſſignata; tum denique quia per ipſum ſtat percipere fructus ſaltem mediocres. Poteſt enim beneficio deſeruire, vt debet, & tùnc,is cui omnes fructus ſunt reſeruati,pro ſeruitio impenſo cogetur ſatisfacere. Iij namque ſoli , qui oneribus deductis ſuperſunt, cenſentur fructus L. *Fructus*,ff. Soluto matrimonio. Poſtremò talis Beneficiarius tenetur ad alia ſeruitia adminiſtrationi ſui beneficij annexa. v. g. ad Sacramentorum diſpenſationem , ſi eſt parochus, aſſiſtentiam in choro , ſi habet præbendam &c. Ergo etiam ad Horarum recitationem , quod eſt quaſi fundamẽtale cuiuſlibet beneficiati officium. Nihil autem refert an huiuſmodi beneficij acceptatio fiat proprio conſenſu ipſius beneficiarij,an verò iuſſu Pontificis , quia ſemper militat hæc ratio, quòd poſſit beneficio ſuo deſeruire , & ſtipendium ſuis ſeruitijs debitum accipere, quod ſi Beneficium adminiſtrare noluerit,ſibi imputet , quod diſtributionibus, & neceſſaria ſuſtentatione careat. Quod ſi quis ex Pontificis conſenſu ſolum titulum beneficij recipiat ,fructibus, & totius beneficij adminiſtratione, & obligatione penes alterum remanentibus (quod genus inſolentis reſeruationis dicit Nauarrus ab aula Romana ſuo tempore exulaſſe)videtur idem Nauarrus c. 20. nu. 5.ſentire talem beneficiarium adhuc obligari, quia ipſius conſenſu hæc reſeruatio accidit.

11. *Quod ſi conſenſu Pontificis omnes fructus & adminiſtratio beneficij alteri reſeruentur.*

Cæterùm quidquid ibi ſenſerit Nauarrus clarè oppoſitum tenet in capit.21.numer. 12. & in Manuali Confeſ. c. 25. n. 104. ſcilicet conſentientem vt renuntianti omnes fructus , & omne ſeruitium & adminiſtratio beneficij reſeruarentur, non obligari ad Horas , quia is neque percipere quidquam ex fructibus beneficij poteſt, neque ſeruire nolente

Pen-

Digitized by Google

& apud alterum ſolus ſit titulus beneficij tunc ad nihil recitandum tenebitur.

Penſionario. Quam ſententiam plures Doctores ſequuntur: & ſic intellige Sotum lib. 10. de Iuſt. q. 5. ar. 3. Vbi excuſat beneficiarium, qui habet titulum ſine fructibus. In illo itaque caſu onus legendi remanebit apud Penſionarium, non vt Penſionarium, ſed vt habentem adminiſtrationem beneficij, cuius pars eſt Horarum Canonicarum recitatio; alter verò ſolùm titulum habet beneficij, cum iure ſuccedendi in ſeruitium & fructus eius.

12. *Dubium de adoleſcentibus metu patris acceptantibus beneficium.*

Quæres hîc, An ad penſum Horarum aſtringendi adoleſcentes, qui cum affectu careant Deo in ſtatu Eccleſiaſtico ſeruiendi; nihilominus acceptauerunt beneficium metu reuerentiali patris, alioqui ſponte illud reſignaturi?

13. *Tales tenentur ſi intendunt ex beneficio annuos fructus colligere vt beneficiarij.*

Reſpondet Leſſius ſuprà Dubit. 3. ſub diſtinctione; vel enim intendunt huiuſmodi ex bonis Eccleſiæ colligere annuos prouentus, vt alij beneficiarij, & ſic conſequenter ad Officium annexum ſe obligant; vel nihil ad ſe volunt peruenire de fructibus, & tunc non videntur teneri ad Officium, quia acceptatio illa Beneficij fuit coacta graui & iuſto parentis metu, qui eos tum ab alijs, tum à recitatione Horarum ſoluit. Tenentur tamen habere animum reſignandi beneficium, quàm primùm potuerint, & fructus qui ad ſe peruenerunt reſtituere; reliquos verò pater vel eius hæredes ex rata: quibus adoleſentes obligationem hanc aperire debent. Ita Leſſius.

CAPVT VIII.

Vtrum Beneficiariorum obligatio de precibus Horarijs dicendis inchoetur à tempore collati Beneficij, an ſolùm à die aditæ poſſeſsionis.

CErtum eſt apud omnes beneficiarium non teneri hac lege per ſolam præſentationem, electionem, nominationem, aut quamcumque prouiſionem, etiam collationem nondum acceptatam; quia hæc ſolùm illi tribuunt ius ad rem, nec dominium beneficij conſtituunt, aut ius in re concedunt, quod neceſſarium eſt ad hanc obligationem.

1. *Beneficiarius lege horarum non tenetur per ſolam præſentationem, electionem &c.*

Vnde ſentio ego, quidquid alij teneãt, eum qui in Canonicorum numerum aſſcriptus eſt, nondum tamen præbendam eſt adeptus; ſed ſolùm primam vel ſecundam vacaturam recepturus, hac lege non teneri, etſi habeat ſedem in Choro, ſuffragium in Capitulo, &c. imò etiam ſi diſtributiones aliquas accipiat, quia meo iudico ille ſolùm habet ſpem ad canonicatum, non verò eſt propriè Canonicus cum iure & dominio alicuius beneficij: & ita videtur ſentire Azor. ſuprà, cap. 4. q. 12.

2. *Aſſcriptus in numerum Canonicorum, nondum tamen præbendam adeptus ad horas non tenetur.*

Conſtat præterea ſolùm titulum Beneficij ſine ſpe adeundæ poſſeſſionis, aut cum ſpe quidem illa, ſed tamen ſine probabilitate recipiendi aliquando fructus, non obligare ad penſum Horarum, quia ille ſolùm nomine eſt beneficiarius ſine fructibus.

3. *Ad horas non tenetur qui titulum habet beneficij ſine ſpe tamen adeundæ poſſeſſionis.*

Extant iam de propoſita quæſtione opiniones duæ. Vna eſt Nauarri ſuprà, cap. 7. num. 29. & Tom 1. Conſil. lib. 3. titu. de celeb. Miſſ. Conſil. 17. ſcilicet beneficiarium ſtatim teneri atque ſibi factæ collationi conſenſit: tum quia per ſolam collationem acceptatam ante quæſitam poſſeſſionem acquiritur ius in re, & ipſius beneficij dominium: tum quia, ſicut in matrimonio carnali ante poſſeſsionem acquiritur dominium, ita & in ſpirituali: Denique fructus debentur Beneficiario à die admiſſæ Collationis, quia fructus rei debentur domino ipſius rei, quamuis non percepturus ſit antequam poſſideat. Intelligit tamen hoc Nauarrus de eo qui non impeditur accipere poſ-

4. *Prima ſententia tenet beneficiarium ſtatim obligari ab acceptata collatione.*

ſeſſio-

Digitized by Google

nullam obligationem inducit Horas Canonicas vel aliud recitandi. cùm non ſupponat ius perpetuum vectigal ex bonis Eccleſiæ colligendi, ortum ex functione alicuius muneris ſpiritualis. Ita immunis erit à recitando officio Quæſtor vel Oeconomus Eccleſiæ, vel cuicumque honorarium aliquod ſoluitur ex patrimonio Chriſti, ob vtilem operam Eccleſiæ nauatam, vel ſpem eandem iuuandi, in eius fauore, potentiâ, induſtriâ repoſitam. Item quibus merces penditur ob temporalem laborem, vt ſunt illi qui campanas pulſant, ſacram ſupellectilem cuſtodiunt, ſacriſtæ, ianitores, ſymphoniacorum magiſtri, imò illi qui ſtipendio conducti, Philoſophiam, vel Theologiam docent, & ſimiles, quamuis etiam ijdem Clerici ſint: quia ad talia miniſteria per ſe non requiritur ſtatus clericalis, cùm per laicos obiri poſſint, & ſoleant. Aliud eſt ſi quis præbendam obtineat affectam onere Theologiam profitendi: nam certum eſt talem propriè eſſe Beneficiarium. In eamdem claſſem redigendi ſunt, qui ob infirmitatem, ſenium, aut quid ſimile, portionem aliquam vitæ ſuſtentandæ neceſſariam recipiunt ab aliquo Canonicorum Collegio, vel Monaſterio; per accidens enim illis eſt, quod ſæpe Clerici ſint. Vide Nauarrum ſuprà c. 7. n. 26.

2. *Illi etiam qui penſionem obtinent titulo Clerici non obligantur ad Horas Canonicas.* Certum etiam eſt apud Theologos & Canonum Doctores ad Officium Canonicum non obligari eos qui ex patrimonio Eccleſiæ alimenta per modum penſionis capiunt, etiam titulo Clerici, id eſt, vel ob ſpirituale aliquod miniſterium, vt cum penſio alicui conſtituitur, vt parochum vel Epiſcopum iuuet, in officio concionandi, ſacramenta adminiſtrandi &c. quæ penſio eſt omnino ſpiritualis; vel ſaltem tribuitur illis, vt clericis, qualis eſt illa quæ ſoluitur parocho ſeni, vel ratione reſignationis in fauorem permutationis vel tranſactionis in lite beneficiaria, quæ etiam eſt penſio Eccleſiaſtica, & ſaltem ratione ſubiecti ſpiritualis, quia clericatum in penſionario ſupponit. Ita Sotus lib. 10. de Iuſtitia quæſt. 5. artic. 3. Medina cod. de Orat. quæſt. 7. Nauarrus ſuprà capit. 7. numer. 25. & reliqui omnes. Ratio eſt, quia penſio propriè loquendo non eſt Beneficium, vt rectè probat Caietanus Tom. 1. Opuſc. Tract. 31. Reſponſ. decima, idque ex duobus. Primo, quia penſio ſolos fructus Beneficij Eccleſiaſtici reſpicit. Secundò ex eo, quod poteſt etiam laicis concedi, ſicut conceduntur eis decimæ Eccleſijs debitæ. Vt enim D. Thomas docet 2.2. quæſt. 100. art. 4. ad 3. cùm Papa concedit decimas Eccleſiarum laicis, non intelligitur concedere ius ſpirituale decimarum, ſed temporalem actionem circa fructus decimarum. Similiter dicendum de penſione, quod conceſſio annuæ penſionis non eſt niſi puræ temporalis rei donatio, ac per hoc poteſt licitè pro certa ſumma pecuniæ Beneficium ab onere penſionis liberari. Hęc Caietanus. Quod poſtremum intellige de penſione quæ datur ob miniſterium temporale licet Clerico, non verò ſi ob officium ſpirituale. Adde his penſionem ex natura inſtitutione ſua eſſe ſolùm temporariam, & morte penſionarij extingui; Beneficium verò ex ſua cōditione eſſe ius perpetuum, & tale, vt ſi vni auferatur, alteri neceſſariò concedendum ſit. Poſtremò, quia poſſidens Beneficium ex quo annua debetur penſio, tenetur ad Horas Canonicas. Ergo non ille qui penſionem ex illo percipit: Non enim ratione vnius Beneficij duo obligari ſolent ad Officium Canonicum.

Concluſio. Etſi iure antiquo illi qui vt clerici penſione Eccleſiaſtica gaudebant ad nihil obligarentur recitandum; noua tamen conſtitutione Pij V. tenentur dicere ad minus Officium D. 3. *Etſi iure antiquo clerici titulo clericali*

 Virgi-

penſionem Eccleſiaſticam percipientes ad nihil tenerentur, iure tamen nouo obligantur Officium D. Virginis minus recitare.

Virginis, alioqui fructus non facerent ſuos, ſed ad eorumdem reſtitutionem, eàdem cum Beneficiarijs menſurâ obſtringerentur, vt inferius ſuo loco declarabitur.

4. *Prob. prior pars.*

Prior pars concluſionis per ſe patet, quia nullum in Iure Canonico vel conſuetudine inueniebatur olim præceptum, quo ad aliquid legendum huiuſmodi clerici compellerentur: & ratio erat, quia penſio, quâ gaudebant, non erat, nec cenſebatur Beneficium, nec dabatur ob officium aliquod orandi, ſed causâ gratitudinis, eleemoſynæ, ſubſidij, &c.

5. *Prob. poſterior ex conſtit. Pij V.*

Altera pars conſtat ex conſtitutione Pij V. quam ad verbum recitat Nauarrus in Manuali Confeſ. c. 25. n. 120. & in Enchir. de Horis cap. 7. n. 32. Verba Pontificis ſunt hæc: *Quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt clericus percipit, cum modo præfato* (vt Beneficiarij ſcilicet ad Officium Canonicum) *ad dicendum paruum B. Mariæ Virginis Officium decernimus obligatum, & penſionum fructuum rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.*

6. *Obligat hæc Pij conſtitutio in conſcientia penſionarios.*

Nota hîc primò, viros doctos cenſere conſtitutionem hanc Pij obligare huiuſmodi penſionarios. Ita enim tenet Azor. lib. 10. c. 4 q. 4. & Suarez lib. 4. de orat. c. 22. num. 5. vbi docent omnes Theologos qui poſt editam illam ſanctionem ſcripſerunt, tenere eam eſſe obſeruandam.

7. *Quiſnam percipiat penſionem vt clericus.*

Nota ſecundò, Cenſeri quem recipere penſionem vt clericum, quando exigitur in eo ſtatus clericalis, vt capax habeatur penſionis percipiendæ. Tales penſionarij ſunt, quorum penſio eſt Eccleſiaſtica & ſpiritualis, vel ſaltem media inter Eccleſiaſticam & temporalem. Quod ſi ſit merè temporalis non obligabit eâ gaudentem ad quidquam recitandum. Inter temporales verò numerant DD. quidam illas quæ conſtituuntur quibuſdam militibus matrimonio iunctis, ſed regularem aliquem Ordinem profeſſis: non enim videntur illis dari vt clericis, ſi propriè loqui velimus. Imò Nauarrus t. 1. Conſiliorum l. 3. tit. de Celeb. Miſſ. Conſil. 22. docet huiuſmodi militem ratione penſionis, quam ante ordinem ſuſceptum habebat vt clericus, & iam indulto ſedis Apoſtolicæ miles factus retinet, non teneri ad Officium D. Virginis recitandum poſt Profeſſionem in Ordine.

8. *Poteſt huiuſmodi Clericus Officium Canonicum legere ſi velit loco officij D. Virginis.*

Nota tertio, Non ſic aſtringi ad hoc officium D. Virginis penſionarium, quin poſſit, ſi malit, pro eo maius Officium vel Canonicum recitare, quia non videtur mens Pontificis fuiſſe maius officium excludere, ſua conſtitutione, ſed ſolùm ad illud non obligare.

9. *Clericus in ſacris vel beneficiarius ſimulque ex alieno beneficio penſionem percipiens præter Horas Canonicas legere officium B. Virg. non tenetur.*

Nota poſtremò, Valde æquum videri quod tradunt Suarez & Azor. ſuprà, clericum Ordine Sacro initiatum vel Beneficiarium, ſimulque ex alieno Beneficio penſionem & fructus percipientem, ſatisfacere Eccleſiæ ſi Officium Canonicum perſoluat omiſſis Horis D. Virginis, quia Pontificis mens hoc modo rationabiliter exponi poteſt, vt ſolum aſtringere voluerit ad officium D. Virginis Clericos illos, quibus ex aliò capite non incumbit Officium Canonicum recitare, quales illi ſunt qui tonſurâ inſigniti, vel minoribus Ordinibus, penſionem ſolam ex bonis Eccleſiæ capiunt, non verò in ſacris conſtituti vel Beneficiati. Si enim vt ſuprà dictum eſt, muneri ſuo ſatisfacit duo poſſidens beneficia ſemel dumtaxat in die preces Canonicas legendo, cur non ſatisfaciet habens Beneficium & penſionem, ſi idem præſtiterit?

Poſtremò Valerius Reginaldus in Praxi fori pœnitentialis lib. 30. tract. 3. c. 4. ſect. 3. colligit ex Nauarro de Horis c. 7. n. 25. teneri clericos ad pre- 10.

ces

Digitized by Google

ces D. Virginis qui penſionem habēt ad vitam ſuſtentandam ſufficientem. Cæterùm Nauárrus hoc non dicit: ſed ſolùm decere, vt Eccleſia penſionarios qui recipiunt penſionem ad vitæ ſuſtentationem ſufficientem, noua lege lata obligaret ad recitationem Horarum Canonicarũ: & Pius V. Pontifex in ſua ſanctione nuſquam inſinuat quod vult Valerius. Vnde eadem ratio de illis erit atque de Beneficiarijs: dicendumque eos, qui tenues admodum fructus vel penſionem poſſident, eo pacto ad minores Horas D. Virginis teneri, quo Beneficiarij exiguos prouentus ex ſuis Beneficijs colligentes ad Horas Canonicas, de quibus ſuprà dictum.

Penſionarij tenuiores eo modo tenentur ad officium B. Virginis, quo ad Canonicum tenuiores beneficiarij.

CAPVT X.

Vtrum Beneficiarij penſum ſuum Horarium non perſoluentes iure Pontificio ad reſtitutionem fructuum aſtringantur.

1\. IN confeſſo eſt apud omnes in Iure Canonico nullam latam eſſe pœnam vel ſpiritualem, vel temporalem pro quibuſcumque omittentibus Horarum lectionem, niſi hanc de fructibus reſtituendis à Beneficiarijs.

2\. Concluſio. Iure Canonico impoſita eſt Clericis Beneficiarijs poſſidentibus, officiumque Eccleſiaſticum recitare negligentibus fructuum ſuorum Beneficiorum reſtitutio pro rata temporis, quo non recitarunt.

Clericis beneficiarijs non recitantibus impoſita reſtitutio fructuum beneficiũ pro rata temporis quo horas omiſerunt in Conc. Lateranenſi.

Ita ſtatutum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſ. 9: ,, Statuimus, inquit, & ordinamus quod quilibet, habens Beneficium cum cura ,, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab ,, obtento Beneficio diuinum officium ,, non dixerit legitimo impedimento ,, ceſſante, Beneficiorum ſuorum fru- ,, ctus non faciat ſuos, pro rata omiſſionis recitationis officij, & temporis, ,, 3. ſed eos tamquam iniuſtè perceptos in ,, fabricas huiuſmodi Beneficiorum vel ,, pauperum eleemoſynas erogare te- ,, neatur. Si verò vltra dictum tempus ,, in ſimili negligentia contumaciter ,, permanſerit, legitima monitione præ- ,, cedente, Beneficio ipſo priuetur: cùm ,, propter Officium detur Beneficium; ,, intelligatur autem Officium omittere, ,, quoad hoc, quod eſt Beneficio priua- ,, ri poſſe, qui per quindecim dies illud ,, bis ſaltem non dixerit.

4\. Rurſus decretum hoc Concilij, quia fortè non erat ita receptum, vel non ſatis clarè explicatum, à Pio V. confirmatum, & declaratum, auctumque fuit noua conſtitutione, quæ eſt 138, in Bullario Romano, vbi ſic decernit: Ex proximo Lateranenſi Concilio pia & ,, ſalubris ſanctio emanauit, vt qui- ,, cumque habens beneficium Eccleſia- ,, ſticum cum cura aut ſine cura, ſi poſt ,, ſex menſes quàm illud obtinuerit, di- ,, uinum officium legitimo ceſſante im- ,, pedimto, non dixerit, &c. Verumta- ,, men multorum animi ſuſpenſione te- ,, nentur cuiuſmodi ratæ præfatæ ratio ,, ſit habenda. Nos euidentiùs huic rei ,, atque expreſſiùs prouidere volentes, ,, ſtatuimus, vt qui Horas omnes Ca- ,, nonicas vno vel pluribus diebus in- ,, termiſerit, omnes Beneficij ſeu Bene- ,, ficiorum ſuorum fructus, qui illi vel ,, illis diebus reſponderent, ſi quotidie ,, diuiderentur: qui verò matutinum ,, tantùm, dimidiam; qui ceteras omnes ,, Horas, aliam dimidiam; qui Horarum ,, ſingulas ſextam partem fructuum ,, eiuſdem diei amittat: tametſi aliquis ,, Choro addictus non recitans omni- ,, bus Horis Canonicis cùm alijs præ- ,, ſens ſit, fructuſque & diſtributiones ,, fortè aliter aſſignatas ſola præſen- ,, tia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fun- ,, dationem, vel aliàs ſibi lucri feciſſe ,, prætendat, Is etiam præter fructuum ,,

Decretum Lateranenſe confirmatum, explicatum & auctum fuit à Pio V.

Digitized by Google

„ & diſtributionum amiſſionem : item
„ ille qui primis ſex menſibus Offi-
„ cium non dixerit, niſi legitimum im-
„ pedimentum ipſum excuſauerit,
„ graue peccatum intelligat ſe admi-
„ ſiſſe: Declarantes præſtimonia, præ-
„ ſtimoniales portiones, & qualiacum-
„ que alia beneficia, etiam nullum om-
„ nino ſeruitium habentia obtinentes;
„ cum præfatis pariter contineri. At
„ quicumque penſionem, fructus; aut
„ alias res Eccleſiaſticas, vt clericus
„ percipit, eo modo præfato ad di-
„ cendum officium paruum B. Mariæ
„ Virginis decernimus obligatum, &
„ penſionum, fructuum, rerumque ip-
„ ſarum amiſsioni obnoxium.

5. Petes hîc primò, An decretum illud Concilij Lateranenſis maximè conſtitutione Pij V. confirmatum & explicatum obliget?

Decretum Lateranenſe à Pio V. innouatum, quicquid aliqui dixerint, obligat.

Reſpondeo, Sotum lib. 10. de Iuſtitia q. 5. a. 6. qui Pij V. conſtitutionem non viderat, docuiſſe non obligare, vtpote non receptam. Idem alij docti viri ante tempora Pij V. tenuere. Inter Recentiores verò Franciſcus Zypæus in Iure Pontificio nouo lib. 3. tit. de Clericis non reſidentibus num. 27. dicit, quòd cùm Concilij Lateranenſis decretum de fructibus reſtituendis à Beneficiarijs non recitantibus auctore Soto & alijs non fuerit receptum, & Pij V. Bulla, quæ illud renouat, non fuerit promulgata in Belgio, facilè Beneficiarios in Belgio poſſe manere in terminis Iuris antiqui, & quod fuit ante Concilium Lateranenſe ſub Leone X. Cæterùm dubitari non poteſt, quin illud ſtatutum ſaltem iam innouatum, explicatum, & auctum à Pio V. ſit vſu receptum & obligatorium: tum quia nullum Doctorem legi, qui hoc in controuerſiam vocet; tum quia ſtatutum, cùm moderamine, quod rationabilis Epikia demonſtrat, maximè conforme eſt æquitati & iuri naturali, vt inferiùs videbitur.

Petes 2. An decretum illud Lateranenſe ſit merè pœnale non obligans niſi poſt ſententiam Iudicis, an verò ſit æqui conſtitutiuum conſcientiam delinquentis onerans ante omnem condemnationem, etiamſi crimen probari non poſſit. 6

Decretum illud non eſt propriè pœnale, ſed æqui conſtitutiuum obligans in conſcientia ante Iudicis ſententiam.

Reſpondeo, Non eſſe propriè pœnale, ſed non recitantem obnoxium eſſe reſtitutioni in conſcientia, & ipſo facto ante omnem ſententiam debere reſtituere, quod perſpicuè ex verbis legis colligitur, cùm ait: primò, elapſis ſex menſibus ab obtento Beneficio non recitantem non facere fructus ſuos: cui verò dubium eſſe poteſt per ſe ſine vlteriore Iudicis declaratione in conſcientia debere reſtitui id cuius dominium non eſt acquiſitum? Secundò, cùm adijcit fructus ſic perceptos, tanquam rem iniuſtè captam in eleemoſynas, &c. impendi debere: conſtat autem, quod contra Iuſtitiam quis obtinet, neceſſariò nullo iudice cogente, ei cui debetur, reddendum. Vnde nec Extrauagans Pij V. propriè pœnalis eſt, cùm ſit ſuperioris conſtitutionis tantùm declaratoria & confirmatoria.

Petes 3. An olim ante Concilium Lateranenſe fuerit aliquod ius canonicum obligans beneficiarium non recitantem ad fructus reſtituendum? 7.

Ante Lateranenſe nullum ius canonicum latum erat obligans non recitantem ad reſtitutionem.

Reſpondetur cum Nauarro cap. 7. de Horis num. 31. nullum fuiſſe.

Petes 4. An ex decreto prædicti Concilij excuſetur non recitans beneficiarius à reſtitutione primis ſex menſibus ab obtento beneficio.

Negat Sotus l. 10. de Iuſtitia. q. 5. art. 6. Sed dicendum eſt cum Nauarro de Horis c. 21. n. 58. & Azor. lib. 10. cap. 14. q. 4. & alijs, planè excuſari, vt patet ex tenore ipſius decreti, idque non tantùm negatiuè, vt vult Suarez lib. 4. de Orat. cap. 29. num. 5; ſed etiam poſitiuè: id eſt, non tantùm 8.

Beneficiarius non recitans excuſatur à reſtitutione primis ſex

non

Digitized by Google

menſibus ab obtento beneficio.

non obligare ad reſtituendum, ſed etiam ei permitti & indulgeri, vt fructus ſuos faciat, quamuis primo ſemeſtri non recitet, & non recitando mortaliter peccet. Nec nimia debet videri illa indulgentia, vt loquitur Sotus ſuprà & relaxatio legis; quia cùm nouum onus Beneficiarijs Eccleſia ſuâ lege imponeret, voluit illud nonnihil mitigare, quod commodiſſimè factum fuit primo ſemeſtri, quo tirones adhuc ſunt & minus rectè modum norunt Canonicas Horas legendi. Quod verò idem Sotus ſuprà ſuâ auctoritate, loco, *poſt ſex menſes*, in ſtatuto Concilij ſubſtituit, *per ſex menſes*, quaſi textus ſit corruptus, rectè refellitur à Nauarro ſuprà numero 61, & alijs. Nec opus eſt multis, cùm Pius V. ijſdem verbis poſt ſex menſes vſus fuerit Concilium citans.

9. *Reſponſio ad Soti obiectiones.* Nec incommoda quæ Sotus obijcit ſequi ex verbis Concilij, *poſt ſex menſes*, vllius momenti ſunt. Niſi, inquit, legamus *per ſex menſes*, ita vt etiam is obligetur reſtituere qui per ſex primos menſes non recitarit, poſtea verò is qui poſt ſex menſes ne quidem bis in diebus quindecim recitarit, beneficio priuetur; Concilium vel eſſet nimis laxum in primis ſcilicet ſex menſibus, poſtea verò nimis ſtrictum poſt ſex menſes. Nam iam dixi, non defuiſſe rationem Concilio cur reſtitutionem primo ſemeſtri remiſerit, poſt ſex verò menſes elapſos, non eſt nimis ſtrictum quia non ſtatuit ipſo facto Beneficio priuatum eſſe non recitantem, ſtatim poſt dies quindecim, niſi per duos ſaltem dies interea legerit, ſed dumtaxat priuandum; ſi contumaciter in negligentia permanſerit: Vnde præcedere debet legitima admonitio. Senſus ergo breuiter eſt, vt rectè Nauarrus ſuprà numero 62. Beneficiarius omittens Horas poſt ſex menſes contumaciter, monitus vt eas dicat, & non dixerit, ſaltem bis intra quindecim dies ipſo beneficio priuetur.

10. Peres quintò, An ſicut ſex menſes ab obtento Beneficio, quibus Officium omittitur requiruntur, vt quis non recitans incurrat onus fructus reſtituendi; ita etiam ſimile ſemeſtre ſpatium indulgeatur ei qui primis quidem ſex menſibus ſemper recitarit; poſteà verò eo tempore præterlapſo; vel continuis, vel interruptis diebus in quocumque tandem temporis, quo beneficium poſſidet, decurſu, ſæpius Horas recitare negligit.

11. *Conceduntur ſex primi non recitanti; vt fructus ſuos faciat non verò alij ſex in reliquo tempore poſt illos elapſos.* Reſpondeo, Tum ex verbis Concilij, tum ex Bulla Pij V. clariſſimum eſſe ſolùm primos ſex menſes ab obtento Beneficio concedi non recitanti, vt fructus ſuos faciat; Non verò aliud ſimile ſemeſtre ſpatium in reliquo tempore poſt illos elapſos. Ratio autem conceſſionis potiùs vnius quàm alterius ſatis patet ex dictis.

Petes 6. Vtrum is qui vltra ſex menſes v. g. per octo aut decem diuinum officium non legit, immunis adhuc ſit ab obligatione reſtituendi, ſaltem pro prioribus ſex menſibus; an verò pœna reſtitutionis retrotrahatur etiam ad prius ſemeſtre propter diuturniorem culpam?

12. *Si aliquot diebus vltra ſex menſes omiſerit liber tamen erit à reſtitutione pro ſemeſtri priore.* Reſpondeo. Obligationem illam non retrotrahi, ſed talem planè liberum eſſe ab onere reſtituendi pro ſemeſtri priore: Quod ſatis apertè ſignificat Pius V. dum ait: huiuſmodi quidem grauiter peccaſſe; de reſtitutione verò nullam facit mentionem.

CAPVT XI.

Quantum & quibus reſtituendum ſit ab illis, qui elapſis ſex primis menſibus Canonicum Officium omiſerint.

Circa primum, duæ ſunt ſententiæ; prior eſt Soti l. 10 de Iuſtitia q. 5. a.

Digitized by Google

1. *Prior ſententia docet tantum reſtituendum quantum recitationi horarum ex fructibus deberetur.*

q. 5. a. 6. qui decretum Lateranenſe explicat ſic intelligendum, vt nimirum tantum velit Horas omittentem reſtituere partem illam fructuum, quæ recitationi Horarum deberetur, ſi prouentus Beneficij diuiderentur, & ſingulis officijs ſui aſſignarentur fructus; vel certè, reſtitutionem illam faciendam arbitrio boni viri. Sotum ſequuntur Bartholomæus Medina, Ludouicus Lopez, Petrus Arragon. Henriquez, & alij quidam, quos hîc citat tractatu de de Excommunicatione cap. 13. Idem ſenſerant ante Concilium Lateranenſe Angelus & Sylueſter.

2. *Reijcitur hæc ſententia.*

Sed hæc ſententia planè pugnat cum verbis Pij V. quibus decretum Lateranenſe declarat, cùm ſtatuit omittentem vno die Horas perdere omnes Beneficij ſui vel Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi diei reſponderent, ſi diuiderentur. Quis autem audeat illud (omnes) reſtringere ad omnes fructus illius diei reſpondentes ſolùm obligationi recitationis Officij Canonici?

3. *Altera ſententia reſtituendos omnes fructus diei, quo horas omiſit reſpondentes.*

Altera itaque ſententia communis Doctorum eſt, ſcilicet non ſolùm reſtituendos eſſe fructus reſpondentes oneri pſallendi Horas Canonicas, ſed etiam debitos omnibus alijs miniſterijs, quæ incumbunt illi ratione Beneficiorum, qui Horas recitare negligit iuxta proportionem & taxationem conſtitutam à Pio V. quia hoc euidenter colligitur ex eius ſanctione.

4. *Prima concluſio, poſterior ſententia tenenda.*

Concluſio prima. Beneficiarius quicumque poſt ſex menſes ab obtento Beneficio non recitans Officium diuinum, legitimo ceſſante impedimento, reſtituere tenetur omnes omnium ſuorum Beneficiorum fru[illegible] qui diebus, quibus non recitauit, reſponderent, ſi quotidie diuiderentur. Ita declarauit Pius V. ſuprà: Et ten[illegible] paſſim Doctores Nauarrus cap. [illegible] de Horis n. 31. Couarruuias lib. 3. Variarum Reſolutionum capit. 30. numer. 10. Gregorius à Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 10 §. 8. Petrus à Nauarra lib. 2. de Reſtitut. cap. 2. num. 196. & ſequent. Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 34. dubit. 32. & plerique alij.

5. *Matutinum omittens ſoluet dimidiam partem fructuum illius diei, aliam verò horam negligens partem ſextam.*

Nota hîc primò, Proportionem hanc in reſtitutione fructuum ex conſtitutione Pij ſeruandam, vt Matutinum omittens dimidium fructuum illius diei amittat; qui ceteras omnes Horas, alterum dimidium, qui harum ſingulas, ſextam partem eorumdem, &c. Intelligit autem Suarez lib. 4. de Orat. cap. 30. num. 11. ſextam partem fructuum diei artificialis, id eſt, duodecimam totius diei naturalis, quia Matutinum & Laudes ante lucem recitari debent, addit verò omiſſionem Laudum ſolùm obligare ad reſtitutionem ſextæ partis ad inſtar minorum Horarum, quia cum illis proportionem habent.

6. *Inter hos fructus etiam numerandæ diſtributiones.*

Nota ſecundò. Inter hos fructus etiam diſtributiones annumerandas eſſe: ita vt is, qui Choro interfuit, & tamen Canonicum Officium non recitauit, eas amittat, ad modum quo reliqui fructus omittuntur, v. g. qui Matutinum cum Laudibus neglexit, obnoxius eſt reſtitutioni mediæ partis diſtributionum, & ſic de ceteris. Ita Pius V. ſuprà.

7. *Eadem proportio in fructibus reſtituendis reſeruanda penſionarijs ſi officium D. Virg. negligant.*

Nota tertiò, Eumdem Pontificem extendere hanc reſtitutionis obligationem & taxam ad Penſionarios, qui Eccleſiaſticum vectigal vt Clerici percipiunt, ſi officium paruum D. Virginis, ad quod eos præcepto ſuo aſtringit, non perſoluant: ſi enim Matutinum cum Laudibus ſuis neglexerint, dimidiam portionem penſionis illi diei aſſignatæ ſuam non faciunt, eodemque modo de alijs ratiocinandum.

8. *Omnes omnino*

Nota quartò, DD. aliquos exiſtimare non comprehendi hac Bullâ Pij V. eos qui ratione beneficij, tantùm tenen-

Digitized by Google

Beneficiarij hoc decreto tenentur.

tenentur ad quinquies legendam Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam; cùm de ijs nihil diſponat. Verùm ſuprà docuimus, etiam ex hac eadem Bulla nullum omnino Beneficium reperiri, quod iure non habeat annexum onus recitandi Horas Canonicas.

9. *Beneficiarius non habet abſolutum dominium fructuum niſi poſtquam horas legerit,*

Nota quintò, Beneficiarium quemcumque non habere abſolutum prouentuum ſuorum Beneficiorum dominium, etiam quos ante perceperit, niſi poſtquam preces Canonicas recitauerit, vel legitimo occurrente impedimento à recitando excuſatus fuerit: quia ſub illa lege & conditione dantur & non aliter. Vnde ſi quis legem illam non impleuerit, & onus ſubire noluerit eo ipſo ſpoliatus manet iure recipiendi fructus ex ſuis Beneficijs; quàmuis etiam alia munia ſuis Beneficijs annexa fideliter præſtiterit, quia conditionem impoſitam ſubire neglexit, vt manifeſtè colligitur ex verbis Concilij Lateranenſis ſuprà. Vnde etiam hic breuiter obſerua, non ſufficere hîc compenſationem per opera ſpiritualia, v. g. orationes, &c. Vt ſi quis officium die vno prætermiſſum poſtridie legat; quia ius requirit reſtitutionem in certo genere, & facit fructus omnes huic obnoxios.

10. *Controuertitur, an partem horarum omittens ad aliquid reſtituendum obligetur.*

Nota ſextò, Controuerti hîc poſſe, An is qui non Horam aliquam integram, ſed partem eius omiſerit, ad aliquid reſtituendum obligetur? Et primò quidem certum eſt nec in Concilio Lateranenſi, nec in Extrauaganti Pij V. quidquam ea de quæſtione determinatum eſſe: vnde prima ſpecie videtur nihil neceſſariò reſtituendum pro parte Horæ quamuis notabili prætermiſſa: quia cum lex ſit pœnalis, ſaltem ex parte, & fundamẽtum eius ſit culpa ob quam irrogatur pœna, ſolùmque de Horis integris in illa mentio fiat, non debet ad earum partes extendi, ſed ſuis terminis arctari.

11. *Probabiliter dici poteſt aliquid etiam pro parte omiſſa reſtituendum.*

Probabiliter tamen ſecundò dici poteſt, 1. pro Laudibus omiſſis tantùm reſtituendum, quantum pro Veſperis, vel aliâ paruâ Horâ, quia illis æquiualent, & aliquando per modum Horæ diſtinctæ recitantur: idemque eadem ferè probabilitate dici poteſt de Nocturno aliquo omiſſo. Deinde etiam ſimiliter fortè loquendum, quoties peccatum mortale committitur in omiſſione alicuius partis notabilis vnius Horæ, modò illi parti tanta pars fructuum reſpondeat, quæ furto ſublata culpam læthalem conſtitueret. Ceterùm quãuis hæc ex Suarez probabiliter dicãtur; cenſeo tamẽ nihil fructuũ neceſſariò tribuendum pauperibus ratione partis Horarum omiſſæ quantumuis magnæ, & ſufficientis ad materiam peccati mortalis, niſi pro omiſſis Laudibus, quia multi putant illas eſſe Horam diſtinctam: quod quamuis minus rectè, vt l. 1. dictum eſt, arbitrentur; Solent tamen ſeparatim à Nocturno officio legi per modum Horæ diuerſæ.

12. *Videtur tamen contrarium veriſimilius nihil pro parte reſtituendum, niſi pro omiſſis Laudibus.*

13. *Ratio poſterioris ſententiæ datur.*

Ratio verò eſt, cur nolim aliquem ob partem prætermiſſam ad reſtitutionem obligari; quia lex hæc eſt odioſa & procul dubio grauem pœnam imponit, cùm pro ſingulis Horis reſtitutionis onus irrogat; cur ergo nos illam extendamus, & iugum Beneficiariorum magis aggrauemus, quàm ius ipſum & verba legis? Alia ratio patebit ex ſequentibus.

14. *Recitans in peccato mortali notorio ad nihil reſtituendum tenetur.*

Nota ſeptimò, quid dicendum ſit de illo, qui Horas quidẽ dixit, ſed animo voluntariè alienis imaginationibus ita occupato, vt præceptũ Eccleſiæ nõ impleuerit: An videlicet fructus reddere etiã teneatur: Dicetur infra l. 2. c. 36. præſertim n. 9. & ſeq. Quod verò Nau. c. 7. Ench. de Hor. n. finali docet recitantem in peccato mortali, etiam notorio, ad nihil reddendum obligari, ni-

mis

Digitized by Google

mis euidens eſt, cùm conſtet præceptum Eccleſiæ in peccato mortali impleri poſſe, & Concilium non aſtringat ad reſtitutionem non recitantes primo ſemeſtri ab obtento Beneficio, cùm tamen certum ſit eos mortaliter delinquere, vt in ſua Bulla Pius definiuit. Ita nobiſcum tenent Roſella & Syłueſter à Nauarro producti contra Angelum V. *Clericus* 8. n. 5.

15. *Legitimum impedimentum excuſat à reſtitutione fructuum, vt eſt obliuio non voluntaria, inaduertentia, ignorantia inculpata.*

Notanda octauo ſunt diligenter verba Concilij, *ſi legitimo ceſſante impedimento non dixerint officium diuinum*, quia legitimum impedimentum, vt notant paſſim Doctores, ſicut excuſat omiſſionem à culpa, ita etiam excuſat à pœna legis ſubeunda omittentem. Ad hoc legitimum impedimentum reuocant Doctores, vt Azor. lib. 10. c. 14. q. 7. obliuionem non voluntariam, inculpatam inaduertentiam, ignorantiam inuincibilem, vt ſi quis à viro docto vel Confeſſario audierit ſe non teneri ad recitandum primo anno obtenti Beneficij, cùm deceſſori fructus perſoluuntur, aut quid ſimile. Ratio verò eſt, quia mens Concilij, vt ex verbis legis etiam ſatis apparet, non plectit niſi culpabiliter omittentem, & fructus Beneficij ob id iniuſtè percipientem. Vnde etiam requiritur culpa mortalis, & non tantùm venialis.

16. *Doctores quidam rigorem Decreti Lateranenſis moderantur, ſed laxius iuſto.*

Nota poſtremò, quamuis hæc lex iuſtiſſimè lata ſit ad puniendum eos, qui magnâ diuinarum rerum incuriâ ſæpe prætermittunt Canonicum Officium; non videri tamen eam tam ſtrictè atque ſonat vbique obligare. Nam vt prætermittam ſententiam Soti, qui pro omiſſione Matutini, vel etiam Officij totius diei nihil putat reſtituendum, quem ſequuntur Bartholomæus Medina, Arragon, & Ludouicus Lopez (inter quos Medina putat, etiam pro omiſſione octo dierum nihil neceſſariò reddendum, & ſi integro anno omittatur, non eſſe totum integrè & exactè ſoluendum; ſed mediocrem partem fructuum poſſe reſeruari.) Omiſſa, inquam, iſtorum opinione, quæ poſt conſtitutionem Concilij Lateranenſis & Extrauagantem Pij laxior videtur, ſolùmque locum habere poſſet, ſi jus tantùm naturale ſpectemus, ſecundùm quod Beneficiarij plura habentes ratione Beneficij ſui obeunda ſeruitia, partem fructuum illis quæ præſtiterunt commenſam ſibi reſeruare meritò poſſent, & quia naturalis æquitas poſtulat vt non cum tanto rigore culpa in iis plectatur, qui alia Eccleſiæ miniſteria diligenter exequuntur; docent plures Doctores ſeueritatem Bullæ Pij V. mitigari poſſe pro illis præſertim, qui ordinariè diligenter officium diuinum recitant. Vnde probabiliter exiſtimant, Epiſcopum vel Parochum Horas Canonicas prætermittentem vno die, tantùm obligari reſtituere quintam partem fructuum, quatuor verò alias partes ratione tituli & onerum aliorum ſibi poſſe applicare: Canonicum verò ſatisfacere, ſi quartam partem reſtituat: alios ſi tertiam: loquuntur autem Doctores de illis Beneficiariis, quibus præter Horarum lectionem, alia inſuper officia præſtanda incumbunt, quibus portio fructuum commenſuranda. Vide de his Toletum, lib. 2. de Inſtruct. ſacerd. cap. 12. §. *Secundum dictum*. vbi tertiam tantùm partem fructuum in genere reddendam tradit iis, qui preces ſuas neglexerunt: Emmanuel Sa, V. *Beneficium*, num. 58. vbi noſtram ferè taxationem, & calculum refert, & addit quod ſi Beneficiatus fecit alia quæ ob Beneficium tenebatur, poterit ſibi retinere, quantum illa merentur. Eandem praxim in Hiſpania receptam tradit Henriquez c. 13. de Excommunicatione, quem citat, & ferè ſequitur Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 34. dubit. 32.

17. *Moderio quorundam Doctorum probabilis, qui ſufficere aiunt ſi Parochus quintam, Canonicus quartam, alij, ſi tertiam reſtituant partem fructuum die quo Horas neglexère.*

Se-

18. *Reſtitutio hæc facienda fabricis beneficiorum, vel pauperibus.*

Secunda concluſio. Reſtitutio hæc fructuum facienda eſt fabricis huiuſmodi Beneficiorum, vel pauperibus. Conſtat ex verbis Concilij Lateranenſis ſuprà.

19. *Non ſemper tamen his facienda reſtitutio, ſed aliquando quod alij amittunt, accreſcit alijs, vt contingit in diſtributionibus, & alijs quibuſdam.*

Vbi nota primò hanc reſtitutionem faciendam eſſe ſub diſiunctione fabricis Beneficiorum, vel pauperibus quibuſlibet, locum non habere, quando ex lege, ſtatuto, vel conſuetudine id quod alij amittunt, accreſcit alijs, vt ſunt diſtributiones quotidianæ, quia illæ debentur ijs ſolis, qui Horis illis diebus, in quibus illi non recitarunt, interfuerint; Ideoque illis reſtituendæ ſunt, non pauperibus, vt rectè Nauarrus ſuprà cap. 7. num. 34. & alij paſſim. Et colligitur ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformatione, vbi innouat Conſtitutionem Bonifacij VIII. cap. vnico de Clericis non reſidentibus in 6. Idem dicendum cum eodem Nauarro ſuprà num. 35. de alijs fructibus Beneficiorum, vbi ſtatutum eſt, vt reditus malè percepti reſtituantur certis operibus pijs, quia tunc illis reſtitutio fieri debet, quod etiam interdum faciendum eſt, quando ita ſtatutum fuerit in parte, quam Corpus fructuum ſiue Groſſam vocant, quæ iniuſtè capta ab vno poſtea alijs reddenda eſt: qua de re præter Nauarrum ſuprà videndus eſt Toletus ſuprà c. 12. §. *Tertium dictum.* Ratio verò huius rei eſt, quia Concilium non derogat laudabilibus Eccleſiarum ſtatutis, ſed ſolùm determinat, quibus reſtituendi fructus ſint, vbi nihil fuerit certi hac de re conſtitutum. Quod ſi amiſſio diſtributionum, & ſimilium fructuum fuerit occulta, & reſtitutio abſque infamia reſtituentium in determinatos vſus fieri non poſſit, poterunt in iſto caſu malè recepti reditus in alios pios vſus prædictos conuerti.

20. *Quid intelligatur in Decreto per fabricas beneficiorum.*

Nota ſecundò, dici erogandos huiuſmodi fructus iniuſtè captos in fabricas ipſorum Beneficiorum, non verò Eccleſiarum Beneficiorum (quamuis multi ſic legant, ſed in textu Concilij non habetur) vnde latiùs hîc accipitur fabrica Beneficij, quàm fabrica Eccleſiæ in qua eſt Beneficium. Poterit itaque beneficiarius reſtitutioni fructuum obnoxius, iuxta Suarez ſuprà cap. vlt. n. 20. ex his ædificare pro ſe domum, in qua habitet, vel pro fructibus Beneficij colligendis horreum, vel erogari poterunt in prædiorum ipſius Beneficij vberius augmentum, idque perpetuum; qua ratione expenſæ neceſſariæ vel vtiles pro ſimilium reparatione vel incremento factæ deduci poſſunt à ſumma reſtituenda. Ex vi autem iſtorum verborum non poterunt fructus expendi in ædificationem vel reſtaurationem alterius loci etiam pij, quia arctantur verba ad fabricas ipſorum Beneficiorum. Nihilominus cenſent viri docti ex verbis ſequentibus (Eleemoſynas pauperum) poſſe fructus malè perceptos in quoſlibet pios vſus expendi, quia communiter veniunt huiuſmodi nomine pauperum.

21. *Poſſunt ex fructibus malè perceptis fieri eleemoſynæ in quoſcunque pauperes.*

Nota tertiò, Illud (Eleemoſynas pauperum) latiùs patere quàm priùs Fabricas Beneficiorum; Ex quo conſequens eſt poſſe Eleemoſynas fieri in quoſcumque pauperes, cùm id maximè conſentaneum ſit Chriſtianæ charitati, quæ ſinum ſuum ad omnes maximè Chriſtianos expandit; & reddit viam reſtituendi faciliorem. Vnde docet Suarez ſuprà n. 19. & 21. eandem reſtitutionem fieri poſſe procurando per pauperem ſacerdotem Miſſas, vel alia ſuffragia fieri pro delendis culpis Horarum omiſſione contractis, vel pro fundatoribus Beneficiorum, vel pro pauperibus defunctis. Item ſuppleri poſſe per quaſcunque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui Beneficij fecerit, cùm ex cuiuſdam anticipatæ ſolutionis rationem quan-

Digitized by Google

22. *Si pauper eſt Beneficiarius, poteſt ſibi reſtitutionem applicare ex conſenſu Confeſſarij.* dam habere poſſint. Denique addunt poſt Nauarrum c. 25. Enchir. Confeſſ. n. 122. & de Horis Can. c. 7. n. 24. plerique omnes DD. Sa, Toletus, Leſſius, Suarez, pauperem, ſi officium diuinum intermiſerit, reſtitutionem ob id culpæ faciendam, ſibi poſſe applicare tanquam eleemoſynam ſibi factam à Pontifice accedente prudentis Confeſſarij, vel alterius viri eruditi conſenſu, quia facile eſt in propria cauſa decipi.

23. *Eadem ratio eſt de penſionarijs non recitantibus Officium D. Virginis.* Nota poſtremò penſionarijs idem onus reſtituendi fabricæ beneficij, vel pauperibus incumbere, quia eodem modo de his atque de beneficiarijs diſpoſuit in ſua Extrauagante Pius V. dum ait eos eodem modo, quo beneficiarij, eſſe fructuum reſtitutioni obnoxios. Vide Suarez ſuprà num. 22.

CAPVT XII.

An Beneficiarij Horas non recitantes lege naturali, fructus iniuſtè perceptos reddere teneantur.

1. *Prima ſententia docet iure naturæ non recitantes ad reſtitut. teneri.* SVnt duæ ſententiæ Doctorum. Vna eſt Soti l. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 6 ſub finem. Adriani in 4. tract. de Reſtitutione in quæſtione: *An Clericus teneatur reſtituere quidquid vltra victum de reditibus beneficij conſumpſerit?* Gregorij de Valentia ſuprà §. 8. Couarruuiæ c. 3. Variarum Reſol. c. 13. n. 10. & plurium aliorum, qui volunt beneficiarios Officium diuinum negligentes eo ipſo iure naturali obſtrictos eſſe vinculo reſtitutionis, etiam primo ſemeſtri ab obtento beneficio. Rationes ipſorum ſunt:

2. *Rationes huius ſententiæ.* 1. Datum ob cauſam, eâ non ſecutâ, iure repetitur; ſed beneficium datur propter Officium c. finali, de Reſcriptis in 6. Ergo officio non ſecuto fructus iure repetuntur.

2. Quia beneficiarij non recitantes preces Horarias, peccant peccato iniuſtitiæ contra iuſtitiam commutatiuam. Ergo tenentur ad reſtitutionem. 3.

Probatur antecedens, quia opus non præſtant, ob quod datur illis ſtipendium, Ergo. Vnde Alenſis 3. p. q. 36. m. 5. a. 2. vocat Clericum habentem beneficium & ei non deſeruientem, raptorem; Inſuper addit, quòd ſicut conductus Agricola non laborans mercede indignus eſt; ita Clericis, qui non præſtant Officium, merces non eſt perſoluenda.

3. Clericus primis ſex menſibus non recitans preces peccat mortaliter vt etiam habet Pius V. Ergo æquè tenetur iure naturæ ad reſtitutionem, vt poſtea; quidquid ſit de diſpoſitione iuris Canonici. 4.

5. *Altera docet iure naturæ non teneri reſtituere, ſed ſolùm iure Canonico.* Altera ſententia aliorum eſt, qui docent beneficiarios non recitantes obligari quidem ad reſtituendum, ſed ſolùm iure Eccleſiaſtico, non verò iure naturæ. Ita Panormitanus c. 1. de Celeb. Miſſ. n. 8. Nauarrus c. 7. de Horis Canonicis n. 31. & c. 21. n. 58. Syluester V. *Clericus* 4. q. 23. n. 16. & alij.

6. *Rationes pro hac ſententia.* Probatur hæc ſententia 1. quia verbum (Statuimus) in decreto Lateranenſi ſatis oſtendit ibi condi ius nouum, vt Nauarrus probat ex Gloſſis Communiter receptis.

2. Concilium Lateranenſe non obligat beneficiarios primo ſemeſtri accepti beneficij non legentes ſtatas preces ad aliquam Reſtitutionem, quod omnino facere debuiſſet, ſi iure naturæ ad id tenerentur. 7.

3 Quia, vt ante dictum eſt, & oſtendit Nauarrus nullus Canon in iure reperitur ante Concilium Lateranenſe, qui eos officium omittentes reſtituere, præcipiat, quod argumentum eſt nullam fuiſſe iuris obligationem. 8.

4. Quia Eccleſia excuſat ſua lege illos, qui legitimo impedimento detenti abſque 9.

Digitized by Google

abſque culpa ſua officium non recitarunt. Ergo ſatis inſinuat illos iure naturæ ad nullam reſtitutionem obſtringi, quia ſi opus debitum præſtare neglexiſti, ſiue cum culpa tua, ſiue abſque ea, ſtipendium acceptum reſtitutioni eſt obnoxium, vt apparet in operarijs diurnam operam locantibus.

10. 5. Quia Eccleſia permittit reſtitutionem ſtipendij fieri pauperibus, qui tamen nullum damnum paſſi ſunt ex negligentia beneficiariorum, ſed potius fidelis populus, vel defuncti fundatores. Ergo ſi iure naturæ reſtitutio fieri debet, his, non illis eſt præſtanda.

11. *Præciſè loquendo beneficiati non tenentur iure naturæ ad reſtitutionem.*

Dico 1. Si præciſè loqui velimus, beneficiarij omittentes Horas Canonicas ad nullam iure naturæ obligantur reſtitutionem. Probatur ex dictis ſuprà c. 4. Et ratio eſt, quia ſepoſito pacto & inſtitutione Eccleſiæ, non tenentur ad preces illas, vel ad quaſcunq; alias, niſi ex gratitudine, quam conſtat nullã inducere obligationem reſtituẽdi.

12. *Ex hypotheſi obligari poſſunt ab Eccleſia ad reſtitutionem ſi officium non præſtiterint.*

Dico 2. Ex hypotheſi inſtitutionis beneficiorum quibus Eccleſia impoſuit onus ſtatas illas & Canonicas orationes pſallendi, ratio ſubeſt, cur Eccleſia illis poſſit ſtipendij reſtitutionem iniungere, ſi officium ſuum non præſtiterint, & ad eam faciendam condemnare: vnde dici poſſunt obligari ad reſtitutionem radicaliter, & hoc tantùm probant argumenta 1. ſententiæ.

13. *Obiectio contra dicta.*

Dices. Stipendiarius, & quilibet alius pretio aut mercede ad aliquod miniſterium obeundum conductus, tenetur ad reſtitutionem ſtipendij lege naturæ & iuſtitiæ, ſi officium non præſtiterit; Atqui Beneficiarij ſunt Eccleſiæ ſtipendarij, qui de Eccleſiæ bonis viuunt ſub onere præſtandi ſuum miniſterium. Ergo eo non præſtitò ad reſtitutionem fructuum tenebuntur.

14. *Solutio. Magnum eſt diſcrimen inter mercenarium & beneficiarium.*

Reſpondeo. Ad Maiorem, latum eſſe diſcrimen inter mercenarium, & beneficiarium. Mercenarius ſiquidem diurnus, ſi vel die vno laborare omittat, reſtituere tenebitur diurnam mercedem; famulus item conductitius, ſi aliquot hebdomadis ſeruitium ſuo hero ſubtrahit, ad eandem iure compellitur pro more cuiuſque prouinciæ recepto, & ratio eſt, quia dominum & conductorem priuarunt obſequio temporali pretio æſtimabili, ac proinde vel reſtitutione mercedis vel ſimilibus obſequijs, ſi Dominis placuerit illa debebunt reſarcire. At verò beneficiarij non conducuntur pro miniſterio vel diurno, vel annuo, ſed conceduntur illis vectigalia Beneficiorum pro eorum honeſta ſuſtentatione, cum obligatione tamen preces Canonicas recitandi, quas ſi omiſerint, peccant quidem contra Iuſtitiam; non tamen per ſe & formaliter tenentur ad fructuum reſtitutionem, quia non priuarunt populum Chriſtianum aut fundatores aliqua vtilitate temporali, quæ redditione fructuum acceptorum ſolet, aut debeat compenſari. Ita Leſſius l. 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 32.

15. *Beneficiarij non recitantes non tenentur reſtituere niſi hoc Eccleſia ſtatuat.*

Dico 3. beneficiarij officium non recitantes non tenentur fructus reſtituere, niſi Eccleſia decreto ſuo hoc ſtatuat. Ratio eſt, quam iam diximus, quia etſi ſpirituali fructu ſuarum orationum Eccleſiam fraudarint, non tamen detraxerunt ei aliquod commodum temporale. Sic illi, qui in Seminarijs ex pijs fundatorum legatis victitant, quos communiter burſarios vocamus, etſi negligant legere Roſaria, vel Pſalmos, ad quos ratione fundationis huiuſmodi ſubſidiorum obligantur; non tamen ad aliquam pecuniæ reſtitutionem ex rei natura tenentur, cùm huiuſmodi beneficium illis non concedatur tanquam merces pro re pretio temporali æſtimabili, ſicut ſoluitur merces operario diurno, ſed ſolùm datur illis ſuſtentatio cum onere quotidie aliquas preces orandi.

Digitized by Google

16\. Nota hîc 1. Quòd ſicut burſarij non perlegentes orationes ad quas ratione fundationis quotidie aſtringuntur, poſtmodum eas recitare debent, niſi fortè ex conſuetudine, vel mente fundatoris, cum die obligatio illa euaneſcat; Ita quoque Beneficiarij quibus Beneficium collatum eſt ſub onere quædam religioſa ſeruitia præſtandi, ſi ea ſtatutis diebus non expleuerint, ſæpe poſtea eadem exequi tenentur. Sic is qui capellam vel altare poſſidet, & hebdomadaria vel menſtrua ſacrificia non obtulit, poſtmodum ad ea celebranda tenetur. Dixi, *ſæpe*, quia ſi obligatio miniſterium obeundi ſimul cum die extinguatur, poſtridie ad illud non videntur obligandi, ſicut accidit in Horis Canonicis dicendis, quæ certo tempori alligantur tanquam illius penſum.

Beneficiarij officium ſuum non præſtantes ſæpè eadem poſteà ſupplere tenentur, non tamen ſemper.

17\. Nota 2. Si ſententiam eorum ſequamur, qui iure naturæ debitam fructuum reſtitutionem volunt; dicendum erit 1. etiam ſemeſtri primo hanc faciendam eſſe, quia naturæ ius nullum diſcrimen ponit inter primum ſemeſtre & tempus ſequens, vt per ſe manifeſtum eſt. Deinde eodem iure non deberi omnium fructuum diei illius reſtitutionem, quo omiſerunt officium, ſed ſolùm partem illam, quæ ſeruitio Horas recitandi adæquetur, iudicio æqui arbitri: vnde ſi tales Beneficiarij habeant alia miniſteria, quibus ſeruire coguntur, portionem prouentuum illis commenſuratam ex æquo & bono ſibi reſeruare poterunt, vt rectè auctores illius ſententiæ tradunt. Tertiò, iure naturæ non eſſe neceſſarium vt hæc reſtitutio fiat ex bonis tēporalibus beneficij: Rectè namque fieri poterit obſequium prætermiſſum ſimili reſarciendo, vt paulò antedictum de ſacellano ſacrificia debita ſuis diebus non perſoluente, quæ poſtea illi ex iuſtitia celebranda reſtant. Idem cenſet Suarez ſuprà num. 11. de beneficiarijs preces Canonicas non reddentibus, quos ex rei natura arbitratur, (niſi aliud temporalis fructus reſtituendi genus eligere malint) ſatisfacere, ſi Horas neglectas vno die poſtridie legant: licet enim hoc pacto præceptum Eccleſiæ non expleant, quia hoc eſt impoſſibile, cùm illarum obligatio cum die præterierit; ſatisfaciunt nihilominus pro ſpirituali detrimento quod populo Chriſtiano & fundatoribus attulerant. Adde iuxta æquitatis pleniſſimum iudicium eiuſdem Suarez num. 12. ſuprà, non requiri neceſſariò, vt hæc ſpiritualium bonorum reſtitutio fiat in eadem ſpecie actionis, v. g. vt preces Horarias omittens poſtero die omiſſas dicat, ſed ſufficere, vt viri ſapientis arbitrio in diuerſa ſpecie æquiualens perſoluat, v. g. per Miſſarum celebrationem, Roſariorum recitationem, vel aliud huiuſmodi, cùm enim officium Canonicum dictum poſtridie eius diei, quo recitari debuiſſet, in perſona Eccleſiæ non peragatur, videtur eadem Eccleſia rationabiliter conſentire vt per preces æquiualentes officium neglectum reſtauretur. Addit Hieronymus à Politio in Expoſitione Regulæ D. Franciſci c. 3. non oportere hac in re eſſe ſcrupuloſum: per minimam enim orationem talis compenſatio pro benefactoribus fieri poteſt, cùm ſpirituale temporalibus longè præponderet.

Quid ſentiendum ſit de reſtitutione fructuum ſi ex iure naturæ debita ſit non recitatis Horis.

CAPVT XIII.

Quanam formula in precibus Canonicis publicè vel priuatim recitandis obſeruanda ſit.

HActenus actum eſt de perſonis obligatis ad recitandum: ſequitur nunc 1.

Digitized by Google

nunc vt tractemus de formula ſeu Breuiario,iuxta quod Horæ Canonicæ perſoluendæ ſunt. Quia verò de hoc extat duplex ius,ſcilicet antiquum ſiue commune,& nouum ſiue ſpeciale; ideo de vtroque paucis dicendum.

2 Dico 1. Iure nouo publicè in choro pſallendum eſt vbique diuinum officium iuxta formulam & ritum Breuiarij Romani Pij V. exceptis Eccleſijs, quæ alium orandi modum habuerunt, vel ex inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata,vel conſuetudine, ducentis annis antiquioribus.

Iure nouo Pij V. publicè vbique pſallendum iuxta ritum Romani Breuiarij, niſi vbi ducentis annis antiquius Breuiarium in vſu fuerit.

Patent hæc ex conſtitutione Pij V. Romano Breuiario præfixa, in qua abolet Breuiarium nouum à Cardinale S. Crucis confectum,& quæcunque alia Breuiaria,exceptis illis, quorum in Eccleſiis vſus ducentos annos ſua approbata inſtitutione vel conſuetudine ſuperare dignoſcitur : permittit
3 nihilominus,vt & illæ Eccleſiæ Romanum reformatum acceptare, & canere poſſint, ſi modò Epiſcopus cum vniuerſo Capitulo conſentiat. Ad hæc ſtatuit in omnibus Eccleſiis, ad officium diuinum priuatim & publicè ex huius Breuiarij præſcripto, & ratione dicendum & pſallendum teneri quoſcunque Horis recitandis aſtrictos, nec alio quocunque modo quenquam ſuo muneri poſſe ſatisfacere, niſi hac ſolâ formulâ vtendo.

4 Clemens præterea VIII. eiuſdem Pij V. Breuiarium ex Decreto Synodi Tridentinæ reſtitutum,& ſuo iuſſu reformatum rurſus confirmauit Calcographicis erroribus ſublatis. Permittit nihilominus pauperibus Clericis, & alijs Eccleſiaſticis priorum iuſſu Pij V. editorum Breuiariorum lectionem, quibus hactenus vſi fuerant, donec atterantur, vt patet ex eiuſdem Bulla Breuiario antepoſita.

Ex his conſtat peccatum eſſe mortale,ſi in choro aliud Breuiarium quàm Romanum Pij V. pſallatur, niſi fuerint Eccleſiæ præſcriptione pluſquam ducentorum annorum gaudentes,quia dicit Pontifex non poſſe quenquam obligationi ſuæ ſatisfacere, niſi hunc orandi & pſallendi modum vſurpet. Quòd ſi Eccleſiæ illæ priuilegiatæ ſemel Romanum illud Breuiarium acceptauerint, iam non erit illis liberum ad ſuum antiquum reuerti, quia priuilegio ſuo renunciarunt.

5. *Si ſecus fiat peccatum mortale committetur.*

6. *Si Eccleſia priuilegiata nouum Breuiarium ſemel ſuſceperint, ad antiquum ſuum reuerti non poterunt.*

Nota verò ex Suarez cap. 11.num. 4. requiri à Pio V. conſenſum Epiſcopi, & vniuerſi Capituli ad hoc,vt licitè nouum hoc Breuiarium acceptetur; Non quòd ſingulos de Capitulo in hoc conſpirare neceſſe ſit, ſed quòd Pontifex velit Capitulum ſuper huius Breuiarij admiſſione conuocari, & maiorem ſaltem illius partem in hanc conſentire : Sic enim conſenſum præbere cenſebitur vniuerſum Capitulum. Mutante autem vel non mutante Breuiarij ſui formulam Eccleſia Metropolitana, mutare, vel non mutare debebunt Eccleſiæ illi ſubiectæ, iuxta c. *de ijs*, diſt. 12. niſi fortè Diœceſis aliqua proprium habeat Breuiarium; tunc enim poterit eo vti,& non mutare niſi Epiſcopo & Capitulo vniuerſo annuentibus, vt ex eadem Bulla colligitur. Quòd ſi Eccleſia aliqua vſucapione ducentorum annorum non priuilegiata, nihilominus Breuiarum Pij V. incuriâ ſuâ nec dum admiſerit, ſed ſuum retinuerit, non tenebuntur illius Clerici ad publicè vel priuatim pſallendum iuxta illius ritum, ſed ſolùm iuxta Eccleſiæ Romanæ & Breuiarij illius formulam.

7. *Ad receptionem noui Breuiarij ſufficit vt Capit. pars conſentiat.*

8. *Mutante Breuiarium Eccleſia Metropolitana tenebuntur Eccleſiæ etiam illi ſubiectæ, niſi fortè proprium habuerint.*

Dico 2. Clerici ſimiliter & perſonæ omnes Eccleſiaſticæ, ſiue ſæculares, ſiue Regulares,dum priuatim ex obligatione officium recitant, tenentur ad modum præſcriptum in Breuiario Pij V. niſi fortè fuerint earum Eccleſiarum vel Ordinum, quibus ex ſtatuto

9. *Eadem eſt ratio de priuata recitatione quæ de publica quoad*

vſum Romanum Breuiarij. vel conſuetudine, ducentos annos excedente ſuum pſallendi morem ſeruare permittitur. Patet ex eadem Pij V. bullâ iam adductâ.

10. *Iure antiquo Clerici vel Regulares etiam priuatim recitantes tenentur ſe conformare ſuæ Eccleſiæ, quo ad Breuiarium ducentis annis vſitatum.*

Dico 3. Sequendo ius commune & antiquum, quod locum habet, vbi præſcriptio ducentorum annorum conceſſa in bulla Pij V. inualuit, tenentur Clerici beneficiati & Regulares in ritu & formula pſallendi aut recitandi etiam priuatim officium, ſe conformare Eccleſiæ Cathedrali, Metropolitanæ, aut Regulari, cui aſcripti ſunt: Sic tamen, vt Clerici ſæculares teneantur ad breuiarium ſui Epiſcopatus, ſi habeat ſpeciale; ſin minus, ad Eccleſiæ Metropolitanæ; Regulares verò ad breuiarium ſui ordinis approbatum, vel ſi Ordo nullum ſpeciale habeat, ſui Epiſcopatus, cui ſubſunt; vel ſi exempti ſint, ad Romanum. Vide Nauarrum Enchir. de Horis c. 19. n. 219.

11. *Probatur ex iure Canonico.*

Deſumitur concluſio hæc c. *De iis*, ſuprà, vbi ſub grauibus pœnis præcipitur, vt vnus idemque modus in pſallendo teneatur qui à Metropolitana Sede fuerit inſtitutus. Idem ſancitur c. *Placuit* finali d. 12. & inſinuatur c. *Conuenit*, de conſecratione d. 5. Et probant Doctores ex Clementina 2. *Dignum*, de Celebr. Miſſarum, vbi conceditur Clericis tam religioſis, quàm ſecularibus, qui fuerint alicuius Cardinalis, vel Epiſcopi domeſtici, & commenſales, facultas ſe conformandi in diuini officij recitatione ſuis dominis, quod DD. Canonum intelligunt, etiam de iis, qui cum ſuis dominis non recitant. Ex qua indulgentia clarè perſpicitur priùs aliam fuiſſe conſuetudinem ſequendi videlicet vſum ſuæ Eccleſiæ vel ordinis. Eſt concluſio communis ferè Doctorum, vt conſtat ex Soto lib. 10. de Iuſtitia q. 5. a. 4. Nauarro cap. 19. num 214.

Ex hoc ſequitur primò clericos titulo patrimonij ordinatos, nec beneficiatos aut vlli Eccleſiæ aſcriptos teneri ad modum aliorum clericorum beneficiatorũ aut Religioſorũ ad breuiariũ ſuæ Diœceſis aut Metropolios, quia eadem de illis eſt ratio. Ita Sotus ſuprà, Nauarrus & alij, licet Nauarrus aliud ſenſerit in Manuali Confeſſ. c. 25. n. 107. Nihilominus videtur etiam probabilis multorum aliorum DD. ſententia, vt Nauarri ſuprà, in Manuali Confeſ. Angeli V. *Hora* n. 12. & 14. Syluestri eodem q. 1. Tabiena, D. Antonini & aliorum: ſcilicet poſſe huiuſmodi clericos legere quodlibet breuiarium approbatum pro libito, quia non ſunt in particulari deputati alicuius Eccleſiæ ſeruitio. 12. *Triplex ſententia DD. de Clericis titulo patrimonij ordinatis nec beneficiatis quoad vſum Breuiarij.*

Probabilius tamen ſentio ego cum Leſſio lib. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubit. 12. obligari huiuſmodi ad Officium Romanum, cùm per bullam Pij V. non videantur excepti: non enim ſunt inſcripti alicui Eccleſiæ particulari, cuius breuiarij vſus ducentis annis ſit antiquior. Itaque videtur in praxi nunc ſeruandum poſt editam Pij V. bullam. 13. *Securiùs illi fecerint ſi Romanum legerint.*

Sequitur ſecundò, Ex doctrina D. Thomæ communiter recepta quodlib. 1. art. 13. rationabile videri quod clericus in duabus Eccleſijs beneficiatis dicat officium illius Eccleſiæ in qua altiorem obtinet locum vel gradum: vt ſi in vna ſit Decanus, in alia ſolùm Canonicus, dicat officium Eccleſiæ in qua eſt Decanus. Quòd ſi in vtraque Eccleſia fuerit ſimplex tantùm canonicus, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ, quamuis fortè in inferiore Eccleſia habeat pinguiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti ſunt ſpiritualibus comparata. Si verò ambæ Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, poteſt eligere quodcumque Officium voluerit, ſi fuerit ab vtraque Eccleſia abſens; ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe con- 14. *Quid faciet in duabus Eccleſiis beneficiatus.*

Digitized by Google

conformare illis cum quibus conuerſatur. Hæc D. Thomas quem plerique ſequuntur, dicunt tamen alij hanc D. Thomæ ſententiam ſolùm eſſe in conſilio, non verò neceſſariam; vnde quidam ab illa diſſentiunt. Primò itaque docent, Clericum duo Beneficia in diuerſis Eccleſiis legitimè poſſidentem
15. debere recitare Officium illius Eccleſiæ in qua reſidet. Addunt deinde, Beneficiarium debere recitare Horas Canonicas iuxta formulam receptam in diœceſi in qua habet domicilium, quamuis diuerſa ſit ab illa, quæ vſitata eſt in Eccleſia ſui Beneficij; quia valde expedit ſequi ritum orandi eorum, inter quos ſtabilem nacti ſumus manſionem; quod idem tenent de Clericis in ſacris vel Beneficiarijs, qui in Academijs ſtudiorum gratiâ verſantur, & alibi habent firmum domicilium, quos docent poſſe dicere officium loci, in quo pro tempore tunc reſident, quia habent ibi quaſi domicilium, & iiſdem legibus, & ſacramentis cum indigenis participant. Vide Suarez ſuprà cap. 23. Videturque mihi hæc ſententia probabilis, licet alij Doctores probabiliter contrarium ſentiant, ſcilicet dicendum eis officium ſuæ diœceſis, à qua originem ducunt, vel domicilium & Beneficium habent. Ita Azor. ſuprà c. 11. q. 3. Eſt etiam probabilis aliorum quam habet D. Thomas quodlibeto 6. art. 8. ſcilicet, clericum Beneficiatum teneri ad dicendum officium ſecundum modum ſuæ Eccleſiæ, quam ſequitur Sotus 10. de Iuſtitia q. 5. a. 4. additque eum, qui habet beneficium in pluribus Eccleſijs, accomodare ſe debere illi, cui magis ſeruire tenetur. Itaque hac in re, quot ſunt capita, tot ſunt ferè ſententiæ.

Quid dicendum de Clericis beneficiatis in ſtudijs, vel alibi extra Eccleſiam ſuam degentibus quoad Breuiarij vſum.

16. Nota hîc ex Syluestro V. *Horæ* quæſt. 1. dicto 6. monachum præfectum Eccleſiæ ſeculari debere ſequi conſuetudinem Eccleſiæ, ad quam tranſijt; ſi tamen tranſlatus eſt in perpetuum; nam ſi ſolùm ad tempus, tunc deberet dicere officium monachale, vt videtur ſentire Gloſſa, in Clementina Finali de celeb. Miſſ. & conſentit Emanuel Rodericus tom. 1. Quæſtionum Regularium quæſt. 42. art. 17. dicit tamen fallere hoc in prædicatoribus, qui etſi tantùm tranſeunt ad tempus in Eccleſiam parochialem, poſſunt tamen illius Eccleſiæ officium recitare, prout tenent Syluester & alij, quia hoc in eorum conſtitutionibus continetur. Nec hoc repugnat Bullæ Pij V. ſuprà, quia religioſi tantùm illud ſequi debent, quando ſunt in religione, quæ illud ſuſcepit, ſecus, ſi præfecti fuerint Eccleſiæ alio approbato vtenti.

Quod Breuiarium legant monachi Eccleſiæ ſeculari præpoſiti.

Quæritur hîc primò, An nunc poſt editum iuſſu Pij V. Roman. Breuiarium liceat cuilibet beneficiato, aut regulari, quorum Eccleſia vel ordo, alio approbato vtitur, dum priuatim extra chorum Horas recitant, ſequi ritum Romani Breuiarij approbati. 16.

An priuatim liceat cuique eligere Rom. Breuiarium.

Reſpondeo, tot hic pæne etiam eſſe opiniones, quot Doctoros. Inprimis variè hac de re ſenſit Nauarrus. Nam tom 1. Conſiliorum lib. 3. tit. de celeb. Miſſ. Conſilio 5. ad 2. quæſtionem, reſpondet non licere; Allata ratione à contrario ſenſu, vbi auctor annotationum in eius conſilia ad conſilium 15. dicit congregationem Cardinalium quæ præeſt explicationi Concilij Tridentini ſic ſenſiſſe: Idem tamen Nauarrus conſil. 15. planè contrarium docet, ſcilicet priuatim licere vti Romano, quod probat ex verbis Bullæ Pij V. Rurſus conſil. 16. cenſet vtramque partem affirmantem & negantem huius quæſtionis eſſe probabilem, hanc tamen tutiorem, & magis conſulendam. 17.

Variè ſenſit hac de re Nauarrus.

Suarez verò licet iudicet non peccare mortaliter eum qui priuatim Romanum legeret; verius tamen talem 18.

Suarez verius pu-

cleri-

tat non poſſe priuatim legi Romanum. clericum vel religioſum putat debere ſe accommodare Officio Eccleſiæ vel Ordinis ſui, cùm maneat inter terminos iuris communis præſcribentis cuique legendum Breuiarium iuxta conſuetudinem matricis Eccleſiæ. Ita etiam Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 2. puncto 10. §. 3. & Toletus lib. 2. Inſtruct. Sacerd. c. 13. §. 2.

19. *Valer. Reginald. ſub diſtinctione reſpondet.* Cæterùm Valerius Reginaldus in ſua praxi, volumine poſteriore lib. 18. c. 11. ſect. 6. dub. 4. Reſpondet ſub diſtinctione, ſcilicet Choro addictum non poſſe priuatim antiquum ſuum cùm Romano Breuiario commutare ſine diſpenſatione Epiſcopi, quia priuata illa recitatio ſurrogatur in locum publicæ, ad quam requiritur conſenſus Epiſcopi, & vniuerſi capituli, eſtque alioqui magna indecentia & deformitas, vnde de ratione peccati, quod hac in re committitur, iudicandum erit iuxta rationem ſcandali & incommodorum, quæ nata ſunt ſequi; quæ tamen de ſe non ſunt tanta, vt ad peccatum mortale committendum ſufficiant. Quod ſi quis à choro ſit ſolutus, & nulli Eccleſiæ inſcriptus, tunc licebit ei Romanum Breuiarium ſequi, idque ſine diſpenſatione cuiuſquam: quia ſolùm videtur conſenſus Epiſcopi & Capituli requiri, vt reiecto antiquitus approbato officio admittatur in Chorum nouum Romanum, vnde ideo in Bulla Pontifex Chori meminit, non verò priuatæ recitationis.

20. *Licet cuilibet priuatim legere Rom. Breuiarium.* Quamquam verò hæc veriſimiliter dicantur, ſequor tamen multorum noſtri temporis Doctorum ſententiam, ſcilicet licere cuique Clerico ſæculari vel regulari priuatim Romanum Officium Pij V. dicere, tum propter rationes iam dictas, tum quia talis iam eſt conſuetudo, quæ etiam laude digniſſima eſt, videlicet Eccleſiæ Romanæ omnium Eccleſiarum parenti ſe conformare, idque ſine vlla alia diſpenſatione & indulgentia, quæ ſolùm requiritur ad aliud officium approbatum recitandum ſuo relicto, vt colligitur ex Clem. 1. de Celeb. Miſſ. Vide Emmanuelem Sa V. *Horæ* numer. 6. Leſſium libr. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubit. 12. Emmanuelem Rodericum tom. 1. q. Regul. q. 42. art. 13.

Quæritur ſecundò, An is qui Horas Canonicas recitat ex alieno Breuiario ſed conſuetudine ducentorum annorum approbato, ſuo relicto ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, vt ſaltem non peccet mortaliter. 21. *Quomodo peccet, qui alieno vtitur Breuiario ducentis annis antiquiore.*

Reſpondeo primò, Eum qui omiſſo Breuiario Pij V. ad quod recitandum tenetur, amplectitur aliud etiam approbatum præſcriptione ducentorum annorum, non ſatisfacere ſuæ obligationi, ac ſubinde mortaliter peccare. Eſt certum ex Bulla Pij V. vbi decernit nullum poſſe muneri ſuo ſatisfacere, quocumque tandem modo recitet, niſi ſolâ formâ Romani Breuiarij vtatur. 22. *Qui tenetur ad Rom. peccat mortaliter aliud legendo etiam approbatum.*

Reſpondeo ſecundò, Verius eſt, eos qui vtuntur Breuiario ante ducentos annos approbato, non poſſe mutare Officium ſuum cum Officio alterius Breuiarij etiam approbati: Atque adeò non ſatisfacere muneri ſuo, niſi accedat diſpenſatio Romani Pontificis. Ita Nauarrus de Horis cap. 19. num. 214. § *Quartò dico.* Vbi pro ſe citat D. Thomam quodlib. 1. art. 13. & conſtat ex Concilio Toletano 11. cap. 3. quod habetur c. *De ijs*, diſtinct. 12. Vbi contrarium facientem præcipit ſex menſibus à communione ſuſpendi, & culpam lacrymis abluere, quæ pœna non ſolet imponi, niſi pro culpa mortali. Item ex Clementina *Dignum* de Celeb. Miſſarum, vbi conceditur Clericis familiaribus Epiſcoporum & Cardinalium, vt ſe ijs conformare poſſint in modo legendi Horas, ergo ſine hac diſpenſatione iure communi 23. *Verius eſt peccatum eſſe mortale ſuum approbatum mutare cum alio approbato abſque diſpenſatione Pontificis.*

non

non licuiſſet. Denique videtur materia ſatis grauis totam formam ſui Officij mutare in aliam.

24. *Probabile eſt non eſſe mortale ſi ſolùm priuatim interdum fiat.* Reſpondeo tertiò, probabile tamen eſt non eſſe hoc peccatum mortale, ſi interdum priuatim fiat, quia videtur ſeruari ſubſtantia præcepti, quæ eſt de recitandis ſeptem Horis Canonicis & tantùm peccari in qualitate. Ita Caietanus V. *Hora* numero 5. licet dicat hoc facientem grauiter peccare, ſed venialiter, niſi rationabilis cauſa accedat: ſed loquitur ſolùm de mutatione Officij monachalis in Romanum. Idem tenuit Sotus libro 10. de Iuſtitia quæſt. 5. art. 4. Idem tandem docuit Nauarrus ſuprà numero 217. §. *Quarto.* Vbi dicit, hoc etiam ſponte ſine cauſa facere, modo rarò fiat, & ſine contemptu, non eſſe mortale; ſæpiùs autem mutationem talem inducentem peccare mortaliter.

25. *Rationabili de cauſa hoc aliquando fieri poteſt ſine peccato.* Nota ex eodem ſuprà numero 217. & cap. 21. numero 23. Nullum eſſe peccatum vno vel alio die aliqua de cauſa, quæ viro prudenti iuſta videatur recitare quandoque ex alio Breuiario approbato abſente ſuperiore qui poſſit diſpenſare: & æquam ad hoc cauſam cenſeri neceſſitatem repentinam ſtudendi, concionandi, prælegendi, iuuandi ad recitandum infirmum, aut prælatum, vel amicum defeſſum, imò & obliuionem & inaduertentiam inculpabilem & ſimiles. Cum diſpenſatione tamen Papæ quilibet aſſumere poteſt Breuiarium, quod voluerit; vt tamen hoc fiat ſine omni peccato iuſta cauſa requiritur. Sic olim cum diſpenſatione Epiſcopi aliud Breuiarium ex cauſa deligi poterat, vt rectè idem Nauarrus ſuprà c. 11. numero 27, & ſequenti, quod poſt editam Bullam Pij V. præmiſſam Breuiario non licet, vt idem notat, quia illa mutandi poteſtas Epiſcopis ablata eſt. Nihilominus videtur Epiſcopus ex cauſa legitima poſſe vno & altero in caſu occurrente diſpenſare, vt quis Officio Romano, ad quod tenetur, omiſſo recitet aliud approbatum. & ſic intellige Nauarrum cap. 19. num. 217. §. *Tertio.* Multò verò faciliùs poterit, vt vtatur Romano, ſuo approbato relicto: maior verò ratio requiretur vt quis ex diſpenſatione mutet officium ſui ordinis vel Epiſcopatus approbatum in aliud ſimiliter approbatum.

Nota ſecundo, Ex Roderico tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 41. art. 12. Poſſe quem ex diſpenſatione recitare vno die ex vno Breuiario, & altero ex alio, & ſic qui ſecundum duo Breuiaria poteſt ſatisfacere, poterit Horas legere iuxta ritum vnius Breuiarij ſecundum vnam partem, & iuxta ritum alterius ſecundum alteram partem, modò dicatur officium de eodem ſancto, feria, &c. ſecundum vtrumque Breuiarium, niſi tamen contingat aliud recitari in Choro, cui ſe accommodare debet. 26. *Ex diſpenſatione poterit legere officium vno die ex vno Breuiario, altero die ex alio.*

CAPVT XIV.

An Officium diei in Breuiario aſſignatum permutare licitum ſit.

Dico primò, publicè in choro pſallendum eſt ſecundum ordinem qui diebus ſingulis in Breuiario aſſignatur. Conſtat ex Canonibus ſuperiore capite citatis; quibus præcipitur ordinem Eccleſiæ æqualiter ab omnibus cuſtodiri. Vnde videtur per ſe loquendo graue peccatum, ſi hîc ritus notabiliter peruertatur, & ſcienter fiat, quia mutatio illa facilè ſcandalum & perturbationem parere nata eſt: Excuſari tamen poterit leuitas materiæ & inaduertentia. 1. *Publicè pſallendum iuxta ordinem qui præſcribitur in breuiario.*

Nota verò hîc ex Armilla V. *Hora* numero 13. & alijs, Prælatum poſſe

ex rationabili cauſa aliquid in hoc mutare, quia ſolùm accidentarium eſt: addit tamen non poſſe aliquid innouare circa hoc ad perpetuò durandum, per modum conſtitutionis, vel conſuetudinis generalis, quia tunc ad Romanum Pontificem eſſet recurrendum.

2. *Poteſt Prælatus ex cauſa aliquid interdum circa hoc mutare.*

3. *Priuatim officium vnum pro altero legere non eſt per ſe mortale.*

Dico ſecundò, Communis ferè ſententia Doctorum eſt, non eſſe de ſe peccatum mortale, Officia ſui Breuiarij in priuata lectione permutare, etiam ſcienter, & deditâ operâ. v. g. legere feriâ quintâ Officium V. Sacramenti pro officio feriæ, vel loco officij de Sancto recitare de feria occurrente. Ita Syluester V. *Hora*, quæſt. 12. num. 15. Maior in 4. diſt. 12. quæſt. 6. Caietanus V. *Hora*, numero 5. Sotus libro 10. de Iuſtitia quæſt. 5. art. 4. Valentia, Azorius, Leſſius, & alij. Ratio eſt, quia hoc pacto recitans ſatisfacit præcepto Eccleſiæ quoad ſubſtantiam, nam Eccleſia primariò præcipit vt ſeptem Horæ recitentur, cætera videntur ad circumſtantiam, ritum, vel modum minoris ponderis ſpectare.

4. *Erit tamen graue veniale, ſi ſine cauſa fiat, nullum verò ſi iuſta ex ratione vel obliuione.*

Addunt nihilominus Doctores citati fore graue peccatum veniale ſi hoc fiat ſine cauſa rationabili, v. g. ex ſola deſidia vel torpore animi, nullum verò fore peccatum, ſi ex occaſione iuſta, item, ſi fiat per obliuionem vel inaduertentiam inculpabilem.

5. *Nihil neceſſariò mutantibus officium ex cauſa repetendum.*

Hinc ſequitur, Iuxta illos DD. per errorem, vel etiam de induſtria huiuſmodi mutationem facientem ad nihil obligari ex præcepto repetendum, quod ſolùm erit conſilij in hoc caſu. Probandi tamen ſunt illi, inquiunt, qui dum inaduertenter vel ſcienter officium pro officio legerunt, vel totum repetunt, vel ſaltem ea quæ ſunt illius diei propria, verbi gratiâ lectiones, hymnos, &c.

6. *Probabile tamen eſt officium mutare per ſe eſſe mortale niſi iuſta cauſa excuſet.*

Dico tertiò, Fortè prababilior eſt aliorum ſententia, docentium huiuſmodi mutationem in diuino officio facere, per ſe loquendo eſſe peccatum mortale, niſi grauis cauſa, vel iuſta diſpenſatio ab omni; leuitas verò materiæ à peccato ſaltem mortali excuſet: & ratio eſt, quia videtur ex genere ſuo hæc inordinatio magni momenti, & quidquid de illa quæſtione ſit, an pertineat ad ſubſtantiam præcepti necne; peccatur contra modum, qui in Canonibus præcipitur grauiter: ſicut qui comedit oua in Quadrageſima, non peccat contra ſubſtantiam ieiunij; peccat tamen mortaliter ſecundum omnes, quia non ſeruat formam ieiunij quadragenarij. Huius ſententiæ eſt Nauarrus Enchir. de Horis cap. 19. numero 217. Suarez cap. 23. numero 12. & ſequent. Toletus libro 2. de Inſtruct. Sacer. capite 13. §. 2. Valerius Reginaldus libro 18. cap. 12. ſect. 6. dub. 3.

7. *Quatuor obſeruanda vt officij variatio fiat abſque mortali.*

Dico poſtremò, Vt quis in variatione Officij ſui Breuiarij mortaliter non peccet quatuor obſeruanda ſunt. Primum, vt abſit omnis contemptus. Secundum, vt rarò fiat. Tertium, vt non interueniat in illa mutatione notabilis exceſſus: vnde iudico illum mortaliter peccare, qui Dominico die per annum officium legeret paſchale: quia ſi peccatum mortale eſt notabilem alicuius Horæ partem omittere, quid dicendum erit de tam enormi omiſſione? Si autem officium ſit ferè æquale in quod fit mutatio, ſolùm cenſeo veniale; etiāſi cauſa ſit minùs ſufficiens, vel fiat ex inaduertentia aliquo modo culpabili: Vnde nihil quoq; neceſſariò erit repetendum. Quod ſi iuſta cauſa interceſſerit, nulla erit culpa, vt ſi caritas vel prudentia hoc faciendum iudicet, vel caream Breuiario in quo habetur officium de Sancto, & propter iuſtum impedimentum non poſſim recitationem Horarum diutiùs differre. Quartum obſeruandū eſt, vt mutatio illa non

ſit

Digitized by Google

ſit valde indecens, qualis eſſet die Chriſti Natali legere Officium feriæ illo die occurrentis.

CAPVT XV.

An in Pſalmodia publica vel priuata Ordo aliquis neceſſariò tenendus ſit.

1. *Triplex ordo ſpectatur in Horis.*

SErmo eſt hîc de triplici Ordine. Primò de Ordine Horarum vnius diei inter ſe, v. g. vt Prima Laudes, Tertia Primam, & ſic conſequenter aliæ alias Horæ ſequantur. Secundò, de ordine Horarum diuerſorum dierum inter ſe, nempe, an finitum debeat eſſe Completorium prioris diei, antequam inchoetur Matutinum ſequentis. Tertiò, de Ordine partium vnius Horæ, ſcilicet, an partes illæ heterogeneæ aptè inter ſe quadrare debeant, vt primi Pſalmi, deinde lectiones, vel hymni, & reliqua ſine perturbatione Ordinis ſequantur.

2. *Hic ordo triplex maximè ſeruandus in officio chori, vnde interdum committi poteſt hac in re mortale.*

Dico primò, Triplex hîc deſcriptus Ordo maximè ſeruandus eſt in officio chori, tantaque interdum oriri poteſt permixtio Horarum, vel partium, ex quibus conſtant inter ſe, vt ea in re peccatum mortale committatur. Ratio eſt, tum quia confuſio hæc publica in Officio diuino, & cultu ferè primario noſtræ religionis per ſe valde indecens eſt, populum offendit, præſentes diſtrahit, myſteria, quæ in ſingulis Horarijs precibus repræſentantur, euacuat; tum quia nouum quodammodo ritum in Eccleſiam inducit, & quaſi aliud Officium propria auctoritate componit.

3. *Leuitas tamen materiæ & obliuio excuſat à mortali.*

Aduerte verò hîc primò, Facilè hîc mutationem aliquam poſſe à graui culpa excuſari, partim leuitate materiæ, partim obliuione vel naturali incogitantia.

Aduerte ſecundò, Ceteris paribus leuiorem culpam committi in peruerſione Ordinis primi, quàm ſecundi, vt per ſe patet. Item leuiorem in turbatione ordinis ſecundi quàm tertij, vt conſtat: ſi quidem in tertia inordinatione, tantum interdum chaos oriri poteſt, vt ex aptiſſima Eccleſiaſticæ hymnodiæ ſymmetria monſtrum exiſtat, vt ſi in principio Veſperarum cantetur *Magnificat*, deinde Pſalmi permixti Hymno & Oratione.

4. *Grauior culpa in turbatione 2. quàm primi, & 3. quàm 2. Ordinis.*

5. *Priuatim inuertere ordinem primum ſine cauſa ſolùm eſt veniale.*

Dico ſecundò, In priuata recitatione inuertere Ordinem Horarum vnius diei, licet ſit contra Officij Diuini primam inſtitutionem, & ſi fiat abſque cauſa aliquo modo rationabili, peccatum ſit veniale; nullo tamen modo, niſi interuenerit contemptus, mortale erit. Eſt communis DD. vt patet ex Nauarro Enchir. de Horis cap. 3. numero 67. & cap. 21. numero 30. qui docent errorem hunc etiamſi per negligentiam, imò ſcienter contingat, non eſſe pluſquam veniale, nec inducere obligationem Horam dictam iterandi, licet ordine præpoſtero lecta ſit: Sufficiet enim Horam omiſſam recitare. Ratio huius eſt quam adfert Syluester V. *Hora* quæſt. 9. Dicto quarto, quia talis inuerſio non eſt contra ſubſtantiam præcepti de recitandis Horis, ſed ſolùm contra decentem, & rectè inſtitutum Horarum Ordinem, qui eſt modus quidam accidentarius.

6. *Nullum peccatum eſt ſi ex cauſa fiat.*

Obſeruat verò rectè Nauarrus ſuprà num. 65. & poſt eum Toletus lib. 2. Inſtruct. Sacer. c. 13. & alij, Non eſſe peccatum inuertere Ordinem Horarum iuſta ex cauſa, v. g. recitare Tertiam ante lectam Primam, & ſic de alijs: iuſtam autem ponunt cauſam, quod chorus inceperit Tertiam, Sacerdos verò nondum dixerit Primam; quo caſu liceret illi pſallere cum Choro Tertiam, & poſtea dicere priuatim Horam omiſſam: imò Sotus 10. de Iuſt. q. 5. art. 4. dicit hoc eſſe conſultius,

quamuis etiam ex culpa priorem Horam non recitarit. Similis cauſa iuſta eſt naturalis obliuio, vt, cum v. g. recitans Tertiam nullo modo recordatur ſe primam non legiſſe: tunc enim poterit abſoluere ſine peccato tertiam, & poſtea reuerti ad Primam. Pari modo inuerti hic ordo poteſt ad iuuandum infirmum in recitando, vel ſi prælatus roget, vel ſi interueniat amicus, qui hoc poſtulet, vel maior expectetur alias Horas legendi commoditas.

7. *Inuerſio 2. Ordinis etiam eſt culpabilis.* Dico tertiò, Vitioſa ſimiliter & culpabilis eſt permutatio Horarum ſubſequentis diei cum officio præcedentis, vt ſi verbi gratiâ, quis recitet ſub noctem matutinum poſteri diei antequam abſoluat Veſperas aut Completorium hodierni.

Ratio eſt, quia inuerſio illa, & ordo præpoſterus repugnat inſtitutioni canonicæ diuini Officij. Deinde arguit hæc confuſio aliquam ferè intempeſtiuam præuentionem officij ſequentis, & poſtpoſitionem ſeram præcedentis.

8. *Eſt tamen ſolùm venialis.* Nota tamen, Hanc mutationem ſolùm fore venialem, imò interdum ex cauſa, quæ viro prudenti videtur iuſta, poterit omni noxa carere, vt rectè Suarez ſuprà cap. 24. num. 3. & Valerius Reginaldus ſuprà ſectione 5. & alij, verbi gratiâ, ſi inſtante nocte nondum quis legerit Veſperas, &c. & poſtea cariturus ſit libro ex quo Matutinum perſoluat, poterit officium nocturnum anticipare, & poſtea Veſperas, quas memoriter nouit, legere.

9. *Inuertere ordinem tertium grauior culpa erit, venialis tamen.* Dico poſtremò, Grauior culpa committitur, venialis tamen, ſi partes vnius Horæ inter ſe permiſceantur: tum quia confuſio illa nullâ ferè ratione honeſtari poteſt; tum quia decor Canonicæ precationis, qui in apta ſerie & connexione pſalmorum, lectionum, &c. conſiſtit, vel ex toto, vel ſaltem ex parte deperibit.

Aduerte tamen etiam hîc duplici ex capite excuſationem locum habere poſſe. Primò quidem ratione obliuionis, vt cùm verbi gratiâ, Nocturnum vnum, vel illius Pſalmos quis prætermiſit inaduertenter, ſolumque poſt lectas Laudes erroris in mentem venit: tunc enim ſufficit omiſſum ſupplere. Secundo ex parte Iuſtitiæ cauſæ, verbi gratiâ, cùm quis iter agens ſine Breuiario ſub diei finem Matutinum & Laudes legit ex diurnali, omiſſis lectionibus, quas poſtea domi legit, nec interim ſuperuenientibus præuiſis impedimentis poteſt commodè Laudes legere. Sic memini facere viros probos ſine ſcrupulo. 10. *Quomodo inuerſio illa à peccato excuſetur.*

Quæri hîc poſſit, Quale peccatum ſit, partes diuerſarum Horarum inter ſe permiſcere: v. g. Pſalmos Veſperarum legere loco Laudum, & contrà: ſed ad illud dicendum videtur (licet apud nullum Doctorem hoc dubium explicatum inuenerim) tale peccatum de ſe eſſe mortiferum: non enim talis legit Laudes, quoad ſubſtantiam ipſarum, ſed ſolùm aliquid æquiualens, quod facere non licet, alioqui loco Veſperarum liceret legere Roſarium B. Virginis, quod ex antiquioribus aliqui, ex recentioribus, vt puto, nemo dixerit. 11. *Permiſcere partes diuerſarum horarum inter ſe videtur mortale.*

CAPVT XVI.

Vtrum inter Matutinum & Miſſam Ordo aliquis intercedere debeat.

PErtractarunt plurimi hanc quæſtionem & ceteris vberiùs Marcellus Francolinus de tempore Horarum Canonicarum c. 42. 1.

Dico primo, Nullum eſt peccatum Miſſæ ſacrificium offerre Primâ non recitatâ

2. *Peccatum nullam eſt nõn recitata Prima Miſſam celebrare.* citatâ. Eſt communis hoc tempore DD. qui nullam obligationem agnoſcunt in Prima, dicenda ante Miſſam non magis quàm in Tertia vel Sexta. Vide Toletum lib. 2. Inſtruct. Sacer. cap. 1. n. 7. & Sotum 10. de Iuſtitia q. 5. a. 4. vbi dicit, nullum eſſe de hac re dubium, quin imò melius eſſe poſtea Primam in Choro cantare, ſi ante celebraueris, & Azorium lib. 10. c. 28. q. 20. vbi docet Primam ſolùm neceſſariò præmittendam Miſſæ ſolemni in choro. Vnde non audiendi hîc veteres quidam apud Nauarrum Enchir. de horis Canonicis c. 3. n. 65. & ſequent. qui putarunt peccatum eſſe mortale Primâ non lectâ celebrare Miſſam.

3. *Olim fuit ſententia communis peccatum mortale eſſe per ſe non recitato matutino celebrare.* Dico ſecundò. Communiſſima olim fuit ſententia DD. per ſe peccatum eſſe mortale ſacrificium ante Matutinum recitatum offerre. Conſtat ex Nouarro, tum alibi, tum potiſſimùm in Enchir. de Horis cap. 21. num. 30. & Francolino ſuprà num. 2. Suarez, Azorio, & alijs.

4. *Rationes pro hac ſententia.* Probatur primò, quia ſic habet generalis conſuetudo totius Eccleſiæ, vt nemo ſibi licere putet Rem Diuinam facere Matutino prius non perſoluto: obtinet autem conſuetudo vim legis, quia, vt rectè D. Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum, Mos populi Dei, & Inſtituta Maiorum pro Lege tenenda ſunt.

5. Probatur ſecundò, Ex rubricis Miſſalis Romani editi iuſſu Pij V. quas Conſtitutione ſua præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ ſeruari. Sic autem habetur initio rituum ſeruandorum §. 1. *Sacerdos celebraturus Miſſam præuia confeſſione Sacramentali quando opus eſt, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto orationi aliquantulum vacet &c.* Ergo. Rurſus in Rubrica de defectibus in Miſſæ celebratione occurrentibus §. 10. ponitur hîc defectus, ſi celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. Ex quo colligitur, hunc defectum videri mortalem: tum quia ponitur inter defectus mortales, tam præcedentes, quàm ſequentes, & ex præcedentibus, & ſequentibus infertur interpretatio alicuius diſpoſitionis, L. *Si ſeruus plurium* §. Finali ff. de legibus: tum quia Rubrica agens de defectibus ſatis indicat ſe agere de defectibus mortalibus, cùm addit poſſe eos cum peccato, aut cum ſcandalo contingere.

Probatur tertiò, Quia Matutinæ preces ex maiore ſui parte ſunt Officium nocturnum, vel ſaltem ex more Eccleſiæ debent ſummo mane perſolui; Miſſa verò eſt officium diurnum, & ordinariè ante auroram celebranda vetatur. Ergo peruerſio huius ordinis per ſe mala eſt. Conſuetudo autem accedens interpretatur illam eſſe grauem & in materia graui, adeoque eſſe culpam mortalem. 6.

Probatur quartò; Quia contraria ſententia anſam præbet Clericis ad Horas obligatis Matutinas preces, etiam vſque ad meridiem ſæpe differendi, cùm audiunt à DD. quibuſdam doceri, Miſſam ſine culpa, vel ſaltem ſine graui peccato poſſe Matutino & Laudibus præponi. 7.

Dico tertiò, Vera nihilominus & ſecura eſt ſententia contraria, ſcilicet nullo modo eſſe peccatum mortale Rem diuinam facere matutinis precibus non recitatis. Eſt hoc tempore ferè communis, & ex antiquioribus in eam inclinat Sylueſter V. *Miſſa* 1. q. 6. §. *Quartum*: Apertè autem eam docet Sotus, tum in 4. diſt. 13. q. 2. a. 2. in fine, tum clariùs lib. 10. de Iuſt. q. 5. art 4. concluſ. 2. vbi dicit nullo modo eſſe mortale, fortè tamen veniale ob conſuetudinem. Eandem paſſim tenent Recentiores Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 10. §. 5. dicit hanc eſſe probabilem. Suarez tom. 3. in 3. partem diſp. 82. ſect. 1. concluſ. 1. & 8. *Contraria, ſententia vera non eſſe mortale non lectis matutinis celebrare.*

lib. 4. de Orat. cap. 24. n. 6. dicit hanc ſententiam veram & ſecuram, Petrus Arragon 2. 2. q. 83. art. 12. dubit. 5. docet contrariam eſſe planè falſam. Hanc etiam tradunt Toletus lib. 2. Inſtruct. cap. 1. num. 7. Emanuel Rodericus tom. 1. Quæſtionum Regularium, q. 43. art. 3 in fine, & in ſumma parte 1. cap. 244. num. 22. Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubit. 12. & innumeri alij.

9. *Probatur argumentis.* Probatur primò, Quia oppoſita ſententia nullo iuris præcepto aut firmâ ratione fundatur.

10. Secundò, Nullum eſt peccatum mortale inuertere ordinem Horarum inter ſe, vt ſuprà vidimus. Ergo nec iuuertere ordinem earum cum Miſſa, cùm illæ magis à ſe mutuò, quàm ab illis Miſſa dependeat.

11. Tertiò, Quia fieri poteſt, vt quis ratione infirmitatis excuſetur ab omnibus Horarijs precibus, nedum à Matutinis, & tamen dubium non eſt, quin ei licitum ſit Miſſam celebrare.

12. Quartò, Quia conſuetudo contraria, quæ allegatur per ſe nullum inducit peccatum mortale.

Primò quidem, Quia non ideo aſſumpta eſt vt Matutini officij recitatio eſſet ad ſacrificandum neceſſaria præparatio: nuſquam enim hoc docēt auctores, ſed tantùm ad ſummum aiunt illius recitationem conducere, ad fructuoſiùs, & deuotiùs celebrandum, vt Nauarrus ſuprà c. 3. n. 70. Nemo autem tenetur omnes præparationes ad maiorem deuotionem in Sacro obtinendam conducentes ſub peccato adhibere.

13. Secundò, Neque etiam profluxit hæc conſuetudo ex ordine ſeu dependentia Miſſæ à Matutinis precibus, ſicut cernitur in diſpoſitione Horarum inter ſe, quæ ſic ordinatæ ſunt, vt Sexta ſequatur Tertiam, illam Nona, & ſic de cæteris. Nullus enim poſuit hunc ordinem, cùm Miſſa non annumeretur Horis Canonicis, vel cum illis dependentiam habeat: & licet inter eam, & Matutinum talis ordo cerneretur; illius tamen peruerſio non induceret peccatum mortale. Conſuetudo igitur hæc inde ortum habuit, vt Matutinum & Miſſa temporibus ab Eccleſia conſtitutis peragerentur: habet autem Eccleſiaſtica ferè conſuetudo, vt ſub finem noctis Matutinum, & aurora rubeſcente Laudes pſallantur, poſt quas Miſſa de die plerumque celebratur: tota ergo ratio peccati in eo conſiſtit quod vel Miſſa vel Matutinum, vel vtrumque non peragantur tempore debito, v. g. quia Matutinum nimium differatur, vel Miſſa nimium anticipetur: quamuis autem hoc peccatum ſit, non eſt tamen mortale; dummodo Miſſa ab aurora ad meridiem, & Matutinum, ante finem diei naturalis abſoluatur. Deinde per accidens eſt, quantum ad inuerſionem huius ordinis, quod debitis temporibus hæc officia non celebrentur, & ſubinde peccetur.

14. *Si quis debitis temporibus miſſam legat & matutinum non peccat in vllo modo etiam ſi matutinum miſſa præponat.* Hinc ſequitur eum qui Miſſam & Matutinum recitat vtrumque ſuis temporibus conſuetudine piorum virorum determinatis, licet ordinem immutet, nihilominus non peccare, ne quidem venialiter; quia cùm hic ordo non requiratur, niſi vt ſuis temporibus quodlibet eorum celebretur, & hæc in caſu noſtro ſeruentur, nulla apparet ratio peccati, etiāſi ſine cauſa hic ordo perturbetur: & hoc mihi perſuadeo, quod etiam ſignificat Suarez tom 3. in tertiam partem diſp. 82. ſect 1. Sotus ſuprà.

15. *Conueniunt omnes licere hunc ordinem inuer-* Aduerte autem Doctores omnes docere huiuſmodi inuerſionem licitè fieri poſſe ob cauſam aliquam rationabilem, licet contrariæ ſententiæ auctores grauiorem requirant. Eſt autem huiuſmodi, ſcandalum vel perturbatio

tere iuſta ex cauſa. batio populi ex nimia Miſſæ dilatione, ſubita neceſſitas ſtatim celebrandi, ſi vir illuſtris ſuperueniat, ſi prælatus iubeat, ſi matutinum ſine culpa tam diu differri potuerit, Multò autem minor ratio ſufficiet, vt Miſſa Laudibus præponatur, vt per ſe liquet.

16. *Reſpondetur oppoſitæ ſententiæ argumentis* Ad argumentum primum oppoſitæ ſententiæ reſpondeo, Conſuetudinem illam, vt quidem hoc tempore viri probi & docti eam explicant, non eſſe, niſi conſuetudinem ſimplicem; non autem habentem vim legis, vel præcepti, ſaltem grauis, quia, vt diximus, ſolùm ortum inde habuit, ne officia Miſſæ, & Matutini nimium præuenirentur vel differrentur. Quod autem contrariæ ſententiæ DD. aliter eam interpretentur, nihil refert, cùm ſatis conſtet, eos auctoritate potiùs aliorum, quàm ſolidis rationibus permotos fuiſſe: antiquiores certè tractantes de peccatis ſacerdotum in ordine ad Sacrificium vel Horas numquam peccari in hac mutatione rationem poſuerunt.

17. Ad ſecundum reſpondeo, Recitationem Matutini ante ſacrum non pertinere ad ritus, quos ſeruari in ſuo Miſſali præcipit Pius, qui conſiſtunt in ordine precum & cæremoniarum, quæ in Miſſali continentur.

18. Nec obſtat, quòd ibi dicatur, *Sacerdos celebraturus Matutino abſoluto orationi vacet*, quia nihil ibi præcipit, ſed ex conſuetudine, quæ tunc vigebat, hoc faciendum præſupponit, vel potiùs conſulit, ſicut dum dicit: *Orationi aliquantulum vacet*, quod, quis non videt eſſe tantùm conſilij? Rituum ergo ſtrictè præceptorum obligatio partim pendet ex materiæ grauitate, partim ex verbis, quibus præcipitur; quorum cùm neutrum hîc habeatur, non erit peccatum contra facere.

19. Nec inſuper refert, quòd inter defectus in ſacrificio Miſſæ occurrentes ponatur, *Si non recitauerit Matutinum*: tum quia licet in eodem contextu ponantur aliqui defectus, qui ſint peccata mortalia, non tamen omnes tales ſunt, ſi quidem ponitur ibi defectus, *Si altare non fuerit tribus mappis coopertum*, quod nemo dixerit eſſe peccatum mortale, ſufficiunt enim duæ vel vna duplicata. Additur, ſi mappæ non ſint benedictæ ab Epiſcopo vel alio, quod etiam non eſt neceſſarium: tum etiam quia frequenter huic defectui peccatum adiunctum fatemur, quia nimirum ſacerdos Miſſam ante Matutinum lectum offerens plerumque intempeſtiuè Horarum penſum abſoluit, & venialiter peccat. Meritò autem dicitur in Rubrica poſſe contingere cum peccato, non verò mortali, quia hoc ex materia, in qua peccatur, colligendum reliquit.

Tertium argumentum ſolùm probat facilè poſſe peccatum admitti peruertendo ordinem horum Officiorum, dùm ſuis temporibus ob hoc non peraguntur; Non verò neceſſarium eſſe ordinem inter vtrumque. 20.

Ad poſtremum reſpondeo, non plus negligentes Clericos accipere audaciæ ex noſtra ſententia, quàm ex communi DD. docentium non committi peccatum mortale, & in recitatione Horarum, dummodo inter diem naturalem omnes legantur, imò propter eorum abuſum non eſt grauis obligatio inducenda. 21.

Dico vltimò, Si de officio Chori loquamur, certum eſt Miſſam ſolemnem, vel conuentualem, vt vocant, non poſſe ſine graui peccato celebrari, ante cantatum Matutinum; imò neque ante Primam ordinariè, non quia inter illa ſit aliquis ordo neceſſarius, ſed quia ius ſtatuit vt patet C. *Et hoc*, & C. *Solent*, & C. *Noſte*, de conſecrat, d. 1. & cōſentiunt Doctores D. Thomas 3. p. q. 83. ar. 2. & in 4. diſt. 13. q. 1. a. 2. q. 4. & omnes 22. *Graue nihilominus peccatum erit Miſſam ſolemnem celebrare antecantatum matutinum,*

cum

22. *Si pauper eſt Beneficiarius, poteſt ſibi reſtitutionem applicare ex conſenſu Confeſſarij.* dam habere poſſint. Denique addunt poſt Nauarrum c. 25. Enchir. Confeſſ. n. 122. & de Horis Can. c. 7. n. 24. plerique omnes DD. Sa, Toletus, Leſſius, Suarez, pauperem, ſi officium diuinum intermiſerit, reſtitutionem ob id culpæ faciendam, ſibi poſſe applicare tanquam eleemoſynam ſibi factam à Pontifice accedente prudentis Confeſſarij, vel alterius viri eruditi conſenſu, quia facile eſt in propria cauſa decipi.

23. *Eadem ratio eſt de penſionarijs non recitantibus Officium D. Virginis.* Nota poſtremò penſionarijs idem onus reſtituendi fabricæ beneficij, vel pauperibus incumbere, quia eodem modo de his atque de beneficiarijs diſpoſuit in ſua Extrauagante Pius V. dum ait eos eodem modo, quo beneficiarij, eſſe fructuum reſtitutioni obnoxios. Vide Suarez ſuprà num. 22.

CAPVT XII.

An Beneficiarij Horas non recitantes lege naturali, fructus iniuſtè perceptos reddere teneantur.

1. *Prima ſententia docet iure naturæ non recitantes ad reſtitut. teneri.* SVnt duæ ſententiæ Doctorum. Vna eſt Soti l. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 6 ſub finem. Adriani in 4. tract. de Reſtitutione in quæſtione: *An Clericus teneatur reſtituere quidquid vltra victum de reditibus beneficij conſumpſerit?* Gregorij de Valentia ſuprà §. 8. Couarruuiæ c. 3. Variarum Reſol. c. 13. n. 10. & plurium aliorum, qui volunt beneficiarios Officium diuinum negligentes eo ipſo iure naturali obſtrictos eſſe vinculo reſtitutionis, etiam primo ſemeſtri ab obtento beneficio. Rationes ipſorum ſunt:

2. *Rationes huius ſententiæ.* 1. Datum ob cauſam, eâ non ſecutâ, iure repetitur; ſed beneficium datur propter Officium c. finali, de Reſcriptis in 6. Ergo officio non ſecuto fructus iure repetuntur.

2. Quia beneficiarij non recitantes preces Horarias, peccant peccato iniuſtitiæ contra iuſtitiam commutatiuam. Ergo tenentur ad reſtitutionem. 3.

Probatur antecedens, quia opus non præſtant, ob quod datur illis ſtipendium, Ergo. Vnde Alenſis 3. p. q. 36. m. 5. a. 2. vocat Clericum habentem beneficium & ei non deſeruientem, raptorem; Inſuper addit, quòd ſicut conductus Agricola non laborans mercede indignus eſt; ita Clericis, qui non præſtant Officium, merces non eſt perſoluenda.

3. Clericus primis ſex menſibus non recitans preces peccat mortaliter vt etiam habet Pius V. Ergo æquè tenetur iure naturæ ad reſtitutionem, vt poſtea; quidquid ſit de diſpoſitione iuris Canonici. 4.

Altera ſententia aliorum eſt, qui docent beneficiarios non recitantes obligari quidem ad reſtituendum, ſed ſolùm iure Eccleſiaſtico, non verò iure naturæ. Ita Panormitanus c. 1. de Celeb. Miſſ. n. 8. Nauarrus c. 7. de Horis Canonicis n. 31. & c. 21. n. 58. Syluester V. *Clericus* 4. q. 23. n. 16. & alij. 5. *Altera docet iure naturæ non teneri reſtituere, ſed ſolùm iure Canonico.*

Probatur hæc ſententia 1. quia verbum (Statuimus) in decreto Lateranenſi ſatis oſtendit ibi condi ius nouum, vt Nauarrus probat ex Gloſſis Communiter receptis. 6. *Rationes pro hac ſententia.*

2. Concilium Lateranenſe non obligat beneficiarios primo ſemeſtri accepti beneficij non legentes ſtatas preces ad aliquam Reſtitutionem, quod omnino facere debuiſſet, ſi iure naturæ ad id tenerentur. 7.

3 Quia, vt ante dictum eſt, & oſtendit Nauarrus nullus Canon in iure reperitur ante Concilium Lateranenſe, qui eos officium omittentes reſtituere, præcipiat, quod argumentum eſt nullam fuiſſe iuris obligationem. 8.

4. Quia Eccleſia excuſat ſua lege illos, qui legitimo impedimento detenti 9.

abſque

Digitized by Google

abſque culpa ſua officium non recitarunt, Ergo ſatis inſinuat illos iure naturæ ad nullam reſtitutionem obſtringi, quia ſi opus debitum præſtare neglexiſti, ſiue cum culpa tua, ſiue abſque ea, ſtipendium acceptum reſtitutioni eſt obnoxium; vt apparet in operarijs diurnam operam locantibus.

10. 5. Quia Eccleſia permittit reſtitutionem ſtipendij fieri pauperibus, qui tamen nullum damnum paſſi ſunt ex negligentia beneficiariorum, ſed potius fidelis populus, vel defuncti fundatores. Ergo ſi iure naturæ reſtitutio fieri debet, his, non illis eſt præſtanda.

11. *Præciſè loquendo beneficiati non tenentur iure naturæ ad reſtitutionem.*

Dico 1. Si præciſè loqui velimus, beneficiarij omittentes Horas Canonicas ad nullam iure naturæ obligantur reſtitutionem. Probatur ex dictis ſuprà c. 4. Et ratio eſt, quia ſepoſito pacto & inſtitutione Eccleſiæ, non tenentur ad preces illas, vel ad quaſcunq; alias, niſi ex gratitudine, quam conſtat nullã inducere obligationem reſtituẽdi.

12. *Ex hypotheſi obligari poſſunt ab Eccleſia ad reſtitutionem ſi officium non præſtiterint.*

Dico 2. Ex hypotheſi inſtitutionis beneficiorum quibus Eccleſia impoſuit onus ſtatas illas & Canonicas orationes pſallendi, ratio ſubeſt, cur Eccleſia illis poſſit ſtipendij reſtitutionem iniungere, ſi officium ſuum non præſtiterint, & ad eam faciendam condemnare: vnde dici poſſunt obligari ad reſtitutionem radicaliter, & hoc tantùm probant argumenta 1. ſententiæ.

13. *Obiectio contra dicta.*

Dices. Stipendiarius, & quilibet alius pretio aut mercede ad aliquod miniſterium obeundum conductus, tenetur ad reſtitutionem ſtipendij lege naturæ & iuſtitiæ, ſi officium non præſtiterit; Atqui Beneficiarij ſunt Eccleſiæ ſtipendarij, qui de Eccleſiæ bonis viuunt ſub onere præſtandi ſuum miniſterium, Ergo eo non præſtito ad reſtitutionem fructuum tenebuntur.

14. *Solutio. Magnum*

Reſpondeo. Ad Maiorem, latum eſſe diſcrimen inter mercenarium, & beneficiarium. Mercenarius ſiquidem diurnus, ſi vel die vno laborare omittat, reſtituere tenebitur diurnam mercedem; famulus item conductitius, ſi aliquot hebdomadis ſeruitium ſuo hero ſubtrahit, ad eandem iure compellitur pro more cuiuſque prouinciæ recepto; & ratio eſt, quia dominum & conductorem priuarunt obſequio temporali pretio æſtimabili, ac proinde vel reſtitutione mercedis vel ſimilibus obſequijs, ſi Dominis placuerit illa debebunt reſarcire. At verò beneficiarij non conducuntur pro miniſterio vel diurno, vel annuo, ſed conceduntur illis vectigalia Beneficiorum pro eorum honeſta ſuſtentatione, cum obligatione tamen preces Canonicas recitandi, quas ſi omiſerint, peccant quidem contra Iuſtitiam; non tamen per ſe & formaliter tenentur ad fructuum reſtitutionem, quia non priuarunt populum Chriſtianum aut fundatores aliqua vtilitate temporali, quæ redditione fructuum acceptorum ſolet, aut debeat compenſari. Ita Leſſius l. 2. de Iuſtitia c. 34. dubit. 32.

Dico 3. beneficiarij officium non recitantes non tenentur fructus reſtituere, niſi Eccleſia decreto ſuo hoc ſtatuat. Ratio eſt, quam iam diximus, quia etſi ſpirituali fructu ſuarum orationum Eccleſiam fraudarint, non tamen detraxerunt ei aliquod commodum temporale. Sic illi, qui in Seminarijs ex pijs fundatorum legatis victitant, quos communiter burſarios vocamus, etſi negligant legere Roſaria, vel Pſalmos, ad quos ratione fundationis huiuſmodi ſubſidiorum obligantur; non tamen ad aliquam pecuniæ reſtitutionem ex rei natura tenentur, cùm huiuſmodi beneficium illis non concedatur tanquam merces pro re pretio temporali æſtimabili, ſicut ſoluitur merces operario diurno, ſed ſolùm datur illis ſuſtentatio cum onere quotidie aliquas preces orandi.

Digitized by Google

16. *Beneficiarij officium ſuum non præſtantes ſæpè eadem poſtea ſupplere tenentur, non tamen ſemper.* Nota hîc 1. Quòd ſicut Burſarij non perlegentes orationes ad quas ratione fundationis quotidie aſtringuntur, poſtmodum eas recitare debent, niſi fortè ex conſuetudine, vel mente fundatoris, cum die obligatio illa euaneſcat; Ita quoque Beneficiarij quibus Beneficium collatum eſt ſub onere quædam religioſa ſeruitia præſtandi, ſi ea ſtatutis diebus non expleuerint, ſæpe poſtea eadem exequi tenentur. Sic is qui capellam vel altare poſſidet, & hebdomadaria vel menſtrua ſacrificia non obtulit, poſtmodum ad ea celebranda tenetur. Dixi, *ſæpe*, quia ſi obligatio miniſterium obeundi ſimul cum die extinguatur, poſtridie ad illud non videntur obligandi, ſicut accidit in Horis Canonicis dicendis, quæ certo tempori alligantur tanquam illius penſum.

17. *Quid ſentiendum ſit de reſtitutione fructuum ſi ea iure naturæ debita ſit non recitatis Horis.* Nota 2. Si ſententiam eorum ſequamur, qui iure naturæ debitam fructuum reſtitutionem volunt; dicendum erit 1. etiam ſemeſtri primo hanc faciendam eſſe, quia naturæ ius nullum diſcrimen ponit inter primum ſemeſtre & tempus ſequens, vt per ſe manifeſtum eſt. Deinde eodem iure non deberi omnium fructuum diei illius reſtitutionem, quo omiſerunt officium, ſed ſolùm partem illam, quæ ſeruitio Horas recitandi adæquetur, iudicio æqui arbitri: vnde ſi tales Beneficiarij habeant alia miniſteria, quibus ſeruire coguntur, portionem prouentuum illis commenſuratam ex æquo & bono ſibi reſeruare poterunt, vt rectè auctores illius ſententiæ tradunt. Tertiò, iure naturæ non eſſe neceſſarium vt hæc reſtitutio fiat ex bonis tẽporalibus Beneficij: Rectè namque fieri poterit obſequium prætermiſſum ſimili reſarciendo, vt paulò antedictum de ſacellano ſacrificia debita ſuis diebus non perſoluente, quæ poſtea illi ex iuſtitia celebranda reſtant. Idem cenſet Suarez ſuprà num. 11. de Beneficiarijs preces Canonicas non reddentibus, quos ex rei natura arbitratur, (niſi aliud temporalis fructus reſtituendi genus eligere malint) ſatisfacere, ſi Horas neglectas vno die poſtridie legant: licet enim hoc pacto præceptum Eccleſiæ non expleant, quia hoc eſt impoſſibile, cùm illarum obligatio cum die præterierit; ſatisfaciunt nihilominus pro ſpirituali detrimento quod populo Chriſtiano & fundatoribus attulerant. Adde iuxta æquitatis pleniſſimum iudicium eiuſdem Suarez num. 12. ſuprà, non requiri neceſſariò, vt hæc ſpiritualium bonorum reſtitutio fiat in eadem ſpecie actionis, v. g. vt preces Horarias omittens poſtero die omiſſas dicat, ſed ſufficere, vt viri ſapientis arbitrio in diuerſa ſpecie æquiualens perſoluat, v. g. per Miſſarum celebrationem, Roſariorum recitationem, vel aliud huiuſmodi, cùm enim officium Canonicum dictum poſtridie eius diei, quo recitari debuiſſet, in perſona Eccleſiæ non peragatur, videtur eadem Eccleſia rationabiliter conſentire vt per preces æquiualentes officium neglectum reſtauretur. Addit Hieronymus à Politio in Expoſitione Regulæ D. Franciſci c. 3. non oportere hac in re eſſe ſcrupuloſum: per minimam enim orationem talis compenſatio pro benefactoribus fieri poteſt, cùm ſpirituale temporalibus longè præponderet.

CAPVT XIII.

Quanam formula in precibus Canonicis publicè vel priuatim recitandis obſeruanda ſit.

HActenus actum eſt de perſonis obligatis ad recitandum: ſequitur nunc 1.

Digitized by Google

HUnc vt tractemus de formula ſeu Breuiario, iuxta quod Horæ Canonicæ perſoluendæ ſunt. Quia verò de hoc extat duplex ius, ſcilicet antiquum ſiue commune, & nouum ſiue ſpeciale; de vtroque paucis dicendum.

Dico 1. Iure nouo publicè in choro pſallendum eſt vbique diuinum officium iuxta formulam & ritum Breuiarij Romani Pij V. exceptis Eccleſijs, quæ alium orandi modum habuerunt, vel ex inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, ducentis annis antiquioribus.

2 *Iure nouo Pij V. publicè vbique pſallendum iuxta ritum Romani Breuiarij, niſi [illegible] antiquius Breuiarium in [illegible] fuerit.*

Patent hæc ex conſtitutione Pij V. Romano Breuiario præfixa, in qua abolet Breuiarium nouum à Cardinale S. Crucis confectum, & quæcunque alia Breuiaria, exceptis illis, quorum in Eccleſiis vſus ducentos annos ſua approbata inſtitutione vel conſuetudine ſuperare dignoſcitur: permittit nihilominus, vt & illæ Eccleſiæ Romanum reformatum acceptare, & canere poſſint, ſi modò Epiſcopus cum vniuerſo Capitulo conſentiat. Ad hæc 3. ſtatuit in omnibus Eccleſiis, ad officium diuinum priuatim & publicè ex huius Breuiarij præſcripto, & ratione dicendum & pſallendum teneri quoſcunque Horis recitandis aſtrictos, nec alio quocunque modo quenquam ſuo muneri poſſe ſatisfacere, niſi hac ſolâ formulâ vtendo.

Clemens præterea VIII. eiuſdem
4. Pij V. Breuiarium ex Decreto Synodi Tridentinæ reſtitutum, & ſuo iuſſu reformatum rurſus confirmauit Calcographicis erroribus ſublatis. Permittit nihilominus pauperibus Clericis, & alijs Eccleſiaſticis priorum iuſſu Pij V. editorum Breuiariorum lectionem, quibus hactenus vſi fuerant, donec atterantur, vt patet ex eiuſdem Bulla Breuiario antepoſita.

Ex his conſtat peccatum eſſe mortale, ſi in choro aliud Breuiarium quàm Romanum Pij V. pſallatur, niſi fuerint Eccleſiæ præſcriptione pluſquam ducentorum annorum gaudentes, quia dicit Pontifex non poſſe quenquam obligationi ſuæ ſatisfacere, niſi hunc orandi & pſallendi modum vſurpet.

5. *Si ſecus fiat peccatum mortale committetur.*

Quòd ſi Eccleſiæ illæ priuilegiatæ ſemel Romanum illud Breuiarium acceptauerint, iam non erit illis liberum ad ſuum antiquum reuerti, quia priuilegio ſuo renunciarunt.

6. *Si Eccleſia priuilegiata nouum Breuiarium ſemel ſuſceperint, ad antiquum ſuum reuerti non poterunt.*

Nota verò ex Suarez cap. 11. num. 4. requiri à Pio V. conſenſum Epiſcopi, & vniuerſi Capituli ad hoc, vt licitè nouum hoc Breuiarium acceptetur; Non quòd ſingulos de Capitulo in hoc conſpirare neceſſe ſit, ſed quòd Pontifex velit Capitulum ſuper huius Breuiarij admiſſione conuocari, & maiorem ſaltem illius partem in hanc conſentire: Sic enim conſenſum præbere cenſebitur vniuerſum Capitulum.

7. *Ad receptionem noui Breuiarij ſufficit vt Capit. pars conſentiat.*

Mutante autem vel non mutante Breuiarij ſui formulam Eccleſia Metropolitana, mutare, vel non mutare debebunt Eccleſiæ illi ſubiectæ, iuxta c. *de ijs*, diſt. 12. niſi fortè Diœceſis aliqua proprium habeat Breuiarium; tunc enim poterit eo vti, & non mutare niſi Epiſcopo & Capitulo vniuerſo annuentibus, vt ex eadem Bulla colligitur.

8. *Mutante Breuiarium Eccleſia Metropolitana tenebuntur Eccleſiæ etiam illi ſubiectæ, niſi fortè proprium habuerint.*

Quòd ſi Eccleſia aliqua vſucapione ducentorum annorum non priuilegiata, nihilominus Breuiarum Pij V. incuriâ ſuâ nec dum admiſerit, ſed ſuum retinuerit, non tenebuntur illius Clerici ad publicè vel priuatim pſallendum iuxta illius ritum, ſed ſolùm iuxta Eccleſiæ Romanæ & Breuiarij illius formulam.

Dico 2. Clerici ſimiliter & perſonæ omnes Eccleſiaſticæ, ſiue ſæculares, ſiue Regulares, dum priuatim ex obligatione officium recitant, tenentur ad modum præſcriptum in Breuiario Pij V. niſi fortè fuerint earum Eccleſiarum vel Ordinum, quibus ex ſtatuto

9. *Eadem eſt ratio de priuata recitatione quæ de publica quo ad*

Digitized by Google

vſum Romanum Breuiarij. vel conſuetudine, ducentos annos excedente ſuum pſallendi morem ſeruare permittitur. Patet ex eadem Pij V. bullâ iam adductâ.

10. *Iure antiquo Clerici vel Regulares etiam priuatim recitantes tenentur ſe conformare ſuæ Eccleſiæ, quo ad Breuiarium ducentis annis vſitatum.* Dico 3. Sequendo ius commune & antiquum, quod locum habet, vbi præſcriptio ducentorum annorum conceſſa in bulla Pij V. inualuit, tenentur Clerici beneficiati & Regulares in ritu & formula pſallendi aut recitandi etiam priuatim officium, ſe conformare Eccleſiæ Cathedrali, Metropolitanæ, aut Regulari, cui aſſcripti ſunt: Sic tamen, vt Clerici ſæculares teneantur ad breuiarium ſui Epiſcopatus, ſi habeat ſpeciale; ſin minus, ad Eccleſiæ Metropolitanæ; Regulares verò ad breuiarium ſui ordinis approbatum, vel ſi Ordo nullum ſpeciale habeat, ſui Epiſcopatus, cui ſubſunt; vel ſi exempti ſint, ad Romanum. Vide Nauarrum Enchir. de Horis c. 19. n. 219.

11. *Probatur ex iure Canonico.* Deſumitur concluſio hæc c. *De iis*, ſuprà, vbi ſub grauibus pœnis præcipitur, vt vnus idemque modus in pſallendo teneatur qui à Metropolitana Sede fuerit inſtitutus. Idem ſancitur c. *Placuit.* finali d. 12. & inſinuatur c. *Conuenit*, de conſecratione d. 5. Et probant Doctores ex Clementina 2. *Dignum*, de Celebr. Miſſarum, vbi conceditur Clericis tam religioſis, quàm ſecularibus, qui fuerint alicuius Cardinalis, vel Epiſcopi domeſtici, & commenſales, facultas ſe conformandi in diuini officij recitatione ſuis dominis, quod DD. Canonum intelligunt, etiam de iis, qui cum ſuis dominis non recitant. Ex qua indulgentia clarè perſpicitur priùs aliam fuiſſe conſuetudinem ſequendi videlicet vſum ſuæ Eccleſiæ vel ordinis. Eſt concluſio communis ferè Doctorum, vt conſtat ex Soto lib. 10. de Iuſtitia q. 5. a. 4. Nauarro cap. 19. num 214.

Ex hoc ſequitur primò clericos titulo patrimonij ordinatos, nec beneficiatos aut vlli Eccleſiæ aſſcriptos teneri ad modum aliorum clericorum beneficiatorũ aut Religioſorũ ad breuiariũ ſuæ Diœceſis aut Metropolios, quia eadem de illis eſt ratio. Ita Sotus ſuprà, Nauarrus & alij, licet Nauarrus aliud ſenſerit in manuali Confeſſ. c. 25. n. 107. Nihilominus videtur etiam probabilis multorum aliorum DD. ſententia, vt Nauarri ſuprà, in Manuali Confeſ. Angeli V. *Hora* n. 12. & 14. Syluestri eodem q. 1. Tabiena, D. Antonini & aliorum: ſcilicet poſſe huiuſmodi clericos legere quodlibet breuiarium approbatum pro libito, quia non ſunt in particulari deputati alicuius Eccleſiæ ſeruitio. 12. *Triplex ſententia DD. de Clericis titulo patrimonij ordinatis nec beneficiatis quoad vſum Breuiarij.*

Probabilius tamen ſentio ego cum Leſſio lib. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubit. 12. obligari huiuſmodi ad Officium Romanum, cùm per bullam Pij V. non videantur excepti: non enim ſunt inſcripti alicui Eccleſiæ particulari, cuius breuiarij vſus ducentis annis ſit antiquior. Itaque videtur in praxi nunc ſeruandum poſt editam Pij V. bullam. 13. *Securius illi fecerint ſi Romanum legerint.*

Sequitur ſecundò, Ex doctrina D. Thomæ communiter recepta quod. lib. 1. art. 13. rationabile videri quod clericus in duabus Eccleſijs beneficiatus dicat officium illius Eccleſiæ in qua altiorem obtinet locum vel gradum: vt ſi in vna ſit Decanus, in alia ſolùm Canonicus, dicat officium Eccleſiæ in qua eſt Decanus. Quòd ſi in vtraque Eccleſia fuerit ſimplex tantùm canonicus, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ, quamuis fortè in inferiore Eccleſia habeat pinguiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti ſunt ſpiritualibus comparata. Si verò ambæ Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, poteſt eligere quodcumque Officium voluerit, ſi fuerit ab vtraque Eccleſia abſens; ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe con- 14. *Quid faciet in duabus Eccleſiis beneficiatus.*

mareillis cum quibus conuerſantur. Hæc D. Thomas quem plerique ſequuntur, dicunt tamen alij hanc D. Thomæ ſententiam ſolùm eſſe in conſilio, non verò neceſſariam; vnde quidam ab illa diſſentiunt. Primò itaque docent, Clericum duo Beneficia in diuerſis Eccleſiis legitimè poſſidentem debere recitare Officium illius Eccleſiæ in qua reſidet. Addunt deinde, Beneficiarium debere recitare Horas Canonicas juxta formulam receptam in diœceſi in qua habet domicilium, quamuis diuerſa ſit ab illa, quæ vſitata eſt in Eccleſia ſui Beneficij; quia valde expedit ſequi ritum orandi eorum, inter quos ſtabilem nacti ſumus manſionem; quod idem tenent de Clericis in ſacris vel Beneficiarijs, qui in Academijs ſtudiorum gratiâ verſantur, & alibi habent firmum domicilium, quos docent poſſe dicere officium loci, in quo pro tempore tunc reſident, quia habent ibi quaſi domicilium, & iiſdem legibus, & ſacramentis cum indigenis participant. Vide Suarez ſuprà cap. 23. Videturque mihi hæc ſententia probabilis, licet alij Doctores probabiliter contrarium ſentiant, ſcilicet dicendum eis officium ſuæ diœceſis, à qua originem ducunt, vel domicilium & Beneficium habent. Ita Azor. ſuprà c. 11. q. 3. Eſt etiam probabilis aliorum quam habet D. Thomas quodlibeto 6. art. 8. ſcilicet, clericum Beneficiatum teneri ad dicendum officium ſecundum modum ſuæ Eccleſiæ, quam ſequitur Sotus 10. de Iuſtitia q. 5. a. 4. additque eum, qui habet beneficium in pluribus Eccleſijs, accomodare ſe debere illi, cui magis ſeruire tenetur. Itaque hac in re, quot ſunt capita, tot ſunt ferè ſententiæ.

16. Nota hîc ex Syluestro V. *Hora* quæſt. 1. dicto 6. monachum præfectum Eccleſiæ ſeculari debere ſequi conſuetudinem Eccleſiæ, ad quam tranſijt; ſi tamen tranſlatus eſt in perpetuum; nam ſi ſolùm ad tempus, tunc deberet dicere officium monachale, vt videtur ſentire Gloſſa, in Clementina Finali de celeb. Miſſ. & conſentit Emanuel Rodericus tom. 1. Quæſtionum Regularium quæſt. 42. art. 17. dicit tamen fallere hoc in prædicatoribus, qui etſi tantùm tranſeunt ad tempus in Eccleſiam parochialem, poſſunt tamen illius Eccleſiæ officium recitare, prout tenent Syluester & alij, quia hoc in eorum conſtitutionibus continetur. Nec hoc repugnat Bullæ Pij V. ſuprà, quia religioſi tantùm illud ſequi debent, quando ſunt in religione, quæ illud ſuſcepit, ſecus, ſi præfecti fuerint Eccleſiæ alio approbato vtenti.

Monachi Eccleſiæ ſeculari præpoſiti.

Quæritur hîc primò, An nunc poſt editum iuſſu Pij V. Roman. Breuiarium liceat cuilibet beneficiato, aut regulari, quorum Eccleſia vel ordo, alio approbato vtitur, dum priuatim extra chorum Horas recitant, ſequi ritum Romani Breuiarij approbati. 16.

An priuatim liceat cuique eligere Rom. Breuiarium.

Reſpondeo, tot hic pæne etiam eſſe opiniones, quot Doctoros. Inprimis variè hac de re ſenſit Nauarrus Nam tom 1. Conſiliorum lib. 3. tit. de celeb. Miſſ. Conſilio 5. ad 2. quæſtionem, reſpondet non licere; Allata ratione à contrario ſenſu, vbi auctor annotationum in eius conſilia ad conſilium 15. dicit congregationem Cardinalium quæ præeſt explicationi Concilij Tridentini ſic ſenſiſſe; Idem tamen Nauarrus conſil. 15. planè contrarium docet, ſcilicet priuatim licere vti Romano, quod probat ex verbis Bullæ Pij V. Rurſus conſil. 16. cenſet vtramque partem affirmantem & negantem huius quæſtionis eſſe probabilem, hanc tamen tutiorem, & magis conſulendam. 17.

Variè ſenſit hac de re Nauar.

Suarez verò licet iudicet non peccare mortaliter eum qui priuatim Romanum legeret; verius tamen talem cleri- 18.

Suarez verius peccleri-

tat non poſſe priuatim legi Romanum.

clericum vel religioſum putat debere ſe accommodare Officio Eccleſiæ vel Ordinis ſui, cùm maneat inter terminos iuris communis præſcribentis cuique legendum Breuiarium iuxta conſuetudinem matricis Eccleſiæ. Ita etiam Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 2. puncto 10. §. 3. & Toletus lib. 2. Inſtruct. Sacerd. c. 13. §. 2.

19. *Valer. Reginald. ſub diſtinctione reſpondet.*

Cæterùm Valerius Reginaldus in ſua praxi. volumine poſteriore lib. 18. c. 11. ſect. 6. dub. 4. Reſpondet ſub diſtinctione, ſcilicet Choro addictum non poſſe priuatim antiquum ſuum cum Romano Breuiario commutare ſine diſpenſatione Epiſcopi, quia priuata illa recitatio ſurrogatur in locum publicæ, ad quam requiritur conſenſus Epiſcopi, & vniuerſi capituli, eſtque alioqui magna indecentia & deformitas, vnde de ratione peccati, quod hac in re committitur, iudicandum erit iuxta rationem ſcandali & incommodorum, quæ nata ſunt ſequi: quæ tamen de ſe non ſunt tanta, vt ad peccatum mortale committendum ſufficiant. Quod ſi quis à choro ſit ſolutus, & nulli Eccleſiæ inſcriptus; tunc licebit ei Romanum Breuiarium ſequi, idque ſine diſpenſatione cuiuſquam: quia ſolùm videtur conſenſus Epiſcopi & Capituli requiri, vt reiecto antiquitùs approbato officio admittatur in Chorum nouum Romanum, vnde ideo in Bulla Pontifex Chori meminit, non verò priuatæ recitationis.

20. *Licet cuilibet priuatim legere Rom. Breuiarium.*

Quamquam verò hæc veriſimiliter dicantur, ſequor tamen multorum noſtri temporis Doctorum ſententiam, ſcilicet licere cuique Clerico ſæculari vel regulari priuatim Romanum Officium Pij V. dicere, tum propter rationes iam dictas, tum quia talis iam eſt conſuetudo, quæ etiam laude digniſſima eſt, videlicet Eccleſiæ Romanæ omnium Eccleſiarum parenti ſe conformare, idque ſine vlla alia diſpenſatione & indulgentia, quæ ſolùm requiritur ad aliud officium approbatum recitandum ſuo relicto, vt colligitur ex Clem. 2. de Celeb. Miſſ. Vide Emmanuelem Sa V. *Horæ* numer. 6. Leſſium libr. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubit. 12. Emmanuelem Rodericum tom. 1. q. Regul. q. 42. art. 13.

Quæritur ſecundò, An is qui Horas Canonicas recitat ex alieno Breuiario ſed conſuetudine ducentorum annorum approbato, ſuo relicto ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, vt ſaltem non peccet mortaliter. 21. *Quomodo peccet, qui alieno vtitur Breuiario ducentis annis antiquiore.*

Reſpondeo primò, Eum qui omiſſo Breuiario Pij V. ad quod recitandum tenetur, amplectitur aliud etiam approbatum præſcriptione ducentorum annorum, non ſatisfacere ſuæ obligationi, ac ſubinde mortaliter peccare. 22. *Qui tenetur ad Rom. peccat mortaliter aliud legendo etiam approbatum.* Eſt certum ex Bulla Pij V. vbi decernit nullum poſſe muneri ſuo ſatisfacere, quocumque tandem modo recitet, niſi ſolâ formâ Romani Breuiarij vtatur.

Reſpondeo ſecundò, Verius eſt, eos qui vtuntur Breuiario ante ducentos annos approbato, non poſſe mutare Officium ſuum cum Officio alterius Breuiarij etiam approbati: Atque adeò non ſatisfacere muneri ſuo, niſi accedat diſpenſatio Romani Pontificis. 23. *Verius eſt peccatum eſſe mortale ſuum approbatum mutare cum alio approbato abſque diſpenſatione Pontificis.* Ita Nauarrus de Horis cap. 19. num. 214. § *Quartò dico.* Vbi pro ſe citat D. Thomam quodlib. 1. art. 13. & conſtat ex Concilio Toletano 11. cap. 3. quod habetur c. *De ijs*, diſtinct. 12. Vbi contrarium facientem præcipit ſex menſibus à communione ſuſpendi, & culpam lacrymis abluere, quæ pœna non ſolet imponi, niſi pro culpa mortali. Item ex Clementina *Dignum* de Celeb. Miſſarum, vbi conceditur Clericis familiaribus Epiſcoporum & Cardinalium, vt ſe ijs conformare poſſint in modo legendi Horas, ergo ſine hac diſpenſatione iure communi

non

non licuiſſet. Denique videtur materia ſatis grauis totam formam ſui Officij mutare in aliam.

Reſpondeo tertiò, probabile tamen
24. Probabi le eſt non eſſe hoc peccatum mortale, ſi interdum priuatim fiat, quia videtur ſeruari ſubſtantia præcepti, quæ eſt de recitandis ſeptem Horis Canonicis & tantùm peccari in qualitate. Ita Caietanus V. *Hora* numero 5. licet dicat hoc facientem grauiter peccare, ſed venialiter, niſi rationabilis cauſa accedat: ſed loquitur ſolùm de mutatione Officij monachalis in Romanum. Idem tenuit Sotus libro 10. de Iuſtitia quæſt. 5. art. 4. Idem tandem docuit Nauarrus ſuprà numero 217. §. *Quarto.* Vbi dicit, hoc etiam ſponte ſine cauſa facere, modo raro fiat, & ſine contemptu, non eſſe mortale; ſæpiùs autem mutationem talem inducentem peccare mortaliter.

Nota ex eodem ſuprà numero 217.
25. & cap. 21. numero 23. Nullum eſſe peccatum vno vel alio die aliqua de cauſa, quæ viro prudenti iuſta videatur recitare quandoque ex alio Breuiario approbato abſente ſuperiore qui poſſit diſpenſare: & æquam ad hoc cauſam cenſeri neceſſitatem repentinam ſtudendi, concionandi, prælegendi, iuuandi ad recitandum infirmum, aut prælatum, vel amicum defeſſum, imò & obliuionem & inaduertentiam inculpabilem & ſimiles. Cum diſpenſatione tamen Papæ quilibet aſſumere poteſt Breuiarium, quod voluerit; vt tamen hoc fiat ſine omni peccato iuſta cauſa requiritur. Sic olim cum diſpenſatione Epiſcopi aliud Breuiarium ex cauſa deligi poterat, vt rectè idem Nauarrus ſuprà c. 11. numero 27, & ſequenti, quod poſt editam Bullam Pij V. præmiſſam Breuiario non licet, vt idem notat, quia illa mutandi poteſtas Epiſcopis ablata eſt. Nihilominus videtur Epiſcopus ex cauſa legitima poſſe vno & altero in caſu occurrente diſpenſare, vt quis Officio Romano, ad quod tenetur, omiſſo recitet aliud approbatum. & ſic intellige Nauarrum cap. 19. num. 217. §. *Tertio.* Multò verò faciliùs poterit, vt vtatur Romano, ſuo approbato relicto: maior verò ratio requiretur vt quis ex diſpenſatione mutet officium ſui ordinis vel Epiſcopatus approbatum in aliud ſimiliter approbatum.

Nota ſecundo, Ex Roderico tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 42. art. 12. Poſſe quem ex diſpenſatione recitare vno die ex vno Breuiario, & altero ex alio, & ſic qui ſecundum duo Breuiaria poteſt ſatisfacere, poterit Horas legere iuxta ritum vnius Breuiarij ſecundum vnam partem, & iuxta ritum alterius ſecundum alteram partem, modò dicatur officium de eodem ſancto, feria, &c. ſecundum vtrumque Breuiarium, niſi tamen contingat aliud recitari in Choro, cui ſe accommodare debet. 26. *Ex diſpenſatione poterit legere officium vno die ex vno Breuiario, altero die ex alio.*

CAPVT XIV.

An Officium diei in Breuiario aſſignatum permutare licitum ſit.

Dico primò, publicè in choro pſallendum eſt ſecundum ordinem qui diebus ſingulis in Breuiario aſſignatur. Conſtat ex Canonibus ſuperiore capite citatis; quibus præcipitur ordinem Eccleſiæ æqualiter ab omnibus cuſtodiri. Vnde videtur per ſe loquendo graue peccatum, ſi hîc ritus notabiliter peruertatur, & ſcienter fiat, quia mutatio illa facilè ſcandalum & perturbationem parere nata eſt: Excuſari tamen poterit leuitas materiæ & inaduertentia. 1. *Publicè pſallendum iuxta ordinem qui præſcribitur in breuiario.*

Nota verò hîc ex Armilla V. *Hora* numero 13. & alijs, Prælatum poſſe

Digitized by Google

2. *Poteſt Prælatus ex cauſa aliquid interdum circa hoc mutare.*

ex rationabili cauſa aliquid in hoc mutare, quia ſolùm accidentarium eſt: addit tamen non poſſe aliquid innouare circa hoc ad perpetuò durandum, per modum conſtitutionis, vel conſuetudinis generalis, quia tunc ad Romanum Pontificem eſſet recurrendum.

3. *Priuatim officium vnum pro altero legere non eſt per ſe mortale.*

Dico ſecundò, Communis ferè ſententia Doctorum eſt, non eſſe de ſe peccatum mortale, Officia ſui Breuiarij in priuata lectione permutare, etiam ſcienter, & deditâ operâ. v. g. legere feriâ quintâ Officium V. Sacramenti pro officio feriæ, vel loco officij de Sancto recitare de feria occurrente. Ita Syluester V. *Hora*, quæſt. 12. num. 15. Maior in 4. diſt. 12. quæſt. 6. Caietanus V. *Hora*, numero 5. Sotus libro 10. de Iuſtitia quæſt. 5. art. 4. Valentia, Azorius, Leſſius, & alij. Ratio eſt, quia hoc pacto recitans ſatisfacit præcepto Eccleſiæ quoad ſubſtantiam, nam Eccleſia primariò præcipit vt ſeptem Horæ recitentur, cætera videntur ad circumſtantiam, ritum, vel modum minoris ponderis ſpectare.

4. *Erit tamen graue veniale, ſi ſine cauſa fiat, nullum verò ſi iuſta ex ratione vel obliuione.*

Addunt nihilominus Doctores citati fore graue peccatum veniale ſi hoc fiat ſine cauſa rationabili, v. g. ex ſola deſidia vel torpore animi, nullum verò fore peccatum, ſi ex occaſione iuſta, item, ſi fiat per obliuionem vel inaduertentiam inculpabilem.

5. *Nihil neceſſariò mutantibus officium ex cauſa repetendum.*

Hinc ſequitur, Iuxta illos DD. per errorem, vel etiam de induſtria huiuſmodi mutationem facientem ad nihil obligari ex præcepto repetendum, quod ſolùm erit conſilij in hoc caſu. Probandi tamen ſunt illi, inquiunt, qui dum inaduertenter vel ſcienter officium pro officio legerunt, vel totum repetunt, vel ſaltem ea quæ ſunt illius diei propria, verbi gratiâ lectiones, hymnos, &c.

6. *Probabile tamen eſt officium mutare per ſe eſſe mortale niſi iuſta cauſa excuſet.*

Dico tertiò, Fortè prababilior eſt aliorum ſententia, docentium huiuſmodi mutationem in diuino officio facere, per ſe loquendo eſſe peccatum mortale, niſi grauis cauſa, vel iuſta diſpenſatio ab omni; leuitas verò materiæ à peccato ſaltem mortali excuſet: & ratio eſt, quia videtur ex genere ſuo hæc inordinatio magni momenti, & quidquid de illa quæſtione ſit, an pertineat ad ſubſtantiam præcepti nécne; peccatur contra modum, qui in Canonibus præcipitur grauiter: ſicut qui comedit oua in Quadrageſima, non peccat contra ſubſtantiam ieiunij; peccat tamen mortaliter ſecundum omnes, quia non ſeruat formam ieiunij quadragenarij. Huius ſententiæ eſt Nauarrus Enchir. de Horis cap. 19. numero 217. Suarez cap. 23. numero 12. & ſequent. Toletus libro 2. de Inſtruct. Sacer. capite 13. §. 2. Valerius Reginaldus libro 18. cap. 12. ſect. 6. dub. 3.

7. *Quatuor obſeruanda vt officij variatio fiat abſque mortali.*

Dico poſtremò, Vt quis in variatione Officij ſui Breuiarij mortaliter non peccet quatuor obſeruanda ſunt, Primum, vt abſit omnis contemptus. Secundum, vt rarò fiat. Tertium, vt non interueniat in illa mutatione notabilis exceſſus: vnde iudico illum mortaliter peccare, qui Dominico die per annum officium legeret paſchale: quia ſi peccatum mortale eſt notabilem alicuius Horæ partem omittere, quid dicendum erit de tam enormi omiſſione? Si autem officium ſit ferè æquale in quod fit mutatio, ſolùm cenſeo veniale: etiãſi cauſa ſit minùs ſufficiens, vel fiat ex inaduertentia aliquo modo culpabili: Vnde nihil quoq; neceſſariò erit repetendum. Quod ſi iuſta cauſa interceſſerit, nulla erit culpa, vt ſi caritas vel prudentia hoc faciendum iudicet, vel caream Breuiario in quo habetur officium de Sancto, & propter iuſtum impedimentum non poſſim recitationem Horarum diutiùs differre. Quartum obſeruandũ eſt, vt mutatio illa non

ſit

ſit valde indecens, qualis eſſet die Chriſti Natali legere Officium feriæ illo die occurrentis.

CAPVT XV.

An in Pſalmodia publica vel priuata Ordo aliquis neceſſariò tenendus ſit.

1. *Triplex ordo ſpectatur in Horis.*

SErmo eſt hîc de triplici Ordine. Primò de Ordine Horarum vnius diei inter ſe, v. g. vt Prima Laudes, Tertia Primam, & ſic conſequenter aliæ alias Horæ ſequantur. Secundò, de ordine Horarum diuerſorum dierum inter ſe, nempe, an finitum debeat eſſe Completorium prioris diei, antequam inchoetur Matutinum ſequentis. Tertiò, de Ordine partium vnius Horæ, ſcilicet, an partes illæ heterogeneæ aptè intèr ſe quadrare debeant, vt primi Pſalmi, deinde lectiones, vel hymni, & reliqua ſine perturbatione Ordinis ſequantur.

2. *Hic ordo triplex maximè ſeruandus in officio chori, vnde interdum committi poteſt hac in re mortale.*

Dico primò, Triplex hîc deſcriptus Ordo maximè ſeruandus eſt in officio chori, tantaque interdum oriri poteſt permixtio Horarum, vel partium, ex quibus conſtant inter ſe, vt ea in re peccatum mortale committatur. Ratio eſt, tum quia confuſio hæc publica in Officio diuino, & cultu ferè primario noſtræ religionis per ſe valde indecens eſt, populum offendit, præſentes diſtrahit, myſteria, quæ in ſingulis Horarijs precibus repræſentantur, euacuat; tum quia nouum quodammodo ritum in Eccleſiam inducit, & quaſi aliud Officium propria auctoritate componit.

3. *Leuitas tamen materiæ & obliuio excuſat à mortali.*

Aduerte verò hîc primò, Facilè hic mutationem aliquam poſſe à graui culpa excuſari, partim leuitate materiæ, partim obliuione vel naturali incogitantia.

4. *Grauior culpa in turbatione 2. quam primi, quàm Ordinis ...*

Aduerte ſecundò, Ceteris paribus leuiorem culpam committi in peruerſione Ordinis primi, quàm ſecundi, vt per ſe patet. Item leuiorem in turbatione ordinis ſecundi quàm tertij, vt conſtat: ſi quidem in tertia inordinatione, tantum interdum chaos oriri poteſt, vt ex aptiſſima Eccleſiaſticæ hymnodiæ ſymmetria monſtrum exiſtat, vt ſi in principio Veſperarum cantetur *Magnificat*, deinde Pſalmi permixti Hymno & Oratione.

5. *Priuata inuerſio ordinis primi ſine cauſa ſolùm eſt venialis.*

Dico ſecundò, In priuata recitatione inuertere Ordinem Horarum vnius diei, licet ſit contra Officij Diuini primam inſtitutionem, &, ſi fiat abſque cauſa aliquo modo rationabili, peccatum ſit veniale; nullo tamen modo, niſi interuenerit contemptus, mortale erit. Eſt communis DD. vt patet ex Nauarro Enchir. de Horis cap. 3. numero 67. & cap. 21. numero 30. qui docent errorem hunc etiamſi per negligentiam, imò ſcienter contingat, non eſſe pluſquam veniale, nec inducere obligationem Horam dictam iterandi, licet ordine præpoſtero lecta ſit: Sufficiet enim Horam omiſſam recitare. Ratio huius eſt quam adfert Syluester V. *Horæ* quæſt. 9. Dicto quarto, quia talis inuerſio non eſt contra ſubſtantiam præcepti de recitandis Horis, ſed ſolùm contra decentem, & rectè inſtitutum Horarum Ordinem, qui eſt modus quidam accidentarius.

6. *Nullum peccatum eſt ſi ex cauſa fiat.*

Obſeruat verò rectè Nauarrus ſuprà num. 65. & poſt eum Toletus lib. 2. Inſtruct. Sacer. c. 13. & alij, Non eſſe peccatum inuertere Ordinem Horarum iuſta ex cauſa, v. g. recitare Tertiam ante lectam Primam, & ſic de alijs: iuſtam autem ponunt cauſam, quod chorus inceperit Tertiam, Sacerdos vero nondum dixerit Primam; quo caſu liceret illi pſallere cum Choro Tertiam, & poſtea dicere priuatim Horam omiſſam: imò Sotus 10. de Iuſt. q. 5. art. 4. dicit hoc eſſe conſultius,

quamuis etiam ex culpa priorem Horam non recitarit. Similis cauſa iuſta eſt naturalis obliuio, vt, cum v. g. recitans Tertiam nullo modo recordatur ſe Primam non legiſſe: tunc enim poteſt abſoluere ſine peccato Tertiam, & poſtea reuerti ad Primam. Pari modo inuerti hic ordo poteſt ad iuuandum infirmum in recitando, vel ſi prælatus roget, vel ſi interueniat amicus, qui hoc poſtulet, vel maior expectetur alias Horas legendi commoditas.

7. *Inuerſio 2. Ordinis etiam eſt culpabilis.* Dico tertiò, Vitioſa ſimiliter & culpabilis eſt permutatio Horarum ſubſequentis diei cum officio præcedentis, vt ſi verbi gratiâ, quis recitet ſub noctem matutinum poſteri diei antequam abſoluat Veſperas aut Completorium hodierni.

Ratio eſt, quia inuerſio illa, & ordo præpoſterus repugnat inſtitutioni canonicæ diuini Officij. Deinde arguit hæc confuſio aliquam ferè intempeſtiuam præuentionem officij ſequentis, & poſtpoſitionem ſeram præcedentis.

8. *Eſt tamen ſolùm venialis.* Nota tamen, Hanc mutationem ſolùm fore venialem, imò interdum ex cauſa, quæ viro prudenti videtur iuſta, poterit omni noxa carere, vt rectè Suarez ſuprà cap. 24. num. 3. & Valerius Reginaldus ſuprà ſectione 5. & alij, verbi gratiâ, ſi inſtante nocte nondum quis legerit Veſperas, &c. & poſtea cariturus ſit libro ex quo Matutinum perſoluat, poterit officium nocturnum anticipare, & poſtea Veſperas, quas memoriter nouit, legere.

9. *Inuertere ordinem tertium grauior culpa erit, venialis tamen.* Dico poſtremò, Grauior culpa committitur, venialis tamen, ſi partes vnius Horæ inter ſe permiſceantur: tum quia confuſio illa nulla ferè ratione honeſtari poteſt; tum quia decor Canonicæ precationis, qui in apta ſerie & connexione pſalmorum, lectionum, &c. conſiſtit, vel ex toto, vel ſaltem ex parte deperibit.

Aduerte tamen etiam hîc duplici ex capite excuſationem locum habere poſſe. Primò quidem ratione obliuionis, vt cùm verbi gratiâ, Nocturnum vnum, vel illius Pſalmos quis prætermiſit inaduertenter, ſolumque poſt lectas Laudes erroris in mentem venit: tunc enim ſufficit omiſſum ſupplere. Secundo ex parte Iuſtitiæ cauſæ, verbi gratiâ, cùm quis iter agens ſine Breuiario ſub diei finem Matutinum & Laudes legit ex diurnali, omiſſis lectionibus, quas poſtea domi legit, nec interim ſuperuenientibus præuiſis impedimentis poteſt commodè Laudes legere. Sic memini facere viros probos ſine ſcrupulo. 10. *Quomodo inuerſio illa à peccato excuſetur.*

Quæri hîc poſſit, Quale peccatum ſit partes diuerſarum Horarum inter ſe permiſcere: v. g. Pſalmos Veſperarum legere loco Laudum, & contrà: ſed ad illud dicendum videtur (licet apud nullum Doctorem hoc dubium explicatum inuenerim) tale peccatum de ſe eſſe mortiferum; non enim talis legit Laudes, quoad ſubſtantiam ipſarum, ſed ſolùm aliquid æquiualens, quod facere non licet, alioqui loco Veſperarum liceret legere Roſarium B. Virginis, quod ex antiquioribus aliqui, ex recentioribus, vt puto, nemo dixerit. 11. *Permiſcere partes diuerſarum horarum inter ſe videtur mortale.*

CAPVT XVI.

Vtrum inter Matutinum & Miſſam Ordo aliquis intercedere debeat.

PErtractarunt plurimi hanc quæſtionem & ceteris vberiùs Marcellus Francolinus de tempore Horarum Canonicarum c. 42. 1.

Dico primo, Nullum eſt peccatum Miſſæ ſacrificium offerre Primâ non recitata

2. *Peccatum nullum eſt non recitata Prima Miſſam celebrare.*

Alterâ. Eſt communis hoc tempore DD. qui nullam obligationem agnoſcunt in Prima, dicenda ante Miſſam non magis quàm in Tertia vel Sexta. Vide Toletum lib. 2. Inſtruct. Sacer. cap. 1. n. 7. & Sotum 10. de Iuſtitia q. 5. a. 4. vbi dicit, nullum eſſe de hac re dubium, quin imò melius eſſe poſtea Primam in Choro cantare, ſi ante celebraueris, & Azorium lib. 10. c. 28. q. 20. vbi docet Primam ſolùm neceſſariò præmittendam Miſſæ ſolemni in choro. Vnde non audiendi hîc veteres quidam apud Nauarrum Enchir. de Horis Canonicis c. 3. n. 65. & ſequent. qui putarunt peccatum eſſe mortale Primâ non lectâ celebrare Miſſam.

3. *Olim fuit ſententia communis peccatum mortale eſſe per ſe non recitato matutino celebrare.*

Dico ſecundò. Communiſſima olim fuit ſententia DD. per ſe peccatum eſſe mortale ſacrificium ante Matutinum recitatum offerre. Conſtat ex Nouarro, tum alibi, tum potiſſimùm in Enchir. de Horis cap. 21. num. 30. & Francolino ſuprà num. 2. Suarez, Azorio, & alijs.

4. *Rationes pro hac ſententia.*

Probatur primò, quia ſic habet generalis conſuetudo totius Eccleſiæ, vt nemo ſibi licere putet Rem Diuinam facere Matutino prius non perſoluto: obtinet autem conſuetudo vim legis, quia, vt rectè D. Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum, Mos populi Dei, & Inſtituta Maiorum pro Lege tenenda ſunt.

5. Probatur ſecundò, Ex rubricis Miſſalis Romani editi iuſſu Pij V. quas Conſtitutione ſua præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ ſeruari. Sic autem habetur initio rituum ſeruandorum §. 1. *Sacerdos celebraturus Miſſam præuia confeſſione Sacramentali quando opus eſt, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto orationi aliquantulum vacet &c.* Ergo. Rurſus in Rubrica de defectibus in Miſſæ celebratione occurrentibus §. 10. ponitur hîc defectus, ſi celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. Ex quo colligitur, hunc defectum videri mortalem: tum quia ponitur inter defectus mortales, tam præcedentes, quàm ſequentes, & ex præcedentibus, & ſequentibus infertur interpretatio alicuius diſpoſitionis, L. *Si ſeruus plurium* §. Finali ff. de legibus: tum quia Rubrica agens de defectibus ſatis indicat ſe agere de defectibus mortalibus, cùm addit poſſe eos cum peccato, aut cum ſcandalo contingere.

Probatur tertiò, Quia Matutinæ 6.
preces ex maiore ſui parte ſunt Officium nocturnum, vel ſaltem ex more Eccleſiæ debent ſummo mane perſolui; Miſſa verò eſt officium diurnum, & ordinariè ante auroram celebranda vetatur. Ergo peruerſio huius ordinis per ſe mala eſt. Conſuetudo autem accedens interpretatur illam eſſe grauem & in materia graui, adeóque eſſe culpam mortalem.

Probatur quartò; Quia contraria 7.
ſententia anſam præbet Clericis ad Horas obligatis Matutinas preces, etiam vſque ad meridiem ſæpe differendi, cùm audiunt à DD. quibuſdam doceri, Miſſam ſine culpa, vel ſaltem ſine graui peccato poſſe Matutino & Laudibus præponi.

8. *Contrariam ſententia vera non eſſe mortale non lectis matutinis celebrare.*

Dico tertiò, Vera nihilominus & ſecura eſt ſententia contraria, ſcilicet nullo modo eſſe peccatum mortale Rem diuinam facere matutinis precibus non recitatis. Eſt hoc tempore ferè communis, & ex antiquioribus in eam inclinat Syluester V. *Miſſa* 1. q. 6. §. *Quartum*: Apertè autem eam docet Sotus, tum in 4. diſt. 13. q. 2. a. 2. in fine, tum clariùs lib. 10. de Iuſt. q. 5. art 4. concluſ. 2. vbi dicit nullo modo eſſe mortale, fortè tamen veniale ob conſuetudinem. Eandem paſſim tenent Recentiores Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 10. §. 5. dicit hanc eſſe probabilem. Suarez tom. 3. in 3. partem diſp. 82. ſect. 1. concluſ. 1. &

lib. 4. de Orat. cap. 24. n. 6. dicit hanc ſententiam veram & ſecuram, Petrus Arragon 2. 2. q. 83. art. 12. dubit. 5. docet contrariam eſſe planè falſam. Hanc etiam tradunt Toletus lib. 2. Inſtruct. cap. 1. num. 7. Emanuel Rodericus tom. 1. Quæſtionum Regularium. q. 43. art. 3 in fine, & in ſumma parte 1. cap. 244. num. 22. Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubit. 12. & innumeri alij.

9. *Probatur argumentis.* Probatur primò, Quia oppoſita ſententia nullo iuris præcepto aut firmâ ratione fundatur.

10. Secundò, Nullum eſt peccatum mortale inuertere ordinem Horarum inter ſe, vt ſuprà vidimus. Ergo nec inuertere ordinem earum cum Miſſa, cùm illæ magis à ſe mutuò, quàm ab illis Miſſa dependeat.

11. Tertiò, Quia fieri poteſt, vt quis ratione infirmitatis excuſetur ab omnibus Horarijs precibus, nedum à Matutinis, & tamen dubium non eſt, quin ei licitum ſit Miſſam celebrare.

12. Quartò, Quia conſuetudo contraria, quæ allegatur per ſe nullum inducit peccatum mortale.

Primò quidem, Quia non ideo aſſumpta eſt vt Matutini officij recitatio eſſet ad ſacrificandum neceſſaria præparatio: nuſquam enim hoc docẽt auctores, ſed tantùm ad ſummum aiunt illius recitationem conducere, ad fructuoſius, & deuotiùs celebrandum, vt Nauarrus ſuprà c. 3. n. 70. Nemo autem tenetur omnes præparationes ad maiorem deuotionem in Sacro obtinendam conducentes ſub peccato adhibere.

13. Secundò, Neque etiam profluxit hæc conſuetudo ex ordine ſeu dependentia Miſſæ à Matutinis precibus, ſicut cernitur in diſpoſitione Horarum inter ſe, quæ ſic ordinatæ ſunt, vt Sexta ſequatur Tertiam, illam Nona, & ſic de cæteris. Nullus enim poſuit hunc ordinem, cùm Miſſa non annumeretur Horis Canonicis, vel cum illis dependentiam habeat: & licet inter eam, & Matutinum talis ordo cerneretur; illius tamen peruerſio non induceret peccatum mortale. Conſuetudo igitur hæc inde ortum habuit, vt Matutinum & Miſſa temporibus ab Eccleſia conſtitutis peragerentur: habet autem Eccleſiaſtica ferè conſuetudo, vt ſub finem noctis Matutinum, & aurora rubeſcente Laudes pſallantur, poſt quas Miſſa de die plerumque celebratur: tota ergo ratio peccati in eo conſiſtit quod vel Miſſa vel Matutinum, vel vtrumque non peragantur tempore debito, v. g. quia Matutinum nimium differatur, vel Miſſa nimium anticipetur: quamuis autem hoc peccatum ſit, non eſt tamen mortale; dùmmodo Miſſa ab aurora ad meridiem, & Matutinum, ante finem diei naturalis abſoluatur. Deinde per accidens eſt, quantum ad inuerſionem huius ordinis, quod debitis temporibus hæc officia non celebrentur, & ſubinde peccetur.

Hinc ſequitur eum qui Miſſam & Matutinum recitat vtrumque ſuis temporibus conſuetudine piorum virorum determinatis, licet ordinem immutet, nihilominus non peccare, ne quidem venialiter; quia cùm hic ordo non requiratur, niſi vt ſuis temporibus quodlibet eorum celebretur, & hæc in caſu noſtro ſeruentur, nulla apparet ratio peccati, etiãſi ſine cauſa hic ordo perturbetur: & hoc mihi perſuadeo, quod etiam ſignificat Suarez tom 3. in tertiam partem diſp. 82. ſect 1. Sotus ſuprà. 14. *Si quis debitis temporibus miſſam legat & matutinum non peccacit vllo modo etiam ſi matutinum miſſæ præponat.*

Aduerte autem Doctores omnes docere huiuſmodi inuerſionem licitè fieri poſſe ob cauſam aliquam rationabilem, licet contrariæ ſententiæ auctores grauiorem requirant. Eſt autem huiuſmodi, ſcandalum vel perturbatio 15. *Conueniunt omnes licere hunc ordinem inuertere.*

batio populi ex nimia Miſſæ dilatione, ſubita neceſſitas ſtatim celebrandi, ſi vir illuſtris ſuperueniat, ſi prælatus iubeat, ſi matutinum ſine culpa tam diu differri potuerit, Multò autem minor ratio ſufficiet, vt Miſſa Laudibus præponatur, vt per ſe liquet.

16. Ad argumentum primum oppoſitæ ſententiæ reſpondeo, Conſuetudinem illam, vt quidem hoc tempore viri probi & docti eam explicant, non eſſe, niſi conſuetudinem ſimplicem; non autem habentem vim legis, vel præcepti, ſaltem grauis, quia, vt diximus, ſolùm ortum inde habuit, ne officia Miſſæ, & Matutini nimium præuenirentur vel differrentur. Quod autem contrariæ ſententiæ DD. aliter eam interpretentur, nihil refert, cùm ſatis conſtet, eos auctoritate potiùs aliorum, quàm ſolidis rationibus permotos fuiſſe: antiquiores certè tractantes de peccatis ſacerdotum in ordine ad Sacrificium vel Horas nunquam peccari in hac mutatione rationem poſuerunt.

17. Ad ſecundum reſpondeo, Recitationem Matutini ante ſacrum non pertinere ad ritus, quos ſeruari in ſuo Miſſali præcipit Pius, qui conſiſtunt in ordine precum & cæremoniarum, quæ in Miſſali continentur.

18. Nec obſtat, quòd ibi dicatur, *Sacerdos celebraturus Matutino abſoluto orationi vacet*, quia nihil ibi præcipit, ſed ex conſuetudine, quæ tunc vigebat, hoc faciendum præſupponit, vel potiùs conſulit, ſicut dum dicit: *Orationi aliquantulum vacet*, quod, quis non videt eſſe tantùm conſilij? Rituum ergo ſtrictè præceptorum obligatio partim pendet ex materiæ grauitate, partim ex verbis, quibus præcipitur; quorum cùm neutrum hîc habeatur, non erit peccatum contra facere.

19. Nec inſuper refert, quòd inter defectus in ſacrificio Miſſæ occurrentes ponatur, *Si non recitauerit Matutinum*: tum quia licet in eodem contextu ponantur aliqui defectus, qui ſint peccata mortalia, non tamen omnes tales ſunt, ſi quidem ponitur ibi defectus, *Si altare non fuerit tribus mappis coopertum*, quod nemo dixerit eſſe peccatum mortale, ſufficiunt enim duæ vel vna duplicata. Additur, ſi mappæ non ſint benedictæ ab Epiſcopo vel alio, quod etiam non eſt neceſſarium: tum etiam quia frequenter huic defectui peccatum adiunctum fatemur, quia nimirum ſacerdos Miſſam ante Matutinum lectum offerens plerumque intempeſtiuè Horarum penſum abſoluit; & venialiter peccat. Meritò autem dicitur in Rubrica poſſe contingere cum peccato, non verò mortali, quia hoc ex materia, in qua peccatur, colligendum reliquit.

Tertium argumentum ſolùm probat facilè poſſe peccatum admitti peruertendo ordinem horum Officiorum, dùm ſuis temporibus ob hoc non peraguntur; Non verò neceſſarium eſſe ordinem inter vtrumque. 20

Ad poſtremum reſpondeo, Non plus negligentes Clericos accipere audaciæ ex noſtra ſententia, quàm ex communi DD. docentium non committi peccatum mortale, & in recitatione Horarum, dummodo inter diem naturalem omnes legantur, imò propter eorum abuſum non eſt grauis obligatio inducenda. 21

Dico vltimò, Si de officio Chori loquamur, certum eſt Miſſam ſolemnem, vel conuentualem, vt vocant, non poſſe ſine graui peccato celebrari, ante cantatum Matutinum; imò neque ante Primam ordinariè, non quia inter illa ſit aliquis ordo neceſſarius, ſed quia ius ſtatuit vt patet C. *Et hoc*, & C. *Solent*, & C. *Nolle*, de conſecrat, d. 1. & cõſentiunt Doctores D. Thomas 3. p. q. 83. ar. 2. & in 4. diſt. 13. q. 1. a. 2. q. 4. & omnes cum 22

Digitized by Google

imò & ante Primam ordinariè.

cum eo Theologi ſup. d. 13. Vide Francolinum de Tempore Horarum Canonicarum c. 29. Deinde ſi aliter fieret graue oriretur ſcandalum, quod indicat materiam eſſe grauem.

Poſtremò, Si illa immutatio Officiorum fieret in Choro, non poſſent regulariter deſignatis tẽporibus vtraque peragi, vnde graue tunc peccatum committeretur. Dixi ordinariè non poſſe ſolemnem Miſſam ante Primam celebrari, quia de prima Miſſa in nocte Natiuitatis aliter ius diſpoſuit, & poſſet interdum, ſed rarò, incidere caſus moralis neceſſitatis, in quo liceret.

CAPVT XVII.

Vtrùm ſine Interruptione Horæ Canonicæ, tam in Choro, quàm priuatim ſint continuandæ.

1. *Differt interruptio officij ab intermiſſione.*

Conſtat differre Interruptionem ab Intermiſſione. Interruptio enim diuidit partes vnius Horæ antecedentes, & ſubſequentes.

2. *Intermiſſio ſine cauſa facta eſt peccatum veniale.*

Intermiſſio verò (quæ ſine cauſa facta in Officio diuino peccatum eſt veniale, teſte Nauarro cap. 16. de Orat. num. 61. & 62.) officium cœptum relinquit imperfectum, & poſtea ab initio reſumit.

3. *Diuiſio nocturni officij à laudibus non eſt interruptio, vnde priuatim per ſe licet.*

Dico primò, Diuiſio Nocturni officij à Laudibus matutinis, ſiue illud ſimplex ſit, ſiue in tres nocturnos diſtinctum, non eſt interruptio dicenda, de qua hîc agimus. Vnde priuatim per ſe licet abſque vlla cauſa: etſi in Choro ſequenda ſit cuiuſque Eccleſiæ conſuetudo: Quamuis Azorius ſuprà cap. 8. q. 4. putet pro libito legentis ſeparari non poſſe abſque peccato veniali, & Nauarrus etiam cap. 3. de Horis Canonicis n. 64. iuſtam cauſam ad hoc requirat. Conſtat hoc ex antiqua conſuetudine, qua olim multis in locis etiam publicè in choro Officium nocturnum ſeparatim à Laudibus canebatur, vt manifeſtum eſt ex Regulis D. Benedicti c. 8: quem morem etiam nunc Eccleſia ſeruat in nocte Natalis Domini. qua de re libro priore à nobis actum & videndus Francolinus de tẽpore Horarum Canonicarum cap. 27. vbi aſſerit priuatim licere ſero legere Matutinũ, mane verò Laudes: quia etſi à Romana Eccleſia Nocturni & Laudes pro vna Hora habeantur; ſunt tamen partes diſtinctiſſimæ. Deinde colligitur hic modus recitandi ex more dicendi quolibet veſpere vnum Nocturnum pro defunctis abſque Laudibus, qui die ſequenti leguntur; quem morem etiam Romæ in Eccleſia Vaticana ſeruari dicunt, & alibi etiam generaliter obtinuiſſe tradit Radulphus Tungrenſis l. de Canon. obſeruant. propoſitione 20. ſub initium. Nauarrus etiam Enchir. de Horis c. 3. n. 28. & 64. magis probat diuiſionem nocturnorum à Laudibus, quàm vt vtrumque Officium ſimul ſub noctem recitetur.

4. *Quando ſeparatim à laudibus officium nocturnum dicitur, tunc præmitti debet laudibus Oratio Dominica & Angelica ſalutatio, & nocturnum per diei collectam finiendum vt hora diſtincta.*

Aduerte verò quando hæc duo Officia diſtinctis temporibus peraguntur, præmittendam eſſe Laudibus Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, vt rectè Nauarrus ſuprà n. 64. quod eſt contra Azorium ſuprà cap. 8. q. 4. Et meritò, quia tunc dicuntur per modum duarum Horarum, ſingulis autem Horis, excepto Completorio, in Rubricis Breuiarij præſcribuntur hæc prælegenda. Oratio item Dominica idem nocturnum officium claudere debet, quia in iiſdem Rubricis præcipitur illa tamquam clauſula omnium Horarum, quas Rubricas Nauarrus ſuprà non videbatur legiſſe, cùm ſcribat nullam generalem Rubricam hac de re extare, ſed ſolùm particulares de Laudibus, Tertiis, Sextis, & Nonis. Præter hæc finiendum Officium nocturnum per verſum *Dominus*

Digitized by Google

minus vobiſcum, & diei Collectam, prout Laudes, Tertiæ, Sextæ, &c. concluduntur, prout indicatur Rubricâ particulari, quæ præmittitur officio Laudum in nocte Natiuitatis.

5. Dices: Olim etiam ſaltem feſtis diebus officium nocturnum ſeparato tempore canebatur per tres vigilias. Ergo etiam hoc tempore, ſaltem priuatim poterit diuerſis horis ſine culpa recitari, vt Laudes.

6. *Non eſt conſuetudo illa ſeparandi.* Reſpondeo: Oſtendiſſe nos l. 1. conſuetudinem illam Nocturnos diuidendi eſſe incertam. Adde nuſquam iam; quod ſciam, morem obtinuiſſe vel priuatim vel publicè Nocturnos ſeparatim cantandi vel dicendi, niſi fortè in exequijs Cardinalium, vbi tres nocturni defunctorum dicuntur ſeparatim à diuerſis Collegijs Canonicorum, & vnumquodque ſuis verſibus & oratione clauditur, vt habetur in Cærimoniali Romano lib. 1. ſect. 15. cap. 1. Volunt tamen Azor. & Valerius Reginaldus huius ſeparationis extare veſtigium in Officio Defunctorum (adiungere etiam poterant Officium paruum D. Virginis) quod dici ſolet per hebdomadam per vnum Nocturnum cum Laudibus, reliquis Nocturnis pro alijs diebus reſeruatis. Verùm leuiſſimum eſt hoc argumentum, quia tamen D. Thomas & alij, vt 1. lib. vidimus, docent primis Eccleſiæ temporibus Nocturnos fuiſſe tempore diuiſos; Ex cauſa iuſta poterunt interdum ſine peccato interpoſita aliquantula mora recitari, imò etiam pro libito ſaltem priuatim. Certum eſt etiam minorem cauſam requiri, vt hæc interruptio fiat inter Nocturnos, quàm in alijs partibus Diuini Officij. Deinde moram poſſe eſſe maiorem quàm alibi. Vnde Azor. ſuprà c. 8. q. 4. ponit hìc duas Horas vel plures. Quia tamen vſus iam habet, vt Nocturni non diuidantur, ſine ratione illos ſeparare

7. *Poſſunt tamen ex cauſa priuatim ſeparari etiam longiori mora.*

per notabilem moram peccatum erit veniale.

8. *Graue peccatum eſt extraneis actionibus à toto Choro Pſalmodia interrumpatur.* Dico ſecundò: Interruptio in publica pſalmodia toto choro à Dei Laudibus ceſſante, & extraneis actionibus aut colloquijs illas interpolante, (quod rarò admodum accidere poteſt) naturâ ſuâ grauis eſt culpa, partim quia virtuti Religionis planè repugnat, & Inſtitutioni precum Canonicarum; partim, quia cultum Dei populo contemptibilem reddit, & ſcandalum generat. Minuere tamen ſæpius hanc culpam poteſt bona fides vel occurrens neceſſitas.

9. *Etiam peccatum eſt ab aliquo in particulari abſque cauſa publicum officium interrumpatur.* Dico tertiò: Interpoſitio alicuius colloquij vel negotij ab aliquo in particulari abſque cauſa rationabili tempore quo cum alijs in choro pſalmodiæ vacare deberet, peccatum eſt ex duplici capite. Primò ratione omiſſionis, quia dum ipſe aliud tractat, partem Diuini Officij omittit choro progrediente, quæ ſi notabilis ſit, peccatum erit mortale, niſi proponat poſtea repetere; & quamuis illud poſtea faciat, nihilominus adhuc venialiter delinquit partem omiſſam non recitando ſuo loco. Secundò, peccatum eſt ratione commiſſionis, dum pſalmodia friuolis negotijs interpolatur, & mens à Dei laude abſtrahitur, quod peccatum ceteris paribus grauius eſt priore, ratione maioris indecentiæ. Vnde & ſubinde erit peccatum mortale ſacrilegij, vt ſi quis fœda, & libidinoſa interſerat colloquia. His adde peccatum ſcandali, quo præſentes grauiter offenduntur. Denique aliorum attentio plerumque turbatur & impeditur. Ex quibus etiam interdum mortale exiſtet. Vide plura apud Nauarrum capite 16. de Horis num. 64. & 65.

10. *Grauitas huius peccati colligitur ex Canon.* Conſtant hæc omnia ex Decretis Pontificum, Innocentij III. in Concilio generali C. *Dolentes*, de Celebratione Miſſarum, vbi ſub pœna ſuſpenſionis

 pro-

prohibentur ſermones indebiti tempore Diuini Officij: & clariùs Clementina 1. eodem, vbi Clemens V. in Concilio Viennenſi inter ceteros abuſus, qui tempore pſalmodiæ tunc committebantur, recenſet extranea, & plerumque vana, profana & inhoneſta intermixta colloquia, quæ fieri prohibet & à ſuperioribus corrigi imperat.

11. *Priuata interruptio officij ſi notabilis ſit & abſque cauſa fiat, veniale erit peccatum.*

Dico quartò, Priuata precationum Horariarum interruptio, ſi fiat abſque iuſta cauſa (& ſi aliquo modo notabilis ſit) peccatum eſt veniale. Tenent eam communiter DD. & probant his rationibus.

Primò, Quia peccatur contra modum, quo has preces cani vel recitari inſtituit Eccleſia, qui eſt, vt vno tenore quælibet Hora percurratur, & non intercidatur.

Secundò, quia ſi indecorum eſt, colloquium cum Rege aliquo mortali initū & pro libito, ſine ratione interrumpere; quantò magis turpe cenſebitur, & contra Immortalis Regis honorem, qualibet occaſione inchoatam precem interpolare?

12. *Quæ cauſa iuſta interruptionis.*

Dixi, *ſi fiat abſque cauſa iuſta*, quia conſentiunt DD. interueniente honeſtà aliqua vel vtili occaſione, quæ dilationem commodè non patiatur, Horarias preces licitè interſecari. Ita Leſſius, Azor. Nauarrus & alij. Exempli gratiâ, ſi confeſſio aliqua excipienda ſit, ſi vir grauis interueniat cum quo agendum, ſi medicus malè habentem interuiſat, ſi ſuperior auocet, ſi opus bonum ex charitate vel obedientia exercendum, ſi rei diuinæ aſſiſtendum, ſi explicatio alicuius verſiculi è pſalmis apud interpretem quærenda, ſi aliquid neceſſarium valetudini, bonis noſtris, vel proximi efficiendum, ſi irruente pio aliquo motu aliquid è lectis mediteris attentiùs, ſi hoſpes excipiendus &c. de quibus fusè Nauarrus capite 16. de Horis à numero 66. vſque ad 72. Quod ſi quis præuiderit impedimentum futurum, vitandum illi erit, quantum commodè fieri poterit, vel Horas præueniendo, vel ipſa negotia anteuertendo.

13. Dixi præterea, *ſi interruptio ſit notabilis*, quia ſi breue quid interponatur, vt puta verbulum vnum aut alterum, aut aliquis per tranſennam ſalutetur, aut ſententia aliqua memoriæ causâ exſcribatur, aut negotium aliquod paucis expediatur ne poſtea in orationis decurſu mentem vehementiùs distrahat, nullum admittetur peccatum. Parum enim pro nihilo reputatur. Ita Nauarrus ſuprà numero 66. & 67.

14. *In maioribus horis licet interruptio longior quàm in monoribus.*

Aduerte autem primò, in Horis maioribus vt, Matutino, poſſe ſine culpa longiorem moram fieri, cauſa morali occurrente, quà liceat interruptio, quàm in minoribus Horis, ſecundùm iudicium prudentis: Maiorem inter Lectionem & Pſalmos, quàm inter eorum verſus, vt ratio ipſa dictat. Vide Suarez ſuprà cap. 24. num. 10.

15. *Quomodo grauiter etiam peccari poßit in priuata interruptione.*

Aduerte ſecundò, Eodem ferè modo ratiocinandum eſſe de culpa Interruptionis in Officio priuato atque in publico, licet ceteris paribus grauiùs hic peccetur, vnde tam fœda poſſunt interponi colloquia, etiam in priuata recitatione, vt letale peccatum Religionis virtuti oppoſitum committatur: ſi verò ſolùm ſint profana aut otioſa peccatum erit contra eandem virtutem veniale. Quidquid autem ſit, nihil ob id in Officio Diuino eſt repetendum. Sed priora ſine ſcrupulo poſterioribus continuari poſſunt, vt Nauarrus ſuprà n. 75.

16. *Quæritur an officium à capite ſit repetendum.*

Petes hîc, An interruptiò hæc ſi per vnam vel duas horas duret, inducat obligationem officium iterum à capite inchoandi, adeò vt peccetur mortaliter

tur ſi fiat ſine animo repetendi, vel ſi priora non repetantur.

Si interruptio per vnam vel plures horas duret.

Docet Nauarrus ſuprà, Interpoſitionem, ſi tanta, & tam impertinens, vt dicta & dicenda in Officio non faciant quid vnum, impedire obligationis de Horis recitandis ſolutionem. Idem docet Ioannes Medina c. de Oratione quæſt. 16. prope finem, & probabilius eſſe cenſet Azor. c. 8. quæſt. 5. ſuprà, repetendum officium, quia interruptum ad longum tempus videtur potiùs finiri, quàm continuari.

17. *Docet Nauarrus & alij ... repetendum.*

18. *Meliùs alij non docent neceſſariò repetendum.*

Reſpondeo cum Francolino ſuprà n. 9. qui pro ſe citat Theodorum Peltanum de Tribus Bonorum Operum Generibus lib. 3. cap. 6. aſſertione 4. ſub finem, & cum Leſſio ſuprà cap. 37. dubit. 10. non eſſe neceſſariò repetendum, quod ſic interruptò recitatum eſt: tum quia ſubſtantia præcepti impletur officium proſequẽdo, tum quia ſinguli pæne verſiculi pſalmorum continent perfectum ſenſum, inque ſingulis Deus oratur vel laudatur, vel mens legentis inſtruitur; Vnde, vt rectè Peltanus, & Francolinus ſuprà, repetere hic potiùs eſt congruitatis & ſupererogationis, quàm neceſſitatis.

19. *Reſponſio ad argumentum Nauarri.*

Nec obſtat ratiuncula Nauarri, quia videlicet preces præcedentes & ſequentes duarum Horarum ſpatio interruptæ non efficiunt vnam orationem Horariam, vtputa Tertiam aut Sextam, &c. Dico enim quod ſicut ex precibus matutinis Primæ, Tertiæ, Sextæ, &c. componitur vnum officium, vna ſolemnis & Horaria precatio, quamuis longa mora inter eas interceſſerit, ita pari modo ex verſibus pſalmis & vnius Horæ Canonicę tempore etiam longo diuiſis conſtituitur vna oratio canonica, ſic videmus ex multis confeſſionibus diuerſis etiam diebus interpoſitis factis vnam integrari confeſſionem. Non enim in his rebus moralibus tanta requiritur vnitas, aut continuatio, Denique qualitas, ordo, aut continuatio, non ſunt de ſubſtantia officij diuini, ſed ſolùm illius circumſtantiæ. Vnde in harum mutatione aut diſiunctione, ſaltem priuatim, non facilè peccatur mortaliter.

Nota hic ex Nauarro ſuprà c. 10. n. 37. & ſequent. Azor. ſup. cap. 10. q. 8. & alijs, alias etiam preces ad quas obligamur ad modum Horarum Canonicarum diuiſim poſſe recitari, v. g. Roſarium D. Virginis, ſeparatim per decades, quia eadem eſt ratio. 20

Poſſunt inſtar ... etiam alias ... diuiſim ... citari.

CAPVT XVIII.

An qui recitat Horam Canonicam vel interrumpit animo iterum legendi præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat, ſi non repetat.

REperio apud DD. differentes tres circa hoc ſententias. Prima eſt communis, & valde probabilis Ioannis Medina c. de Orat. q. 16. Nauarri in Enchir. de Horis cap. 13. n. 27. & 28. & cap. 16. num. 73. & 74. & aliorum, quos citat Thomas Sanchez in opere ſuo Moral. lib. 1. c. 13. n. 12. qui docent huiuſmodi ab initio repetere debere, nec aliter Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: quandoquidem in vtroque caſu mens illius fuerit, per priorem orationem vel integrè recitatam, vel in aliqua ſui parte interruptam, non implere obligationem de Horarum lectione. Idem cenſent de quolibet opere præcepto, nimirum illud non impleri ſi abfuerit animus non ſatisfaciendi, quamuis re ipſa fiat. 1.

Sententia prima tenet ab initio debere horas repetere, nec aliter ſatisfacere.

Altera ſententia eſt Francolini tract. de Tempore Horarum Canonicarum c. 27. n. 10, & deinceps, & Azor. ſuprà c. 8. q. 7. qui dicunt hac in re diſtinctione opus eſſe, Aut enim is, inquiunt, qui orationem canonicam legit, aut inter- 2.

Secunda ſententia vtitur diſtinctione, repetere,

ſi dum legit interrupit, repetere intendit; non verò ſi poſt recitationem iterare proponat.

interrumpit, habuit intentionem poſtea totum repetendi, quam vocant intentionem comitantem ipſam recitationem officij, & tunc cenſent neceſſariò repetendam orationem, quia actus recitationis eſt intrinſecè inualidus; vel poſtea, lecto ſcilicet officio ſtatuit repetere quod ante iam recitauerat, quam appellant intentionem ſuperuenientem, & tunc ad iterandum non tenetur, quia actus recitationis non eſt inualidus intrinſecè ex ſuperueniente, ſcilicet propoſito iterandi, vnde in tantum obligat ad rurſus incipiendum in quantum durat eiuſmodi incipiendi propoſitum, quod reuocare poteſt pro libito. Verbi gratiâ cœpit Titius recitare preces Tertiæ cum animo eas poſtea repetendi, vel eodem animo eas interrupit, debet poſtea repetere: Nam præcepto non ſatisfecit, cùm in animo fuerit voluntas contraria non ſatisfaciendi. Si tamen legit, vel interrupit ſine tali animo, & poſt officium lectum vel interruptum vult repetere, fas illi eſt eam voluntatem mutare, & quod intermiſſum eſt proſequi. Pari modo dicendum arbitrantur de ſacro præcepto diebus feſtis: nam ſi quis die feſto initio animum habuerit aliud ſacrum audire, vt legi Eccleſiæ ſatisfaciat, audire illud debet; ſi autem non ſtatuit aliud ab initio audire, eo tamen audito illud decreuit, non cogitur alteri intereſſe; Eſt enim ei licitum ab illa voluntate recedere, & prius ſacrum auditum ratum habere. Hæc illi.

3. *Tertia ſententia non teneri repetere, ſed ſatisfacere præcepto.*

Tertia ſententia eſt Arragonij. 2.2.q. 83. art. 13. verſu, *Sed dubitabit aliquis.* Valentiæ ibid. diſp. 6. q. 2. punct. vlt. in fine. Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 88. ſect. 3. & lib. 4. de orat. cap. 26. n. 8. & ſequenti. Leſſij lib. 2. de Iuſt. c. 37. dubit. 10. Gabrielis Vaſquez 1. 2. q. 100. art. 9. dub. 1. & fusè Thomæ Sanchez lib. 1. in præcepto decal. c. 13. n. 13. qui tenent implere quem præceptum de recitandis Horis, quamuis eas legat cum expreſſa & formali voluntate non ſatisfaciendi obligationi ſuæ, & quamuis eas interruperit animo ſequentia cum primis recitatis non continuandi, ſed à principio iterum inchoandi.

4. *Ad impletionem præcepti requiritur voluntas implendi opus præceptum, non verò intentio per hoc implendi præceptum.*

Præmittendum hìc tanquam certum ex tractatu de Legibus multum differre inter ſe voluntatem implendi opus præceptum, & voluntatem ſatisfaciendi per id ipſi præcepto. Prior eſt planè neceſſaria ad impletionem ipſius præcepti. Nam non ſatisfit præcepto niſi per actum humanum & liberum, quo quis liberè implet quod iniungitur, Verbi gratiâ Horas legit, Miſſam audit, Pœnitentiam implet, Votum ſeruat. Vnde non ſatisfacit præcepto Horas legendi, qui eas legit, vt memoriæ mandet, quia deeſt intentio orandi, ſiue orationem perſoluendi, quæ eſt tamen actio præcepta. Inſuper non ſatisfacit legi de iiſdem Horis recitandis ebrius aut dormiens, aut rationis expers, quia non concurrit ad illas actu libero & humano. Satisfacit nihilominus qui metu vrgente eaſdem recitat, quia metus non tollit voluntarium. Vis autem vel coactio propriè dicta, quæ illud tollit, hìc locum habere non poteſt, quidquid aliqui dicant. Poteſt nihilominus peccare mortaliter ex metu quis recitans, ſi hunc actum eliciat; Horas non recitarem ad quas obligatus ſum, niſi graui metu amittendi Beneficium compulſus, quia tenetur abſolutam voluntatem implendi præcepti habere; licet re ipſa ſatisfaciat. At verò nullo modo ad præcepti impletionem requiritur ſatisfaciendi voluntas. Eademque eſt ratio de Votis, & Pœnitentijs à Confeſſario iniunctis. Sufficit enim opus promiſſum vel iniunctum exequi, & ad aliud non applicare, quamuis etiam obligatio penitus excìderit

5. *Non ſatisfacit præcepto, qui Horas legit, vt mandet memoriæ, vel ebrius aut dormiens, ſed bene, qui metu coactus.*

6. *Quomodo poſſit quis peccare mortaliter ex metu recitans.*

Digitized by Google

ciderit animo, & deſit intentio voti vel pœnitentiæ adimplendæ. Denique Legiſlator præcipit ſubſtantiam actus, non verò intentionem, ſufficitque in ſubdito obedientia materialis, id eſt, executio operis imperati, non verò requiritur formalis, id eſt, vt fiat animo parendi vel ſatisfaciendi.

7. Prima & 2. ſententiæ ſupra probabiles ſimiliter & tertia.

Concluſio. Quamuis prima ſententia probabilis ſit & etiam ſecura, probabilis nihilominus eſt & in praxi ſecura etiam tertia, quam ſequor, & probo.

8. Probatur 3. ſententia.

1. Nullus in executione alicuius præcepti obligatur ad plura quàm Legiſlator ſignificat; ſed Eccleſia ferens præceptum de Horis Canonicis non obligat, niſi vt illæ ſtudioſè & deuotè recitentur; non verò vt animo ſatisfaciendi præcepto. Ergo.

9. 2. Præcepta feruntur de ſubſtantia actus, non verò de ipſius actus intentione; Atqui orans preces Horarias impleuit ſubſtantiam actus. Ergo impleuit præceptum.

10. 3. Non eſt in poteſtate ſubditi, opere præcepto cum debitis circumſtantiis impleto, facere, vt ei non ſit ſatisfactum, vel vt noua circa illud obligatio imponatur, vel eadem augeatur quatenus proficiſcitur à voluntate ſuperioris. Ergo ſignum eſt per executionem exteriorem operis plenè præcepto ſuperioris ſatisfactum fuiſſe.

11. Horas legens non intentione ſatisfaciendi ſed ſuæ deuotioni ſeruiendi nihilominus ſatisfacit. Idemque iudicium de audit. Miſſæ, pletion. pœnit. & pr... biliter voto e... iuram...

Hinc infertur Horas recitantem non voluntate obligationi ſuæ ſatisfaciendi, ſed propriæ deuotioni ſeruiendi, & conſequenter iterum ex præcepto recitandi, vel eaſdem interrumpentem ſimili cum intentione iterum à capite repetendi, nihilominus præcepto Eccleſiæ ſatsfeciſſe, nec teneri repetere. Idem iudicium eſt de audiente Miſſam die feſto cum expreſſa voluntate non implendi præceptum. Imò Sanchez ſuprà num. 17. idem tenendum cenſet de Pœnitentia Sacramentali, quæ impletur etiam cum voluntate contraria non implendi, modò fiat quod præceptum eſt, & ſciat quis hoc modo obligationi ſuæ ſatisfactum eſſe, cùm enim Sacramentalis ſatisfactio impoſita ſit ex ſpeciali præcepto Sacerdotis idem iudicium erit de illa atque de alijs præceptis generatim. Addit, idem quoque probabiliſſimè dici poſſe de voto & iuramento, ſcilicet illis ſatisfieri etiam per intentionem contrariam non ſatisfaciendi, nec teneri illum, qui hoc modo votum impleſſet, idipſum iterare, vel habere propoſitum per prius opus ſatisfaciendi voto, quia votum & iuramentum obligant inſtar præceptorum: vnde non eſt in poteſtate vouentis vel iurantis non ſatisfacere, poſito quòd opus promiſſum exequi velint. Licet autem quis poſſit nouum votum ſibi imponere de opere iterando, tamen in hoc caſu non ſatisfaciendi voto per illud opus, non intendit vllo modo nouum votum emittere.

12. In iuramento & voto probabilis contraria ſententia, ſc. non ſatisfieri hoc pacto.

Nihilominus in materia voti & iuramenti etiam probabilis eſt aliorum Doctorum ſententia, quam ſequitur Suarez lib. 4. de Orat. c. 26. nu. 8. & 9. ſcilicet opus promiſſum exequentem cum animo non implendi votum per illud, ſed opus voluntarium Deo exhibendi, non ſatiſfacere obligationi voti: & ratio eſt, quia etſi non ſit penes nos in materia præceptorum illis non ſatisfacere, dum opus ipſum præceptum præſtamus, quippe cùm nobis noua præcepta imponere non poſſimus; At verò in noſtra poteſtate ſitum eſt iuramenti aut voti vinculo nos obligare, & cùm per opus aliquod illorum obligationi ſatisfacere nolumus, conſequenter nouo nos voto aut iuramento ligare cenſemur.

Infertur 2. Horas perorantem aut Sacrum audientem cum intentione

13. præcepto Eccleſiæ non ſatisfaciendi, non incurſurum excommunicationem ſi ferretur in Horas non legentes, vel Sacrum non audientes, vt notarunt Leſſius & Suarez ſuprà; & ratio eſt, quia tales omninò præceptum impleuerunt.

Horas recitans animo non ſatisfaciendi præcepto non incurrit excommunicationem; ſi ferretur in non legentes Horas.

Dices, Qui hoc modo Horas recitat cum animo præceptò Eccleſiæ non parendi, licet exterius præceptum impleat, in mente tamen & voluntate ei renititur, & obedire non vult; ne ergo præceptum Eccleſiæ contemnere cenſeatur, propoſitum prius reuocare tenetur tempore opportuno, id eſt, intra tempus, quo præceptum obligat, & intendere per opus prius ſatisfacere, vt operi externo voluntas interior parendi adiungatur, & ſic plenè ſatisfiat.

14. *Obiectio contra tertiam ſententiam.*

15. *Reſponſio ad argumentum. Non requiritur retractatio voluntatis ad implendum præceptum iam per opus externum impletum.*

Reſpondeo, hoc argumento adducti Petrus Arragon, Franciſcus Suarez, & Leſſius ſuprà neceſſarium putant priorem illam voluntatem corrigere, & affectum obediendi operi præterito ſubiungere. Verùm, dico cum Sanchez ſuprà n. 14. & 15. & alijs, ad impletionem præcepti illam voluntatis retractationem non requiri, ſed ſatis eſſe, ſi quis putet, ſe non ſatisfeciſſe conſcientià erroneà, vt depoſito errore credat ſe plenè præcepti obligationi feciſſe ſatis, etſi prius onus ad implendum præceptum non referat. Et ratio eſt, quia per priorem actum vel ſatisfactum eſt præcepto, vel non. Si prius, ergo non requiritur aliqua voluntatis reuocatio, cùm nullum præceptum illam imponat. Si poſterius, ergo nihil conferet illa voluntatis mutatio ad præcepti impletionem, cum efficere non poſſit, vt opus prius ex obedientia formali proceſſerit.

Nec refert, quòd impletio præcepti ſit actus obedientiæ, quia ſufficit, vt ſit actus obedientiæ materialis, quo fiat opus præceptũ, non verò formalis, per quẽ fiat opus animo ſuperiori parendi.

Aduerte tamen, illum qui hoc modo præceptum impleuit cum voluntate expreſſa non ſatisfaciendi, mortaliter interdum peccare. Si enim Horas recitauit ſimul nolens eas repetere, vel certè excluſus temporis anguſtiis, media ſcilicet nocte appetente; haud dubiè peccauit mortaliter, non contra præceptum ſpeciale de Horis recitandis, quod ſolùm obligat ad opus orationis humano, & morali actu exequendum, ſed contra præceptum generale naturale, quo iubemur ſuperiobus, eorumque legibus ſubeſſe. Vnde licet ex vi ſpecialis præcepti non teneatur voluntatem retractare, tenetur tamen ratione generalis illius præcepti non perſiſtere in priori illa praua intentione, etiamſi tempus effluxerit Horas legendi, ſicut teneretur ab aliis peccatis abſiſtere. Non obligatur verò nouum obedientiæ elicere actum, dum non occurrit inſtans, quo præceptum obliget ad illum actum eliciendum. Quòd ſi verò animum habuerit iterum Horas legendi, quo præceptò ſatisfaciat, nullum commiſit peccatum habendo contrariam intentionem non ſatisfaciendi, per priorem Horarum lectionem, dummodo tempus ſuppetat præceptum iterum implendi. Nec tenetur poſtea mutare intentionem volens ſatisfacere per priorem lectionem, nec etiam obligatur iterum legere, ſed ſufficit; vt ſciat ſatisfeciſſe; non obſtante contraria intentione; & ratio eſt, quia iam verè & plenè ſatisfecit præcepto, nec aliud præceptum generale tranſgreſſus eſt, quia alia Horarum lectione ſatisfacere præcepto Eccleſiæ propoſitum habuit. Ita Sanchez ſuprà n. 15.

16. *Peccat aliquando mortaliter, qui præceptum implet cum voluntate expreſſa non ſatisfaciendi.*

Supereſt iam Nauarri, & aliorum argumenta quibus ſententiam hanc impugnat, refellere. 17.

Proponuntur argumenta pro 1. ſententia contra 3.

Argumentantur itaque 1. Actus agentium non extenduntur vltra intentionem

ceptione eorum, vt habet axioma iuris
18. *Primum argumentum.* 1. *Non omnis*, ff. de Acquirendo rerum dominio; At qui Horas recitat cum voluntate non ſatisfaciendi Eccleſiæ præcepto, non intendit per hoc implere præceptum Eccleſiæ. Ergo huiuſmodi recitatio non extenditur ad præcepti impletionem. Ergo iterum recitare tenetur. Ita paſſim Nauarrus Enchir. de Horis cap. 13. & 16

19. *Solutio 1. argumenti.* Reſpondeo axioma illud locum habere, quando ab agentium voluntate pendet alicui obligationi ſatisfacere, vel non, vt patet in debitorum ſolutione, & ſimilibus: pendet enim ab intentione agentis, actione ſua vel extinguere obligationem debiti, vel liberaliter tantùm donare; Hoc autem in caſu noſtro locum non habet. Non enim pendet ab intentione noſtra, exequendo opus præceptum ſatisfacere obligationi præcepti vel non, ſed ſimulatque liberè opus exequimur, ſtatim impletum eſt à nobis opus præceptum.

20. *2. Obiectio.* Obijciunt 2. Qui debet Titio centum aureos non ſatisfaciet ſuo debito eidem liberaliter centum donando, & proteſtans ſe per hoc nolle liberari debito Iuſtitię, ſed tantùm gratis donare: quin imò tenebitur poſtea centum ex Iuſtitia ſoluere. Sacerdos item qui pro dicenda Miſſa ſtipendium ab altero accepit ſuo muneri non ſatisfaciet, ſi tantùm grati animi ergo celebret nolens obligationi ortæ ex accepto ſtipendio ſatisfacere. Ergo neque hic ex ſola deuotione propria recitans cum voluntate contraria non ſatisfaciendi. Ita Medina cod. de Oratione q. de Horis Canonicis iterandis, dub. vlt. & alij.

21. *Solutio obiectionis 2.* Reſpondeo ex dictis ſolutionem patere; cùm enim liberatio ab onere ſoluendi debitum pendeat ab intentione debitoris, is, qui liberalem donationem facit, non intendit ſe hac obligatione ſoluere; ſed vult illam apud ſe manere integram, & ſimiliter apud creditorem ius integrum debitum Iuſtitiæ titulo exigendi: operantur enim & extenduntur obligatio & ius eiuſmodi iuxta contrahentium voluntatem. Secus ſe res habet in obligatione legum, quarum vinculum & obligatio ſolùm pendet ex intentione ſuperioris quam ſubditus extendere non poteſt, ſed quàm primùm præceptum opus præſtiterit, liber manet ab eius obligatione.

17. Proponuntur argumenta pro 1. ſententia contra n. 3.

Addunt tertiò, qui Roſarium vouit legere non ſatisfaciet voto ſuo, ſi tantùm proponat recitare ex deuotione cum explicita voluntate votum ſuum non implendi. Ergo neque hic qui ſimili animo Horas recitauit. 22. *Tertia obiectio.*

Reſpondeo probabile eſſe, vt antè dictum, eiuſmodi ſatisfeciſſe voto, etiamſi contrariam voluntatem non ſatisfaciendi habuerit, modò Roſarium quod vouerat, recitauerit: quia tamen etiam probabile eſt non ſatisfeciſſe, ſed teneri aliud Roſarium recitare; Ideo conceſſo antecedente nego conſequentiam: quia diſpar ratio eſt vtriuſque, voti ſcilicet & præcepti. Non enim penes nos eſt præceptum nobis imponere, aut illi à legiſlatore impoſito non ſatisfacere, modò opus iniunctum voluntariè fiat, etiamſi intentio ſit per id non ſatisfaciendi. E contrà in nobis ſitum eſt vouere, & voti obligatione nos aſtringere: quando verò per opus aliquod illi nolumus ſatisfacere, videmur nouum votum nobis imponere, vel ſaltem antiquam voti obligationem velle retinere, cui proinde alio opere eſt ſatisfaciendum. 23. *Solutio.*

Vrgent quartò, vt impleatur præceptum, requiritur in ſubdito voluntas obediendi; eſt enim obſeruatio præcepti actus obedientiæ; ſed hic contrariam voluntatem habet non obediendi, Ergo præcepto non ſatisfacit. 24. *Quarta obiectio.*

Reſpon-

Digitized by Google

25. *Solutio.* Reſpondeo. Diſtinguendo Maiorem, requiritur enim in ſubdito voluntas obediendi, id eſt, opus quod præcipitur liberè & voluntariè exequendi, quæ vocatur obedientia materialis; Non verò neceſſarius eſt affectus, quo quis velit opus illud facere, quia à ſuperiore præcipitur, ſiue obedientia formalis.

26. *Quinta obiectio.* Poſtremò inſtant, Horarum recitatio cum voluntate illa præcepto contraria, fuit opus gratuitum & liberale. Ergo per illud non ſatisfactum eſt obligationi: Multum enim differunt opus obligatorium & liberale.

27. *Inſtantia.* Nec refert quòd quis poſtea voluntatem ſuam retractans velit per priorem recitationem ſatisfeciſſe: quia per illam relationem non fiet illa recitatio neceſſaria & præcepti impletiua, cùm actus præteritus non poſſit procedere ab illa poſteriore voluntate, nec ad illum detur potentia aut mutatio. Ergo tenebitur iterum recitare, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat.

28. *Solutio obiectionis.* Ad poſtremũ Reſpondeo Opus illud recitationis Horarum fuiſſe gratuitũ & liberale, reſpectu intentionis ipſius orantis; per ſe tamen & naturâ ſuâ ſiue ex conditione operis, ſicut fuit opus liberum, & voluntarium, ita etiam præcepti impletiuum, cùm ad præceptum implendum nihil illi defuerit: Non enim curat legiſlator, an ex deuotione, an ex obedientia opus fiat, modò fiat, & ſic acceptatur tacitè ab ipſo, vt opus, quo ſatisfit præcepti obligationi.

29. *Reſponſio ad inſtantiam.* Ad inſtantiam nihil eſt, quod reſpondeatur, quia pro nobis facit, qui dicimus per opus illud licèt factum animo non ſatisfaciendi, nihilominus plenè præcepto factum eſſe ſatis, nec quempiam obligari ad idem iterandum.

30. *Vt quis cenſeatur habere voluntatem ſatisfaciendi præcepto, ſufficit ſimpliciter Horas v. g. legere nulla expreſſa intentione in contrarium exiſtente, quamuis etiam inſcius ſit ſuæ obligationis.* Nota hîc non eſſe neceſſarium, vt quis cenſeatur habere voluntatem ſatisfaciendi præcepto, ab initio habere intentionem illud implẽdi, quam poſtea in decurſu non reuocet, quamuis hoc ſit conſulendum: ſed ſufficere ſi velit v. g. recitare Horas, vt ſolet; tum enim cenſetur habere propoſitum ſatisfaciendi, imò ſufficit ſimpliciter voluntas Horas orandi nullo expreſſo propoſito in contrarium exiſtente, quia talis voluntas virtute eſt præcepti impletiua: cùm naſcatur ex voluntate generali, quam prudens quilibet habet ſatisfaciendi ſuæ obligationi. Vnde qui inſcius vel immemor obligationis Horas recitat, verè implet præceptum Eccleſiæ, quia ſponte recitat, quod ſolùm præcipit Eccleſia, non verò vt ſcienter. Ita Azor ſuprà c. 12. q. 9. Idem eſt de eo qui Miſſam audit, ignorans vel non aduertens eſſe diem feſtum: implet enim præceptum, vt rectè Suarez lib. 4. de Orat. cap. 26. n. 6.

CAPVT XIX.

Quale peccatum committant qui Diuinum Officium ad quod tenentur publicè vel priuatim negligunt.

1. *Qui omittit vnam horam Canonicam etiam priuatim mortaliter peccat, niſi iuſta cauſa excuſet.* PRima concluſio. Communis DD. ſententia eſt omittentem ſeptem Horas Canonicas vel aliquam earum, etiam priuatim, peccare mortaliter, niſi iuſta cauſa excuſet. Vide Nauarrum cap. 7. Enchir. de Horis num. 5. Solus Richardus Anglicus dicit ſe non audere damnare peccati mortalis omittentem ex negligentia, ſecus ſi ex faſtidio diuini cultus, contemptu vel conſuetudine, quam opinionem Angelus V. *Hora* num. 10. dicit eſſe humaniorem, ſed ſicut iuxta illud Ariſtotelis, Vna hirundo non facit ver, ita nec

vnus

...us Doctor nulla ratione nixus facit ſententiam probabilem.

2. *Ratione probabilis concluſio.* Ratio ſumitur ex præcepti grauitate, quod eſt de actu Religionis, & diuini cultus; qui certis quibuſdam hominibus committitur cum obligatione vt nomine totius populi Deum laudent, & deprecentur. Vnde & quibuſdam ſtipendia ea de cauſa ſoluuntur; & exinde arctiùs obligantur. Denique quælibet Hora Canonica per ſe ſola materia eſt ſatis grauis, vt ſit capax obligationis ſub mortali. Poſtremò c. *Clericus victum*, diſt. 91. iubetur Clericus Officium hoc negligens excommunicari (excommunicatio verò non irrogatur niſi ob peccatum mortale, c. *Nemo Episcoporum* 11. q. 3.) & c. 1. de deceleb. Miſſ. præcipiuntur dici omnes ſeptem Horæ Canonicę, quod pręceptum eſſe ſub mortali patet ex cap. *Dolentes*, eodem. Nec refert, quo titulo quis obligetur ad preces recitandas,

3. *Soluitur obiectio.* Beneficij an Ordinis &c. quia ex quolibet hæc ſtricta obligatio oritur: ita tamen, vt qui pluribus titulis eas ſoluere compellitur, grauiùs peccet ceteris paribus, vt, qui pluribus potitur ſacerdotijs grauiùs delinquit, quàm vnicum tantùm poſſidens Beneficium aut ſimplex Sacerdos.

4. *Grauiùs peccatur, ſi publica pſalmodia negligatur.* Secunda concluſio. Grauius etiam peccatum admittitur, ſi publica pſalmodia in choro negligatur, vbi ea eſt obligatio: quæ culpa primò reſidebit in eccleſię rectore; deinde verò in illis, per quos ſtetit, quo minus Horariæ preces in choro peragerentur. Non eget res hæc vlla probatione, cùm ſatis conſtet Dei cultum, populumque Chriſtianum maius damnum ſubire ex prætermiſſione Diuini Officij in choro, quàm ex priuati cuiuſlibet negligentia clerici vel ſacerdotis.

5. *Peccat etiam mortaliter, qui partem Horæ notabilem negligit.* Tertia concluſio. Non ſolùm peccat mortaliter qui integram Horam Canonicam omittit, ſed etiam qui notabilem eius partem. Ita Nauarrus ſuprà citans Paludanum in 4. diſt. 15. quæſt. 5. & Azor. lib. 10. cap 7. quæſt. 3. dicit hanc eſſe receptam DD. ſententiam.

6. *Ratio dicti.* Rationē dat Nauarrus, Quia regulariter quoad peccatum mortale paria ſunt, omittere aliquod totum & partem eius notabilem.

7. *Confirmatio.* Confirmatur. Quia non ſolùm incurrit læthalem noxam, qui die feſto Miſſam non audit, ſed etiam, qui partem eius notabilem audire negligit, vt conſtat ex communi etiam vulgi ſenſu. Ergo.

8. *Quæritur, quæ ſit notabilis alicuius Horæ pars.* Sed non immeritò dubitatur à DD. quænam pars cenſeatur ita notabilis, vt illius omiſſio conſtituat peccatum mortale ſi voluntariè, & non ex inculpabili ignorantia, obliuione, vel inaduertentia contingat. Nam, quin Hora quælibet Canonica per ſe ſit notabilis Diuini Officij pars, & illius omiſſio ſubinde peccatum mortale, nemo ambigit.

9. *Sententia Nauarri hac de re.* Nauarrus itaque ſuprà c. 10. n. 44. ſic de hac re ſcribit? Poſſunt, inquit, „ dici non eſſe partes notabiles Primæ „ Tertiæ, Sextæ, &c. illarum principia „ vſque ad finem primi Pſalmi, nec ad „ effectum peccandi, neque perdendi „ diſtributiones quotidianas: quia tam „ ſtatutum Eccleſiæ Gallicanæ, quàm „ alia, communiter non reputant par- „ tes illas eſſe notabiles. Quod intelli- „ gendum videtur quoad effectum „ peccandi, modò ſuppleant priuatim „ illas preces, quas omiſerant, quia non „ poteſt negari quin omiſſio prædicto- „ rum principiorum vſque ad primum „ Pſalmum ferè finitum ſit omiſſio par- „ tium notabilium, cùm ſit circiter ter- „ tiæ partis prædictarum Horarum „ computatis Pater noſter, Aue Maria, „ Deus in adiutorium, & Hymno cum „ parte primi Pſalmi, & conſequenter, „ niſi ſuppleatur, inducet culpam mor- „

,,talem,licet non inducat diſtributionis perditionem. Ex quo ſequitur ,,aliquam partem eſſe notabilem ad ,,peccandum mortaliter, quæ non eſt ,,talis ad perdendum diſtributiones ,,quotidianas. Hactenus verba Nauarri. Ex quibus colligas illum exiſtimaſſe in quatuor minoribus Horis partem notabilem eſſe quæ ſit minor tertia.

10. *Sententia Nauarri nimis ſtricta.*

Sed ſaluo Nauarri iudicio,ſententia hæc videtur nimis arcta, præſertim, cùm ipſe teneat omiſſione omnium Horarum ſimul tantùm vnum committi peccatum. Quantula verò portio eſt initium Tertiæ vſque ad finem primi Pſalmi,ſi conferatur cum ſeptem Horis? quomodo ergo erit peccatum mortale illam negligere? quomodo conſiſtit cum ſenſu D. Thomæ 2.2. q. 147. art. 3. ad 2. & communi DD. præcepta Eccleſiæ, quæ per modum communis ſtatuti proponuntur,non obligare ad mortale, niſi quis vel auctoritatem Legiſlatoris contemnat,vel hoc modo tranſgrediatur,quod impediatur finis quem intendit? Quis autem dixerit vel auctoritatem Eccleſiæ contemni, vel finem quem intendit in præſcribendo Clericis quotidianarum precum penſo, qui præcipuè eſt Dei cultus, magnopere impediri vel imminui,ſi Pſalmus vnus vel quid ſimile prętereatur?

11. *Sententia Franciſci Suarez.*

Franciſcus Suarez lib. 4. de Oratione c.25.n.16. licet Nauarri ſententiam nimij rigoris redarguat, eamq; nonnihil mitiget, docet tamen, præſupponens vnum tantùm peccatum committi prætermiſſione totius officij Canonici, partem notabilem in hac materia ſpectandam eſſe,non ratione determinatæ portionis alicuius Horæ v. g. Tertiæ (cuius omiſſionem aliqui volunt eſſe peccatum mortale) ſed, ex abſoluta & in ſe conſiderata parte orationis quæ negligitur. Hæc ſi in ſe magna ſit iudicio prudentum conſtituet materiam peccati mortalis, ſi omittatur. Vbi etiam rationem habendam dicit eius dignitatis & deformitatis, quam adfert diuino officio, ſi non recitetur. Vnde conſequenter ait in Officio Nocturno cum Laudibus (quod vna Hora Canonica computatur) omiſſionem nocturni vnius eſſe peccatum mortale: quia licet ſolùm cenſeatur quarta illius pars; eſt tamen per ſe & præcisè magna. E contra omiſſio ferè dimidij Completorij ſecundùm illum nō habetur notabilis,quia nec reſpectu Officij totius diei talis eſt, nec etiam ſi ſimpliciter per ſe ſpectetur. Vnde vt in hac re quantitas peccati æſtimetur: conſideranda eſt pars, quæ omittitur, an videlicet abſolutè magna ſit, vel parua, vel ſaltem reſpectu totius Officij ipſius diei,quæ eſt adæquata materia illius. Quocirca concludit neceſſarium eſſe ad peccatum mortale,vt nulla pars alicuius Horæ, quæ æquiualeat minimæ Horæ,vel dimidiæ illius parti, omittatur. Si autem hanc non attingat,non videtur eſſe peccatum mortale, Hæc Suarez.

12. *Sententia noſtra eſt non incurri hac in re mortale peccatum, niſi vel minima aliqua hora ferè integra omittatur, vel pars aliqua horæ maioris illi reſpondens.*

Quarta concluſio. Vt ſententiam meam paucis aperiam, Dico inſiſtendo veſtigijs communis ſententiæ DD. qui putant vnum tantùm eſſe præceptum de omnibus Horis, ſimul habens pro obiecto ſeptem Horas Canonicas, ideoque illius præuaricationem vnum ſolùm eſſe peccatum; probabile videri mihi non incurri in hac re peccatum mortale,niſi minima aliqua Hora ferè integra prætereatur, vel aliqua pars Horæ maioris illi reſpondens. Vnde qui ex Tertia ſaltem recitat vſque ad primum Pſalmum incluſiuè, imò vnum alterum ve illius Pſalmum omittat,non videtur peccare mortiferè.

Probatur, quia omiſſio auditionis Miſſæ die præcepto vſque ad Euangelium, ſecundùm receptam opinionem

non

non eſt peccatum mortale, & tamen illa prætermiſſio æquiualet ferè priuationi omiſſioni Tertiæ. Si ergo in Sacrificio Miſſæ habetur pars exigua eius principium vſque ad Euangelium, cur cenſebitur in Officio Horarum totius diei ſufficiens pars ad peccatum mortale conſtituendum omiſſio dimidiæ partis Horæ tertiæ, cùm officium iſtud multò prolixius ſit, quàm ſacrificium Miſſæ?

13. *Non facilè iam æſtimare poterit quæ pars dignior ſit in Horarum priuata recitatione, ſed bene in publica.*

Quod autem Suarez arbitratur etiam æſtimandam eſſe prudentum arbitrio dignitatem partis, quæ in Horis dicendis negligitur; hoc fortè in publica chori pſalmodia locum habere poterit, Vbi maior indecentia notaretur à vulgo, ſi initium illius vel finis, vel Magnificat, aut aliqua illuſtrior portio intermitteretur, quàm ſi Pſalmus aliquis in medio intercidat, quia hoc non ita obſeruatur, id ipſum valet in Sacrificio Miſſæ, vbi conſecratio & Sacramenti ſumptio multis partibus, orationibus & Cæremonijs alijs ſunt præſtantiores. Vnde etiam ſi quis illas neglexerit, facilè peccabit mortaliter. Quis autem dicat quæ partes in priuata recitatione aliæ alijs emineant? Præter orationem Dominicam: cùm reliqua ferè omnia eiuſdem ſint auctoritatis & præſtantiæ.

14. *Strictius loquendum de omiſſione partis horarum, ſi dicamus ſeptem mortalia committi peccata omittendo ſeptem Horas.*

Quinta concluſio. Quòd ſi ſequamur minùs communem DD. opinionem, probabilem tamen dicentium in omiſſione ſeptem Horarum, ſeptem quoque committi peccata mortalia, fortè ſtrictiùs loquendum hic eſt: cùm pars notabilis tunc ſumenda ſit non ex analogia & proportione partis ad totum Officium, ſed ex propria ipſius partis quantitate vt in ſe ſpectatur. Quocirca dicendum videtur in Officio Matutino videri materiam notabilem, ſi omittatur principium illius vſque ad lectiones primi nocturni. In reliquis verò minoribus Horis, ſi dimidia illarum pars non recitetur: quia talis portio æſtimari poſſet per ſe materia aliquo modo grauis: quòd ſi minor dimidia pars prætereatur, non videtur incurri peccatum mortale, propter illius exiguitatem.

Et hæc quidem in quæſtione parum ab alijs tractata dicta ſint, quæ omnia cenſuræ virorum Doctorum recognoſcenda libens permitto.

15. *Minor pars requiritur in publico officio vt illius omiſſione mortaliter peccetur.*

Sexta concluſio. Difficilius eſt definire quæ pars notabilis ſit omiſſa in publica pſalmodia à toto Choro. Vbi nota primò, Minorem partem in hac iudicari notabilem quam in priuata recitatione, vt per ſe notum eſt.

16. *Spectandum hic an pars omiſſa notabilem adferat deformitatem.*

Secundò, ſpectandum hic vel maximè, An pars omiſſa publico Officio deformitatem aliquam inſignem adferat v. g. ſi in Laudibus omittatur *Benedictus*, vel in Veſperis *Magnificat*; vel aliquid aliud, quod in oculos præſentium ſtatim incurrat.

17. *Suarez putat in officio Chori omiſſionem vnius Pſalmi conſtituere peccatum mortale.*

Cenſet etiam Suarez ſuprà c. 13. n. 2. Pſalmi vnius in officio Chori omiſſionem ſufficere ad rationem peccati mortalis, ſi ſponte vel ſupinâ negligentiâ hoc fiat.

18. *Minor quoque pars ſufficit ad mortale peccatum ſi in choro ab vno ſolum beneficiario omittatur.*

Septima concluſio. Conſequenter dicendum eſt minorem quoq; partem ſufficere ad grauem culpam incurrendam, ſi non omittatur quidem à toto Choro, ſed ab hoc vel illo Beneficiario, vel tardiùs veniente, vel fabulis Diuinum Officium interrumpente, vel citiùs ab eo ſe ſubducente, ſi fiat ſine animo prætermiſſa poſtea ſupplendi, & & ratio eſt, quia non ſolùm lectionem partis Horarum omittit, ſed etiam cantum vel exercere vel audire negligit.

19. *Mortaliter etiam in*

Vltima concluſio, Poteſt etiam interdum committi peccatum mortale in omiſsione partis Diuini Officij in Choro, dum, vel non cantatur, vel ſaltem non auditur, vel præſentia debita pro conſuetudine ei debita denegatur,

Chorо peccari poteſt in partis ad cuius omiſſione quamuis animus priuatim ſupplendi adfuerit.

quamuis animus priuatim ſupplendi adfuerit, niſi materiæ leuitas excuſet. Ratio eſt, quia ſubtrahit quis debitum officium linguæ, aurium, vel ſaltem præſentiæ ſuæ Choro in parte notabili, ad quod tamen ex iuſtitia, ſtipendij ratione vel Beneficij obligatur, quod poſtea nec ſupplet nec ſupplere poteſt. Vide ſuprà hoc à nobis dicta cap. 1. huius libri.

20\. *Non peccatur grauiter per ceſſationē à cantu niſi mereatur priuari diſtributionibus.*

Nota hîc primò, non committi graue peccatum per ceſſationem à cantu ſi non ſit tam diuturna, vt mereatur priuari diſtributionibus vnius Horæ, in qua contingit; vt rectè Nauarrus ſuprà c. 10. num. 44.

Conſuetudo autem eſt, vt habetur in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 21. §. 2. vt Beneficiarij diſtributionibus non fraudentur quando veniunt ad Chorum ante finem primi Pſalmi cuiuſque Horæ.

21\. *Beneficiarij non priuantur diſtributionibus quando veniunt ad chorum ante finem primi Pſalmi.*

Vnde qui ante finitum Pſalmum primum adfuerit, non peccabit, niſi venialiter, imò nec venialiter quidem ſi iuſta cauſa adfuerit. Quòd ſi quis propoſuerit ſemper in ſingulis abeſſe vſque ad finem primi Pſalmi, non excuſabitur à peccato mortali, quia grauiter detrahit officio Chori, ſecus eſſet ſi quis ſæpius ſub initium Horarum abeſſet ex infirmitate vel negligentia, abſque deliberata illa voluntate ſemper Chorum fraudandi.

22\. *Non tamen ſequitur ſemper peccare beneficiarios mortaliter, quoties vltra primum pſalmum abſunt.*

Nota ſecundò, non rectè tamen hinc inferri peccari mortaliter à Beneficiarijs quoties cantum vel præſentiam ſuam Choro ſubtrahunt, maiori parte, quàm ſit illa, quæ omitti poteſt ſine iacturâ diſtributionum, quia mulcta diſtributionum non eſt certum argumentum admiſſi peccati lætiferi, cùm illa etiam, vtpote leuior, ob peccatum veniale infligi poſſit. Cauendum tamen ne hac ratione quis crebrò à Choro abſit putans culpam excuſari amiſſione diſtributionum, quia facilè poteſt ſubeſſe periculum peccati mortalis ratione ſcandali, & mali exempli, perturbationis aliorum, præſertim verò ſi per hoc Diuinum Officium minus dignè celebretur.

CAPVT XX.

Vtrum omiſſione ſeptenarij Horarum ſeptem vel vnum tantum peccatum mortale incurratur.

1\. *In graui parum refert an omiſſione 7. horarum committi dicatur vnum an 7. peccata mortalia, quia in confeſſione explicandum quot horæ fuerint omiſſæ.*

Qvamuis quæſtio hæc magnam partem ſpectet ad Theoriam cùm in ordine ad praxim parum referat, ſiue ſeptem, ſiue vnum peccatum committi dicatur, quia neminem Doctorum puto negaturũ, quin in confeſſione explicandum ſit, quot Horæ fuerint omiſſæ, & ſaltem circumſtantia ſit ſupra modum aggrauans, plures Horas neglexiſſe; tamen, quia vt ſuprà vidimus & inferiùs demonſtrabitur, hæc res etiam ad negotium morale pertinet, breuiter pertractanda eſt.

2\. *Communis ſententia eſt vnum committi peccatum 7. horarum omiſſione, ſiue penſo diurno.*

Concluſio prima. Communis opinio Doctorum eſt, in omiſſione ſeptem Horarum vnum tantùm admitti peccatum, licet grauius peccetur pro numero Horarum omiſſarum, vt conſtat ex Syluestro V. *Hora* q. 12. dicto 6. & Nauarro ſuprà cap. 7. n. 6.

Ratio eorum eſt, quia præceptum de legendis quotidie Horis Canonicis, ſolùm eſt vnicum præceptum generale (quia ſingulæ Horæ non præcipiuntur particularibus præceptis) habens pro obiecto ſuo adæquato ſeptem orationes, quas Horas vocamus, licet conſtent partialibus orationibus; Vnde vnicum in omnium omiſſione committitur peccatum, licèt virtute ſeptuplex, ſicut, ſi quis furetur vno actu centum aureos, vnicum eſſet furtum, ſed virtute multiplex. Porrò aliud

Digitized by Google

aliud eſt de officijs diuerſorum dierum, quia illa ſunt miniſteria planè diſtincta, cuius rei indicium eſt, quòd obligatio cuiuſcumque Horæ canonicæ alligatur diei ſuo, & illo durante impleri poteſt, finito verò illo ceſſat, nec continuari poteſt cum officio ſequentis diei.

3. *Peccatum hoc ſolùm incurritur in fine diei naturalis, ſimiliter & cenſura ſi lata fuit in non legentes horas.*

Peccatum etiam hoc omiſſionis externum ſolum conſummatur in exitu diei naturalis, non ante: & ideo cenſuram latam in omittentes Horas non incurret quis ante diei finem: imò qui ſolùm Horam vnam recitaret ſub exitum diei excommunicationem in omnes Horas non recitantes non incurreret, quia cenſura illa niſi aliud exprimatur, cenſetur lata in eos, qui omnes Horas negligunt, adeóque de peccato conſummato & perfecto. Qui autem totius diei officium neglexerit, ſolùm in vnam incidet excommunicationem, non plures, quia ſolùm vnicum præceptum præuaricatus eſt.

4. *Imò qui omittit horas tempore diſcretas non committit niſi vnicum peccatum omiſſionis externum.*

Conſequenter docent illum, qui prætermiſit Horas illas tempore diſcretas, & non immediatè ſe ſubſequentes non peccare, niſi vno peccato externo omiſſionis, v. g. qui lecto Matutino omittit Sextam lectis ceteris intermedijs, & rurſus omittit Veſperas perſoluto Completorio, ſolùm ſemel peccat peccato omiſſionis: quia licet omittat Horas illas pro tunc, non tamen abſolutè omittit vel omittere cenſetur niſi ſub diei naturalis finem, quod inde conſtat, quia ſi ſub illius exitum Horas illas omiſſas legat, præceptum externum quoad ſubſtantiam impleuit, & cenſetur non omiſiſſe, niſi per voluntatem & incompletè, non verò re ipſa & perfectè.

5. *Probabilis eſt aliorum ſententia tot cõmitti peccata, quot horæ omittuntur.*

Secunda concluſio. Etſi hæc communis ſententia videatur in rigore vera, nihilominus probabilis etiam eſt aliorũ, qui tenent tot committi peccata in prætermiſſione Horarum quot Horæ omittuntur. Ita ex antiquioribus Tabiena V. *Hora* q. 18. ex recentioribus verò Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 37. dubit. 9. n. 53. Ratio eſt, quia ſingulæ Horæ ſunt precationes diuerſæ, inde vocatæ Horæ, quòd diuerſis horis ex ſua prima inſtitutione ſint perſoluendæ, quarum ſi vnam dumtaxat omittas, peccatum mortale incurris. Deinde videntur ſeptem eſſe præcepta ſaltem virtute diſtincta, quia orationes à ſe multum diuerſas iniungunt, quarum vna ſine altera impleri poteſt. Sic præceptum de ieiunio quadrageſimali continet quadraginta dierum ieiunia, quorum vnum ſeruari poteſt prætermiſſo altero. Nec refert quòd præcepta hîc multiplicentur per quadraginta dies diuerſos, & ibi ſolùm per horas, quibus etiam ſub finem, vel principium vel medium vnius diei naturalis poſſis ſatisfacere, quia hoc non arguit obligationem vnius præcepti. Cùm enim poſsis pluribus præceptis vno tempore eodem actu ſatisfacere, multò magis poteris diuerſa præcepta diuerſis officijs & precationibus diſtinctis, tempore non eodem, ſed continuato tantùm implere.

6. *Quæritur, an ſicut iuxta cõmunem ſententiam tantùm vnum peccatum eſt externum omiſſionis omittere plures horas, ita etiam ſit vnum peccatum in voluntate,*

Petes hîc, An ſicut iuxta communem opinionem tantùm eſt vnum peccatum externæ omiſſionis, etiamſi omittãtur omnes vel plures Horæ, quantũuis non immediatè ſibi connexæ, ita etiam ſit vnum peccatum internum in voluntate, etiamſi voluntas omittendi, nunc has, nunc illas, nunc omnes ſæpius per diem facta morali interruptione iteratur.

Reſpondeo. Cenſent communiter DD. latum diſcrimen hîc eſſe inter omiſſionem Horarum externam, & omittendi illas voluntatem. Illa enim, quamuis vnius diei Horas omittas, vnicum ſolùm peccatum eſt, hæc multiplex pro numero volitionum renouata-

Digitized by Google

etiam ſi voluntas iteretur omittendi.

uatarum , quibus voluiſti vel omnes vel aliquas per diem vicibus moraliter interruptis omittere : quæ etiam peccata ſunt , quamuis poſtea mutatâ voluntate Horas recites. Vide Nauarrum ſuprà c. 7.n.6.& ſequent.

7. *Reſponſio eſt, multiplex eum peccare in voluntate ſi ſæpius renouetur.*

Dixi hunc eſſe communem ſenſum DD. quia ſunt aliqui ,qui probabiliter tenent non videri multiplicari peccata pro numero volitionum internarum, eò quòd illę cenſeantur continuari ſuo modo in externa omiſſione , quæ vnicum peccatum eſt. Vt enim deſideria & propoſita,quæ quis ſæpius reaccendit,cùm furioſo impetu fertur ad hoſtem ſuum interficiendum non ſunt niſi vnum peccatum quia continuatur in externa inchoatione homicidij ; ita etiam cenſeri poterunt , omnes illæ intentiones Horas illas omittendi vnum numero peccatum , quia continuantur in illa externa omiſſione , quæ ſolùm completur ſub finem diei naturalis.

8. *Probabilis tamen eſt opinio aliorum, qui putant non multiplicari peccata pro numero volitionum, eò quòd cenſeantur continuari in omiſſione externa.*

CAPVT XXI.

An Beneficiarius ſacris initiatus Horas omittens dupliciter peccet contra Iuſtitiam & Religionem.

1. *Peccat duplici peccato beneficiarius in ſacris horas omittens.*

RESpondeo ,cum Thoma Sanchez lib. 9. de Matrimonio diſput 15. num.6. duplex committere peccatum, adeoque in confeſſione vtrumque exprimendum,videlicet Horas ſe omiſiſſe,ad quas duplici ex capite Ordinis videlicet & Beneficij aſtrictus erat. Ratio eſt, quia peccatū illud repugnat duabus virtutibus , Religioni quidem, quatenus ratione Ordinis ſacri tenetur cultum quotidie per precationes canonicas Deo exhibere; Iuſtitiæ verò,quia ratione Beneficij obligatur ad officium Horarum præſtandum, cum Beneficium propter illud detur. Vnde in tali Horarum omiſſione manifeſtè apparet duplex malitia ſpecie diuerſa.

Aduerte tamen Leſſium lib. 2. de Iuſtitia c. 37. dubit. 9. docere ex Henriquez lib. 5. de Pœnitentia cap. 5. num. 6. tamquam probabile,non committi illa omiſsione niſi vnum peccatum , ſi videlicet ſolùm vno atque altero die Horæ omittantur. Et ratio eſt , quia licet ſit graue peccatum in quantum eſt contra Religionem , eò quòd Officium , vt eſt cultus Religionis,ſit quid notabile; quatenus tamen illud eſt contra Iuſtitiam vna aut altera omiſſio non cenſetur magnum damnum in ſuo genere adferre. 2.

Probabile tamen eſt ſolùm peccare contra religionem ſi ſolùm die vno aut altero horas omittat.

CAPVT XXII.

Vtrùm Eccleſiæ præceptum impleatur Preces Canonicas alternis pſallendo publicè vel priuatim; Item quid in alternatione ſeruandum.

OMiſſis ijs, quæ libro ſuperiore de antiquitate & fructibus alterni cantus commemorata ſunt ;ſolùm hîc quærimus , an obligatus ad penſum Horarium perſoluendum ſatisfaciat ſuo muneri,ſi hac alternatione in pſallendo vtatur. 1.

Concluſio. Certum eſt lege Horas pſallendi aſtrictos integrè officio ſuo publicè & priuatim ſatisfacere , cùm alternatim canonicam pſalmodiam frequentant. Conſtat ex antiquiſſima & receptiſſima omnium Eccleſiarum conſuetudine , quæ optima eſt legum interpres , imò ex ipſa fermè prima inſtitutione & incunabilis Eccleſiaſticæ hymnodiæ : ſic enim à temporibus Apoſtolorum fermè ſemper & vbique Officium Diuinum publicè peractum eſt, Sic caritas omnia facit communia,& per alium dicere cenſetur, 2.

Alternis pſallentes publicè & priuatim ſatisfaciunt.

fertur, quod quiſque audit. Dubium autem non eſt, quin vſum & modum publicæ pſalmodiæ clerici priuatim etiam ſequi poſſint, cùm illa norma ſit & exemplar priuatæ orationis. Solùm ſupereſt paucas quæſtiunculas de modo & ratione in alternatione ſeruanda proponere, & ad eas breuiter reſpondere.

4. Quæritur ſecundò, an licitum ſit alias etiam orationes ex voto vel pœnitentia impoſitas alternatim dicere.

Primò ergo quæritur, An cùm ex voto vel Confeſſarij præcepto, ſeptem Pſalmi Pœnitentiales vel Roſarium B. Virginis recitandum eſt, licitum ſit hac alternatione, adhibito ſocio, vti.

5. Reſponſio eſt affirmans.

Reſpondeo. Ex communi Doctorum conſenſu licere: tum quia niſi alia fuerit vouentis, vel Confeſſarij mens, quod rariſſimum eſt, videntur orationes illæ recitari poſſe ad normam officij Canonici: tum quia hoc pacto vel ex æquo, vel interdum melius aſſequi poſſumus finẽ & fructum noſtrarum precationum, quàm ſi ſoli legeremus. Adde cenſeri nos illud recitare quod ſocio recitante audimus. Ita Azor. lib. 10. de Iuſtitia. cap. 7. quæſt. 10. Leſſius & alij. Vide de modo hoc recitandi Roſarium Franciſcum Suarez lib. 3. de Orat. c. 9. in digreſſione de Roſario, & ante eum Nauarrum capite 10. Enchir. de Oratione à numero 19. vſque ad 36. partim in Miſcel. de Orat. Miſcel. 32.

6. Quæſtio ſecundo, an in pſalmodia qui ex aduerſa parte cantantes audiunt, teneantur ſubmiſſa voce quod alij canunt recitare.

Quæritur ſecundò, An in publica pſalmodia teneantur illi qui ex aduerſa parte cantantes audiunt, ſubmiſſa voce, id quod alij canunt, recitare.

7. Reſponſio negatiua: quinimo ſatius cum ſilentio alios audire.

Reſpondeo nullo modo, ſed ſatis faciunt abundè, ſi alios ex oppoſito Choro canentes attentè auſcultent. Nec hac de re dubitari poteſt cùm hæc ſit antiqua Eccleſiæ inſtitutio à temporibus Apoſtolorum confirmata, ratione ſtabilita, vſu virorum præſtantium ſanctitate frequentata. Imò ſecretò tunc ſecum muſſare, & murmillare nullo modo conuenit: quin potiùs ſæpe furtiua illa ſubmurmuratione, & Diuini officij recitatione peccatur, vt oſtendit fusè Nauarrus Enchir. de Oratione cap. 10. numero 45. Et ratio eſt, tum quia non ſeruatur antiqua inſtitutio pſallendi Diuinum Officium, quæ eſt, vt alternis vna pars Chori canat, altera verò attendat; tum quia contingere ſolet huiuſmodi muſſitatio cum aliqua perturbatione, non ſolùm aſtantium, dum per illam minus capere poſſunt, quæ ab alijs canuntur, ſed etiã ipſorum hoc modo legẽtium, dum, nec cantum aliorum plenè percipiunt, nec ſe ipſos perfectè intelligunt. Vnde niſi iuſta cauſa, neceſſitas, bona fides, vel ignorantia excuſet, & aliorum perturbatio vitetur, facilè peccatum veniale committetur hac priuatã muſſitatione, licet præcepto Eccleſiæ de Horis legendis ſatisfiat, imò etiam officio Chori, quia priuata recitatio illa, attentionem debitam non impedit: ſuppono enim huiuſmodi, poſtquam priuatim penes ſe recitauit attentionem ab officio Chori non ſubtrahere. Sicut enim tenetur attendere dum ſuæ partis verſus canit, ita dum ab alia parte Chori canuntur; quòd ſi voluntariè diſtrahatur, muneri Chori non ſatisfaciet, & proinde peccabit, ſicut peccant Beneficiarij, qui ex conſuetudine ſolâ ſuâ præſentiâ officio Chori ſatisfaciunt, etſi nihil canãt, ſi ibidem ſine attẽtione neceſſaria adſint. Nam ſicut in priuata recitatione neceſſaria eſt attentio, ita etiam in publica, ita vt, ſiue vnam partem cantes & alterã auſcultes, ſiue præſens vtramque ſolùm audias, ſemper obligeris per omnia attendere, vt cenſearis non ſolùm ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ de Horis recitandis, ſed etiam Chori publicum officium, ad quod obligaris, præſtitiſſe.

Nota

8. *Non reprehendendi qui dum lectiones leguntur Breuiarium apertum tenent vt melius ſenſum capiant.*

Nota tamen non omnino reprehēdūdos eos, qui cùm in Choro lectiones ex Anagnoſterio ſeu pulpito cantantur, Breuiarium ante ſe apertum tenent, vt melius ſenſum percipiant, hoc enim vitio vertendum non eſt, niſi fortè alij ex hoc turbentur, quod rarum eſt.

9. *Alternatio non ſolùm locum habet in Pſalmis ſed etiam in lectionibus, Antiphonis & alijs.*

Nota ſecundò; Non ſolùm alternationem locum habere in cantu pſalmorum, ſed etiam aliarum partium Eccleſiaſtici Officij, ſiue ſint Lectiones, ſiue Reſponſoria, ſiue Antiphonæ, ſiue Collectæ; ſatisfacit quippe abundè, dum quis illa per ſe canit, vel modo in Choro recepto cantari audit, ſiue ab vno, ſiue à duobus, ſiue à pluribus canantur.

Quæritur tertiò, An ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto Beneficiarius, vel in Sacris Conſtitutus, ſi preces Horarias recitet alternis cum ſocio, qui ſolutus eſt lege Horas recitandi.

10. *Quæſtio 3. an ſatisfaciat is qui horas legere tenetur, ſi cum ſocio legat, qui ad eas non tenetur.*

Reſpondeo; certum eſt ſatisfacere. Sic enim habet vſus piorum. Videmus enim in Choro cum ſacerdotibus ſępe cantare laicos ſtipendiarios, priuatim verò cum Beneficiarijs legere ipſorum alumnos aut famulos. Accedit etiam perſpicua ratio; quando enim fas mihi eſt, per alium obligationem meam implere, poſsū illud præſtare non per obligatum, vt conſtat. Sufficit enim vt ipſe diſtinctè pronunciet, vt percipiat, quæ recitat. Vnde non tenetur ipſe ſub mortali mentem attentam adhibere his, quæ legit, vt rectè Suarez cap. 25. num 2. dummodo operam det, vt ſine errore ſingula proferat, & res eſt clara, ſiquidem nec Eccleſia nec ſibiipſe impoſuit hanc attendendi obligationem. Ego verò poſſum ſubmiſsè proferre, quamuis ſocius nihil percipiat, vel ſolùm vltimas ſyllabas verſiculi audiat, vt ſciat ſe debere in recitando ſubſequi; quia nullo præcepto audire tenetur.

11. *Reſponſio affirmatiua.*

12. *Petitur an ſocius qui ad horas non tenetur dum recitat, teneatur ſaltem habere intentionem orandi.*

Dubitari verò poteſt, An talis ſaltem obligetur ad intentionem orandi ratione iſtius cooperationis ad alterius orationem.

Supponit Suarez ſuprà debere. Mihi verò probabile videtur ad hoc non teneri (licet hoc illi omnino ſuadendum ſit; quo ſuppoſito, etiam tenetur ſub peccato veniali attendere) quia, vt iam dictum eſt, ſolùm requiritur ex parte ipſius, vt apertè ſingula verba efferat, alter verò qui pſallere obligatur, omni obligatione liberatur partem ſuam cum attentione, & intentione orandi pronunciando, alteriùs verò partem cum ſimili attentione & intentione auſcultando.

13. *Probabile eſt ad hoc non obligari.*

Quæritur quartò, An cùm quis cum tribus vel quatuor ſocijs recitat, teneatur ad omnes ſimul, an verò ſufficiat ad vnum eorum tantum animum aduertere.

14. *Quæſtio 4. an cum quis recitat cum tribus vel 4. teneatur omnes ſimul audire, an vero ſufficiat ad vnum eorum tantum aduertere.*

Reſpondeo, vtroque modo poſſe ſatisfacere ſiue omnes ſimul, ſiue vnum ſolùm audiat, id enim arbitrarium eſt: quamuis in praxi difficile ſit, vel in choro dum canitur, vel in oratorio, dum recitatur, ſic aures mentemque adhibere ad vnius verba, quin ſimul etiam aliorum audias, dummodo æquè clarè cantent, vel pronuncient.

15. *Reſpondetur, ſatisfacere ſiue vnum ſolùm ſiue omnes ſimul audiat.*

Hinc infertur eum, qui cum duobus vel ſaltem cum vno ex parte Chori ſui recitat, poſſe ſubmiſſè, ita vt etiā pars aduerſa eum non audiat legere. Sufficit enim, vt alij ipſi aſſociati, vel vnus eorum altè & clarè pronunciet, vt pars aduerſa ſaltem vnum, eorum intelligat.

16. *Sufficit hic vt vnus audiatur, vnde poſſunt alij ſubmiſſe, ſi velint recitare.*

Quæritur quintò, Quis ritus ſeruandus ſit & ordo cùm priuatim officium à pluribus recitatur.

17. *Quæſtio 5. quis ordo in recitando ſeruādus, vbi priuatim à pluribus dicitur.*

Reſpondeo primò, Ritum illum & ordinem ſeruandum, qui ſeruatur in Choro, niſi alia fuerit piorum conſuetudo.

Reſpondeo ſecundò, Non poſſe vnquam

Digitized by Google

quam in hac alternatione conſtitui duos Choros; vnde ſi tres ſimul recitent ſocij, duo tantùm Chori faciendi ſunt, ita vt vnus ab vna parte, duo ab altera recitent. Si quatuor ſimul, bini & bini viciſſim legant, vel vnus hinc, tres verò illinc, & ſic conſequenter de pluribus. Ita enim ab initio habet vſus Eccleſiæ.

18. Reſponſio, niſi ſeruandus foret ritus qui in choro ſeruatur.

19. Non poſſe ſunt vnquam inſtitui niſi duo chori.

Reſpondeo tertiò, Hoc potiſſimùm intelligendum eſſe de Pſalmis, Verſibus, Hymnis &c. Vbi locum habet maximè hæc viciſſitudo in recitando, & audiendo. Lectiones enim poſſunt ab vno & quidem eodem, ſi ita libuerit, omnes recitari, ſiue duo ſimul conueniant ad orandum ſiue tres, quatuor, vel plures; ſic enim in Choro lectiones ab vno cantantur ceteris audientibus. Poſſunt tamen (nam ſic habet multorum vſus) etiam lectiones viciſſim dici, nunc ab vno, nunc ab altero; non verò à pluribus ſimul (hoc enim non conuenit) ita vt quiſque ſuo ordine viciſſim dicat, ſiue duo in vnum concurrant, ſiue plures Capitula & Collectæ dicuntur ab vno tantùm, Oratio Dominica, & alia, quæ ſecretò proferuntur à ſingulis ſubmiſſè pronuncianda ſunt. De Antiphonis proferendis diuerſè ſentiunt DD. an videlicet, cùm integræ dicuntur ab omnibus ſimul recitandæ ſint, an verò ſucceſſiuè, nunc ab vna parte nunc ab alia. Vterlibet modus ſeruari liberè poteſt. Priorem probat Roſella, & hic ordinariè in Choro ſeruatur, non tamen vbique: alter probatur à Nauarro, Syluestro, Azor, Suarez & alijs, & videtur, valde commodus, poteſtque etiam ſeruari in Reſponſorijs & Verſiculis. Grata enim in omnibus ferè diuini officij partibus eſt hæc viciſſitudo, iuxta illud, *Amant alterna Camœnæ.*

20. Maximè habet alternatio locum in Pſalmis, & alijs quibuſdam, lectiones enim poſſunt omnes ab vno & eodem recitari, ſi ita placeat, vel etiam viciſſim nunc ab vno, nunc ab alio: in reliquis ſequenda ratio chori publici.

21. Antiphonæ vel dicuntur ſimul ab omnibus vel alternis vt Pſalmi.

CAPVT XXIII.

An Beneficiarij partem ſuam non cantantes in Choro, ſed ſubmiſſè tantùm recitantes officio ſuo ſatisfaciant, & an ſic lucrentur quotidianas Diſtributiones.

Concluſio prima, Quicumque Beneficiarius Choro addictus ſolummodo partem ſuam in ordine ſubmiſſè recitat, non verò canit, etſi impleat præceptum de dicendis Horis Canonicis, & ideo fructus Beneficij, quos groſſos vocant, ſuos faciat; non tamen præſtat miniſterium debitum chori ad quod ex Officio & deputatione tenetur.

1. Beneficiarius Choro addictus in ordine ſuo, non canens ſed tantùm ſubmiſſè recitans, præceptum implet de horis dicendis & fructus beneficij groſſos facit ſuos, non tamen præſtat officium chori ad quod tenetur.

Prior pars videtur certa, nam vnam partem Horarum cantari in Choro audit, alteram penes ſe totam recitat. Ergo. Ita Tabiena V. *Hora* q. vltima.

Poſterior pars eſt Caietani tum 1. tomo Opuſculorũ tract. 31. Reſponſ. 8. tum in ſumma V. *Hora*, numero 15. vbi tamen addit, conſuetudinem poſſe hunc rigorem mitigare, ſi inter viros timoratos alibi talis vigeat. Eandem tenet Nauarrus Enchir. de Oratione cap. 10. num. 47. & c. 11. n. 42. & alibi, Armillia V. *Hora* num. 22. Azor. lib. 10. c. 11. q. 5. & alij plerique omnes.

2. Poſterior pars concl. probatur auctoritate.

Probatur primò, ex C. *Si quis presbyter*, diſt. 92. vbi ſic habetur: *Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus ad quotidianum pſallendi officium matutinis vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponatur à Clero, &c.* Vbi non ſolùm præcipitur, vt conueniant ad Eccleſiam, ſed etiam ad officium pſallendi, id eſt, vt pſallant, ad quod ex officio tenentur. Nam ad pſalmodiam deputati ſunt,

3. Prob. eadem ex Iure.

Confirmat Nauarrus ex ſtatuto Eccleſiæ Gallicanæ, titulo quomodo diuina officia ſint dicenda. *Cùm*, inquit, *pſallendi gratiâ ibi conueniant, muta aut clauſa labia tenere non debent, ſed omnes, præſertim qui maiore funguntur honore, in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.*

5\. *Probatur ex Trident.* Probatur ſecundò, ex iure nouo Concilij Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. Vbi loquens de Canonicis & alijs Beneficiarijs Choro deputatis, hæc habet. *Omnes diuina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti aſſiſtere & inſeruire, atque in Choro ad pſallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteque laudare.*

6\. *Rationes Caietani & Nauarri non omnino probantur.* Plures rationes ad hoc probandum congerit Caietanus ſuprà, quas ſequuntur Nauarrus & alij. Sed nimium videntur poſtulare, ſcilicet huiuſmodi Beneficiarios non cantantes ſuam partem non recitare integrum officium, nec implere præceptum de Horis dicendis, quod eſt contra communem ſententiam. Sic ergo argumentatur Caietanus. Qui in Choro recitat, debet implere præceptum de Horis recitandis per reciprocam communicationem, quod hîc non fit. Licet enim alij communicent illi ſuam partem quam canunt, ſuam tamen partem viciſſim illis non impertit, quia illam ſibi ſoli ſubmiſsè recitat.

7\. *Reijcitur ratio Caietani.* Cæterùm ſi hæc ratio vera eſt, ſequetur nulla conſuetudine induci potuiſſe (quod tamen eſt contra Caietanum & Nauarrum ſuprà) vt Canonici & alij Beneficiarij Choro addicti, ſubmiſſa in Choro recitatione præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe cenſeantur, quia nulla conſuetudo abolere poteſt obligationem recitandi integrum officium canonicum in Beneficiarijs. Vnde ratio hæc nullo modo concludit Beneficiarios tales non recitare, integrum officium canonicum, cum partem illius audiant, partem verò ſubmiſsè recitent; ſed ſolùm ſequitur illos non communicare alijs ſuam partem, quia non canunt, quod verum quidem eſt, ſed impertinens ad integritatem officij, cùm quidam ab ipſorum parte canant, & illos alij audiant, & ſic omnes officium alternis recitent. Non enim neceſſaria eſt communicatio mutua inter omnes etiam in cantu, vt ab omnibus cenſeatur integrè perſolutum officium.

Ratio ergo vera, quæ in iure præſupponitur, hæc eſt: eò quòd fructus, & bona Eccleſiaſtica conferuntur Beneficiariis, non ſolùm, vt præſentiâ ſuâ Chorum exornent, & diuinum officium moderentur, ſed etiam vt voce graui, diſtincta, & clara Deum laudent: eſtque hæc prima Canonicatuum & Beneficiorum inſtitutio. Vnde ſi hoc primarium munus ſuum negligant contra iuſtitiam peccant, & ſubinde mortaliter ex ſuo genere: quod quomodo intelligendum ſit dictum eſt primo capite huius libri, & hîc etiam explicabitur. 8. *Adfertur vera ratio.*

Secunda concluſio, hinc ſequitur iure communi, & multarum Eccleſiarum ſpeciali, Beneficiarios in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis non acquirere ius in quotidianas diſtributiones niſi ſimul cum alijs ſuo ordine pſallant. 9. *Iure communi beneficiarij non acquirunt ius in diſtributiones niſi cum alijs canant.*

Eſt certa, & tenent Caietanus, Nauarrus & alij ſuprà. Et probatur primò, quia diſtributiones conſtitutæ ſunt tanquam ſtipendium quoddam eorum, qui non tantùm præſentes ſunt in Choro tempore diuini officij; ſed etiam qui in eodem pſalmodiam communem obeunt: ſicut parocho ſua portio ex ritibus Eccleſię ſoluitur, non quia parochiæ ſuæ adeſt, ſed quia Sacramenta & pabulum diuini verbi populo adminiſtrat. 10. *Probatur rationibus.*

Pro-

11\. Probatur ſecundò ex Caietano & Nauarro ſuprà: Vt Beneficiarij ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de Horis dicendis quoad lucrandas diſtributiones, non ſatis eſt vt ſubmiſsè in choro recitent partem vnam, & alteram audiant; ſed debent orationem ſuam, etiam oppoſito Choro communicare: Atqui hoc fieri non poteſt, niſi per claram recitationem vel per cantum, prout habet cuiuſque Eccleſiæ vſus: Ergo qui non clarè pronunciant vel pſallunt, non implent præceptum Eccleſiæ, quoad ſeruitium choro debitum, & conſequenter non acquirunt ſibi diſtributiones.

12\. *Dictum noſtrum moderatur Suarez vt ſolum locum habeat pro parte media diſtributionum, quia altera media videtur illis tribuenda ratione præſentiæ.*

Aduerte tamen Franciſcum Suarez ſuprà cap. 12. num. 10. concluſionem noſtram moderari, vt ſolùm locum habeat in parte dimidia diſtributionum ſiue ſportularum, quæ miniſterio cantus reſpondent: Hanc enim ſuam non faciunt, qui vocem ſuam Choro ſubtrahunt; licet altera dimidia Eccleſiaſticorum donatiuorum meritò illis tribuenda videatur ratione ſuæ præſentiæ, quâ & Dei cultum augent, & Choro decus aliquod addunt, ſimulque diuinis laudibus intendunt. Diuidit enim ipſe, æs manuarium, quod ſingulis Beneficiarijs appenditur in duos ſemiſſes, quorum vnus ſoluatur Canonicis & alijs Beneficiarijs præſentiâ ſuâ officium diuinum honeſtantibus; alijs verò voces ſuas communi pſalmodiæ adiungentibus.

13\. *Probabile eſt Canonicos in Eccleſijs, vbi ex prima fundatione vel aliter, officium per vicarios, venitur ſe-*

Concluſio tertia: Probabile tamen eſt Canonicos in Eccleſijs, vbi ex prima fundatione, iuſta conſuetudine, vel lege per vicarios aut ſacellanos diuinum officium pſallitur, ſola præſentia ſua poſſe Eccleſiaſtica diaria, & diſtributiones ſibi acquirere.

Ita plures hoc tempore DD. Petrus Nauarra lib. 22. de Reſtitut, c. 2. num. 217. Leſſius lib. 2. de Iuſt, c. 34. dubit. 33. Imò auctores ſuprà citati in idem propendent. Caietanus V. *Hora*, ſub finem, cùm ait; *Si tamen intelligerent, quod viri timorati conſueuerunt ſic facere (ſcilicet ſuam partem non cantare, ſed ſubmiſſè legere) dicerem quod conſuetudo bonorum optima eſt legum interpres, tantò magis, quantò maiores in choro non debent cantare, ſed meditari quæ ab inferioribus cantantur.* Nauarrus Miſcel. 79. de Orat. loquens de conſuetudine quarumdam Eccleſiarum, in quibus ſportulæ quotidianæ lucrifiunt ab habentibus dignitates, quamuis ſolùm verſus ſuos ſubmiſsè recitent ſine cantu. ſic ſubdit num. 2. Quare meo iudicio non poteſt defendi conſuetudo præfata Eccleſiarum prædictarum, niſi priuilegio ſedis Apoſtolicæ, vel ſtatuto ab ea confirmato, vel conſuetudine rationabili legitimè præſcripta. Azorius etiam & Suarez & alij, cenſent hanc ſententiam probabilem.

La præſentia poſſe diſtributiones lucrari.

14\. *Ita plures Doctores.*

15\. *Prob. ex Bulla Pij V.*

Probatur primò, Quia Pius V, conſtitut. ſua, quæ incipit *Ex proximo Lateranenſi Concilio* (quam refert Nauarrus tum in Enchir. confeſſ. cap. 25. n. 122. tum in Enchir. de Oratione cap. 7. n. 32. (apertè meminit huiuſmodi fundationum, ſtatutorum, & conſuetudinum, cùm ait; *Tametſi aliquis Choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones fortè aliter aſſignatas ſolâ præſentiâ, iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat*, &c. quod etiam obſeruauit Nauarrus Enchir. de Orat. c. 10. n. 47. & alij. Cùm ergo Pontifex ibi meminerit iſtarum conſuetudinum, & ſtatutorum, nec reprobet; tacitè nobis innuit non eſſe iniuſtas, & contra rationem, Licet quidam putent Pontificem eaſdem reprobare & ſtatuere, vt impoſterum recitantes, & non pſallentes, ſolùm præſentes fructus amittant, quos lucrifeciſſent, ſi cantaſſent. Sed verba, quæ ante produxi, hoc non ſignificant.

Nec etiam improbat eaſdem Tridentinum

16\. *Conc. Trid. non improbat illam conſuetudinem.*

dentinum ſeſ. 24. cap. 12. dum ſolam exigit præſentiam, ad ſibi ſportulas comparandas, cùm, inquit, *Diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant.* Rurſus ſeſ. 27. cap. 3. præcipit tertiã partem fructuum Beneficiorum conuerti in Diſtributiones, quæ, inquit, inter Dignitates Obtinentes, & ceteros diuinis intereſſentes diuidantur. Vbi nulla mentio cantus, ſed ſolius aſſiſtentiæ, & præſentiæ.

17\. *Prob. ex C. conſuetudinem.*

Idem denique colligitur ex decreto Bonifacij VIII. quod citatur à Tridentino ſuprà ſeſ. 24. & habetur in 6. C. vnico, Titulo, de Clericis non reſidẽtibus in Eccleſia vel præbenda; vbi, loquẽs de diſtributionibus, quę Beneficia manualia vocat, hæc ſtatuit. *Statuimus, vt Diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac alijs Beneficiatis, & clericis Eccleſiarum ipſarum, qui ijſdem officijs in ipſis Eccleſiis adfuerint tribuantur, iuxta Eccleſiæ cuiuſlibet ordinationem rationabilem iam factam, ſeu etiam faciendam.*

18\. *Examinatur decretum Boniſ. VIII.*

Vbi duo pro hac ſententia notanda; primum quod ſtatuit diſtributiones tribuendas ijs, qui adfuerint nulla cantus facta mentione; alterum tribuendas iuxta rationabilem cuiuſque Eccleſiæ ordinationem. Sequitur ergo ſi rationabils Eccleſiæ ordinatio fuerit, vt præſentibus licet non cantantibus accreſcant, nihil fieri contra Decretum Pontificis.

19\. *Ratione oſtenditur potuiſſe beneficia ſic inſtitui vt quidam ſola præſentia lucrarentur diſtributiones.*

Probatur ſecundò, quia potuerunt huiuſmodi fundationes, conſuetudines, & ſtatuta, eſſe iuſta. Et de fundationibus quidem dubitari non poteſt: Cur enim ex pacto, & contractu cum Fundatoribus ſiue Rectoribus Eccleſiarum non potuerunt ſic Beneficia inſtitui, vt quidam ea poſſidentes diuinum officium canerent, & voce modularentur; Alij verò præſentiâ ſuâ condecorarent, grauitate moderarentur, auctoritate eidem pondus adderent, interimque modulantes alios auſcultarent, viciſſimque ſubmiſsè in ſuo Choro recitarent: Nihil enim hîc inuenitur vel iuri naturæ, vel poſitiuo repugnans: quia quilibet Beneficiarius præſtat obſequium, cui ex fundatione eſt addictus.

20\. *Vt conſuetudo hæc iuſta ſit debebit chorus inſtructus eſſe inferioribus Clericis qui pſallant.*

Quod verò pertinet ad conſuetudinem vel ſtatutum, vt hæc iuſta cenſeantur; neceſſarium in primis eſt, vt chorus inſtructus ſufficiẽter ſit inferioribus Clericis, qui cantorum & pſalmodorum munia ſuppleant, ne Dei cultus detrimentum patiatur, quod plerîſque in Eccleſijs Belgij videmus, vbi multitudo vicariorum, & capellanorum, præclarè defectui canonico rum non pſallentium ſubuenit, dum non ſolùm cantu plano, ſed etiam organico diuinas laudes modulantur; vnde ibi locum illud habere poteſt Caietani, *Debent maiores Clerici non cantare:* (ſcilicet cantu organico ſeu figurato) *ſed ea quæ ab inferioribus cantata ſunt, meditari.* Adde pleroſque canonicorum eſſe planè amuſos & voce abſona, vnde ſæpe præſtat eos bene tacere, quàm malè canere, ne illud vetus in eis locum habeat: *Anſer inter olores;* & iſtud; *Aſinus ad lyram.* Solet etiam huiuſmodi cantus peritiùs, ſuauiùs, & decentiùs per Vicarios, quàm per Canonicos peragi. Hinc vlteriùs verſimile eſt, ex Canonicorum præbendis deciſas eſſe portiones quæ hiſce Vicarijs & pſalmodis ſint attributæ, & ideo putandum eſt ab initio fundationis beneficiorum, ita Chorum fuiſſe temperatum, vt alij canerent, alij cantum ſuâ præſentiâ honeſtarent, & ſic cenſerentur vtrique ſuum munus impleuiſſe. Quod ſi de contraria fundatione conſtiterit, dicendum erit primam inſtitutionem per contrariam præſcriptionem fuiſſe mutatam. Vnde & ſecundo loco requiritur ad hanc conſuetudinem legitima præſcriptio annorum 40.

Poſtre-

21. *Statutum hac de re nouum, & probari debebit à Papa.*

Poſtremò ſtatutum vt ſit legitimum (ſi quidem modus ille cantandi per alios introducatur de nouo ·) debebit (vt rectè Nauarrus ſuprà aduertit) à ſede Apoſtolica approbari, quia derogat iuri communi, & ordinariè fundationi Beneficiorum. Deinde debebit eſſe iuſtum , vt ſuprà diximus de conſuetudine , vt ſcilicet Cantores in locum Canonicorum ſubſtituantur, qui pro dignitate diuinas laudes decantent, &c.

22. *Obiectio ex Trident.*

Dices, Tridentinum ſeſ. 24. cap. 12. ſtatuit Canonicos compellendos , vt diuina per ſe & non per ſubſtitutos officia obeant, atque in choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè , deuoteque laudent.

23. *Loquitur Trid. de Eccleſiis, in quibus ex prima inſtitutione Canonici per ſe canere ſolent.*

Reſpondeo primò Tridentinum loqui de Beneficiarijs illarum Eccleſiarum , quæ inſtitutæ ſunt iuxta tenorem iuris communis, hoc eſt, in quibus ex prima fundatione munus canonicorum eſt per ſe diuinas laudes voce modulari; non verò de alijs, in quibus ex primæua ſua origine, vel conſuetudine legitimè præſcripta onus Chori fuit diuiſum , & alijs quidem attributum miniſterium pſallendi , alijs ſuâ præſentiâ & auctoritate Eccleſiaſticum officium gubernandi.

24. *Adfertur explicatio Trident. ex reſponſis Cardinalium.*

Reſpondeo ſecundò, Illud *Omnes per ſe compellantur diuina obire officia , & non per ſubſtitutos*, intelligitur à congregatione Cardinalium explicationi Concilij Tridentini Præſidentium , quod debeant Miſſas, Euangelium , Epiſtolam, &c. per ſe canere, quòd etiam paſſim ſeruandum eſt; nō verò de officio Chori, de quo poſtea ſubditur , *In Choro, Hymnis & Canticis Dei nomen laudent*, &c. Quod etiam ab illis fit, dum reuerenter aſſiſtunt , per alios pſallunt , & ad eorum pſalmodiam cooperantur, componuntque vnum Eccleſiaſticum corpus, quod Deum , modo , quem Concilium præſcribit , celebrat. Ita ferè Suarez.

25. *Canonici compulſi vt per ſe canant, ſi non faciant peccant; quidem, ſed non videntur amittere diſtributiones.*

Nota hîc Concilium ſtatuere, vt per Epiſcopos, Præpoſitos , Decanos aut alios ſuperiores Canonici compellantur per ſe diſtinctè in Choro Deum laudare. Quod ſi compulſi non faciant peccabunt quidem , ſed tamen ex vi decreti Concilij Tridentini non videntur amittere Diſtributiones , vt rectè obſeruauit Franciſcus Zypæus lib. 3. Iuris Pontificij Noui, titulo de Clericis non reſidentibus, num. 28. quia decretum illud pœnam hanc ſuo præcepto non ſubiungit.

26. *Perniciosa & abuſiua ſunt decreta Eccleſiarum, quibus ſtatuitur, vt quis vna hora præſens lucretur totius diei diſtributiones.*

Nota ſecundò , Cum Beneficia manualia ſiue Diſtributiones ſingulis horis aſſignandæ ſint; conſtat ſtatuta quarumdam Eccleſiarum , quibus , qui ſemel in die, vel certis horis interfuerit, aliarum horarum, vel totius diei diſtributiones lucretur, eſſe pernicioſa, & iniuſta, eaque abuſiua declarat Concilium Baſilæenſe, Titulo, Quo tempore debeat quis eſſe in Choro §. tollens prorſus abuſum illum , quo in vna dumtaxat hora præſens totius diei diſtributiones vſurpat. Quis enim non videat huiuſmodi decreta , non dicam imminuere , ſed magna ex parte diuinum cultum abolere ? cùm è contra donatiua illa , & diſtributiones conſtitutæ , vt illis tamquam illecebrâ , & eſcâ quadam animi negligentium capiantur , & ad Chori officium prouocentur. Vide hunc abuſum perſtringentem Stephanum Durantum lib. 3. de Ritibus c. 25. n. 6. cuius abuſus etiam meminit Franciſcus Zypæus ſuprà num. 38.

27. *Tenentur ad diſtributionum reſtitutionem, qui abſentes à choro eas receperint.*

Nota tertiò, eos qui manualia Beneficia ſiue Diſtributiones receperint, cùm tamen diuinis officijs non interfuerint, nullâ iuſtâ cauſâ ſecundum ius excuſante, earum dominum non acquirere, nec facere eas ſuas , imò ad earum reſtitutionem teneri , conſtitu-

Digitized by Google

25. *Solutio.* Reſpondeo. Diſtinguendo Maiorem, requiritur enim in ſubdito voluntas obediendi, id eſt, opus quod præcipitur liberè & voluntariè exequendi, quæ vocatur obedientia materialis; Non verò neceſſarius eſt affectus, quo quis velit opus illud facere, quia à ſuperiore præcipitur, ſiue obedientia formalis.

26. *Quinta obiectio.* Poſtremò inſtant, Horarum recitatio cum voluntate illa præcepto contraria, fuit opus gratuitum & liberale. Ergo per illud non ſatisfactum eſt obligationi: Multum enim differunt opus obligatorium & liberale.

27. *Inſtantia.* Nec refert quòd quis poſtea voluntatem ſuam retractans velit per priorem recitationem ſatisfeciſſe: quia per illam relationem non fiet illa recitatio neceſſaria & præcepti impletiua, cùm actus præteritus non poſſit procedere ab illa poſteriore voluntate, nec ad illum detur potentia aut mutatio. Ergo tenebitur iterum recitare, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat.

28. *Solutio obiectionis.* Ad poſtremũ Reſpondeo Opus illud recitationis Horarum fuiſſe gratuitũ & liberale, reſpectu intentionis ipſius orantis; per ſe tamen & naturâ ſuâ ſiue ex conditione operis, ſicut fuit opus liberum, & voluntarium, ita etiam præcepti impletiuum, cùm ad præceptum implendum nihil illi defuerit: Non enim curat legiſlator, an ex deuotione, an ex obedientia opus fiat, modò fiat, & ſic acceptatur tacitè ab ipſo, vt opus, quo ſatisfit præcepti obligationi.

29. *Reſponſio ad inſtantiam.* Ad inſtantiam nihil eſt, quod reſpondeatur, quia pro nobis facit, qui dicimus per opus illud licet factum animo non ſatisfaciendi, nihilominus plenè præcepto factum eſſe ſatis, nec quempiam obligari ad idem iterandum.

Nota hîc non eſſe neceſſarium, vt quis cenſeatur habere voluntatem ſatisfaciendi præcepto, ab initiò habere 30.
intentionem illud implẽdi, quam poſt ea in decurſu non reuocet, quamuis hoc ſit conſulendum: ſed ſufficere ſi velit v. g. recitare Horas, vt ſolet; tum enim cenſetur habere propoſitum ſatisfaciendi, imò ſufficit ſimpliciter voluntas Horas orandi nullo expreſſo propoſito in contrarium exiſtente, quia talis voluntas virtute eſt præcepti impletiua: cùm naſcatur ex voluntate generali, quam prudens quilibet habet ſatisfaciendi ſuæ obligationi. Vnde qui inſcius vel immemor obligationis Horas recitat, verè implet præceptum Eccleſiæ, quia ſponte recitat, quod ſolùm præcipit Eccleſia, non verò vt ſcienter. Ita Azor ſuprà c. 12. q. 9. Idem eſt de eo qui Miſſam audit, ignorans vel non aduertens eſſe diem feſtum: implet enim præceptum, vt rectè Suarez lib. 4. de Orat. cap. 26. n. 6.

Vt quis cenſeatur habere voluntatem ſatisfaciendi præcepto, ſufficit ſimpliciter Horas v. g. legere nulla expreſſa intentione in contrarium exiſtente, quamuis etiam inſcius ſit ſuæ obligationis.

CAPVT XIX.

Quale peccatum committant qui Diuinum Officium ad quod tenentur publicè vel priuatim negligunt.

PRIMA concluſio. Communis DD. 1.
ſententia eſt omittentem ſeptem Horas Canonicas vel aliquam earum, etiam priuatim, peccare mortaliter, niſi iuſta cauſa excuſet. Vide Nauarrum cap. 7. Enchir. de Horis num. 5. Solus Richardus Anglicus dicit ſe non audere damnare peccati mortalis omittentem ex negligentia, ſecus ſi ex faſtidio diuini cultus, contemptu vel conſuetudine, quam opinionem Angelus V. *Hora* num. 10. dicit eſſe humaniorem, ſed ſicut iuxta illud Ariſtotelis, Vna hirundo non facit ver, ita nec

Qui omittit vnam horam Canonicam etiam priuatim mortaliter peccat, niſi iuſta cauſa excuſet.

vnus

Digitized by Google

vnus Doctor nulla ratione nixus facit ſententiam probabilem.

2. *Ratio probabilis concluſio.* Ratio ſumitur ex præcepti grauitate: quod eſt de actu Religionis, & diuini cultus; qui certis quibuſdam hominibus committitur cum obligatione vt nomine totius populi Deum laudent, & deprecentur. Vnde & quibuſdam ſtipendia ea de cauſa ſoluuntur, & exinde arctiùs obligantur. Denique quælibet Hora Canonica per ſe ſola materia eſt ſatis grauis, vt ſit capax obligationis ſub mortali. Poſtremò c. *Clericus victum*, diſt. 91. iubetur Clericus Officium hoc negligens excommunicari (excommunicatio verò non irrogatur niſi ob peccatum mortale, c. *Nemo Epiſcoporum* 11. q. 3.) & c. 1. de celeb. Miſſ. præcipiuntur dici omnes ſeptem Horæ Canonicę, quod pręceptum eſſe ſub mortali patet ex cap. *Dolentes*, eodem.

3. *Soluitur obiectio.* Nec refert, quo titulo quis obligetur ad preces recitandas, Beneficij an Ordinis &c. quia ex quolibet hæc ſtricta obligatio oritur: ita tamen, vt qui pluribus titulis eas ſoluere compellitur, grauiùs peccet ceteris paribus, vt, qui pluribus potitur ſacerdotijs grauiùs delinquit, quàm vnicum tantùm poſſidens Beneficium aut ſimplex Sacerdos.

4. *Grauiùs peccatur ſi publica pſalmodia negligatur.* Secunda concluſio. Grauius etiam peccatum admittitur, ſi publica pſalmodia in choro negligatur, vbi ea eſt obligatio: quæ culpa primò reſidebit in eccleſię rectore; deinde verò in illis, per quos ſtetit, quo minus Horariæ preces in choro peragerentur. Non eget res hæc vlla probatione, cùm ſatis conſtet Dei cultum, populumque Chriſtianum maius damnum ſubire ex prætermiſſione Diuini Officij in choro, quam ex priuati cuiuſlibet negligentia clerici vel ſacerdotis.

5. *Peccat etiam mortaliter, qui partem Horæ notabilem negligit.* Tertia concluſio. Non ſolùm peccat mortaliter qui integram Horam Canonicam omittit, ſed etiam qui notabilem eius partem. Ita Nauarrus ſupra citans Paludanum in 4. diſt. 15. quæſt. 5. & Azor. lib. 10. cap. 7. quæſt. 3. dicit hanc eſſe receptam DD. ſententiam.

6. *Ratio dicti.* Rationē dat Nauarrus, Quia regulariter quoad peccatum mortale paria ſunt, omittere aliquod totum & partem eius notabilem.

7. *Confirmatio.* Confirmatur. Quia non ſolùm incurrit læthalem noxam, qui die feſto Miſſam non audit, ſed etiam, qui partem eius notabilem audire negligit, vt conſtat ex communi etiam vulgi ſenſu. Ergo.

8. *Quæritur, quæ ſit notabilis alicuius Horæ pars.* Sed non immeritò dubitatur à DD. quænam pars cenſeatur ita notabilis, vt illius omiſſio conſtituat peccatum mortale ſi voluntariè, & non ex inculpabili ignorantia, obliuione, vel inaduertentia contingat. Nam, quin Hora quælibet Canonica per ſe ſit notabilis Diuini Officij pars, & illius omiſſio ſubinde peccatum mortale, nemo ambigit.

9. *Sententia Nauarri hac de re.* Nauarrus itaque ſuprà c. 10. n. 44. ſic de hac re ſcribit? Poſſunt, inquit, „ dici non eſſe partes notabiles Primæ „ Tertiæ, Sextæ, &c. illarum principia „ vſque ad finem primi Pſalmi, nec ad „ effectum peccandi, neque perdendi „ diſtributiones quotidianas: quia tam „ ſtatutum Eccleſiæ Gallicanæ, quàm „ alia, communiter non reputant par- „ tes illas eſſe notabiles. Quod intelli- „ gendum videtur quoad effectum „ peccandi, modò ſuppleant priuatim „ illas preces, quas omiſerant, quia non „ poteſt negari quin omiſſio prædicto- „ rum principiorum vſque ad primum „ Pſalmum ferè finitum ſit omiſſio par- „ tium notabilium, cùm ſit circiter ter- „ tiæ partis prædictarum Horarum, „ computatis Pater noſter, Aue Maria, „ Deus in adiutorium, & Hymno cum „ parte primi Pſalmi, & conſequenter, „ niſi ſuppleatur, inducet culpam mor- „ talem,

Digitized by Google

„talem, licet non inducat diſtributio-„nis perditionem. Ex quo ſequitur „aliquam partem eſſe notabilem ad „peccandum mortaliter, quæ non eſt „talis ad perdendum diſtributiones „quotidianas. Hactenus verba Nauarri. Ex quibus colligas illum exiſtimaſſe in quatuor minoribus Horis partem notabilem eſſe quæ ſit minor tertia.

10. *Sententia Nauarri nimis ſtricta.* Sed ſaluo Nauarri iudicio, ſententia hæc videtur nimis arcta, præſertim, cùm ipſe teneat omiſſione omnium Horarum ſimul tantùm vnum committi peccatum. Quantula verò portio eſt initium Tertiæ vſque ad finem primi Pſalmi, ſi conferatur cum ſeptem Horis? quomodo ergo erit peccatum mortale illam negligere? quomodo conſiſtit cum ſenſu D. Thomæ 2.2. q. 147. art. 3. ad 2. & communi DD. præcepta Eccleſiæ, quæ per modum communis ſtatuti proponuntur, non obligare ad mortale, niſi quis vel auctoritatem Legiſlatoris contemnat, vel hoc modo tranſgrediatur, quod inſpediatur finis quem intendit? Quis autem dixerit vel auctoritatem Eccleſiæ contemni, vel finem quem intendit in præſcribendo Clericis quotidianarum precum penſo, qui præcipuè eſt Dei cultus, magnopere impediri vel imminui, ſi Pſalmus vnus vel quid ſimile prętereatur?

11. *Sententia Franciſci Suarez.* Franciſcus Suarez lib. 4. de Oratione c. 25. n. 16. licet Nauarri ſententiam nimij rigoris redarguat, eamq; nonnihil mitiget, docet tamen, præſupponens vnum tantùm peccatum committi prætermiſſione totius officij Canonici, partem notabilem in hac materia ſpectandam eſſe, non ratione determinatæ portionis alicuius Horæ v. g. Tertiæ (cuius omiſſionem aliqui volunt eſſe peccatum mortale) ſed, ex abſoluta & in ſe conſiderata parte orationis quæ negligitur. Hæc ſi in ſe magna ſit iudicio prudentum conſtituet materiam peccati mortalis, ſi omittatur. Vbi etiam rationem habendam dicit eius dignitatis & deformitatis, quam adfert diuino officio, ſi non recitetur. Vnde conſequenter ait in Officio Nocturno cum Laudibus (quod vna Hora Canonica computatur) omiſſionem nocturni vnius eſſe peccatum mortale: quia licet ſolùm cenſeatur quarta illius pars; eſt tamen per ſe & præciſè magna. E contra omiſſio ferè dimidij Completorij ſecundùm illum nõ habetur notabilis, quia nec reſpectu Officij totius diei talis eſt, nec etiam ſi ſimpliciter per ſe ſpectetur. Vnde vt in hac re quantitas peccati æſtimetur: conſideranda eſt pars, quæ omittitur, an videlicet abſolutè magna ſit, vel parua, vel ſaltem reſpectu totius Officij ipſius diei, quæ eſt adæquata materia illius. Quocirca concludit neceſſarium eſſe ad peccatum mortale, vt nulla pars alicuius Horæ, quæ æquiualeat minimæ Horæ, vel dimidiæ illius parti, omittatur. Si autem hanc non attingat, non videtur eſſe peccatum mortale, Hæc Suarez.

12. *Sententia noſtra eſt non incurri hac in re mortale peccatum, niſi vel minima aliqua hora ferè integra omittatur, vel pars aliqua horæ maioris illi reſpondens.* Quarta concluſio. Vt ſententiam meam paucis aperiam, Dico inſiſtendo veſtigijs communis ſententiæ DD. qui putant vnum tantùm eſſe præceptum de omnibus Horis, ſimul habens pro obiecto ſeptem Horas Canonicas, ideoque illius præuaricationem vnum ſolùm eſſe peccatum; probabile videri mihi non incurri in hac re peccatum mortale, niſi minima aliqua Hora ferè integra prætereatur, vel aliqua pars Horæ maioris illi reſpondens. Vnde qui ex Tertia ſaltem recitat vſque ad primum Pſalmum incluſiuè, imò vnum alterumve illius Pſalmum omittat, non videtur peccare mortiferè.

Probatur, quia omiſſio auditionis Miſſæ die præcepto vſque ad Euangelium, ſecundùm receptam opinionem non

non eſt peecatum mortale, & tamen illa prætermiſſio æquiualet ferè priuatæ omiſſioni Tertiæ. Si ergo in Sacrificio Miſſæ habetur pars exigua eius principium vſque ad Euangelium, cur cenſebitur iu Officio Horarum totius diei ſufficiens pars ad peccatum mortale conſtituendum omiſſio dimidiæ partis Horæ tertiæ, cùm officium iſtud multò prolixius ſit, quàm ſacrificium Miſſæ?

13.
Non facilè æſtimare poterit quæ pars dignior ſit in Horarum priuata recitatione, ſed bene in publica.

Quod autem Suarez arbitratur etiam æſtimandam eſſe prudentum arbitrio dignitatem partis, quæ in Horis dicendis negligitur; hoc fortè in publica chori pſalmodia locum habere poterit; Vbi maior indecentia notaretur à vulgo, ſi initium illius vel finis, vel Magnificat, aut aliqua illuſtrior portio intermitteretur, quàm ſi Pſalmus aliquis in medio intercidat, quia hoc non ita obſeruatur, id ipſum valet in Sacrificio Miſſæ, vbi conſecratio & Sacramenti ſũptio multis partibus, orationibus & Cæremonijs alijs ſunt præſtantiores. Vnde etiam ſi quis illas neglexerit, facilè peccabit mortaliter. Quis autem dicat quæ partes in priuata recitatione aliæ alijs emineant? Præter orationem Dominicam: cùm reliqua ferè omnia eiuſdem ſint anctoritatis & præſtantiæ.

14.
Strictius loquendum de omiſſione partis horarum, ſi dicamus ſeptem mortalia committi peccata omittendo ſeptem Horas.

Quinta concluſio. Quòd ſi ſequamur minùs communem DD. opinionem, probabilem tamen dicentium in omiſſione ſeptem Horarum, ſeptem quoque committi peccata mortalia, fortè ſtrictiùs loquendum hìc eſt: cùm pars notabilis tunc ſumenda ſit non ex analogia & proportione partis ad totum Officium, ſed ex propria ipſius partis quantitate vt in ſe ſpectatur. Quocirca dicendum videtur in Officio Matutino videri materiam notabilem, ſi omittatur principium illius vſque ad lectiones primi nocturni. In reliquis verò minoribus Horis, ſi dimidia illarum pars non recitetur: quia talis portio æſtimari poſſet per ſe materia aliquo modo grauis: quòd ſi minor dimidia pars prætereatur, non videtur incurri peccatum mortale, propter illius exiguitatem.

15.
Minor pars requiritur in publico officio vt illius omiſſione mortaliter peccetur.

Et hæc quidem in quæſtione parum ab alijs tractata dicta ſint, quæ omnia cenſuræ virorum Doctorum recognoſcenda libens permitto.

Sexta concluſio. Difficilius eſt definire quæ pars notabilis ſit omiſſa in publica pſalmodia à toto Choro. Vbi nota primò, Minorem partem in hac iudicari notabilem quam in priuata recitatione, vt per ſe notum eſt.

16.
Spectandum hic an pars omiſſa notabilem adferat deformitatem.

Secundò, ſpectandum hìc vel maximè, An pars omiſſa publico Officio deformitatem aliquam inſignem adferat v. g. ſi in Laudibus omittatur *Benedictus*, vel in Veſperis *Magnificat*; vel aliquid aliud, quod in oculos præſentium ſtatim incurrat.

17.
Suarez putat in officio Chori omiſſionem vnius Pſalmi conſtituere peccatum mortale.

Cenſet etiam Suarez ſuprà c. 13. n. 2. Pſalmi vnius in officio Chori omiſſionem ſufficere ad rationem peccati mortalis, ſi ſponte vel ſupinâ negligentiâ hoc fiat.

18.
Minor quoque pars ſufficit ad mortale peccatum ſi in choro ab ab vno ſolum beneficiario omittatur.

Septima concluſio. Conſequenter dicendum eſt minorem quoq; partem ſufficere ad grauem culpam incurrendam, ſi non omittatur quidem à toto Choro, ſed ab hoc vel illo Beneficiario, vel tardiùs veniente, vel fabulis Diuinum Officium interrumpente, vel citiùs ab eo ſe ſubducente, ſi fiat ſine animo prætermiſſa poſtea ſupplendi, & & ratio eſt, quia non ſolùm lectionem partis Horarum omittit, ſed etiam cantum vel exercere vel audire negligit.

19.
Mortaliter etiam in

Vltima concluſio. Poteſt etiam interdum committi peccatum mortale in omiſſione partis Diuini Officij in Choro, dum, vel non cantatur, vel ſaltem non auditur, vel præſentia debita pro conſuetudine ei debita denegatur,

 quamuis

hora peccari poteſt in partis al cuius omiſſione quamuis animus priuatim ſupplendi adfuerit.

quamuis animus priuatim ſupplendi adfuerit, niſi materiæ leuitas excuſet. Ratio eſt, quia ſubtrahit quis debitum officium linguæ, aurium, vel ſaltem præſentiæ ſuæ Choro in parte notabili, ad quod tamen ex iuſtitia, ſtipendij ratione vel Beneficij obligatur, quod poſtea nec ſupplet nec ſupplere poteſt. Vide ſuprà hoc à nobis dicta cap. 1. huius libri.

20. *Non peccatur grauiter per ceſſationẽ à cantu niſi mereatur priuari diſtributionibus.*

Notá hîc primò, non committi graue peccatum per ceſſationem à cantu ſi non ſit tam diuturna, vt mereatur priuari diſtributionibus vnius Horæ, in qua contingit; vt rectè Nauarrus ſuprà c. 10. num. 41.

Conſuetudo autem eſt, vt habetur in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 21. §. 2. vt Beneficiarij diſtributionibus non fraudentur quando veniunt ad Chorum ante finem primi Pſalmi cuiuſque Horæ. Vnde qui ante finitum Pſalmum primum adfuerit, non peccabit, niſi venialiter, imò nec venialiter quidem ſi iuſta cauſa adfuerit. Quòd ſi quis propoſuerit ſemper in ſingulis abeſſe vſque ad finem primi Pſalmi, non excuſabitur à peccato mortali, quia grauiter detrahit officio Chori, ſecus eſſet ſi quis ſæpius ſub initium Horarum abeſſet ex infirmitate vel negligentia, abſque deliberata illa voluntate ſemper Chorum fraudandi.

21. *Beneficiarij non priuantur diſtributionibus quando veniunt ad chorum ante finem primi Pſalmi.*

22. *Non tamen ſequitur ſemper peccare beneficiarios mortaliter, quoties vltra primum pſalmum abſunt.*

Nota ſecundò, non rectè tamen hinc inferri peccari mortaliter à Beneficiarijs, quoties cantum vel præſentiam ſuam Choro ſubtrahunt, maiori parte, quàm ſit illa, quæ omitti poteſt ſine iacturâ diſtributionum, quia mulcta diſtributionum non eſt certum argumentum admiſſi peccati læthiferi, cùm illa etiam, vtpote leuior, ob peccatum veniale infligi poſſit. Cauendum tamen ne hac ratione quis crebrò à Choro abſit putans culpam excuſari amiſſione diſtributionum, quia facilè poteſt ſubeſſe periculum peccati mortalis ratione ſcandali, & mali exempli, perturbationis aliorum, præſertim verò ſi per hoc Diuinum Officium minus dignè celebretur.

CAPVT XX.

Vtrum omiſſione ſeptenarij Horarum ſeptem vel vnum tantum peccatum mortale incurratur.

1. *In praxi parum refert an omiſſione 7. horarum committi dicatur vnum an 7. peccata mortalia, quia in confeſſione explicandum quot horæ fuerint omiſſæ.*

QVamuis quæſtio hæc magnam partem ſpectet ad Theoriam cùm in ordine ad praxim parum referat, ſiue ſeptem, ſiue vnum peccatum committi dicatur, quia neminem Doctorum puto negaturũ, quin in confeſſione explicandum ſit, quot Horæ fuerint omiſſæ, & ſaltem circumſtantia ſit ſupra modum aggrauans, plures Horas neglexiſſe; tamen, quia vt ſuprà vidimus & inferiùs demonſtrabitur, hæc res etiam ad negotium morale pertinet, breuiter pertractanda eſt.

2. *Communis ſententia eſt vnum committi peccatum 7. horarum omiſſione, ſiue penſo diurno.*

Concluſio prima. Communis opinio Doctorum eſt, in omiſſione ſeptem Horarum vnum tantùm admitti peccatum, licet grauius peccetur pro numero Horarum omiſſarum, vt conſtat ex Sylueſtro V. *Hora* q. 12. dicto 6. & Nauarro ſuprà cap. 7. n. 6.

Ratio eorum eſt, quia præceptum de legendis quotidie Horis Canonicis, ſolùm eſt vnicum præceptum generale (quia ſingulæ Horæ non præcipiuntur particularibus præceptis) habens pro obiecto ſuo adæquato ſeptem orationes, quas Horas vocamus, licet conſtent partialibus orationibus; Vnde vnicum in omnium omiſſione committitur peccatum, licèt virtute ſeptuplex, ſicut, ſi quis furetur vno actu centum aureos, vnicùm eſſet furtum, ſed virtute multiplex. Porrò aliud

Digitized by Google

aliud eſt de officijs diuerſorum dierum, quia illa ſunt miniſteria planè diſtincta, cuius rei indicium eſt, quòd obligatio cuiuſcumque Horæ canonicæ alligatur diei ſuo, & illo durante impleri poteſt, finito verò illo ceſſat, nec continuari poteſt cum officio ſequentis diei.

3\. *Peccatum hoc ſolùm incurritur in fine diei naturalis, ſimiliter & cenſura ſi lata fuit in non legentes horas.*

Peccatum etiam hoc omiſſionis externum ſolum conſummatur in exitu diei naturalis, non ante: & ideo cenſuram latam in omittentes Horas non incurret quis ante diei finem: imò qui ſolùm Horam vnam recitaret ſub exitum diei excommunicationem in omnes Horas non recitantes non incurreret, quia cenſura illa niſi aliud exprimatur, cenſetur lata in eos, qui omnes Horas negligunt, adeoque de peccato conſummato, & perfecto. Qui autem totius diei officium neglexerit, ſolùm in vnam incidet excommunicationem, non plures, quia ſolùm vnicum præceptum præuaricatus eſt.

4\. *Imò qui omittit horas tempore diſcretas non committit niſi vnicum peccatum omiſſionis externum.*

Conſequenter docent illum, qui prætermiſit Horas illas tempore diſcretas, & non immediatè ſe ſubſequentes non peccare, niſi vno peccato externo omiſſionis, v. g. qui lecto Matutino omittit Sextam lectis ceteris intermedijs, & rurſus omittit Veſperas perſoluto Completorio, ſolùm ſemel peccat peccato omiſſionis: quia licet omittat Horas illas pro tunc, non tamen abſolutè omittit vel omittere cenſetur niſi ſub diei naturalis finem, quod inde conſtat, quia ſi ſub illius exitum Horas illas omiſſas legat, præceptum externum quoad ſubſtantiam impleuit, & cenſetur non omiſiſſe, niſi per voluntatem & incompletè, non verò re ipſa & perfectè.

5\. *Probabilis eſt aliorum ſententia*

Secunda concluſio. Etſi hæc communis ſententia videatur in rigore vera, nihilominus probabilis etiam eſt aliorũ, qui tenent tot committi peccata in prætermiſſione Horarum quot Horæ omittuntur. Ita ex antiquioribus Tabiena V. *Hora* q. 18. ex recentioribus verò Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 37. dubit. 9. n. 53. Ratio eſt, quia ſingulæ Horæ ſunt precationes diuerſæ, inde vocatæ Horæ, quòd diuerſis horis ex ſua prima inſtitutione ſint perſoluendæ, quarum ſi vnam dumtaxat omittas, peccatum mortale incurris. Deinde videntur ſeptem eſſe præcepta ſaltem virtute diſtincta, quia orationes à ſe multum diuerſas iniungunt, quarum vna ſine altera impleri poteſt. Sic præceptum de ieiunio quadrageſimali continet quadraginta dierum ieiunia, quorum vnum ſeruari poteſt prætermiſſo altero. Nec refert quòd præcepta hîc multiplicentur per quadraginta dies diuerſos, & ibi ſolùm per horas, quibus etiam ſub finem, vel principium vel medium vnius diei naturalis poſſis ſatisfacere, quia hoc non arguit obligationem vnius præcepti. Cùm enim poſsis pluribus præceptis vno tempore eodem actu ſatisfacere, multò magis poteris diuerſa præcepta diuerſis officijs & precationibus diſtinctis, tempore non eodem, ſed continuato tantùm implere.

tot cõmitti peccata, quot horæ omittuntur.

6\. *Quæritur, an ſciat iuxta cõmunem ſententiam tantùm vnum peccatum eſt externum omiſſionis omittere plures horas; ita etiam ſit vnum peccatum in voluntate,*

Petes hîc, An ſicut iuxta communem opinionem tantùm eſt vnum peccatum externæ omiſſionis, etiamſi omittãtur omnes vel plures Horæ, quantũuis non immediatè ſibi connexæ, ita etiam ſit vnum peccatum internum in voluntate, etiamſi voluntas omittendi, nunc has, nunc illas, nunc omnes ſæpius per diem facta morali interruptione iteratur.

Reſpondeo. Cenſent communiter DD. latum diſcrimen hîc eſſe inter omiſſionem Horarum externam, & omittendi illas voluntatem. Illa enim, quamuis vnius diei Horas omittas, vnicum ſolùm peccatum eſt, hæc multiplex pro numero volitionum reno-

etiam ſi voluntas iteretur omittendi. uatarum , quibus voluiſti vel omnes vel aliquas per diem vicibus moraliter interruptis omittere : quæ etiam peccata ſunt , quamuis poſtea mutatâ voluntate Horas recites. Vide Nauarrum ſuprà c. 7. n. 6. & ſequent.

7. *Reſponſio eſt, multiplex cum peccare in voluntate ſi ſæpius renouetur.*

Dixi hunc eſſe communem ſenſum DD. quia ſunt aliqui, qui probabiliter tenent non videri multiplicari peccata pro numero volitionum internarum, eò quòd illę cenſeantur continuari ſuo modo in externa omiſſione, quæ vnicum peccatum eſt. Vt enim deſideria & propoſita, quæ quis ſæpius reaccendit, cùm furioſo impetu fertur ad hoſtem ſuum interficiendum non ſunt niſi vnum peccatum quia continuatur in externa inchoatione homicidij; ita etiam cenſeri poterunt, omnes illæ intentiones Horas illas omittendi vnum numero peccatum, quia continuantur in illa externa omiſſione, quæ ſolùm completur ſub finem diei naturalis.

8. *Probabilis tamen eſt opinio aliorum, qui putant non multiplicari peccata pro numero volutionum, eò quòd cenſeantur continuari in omiſſione externa.*

CAPVT XXI.

An Beneficiarius ſacris initiatus Horas omittens dupliciter peccet contra Iuſtitiam & Religionem.

1. *Peccat duplici peccatò beneficiarius in ſacris horas omittens.*

RESpondeo, cum Thoma Sanchez lib. 9. de Matrimonio diſput 15. num. 6. duplex committere peccatum, adeoque in confeſſione vtrumque exprimendum, videlicet Horas ſe omiſiſſe, ad quas duplici ex capite Ordinis videlicet & Beneficij aſtrictus erat. Ratio eſt, quia peccatū illud repugnat duabus virtutibus, Religioni quidem, quatenus ratione Ordinis ſacri tenetur cultum quotidie per precationes canonicas Deo exhibere; Iuſtitiæ verò, quia ratione Beneficij obligatur ad officium Horarum præſtandum, cum Beneficium propter illud detur. Vnde in tali Horarum omiſſione manifeſtè apparet duplex malitia ſpecie diuerſa.

Aduerte tamen Leſſium lib. 2. de Iuſtitia c. 37. dubit. 9. docere ex Henriquez lib. 5. de Pœnitentia cap. 5. num. 6. tamquam probabile, non committi illa omiſsione niſi vnum peccatum, ſi videlicet ſolùm vno atque altero die Horæ omittantur. Et ratio eſt, quia licet ſit graue peccatum in quantum eſt contra Religionem, eò quòd Officium, vt eſt cultus Religionis, ſit quid notabile; quatenus tamen illud eſt contra Iuſtitiam vna aut altera omiſſio non cenſetur magnum damnum in ſuo genere adferre. 2. *Probabile tamen eſt ſolùm peccare contra religionem ſi ſolùm die vno aut altero horas omittat.*

CAPVT XXII.

Vtrùm Eccleſiæ præceptum impleatur Preces Canonicas alternis pſallendo publicè vel priuatim; Item quid in alternatione ſeruandum.

OMiſſis ijs, quæ libro ſuperiore de antiquitate & fructibus alterni cantus commemorata ſunt; ſolùm hîc quærimus, an obligatus ad penſum Horarium perſoluendum ſatisfaciat ſuo muneri, ſi hac alternatione in pſallendo vtatur. 1.

Concluſio. Certum eſt lege Horas pſallendi aſtrictos integrè officio ſuo publicè & priuatim ſatisfacere, cùm alternatim canonicam pſalmodiam frequentant. Conſtat ex antiquiſſima & receptiſſima omnium Eccleſiarum conſuetudine, quæ optima eſt legum interpres, imò ex ipſa fermè prima inſtitutione & incunabilis Eccleſiaſticæ hymnodiæ: ſic enim à temporibus Apoſtolorum fermè ſemper & vbique Officium Diuinum publicè peractum eſt. Sic caritas omnia facit communia, & per alium dicere cenſetur, 2. *Alternis pſallentes publicè & priuatim ſatisfaciunt.*

Digitized by Google

ferunt, quod quiſque audit. Dubium autem non eſt, quin vſum & modum publicæ pſalmodiæ clerici priuatim etiam ſequi poſſint, cùm illa norma ſit & exemplar priuatæ orationis. Solùm ſupereſt paucas quæſtiunculas de modo & ratione in alternatione ſeruanda proponere, & ad eas breuiter reſpondere.

4. *Quæritur ſecundò, an licitum ſit alias etiam orationes ex voto vel pænitentia impoſitas alternatim dicere.* Primò ergo quæritur, An cùm ex voto vel Confeſſarij præcepto, ſeptem Pſalmi Pœnitentiales vel Roſarium B. Virginis recitandum eſt, licitum ſit hac alternatione, adhibito ſocio, vti.

5. *Reſponſio eſt affirmans.* Reſpondeo. Ex communi Doctorum conſenſu licere: tum quia niſi alia fuerit vouentis, vel Confeſſarij mens, quod rariſſimum eſt, videntur orationes illæ recitari poſſe ad normam officij Canonici: tum quia hoc pacto vel ex æquo, vel interdum melius aſſequi poſſumus finē & fructum noſtrarum precationum, quàm ſi ſoli legeremus. Adde cenſeri nos illud recitare quod ſocio recitante audimus. Ita Azor. lib. 10. de Iuſtitia, cap. 7. quæſt. 10. Leſſius & alij. Vide de modo hoc recitandi Roſarium Franciſcum Suarez lib. 3. de Orat. c. 9. in diſgreſſione de Roſario, & ante eum Nauarrum capite 10. Enchir. de Oratione à numero 19. vſque ad 36. partim in Miſcel. de Orat. Miſcel. 32.

6. *Quæſtio ſecunda, an in Pſalmodia quiex aduerſa parte cantantes audiunt, teneantur ſubmiſſa voce quod alij canunt recitare.* Quæritur ſecundò, An in publica pſalmodia teneantur illi qui ex aduerſa parte cantantes audiunt, ſubmiſſa voce, id quod alij canunt, recitare.

7. *Reſponſio negatiua: quinimo ſatius cum ſilentio alios audire.* Reſpondeo nullo modo, ſed ſatis faciunt abundè; ſi alios ex oppoſito Choro canentes attentè auſcultent. Nec hac de re dubitari poteſt cùm hæc ſit antiqua Eccleſiæ inſtitutio à temporibus Apoſtolorum confirmata, ratione ſtabilita, vſu virorum præſtantium ſanctitate frequentata. Imò ſecretò tunc ſecum muſſare, & murmurare

millare nullo modo conuenit: quin potiùs ſæpe furtiua illa ſubmurmuratione, & Diuini officij recitatione peccatur, vt oſtendit fusè Nauarrus Enchir. de Oratione cap. 10. numero 45. Et ratio eſt, tum quia non ſeruatur antiqua inſtitutio pſallendi Diuinum Officium quæ eſt, vt alternis vna pars Chori canat, altera verò attendat; tum quia contingere ſolet huiuſmodi muſſitatio cum aliqua perturbatione, non ſolùm aſtantium, dum per illam minus capere poſſunt, quæ ab alijs canuntur, ſed etiā ipſorum hoc modo legētium, dum, nec cantum aliorum plenè percipiunt, nec ſe ipſos perfectè intelligunt. Vnde niſi iuſta cauſa, neceſſitas, bona fides, vel ignorantia excuſet, & aliorum perturbatio vitetur, facilè peccatum veniale committetur hac priuatā muſſitatione, licet præcepto Eccleſiæ de Horis legendis ſatisfiat, imò etiam officio Chori, quia priuata recitatio illa, attentionem debitam non impedit: ſuppono enim huiuſmodi, poſtquam priuatim penes ſe recitauit attentionem ab officio Chori non ſubtrahere. Sicut enim tenetur attendere dum ſuæ partis verſus canit, ita dum ab alia parte Chori cantantur; quòd ſi voluntariè diſtrahatur, muneri Chori non ſatisfaciet, & proinde peccabit; ſicut peccant Beneficiarij, qui ex conſuetudine ſolâ ſuâ præſentiâ officio Chori ſatisfaciunt, etſi nihil canāt, ſi ibidem ſine attētione neceſſaria adſint. Nam ſicut in priuata recitatione neceſſaria eſt attentio, ita etiam in publica, ita vt, ſiue vnam partem cantes & alterā auſcultes, ſiue præſens vtramque ſolùm audias, ſemper obligeris per omnia attendere, vt cenſearis non ſolùm ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ de Horis recitandis, ſed etiam Chori publicum officium, ad quod obligaris, præſtitiſſe.

Nota

8. Nota tamen non omnino repre-
hẽdũdos eos, qui cùm in Choro lectio-
nes ex Anagnoſterio ſeu pulpito can-
tantur, Breuiarium ante ſe apertum
tenent, vt melius ſenſum percipiant,
hoc enim vitio vertendum non eſt, niſi
fortè alij ex hoc turbentur, quod ra-
rum eſt.

Non reprehendendi qui dum lectiones leguntur Breuiarium apertum tenent vt melius ſenſum capiant.

Nota ſecundò; Non ſolùm alterna-
tionem locum habere in cantu pſal-
morum, ſed etiam aliarum partium
Eccleſiaſtici Officij, ſiue ſint Lectiones,
9. ſiue Reſponſoria, ſiue Antiphonæ, ſiue
Collectæ; ſatisfacit quippe abundè,
dum quis illa per ſe canit, vel modo in
Choro recepto cantari audit, ſiue ab
vno, ſiue à duobus, ſiue à pluribus ca-
nantur.

Alternatio non ſolùm locum habet in Pſalmis ſed etiam in lectionibus, Antiphonis & alijs.

Quæritur tertiò, An ſatisfaciat Eccle-
ſiæ præcepto Beneficiarius, vel in Sa-
cris Conſtitutus, ſi preces Horarias re-
citet alternis cum ſocio, qui ſolutus
10. eſt lege Horas recitandi.

Quæſtio 3. an ſatisfaciat is qui horas legere tenetur, ſi cum ſocio legat, qui ad eas non tenetur.

Reſpondeo, certum eſt ſatisfacere.
Sic enim habet vſus piorum. Videmus
enim in Choro cum ſacerdotibus ſępe
cantare laicos ſtipendiarios, priuatim
verò cum Beneficiarijs legere ipſorum
alumnos aut famulos. Accedit etiam
perſpicua ratio; quando enim fas mihi
eſt, per alium obligationem meam im-
plere, poſsũ illud præſtare non per obli-
11. gatum, vt conſtat. Sufficit enim vt ipſe
diſtinctè pronunciet, vt percipiat, quæ
recitat. Vnde non tenetur ipſe ſub
mortali mentem attentam adhibere
his, quæ legit, vt rectè Suarez cap. 25.
num 2. dummodo operam det, vt ſine
errore ſingula proferat, & res eſt clara,
12. ſiquidem nec Eccleſia nec ſibiipſe im-
poſuit hanc attendendi obligationem.
Ego verò poſſum ſubmiſsè proferre,
quamuis ſocius nihil percipiat, vel
ſolùm vltimas ſyllabas verſiculi audiat,
vt ſciat ſe debere in recitando ſubſequi;
quia nullo præcepto audire tenetur.

Reſponſio affirmatiua.

Petitur an ſocius qui ad horas non tenetur dum recitat, teneatur ſaltem habere intentionem orandi.

Dubitari verò poteſt, An talis ſaltem
obligetur ad intentionem orandi ra-
tione iſtius cooperationis ad alterius
orationem.

Supponit Suarez ſuprà debere. 13.
Mihi verò probabile videtur ad hoc
non teneri (licet hoc illi omnino ſua-
dendum ſit; quo ſuppoſito, etiam tene-
tur ſub peccato veniali attendere) quia,
vt iam dictum eſt, ſolùm requiritur ex 14.
parte ipſius, vt apertè ſingula verba
efferat, alter verò qui pſallere obliga-
tur, omni obligatione liberatur partem
ſuam cum attentione, & intentione
orandi pronunciando, alterius verò
partem cum ſimili attentione & in-
tentione auſcultando.

Probabile eſt ad hoc non obligari.

Quæritur quartò, An cùm quis cum
tribus vel quatuor ſocijs recitat, tenea-
tur ad omnes ſimul, an verò ſufficiat
ad vnum eorum tantum animum ad-
uertere.

Quæſtio 4. an cùm quis recitat cum tribus vel 4. teneatur omnes ſimul audire, an verò ſufficiat ad vnum eorum tantum aduertere.

Reſpondeo, vtroque modo poſſe
ſatisfacere ſiue omnes ſimul, ſiue vnum
ſolùm audiat, id enim arbitrarium eſt: 15.
quamuis in praxi difficile ſit, vel in
choro dum canitur, vel in ora-
torio, dum recitatur, ſic aures men-
temque adhibere ad vnius verba, quin
ſimul etiam aliorum audias, dummo-
do æquè clarè cantent, vel pronun-
cient.

Reſpondetur, ſatisfacere ſiue vnum ſolùm ſiue omnes ſimul audiat.

Hinc infertur eum, qui cum duo- 16.
bus vel ſaltem cum vno ex parte Cho-
ri ſui recitat, poſſe ſubmiſſè, ita vt etiã
pars aduerſa eum non audiat legere.
Sufficit enim, vt alij ipſi aſſociati, vel
vnus eorum altè & clarè pronunciet;
vt pars aduerſa ſaltem vnum, eorum
intelligat.

Sufficit hic vt vnus audiatur, vnde poſſunt alij ſubmiſſè, ſi velint recitare.

Quæritur quintò, Quis ritus ſeruan-
dus ſit & ordo cùm priuatim officium 17.
à pluribus recitatur.

Quæſtio 5. quis ordo in recitando ſeruãdus, cùm priuatim à pluribus dicitur.

Reſpondeo primò, Ritum illum &
ordinem ſeruandum, qui ſeruatur in
Choro, niſi alia fuerit piorum con-
ſuetudo.

Reſpondeo ſecundò, Non poſſe vn-
quam

Digitized by Google

18. *Responſio, ſeruandus ferè ritus qui in choro ſeruatur*

quam in hac alternatione conſtitui niſi duos Choros; vnde ſi tres ſimul recitent ſocij, duo tantùm Chori faciendi ſunt, ita vt vnus ab vna parte, duo ab altera recitent. Si quatuor ſimul, bini & bini viciſſim legant, vel vnus hinc, tres verò illinc, & ſic conſequenter de pluribus. Ita enim ab initiò habet vſus Eccleſiæ.

19. *Non poſſunt vnquam inſtitui niſi duo chori.*

20. *Maximè habet alternatio locum in Pſalmis, & alijs quibuſdam, lectiones enim poſſunt omnes ab vno & eodem recitari, ſi ita placeat, vel etiam viciſſim nunc ab vno, nunc ab alio: in reliquis ſequenda ratio chori publici.*

21. *Antiphonæ vel dicuntur ſimul ab omnibus vel alternis vt Pſalmi.*

Reſpondeo tertiò, Hoc potiſſimùm intelligendum eſſe de Pſalmis, Verſibus, Hymnis &c. Vbi locum habet maximè hæc viciſſitudo in recitando, & audiendo, Lectiones enim poſſunt ab vno & quidem eodem, ſi ita libuerit, omnes recitari, ſiue duo ſimul conueniant ad orandum ſiue tres, quatuor, vel plures; ſic enim in Choro lectiones ab vno cantantur ceteris audientibus. Poſſunt tamen (nam ſic habet multorum vſus) etiam lectiones viciſſim dici, nunc ab vno, nunc ab altero; non verò à pluribus ſimul (hoc enim non conuenit) ita vt quiſque ſuo ordine viciſſim dicat, ſiue duo in vnum concurrant, ſiue plures Capitula & Collectæ dicuntur ab vno tantùm, Oratio Dominica, & alia, quæ ſecretò proferuntur à ſingulis ſubmiſſè pronuncianda ſunt. De Antiphonis proferendis diuersè ſentiunt DD. an videlicet, cùm integræ dicuntur ab omnibus ſimul recitandæ ſint, an verò ſucceſſiuè, nunc ab vna parte nunc ab alia. Vterlibet modus ſeruari liberè poteſt. Priorem probat Roſella, & hic ordinariè in Choro ſeruatur, non tamen vbique: alter probatur à Nauarro, Syluestro, Azor, Suarez & alijs, & videtur, valde commodus, poteſtque etiam ſeruari in Reſponſorijs & Verſiculis. Grata enim in omnibus ferè diuini officij partibus eſt hæc viciſſitudo, iuxta illud, *Amant alterna Camœnæ.*

CAPVT XXIII.

An Beneficiarij partem ſuam non cantantes in Choro, ſed ſubmiſsè tantùm recitantes officio ſuo ſatisfaciant, & an ſic lucrentur quotidianas Diſtributiones.

1. *Beneficiarius Choro addictus in ordine ſuo, non tamen ſed tantùm ſubmiſsè recitans, præceptum implet de horis dicendis & fructus beneficij groſſos facit ſuos, non tamen præſtat officium chori ad quod tenetur.*

CONcluſio prima. Quicumque Beneficiarius Choro addictus ſolummodo partem ſuam in ordine ſubmiſsè recitat, non verò canit, etſi impleat præceptum de dicendis Horis Canonicis, & ideo fructus Beneficij, quos groſſos vocant, ſuos faciat; non tamen præſtat miniſterium debitum chori ad quod ex Officio & deputatione tenetur.

Prior pars videtur certa, nam vnam partem Horarum cantari in Choro audit, alteram penes ſe totam recitat. Ergo. Ita Tabiena V. *Hora* q. vltima.

2. *Poſterior pars concluſ. probatur auctoritate*

Poſterior pars eſt Caietani tum 1. tomo Opuſculorũ tract. 31. Reſponſ. 8. tum in ſumma V. *Hora*, numero 15. vbi tamen addit, conſuetudinem poſſe hunc rigorem mitigare, ſi inter viros timoratos alibi talis vigeat. Eandem tenet Nauarrus Enchir. de Oratione cap. 10. num. 47. & c. 11. n. 42. & alibi, Armillia V. *Hora* num. 22. Azor. lib. 10. c. 11. q. 5. & alij plerique omnes.

3. *Prob. eadem ex Iure.*

Probatur primò, ex C. *Si quis presbyter*, diſt. 92. vbi ſic habetur: *Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus ad quotidianum pſallendi officium matutinis vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponatur à Clero, &c.* Vbi non ſolùm præcipitur, vt conueniant ad Eccleſiam, ſed etiam ad officium pſallendi, id eſt, vt pſallant, ad quod ex officio tenentur. Nam ad pſalmodiam deputati ſunt,

Confirmat Nauarrus ex ſtatuto Eccleſiæ Gallicanæ, titulo quomodo diuina officia ſint dicenda. *Cùm,inquit, pſallendi gratiâ ibi conueniant, muta aut clauſa labia tenere non debent, ſed omnes, præſertim qui maiore funguntur honore, in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.*

5\. *Probatur ex Trident.* Probatur ſecundò, ex iure nouo Concilij Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. Vbi loquens de Canonicis & alijs Beneficiarijs Choro deputatis, hæc habet. *Omnes diuina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti aſſiſtere & inſeruire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteque laudare.*

6\. *Rationes Caietani & Nauarri non omnino probantur.* Plures rationes ad hoc probandum congerit Caietanus ſuprà, quas ſequuntur Nauarrus & alij. Sed nimium videntur poſtulare, ſcilicet huiuſmodi Beneficiarios non cantantes ſuam partem non recitare integrum officium, nec implere præceptum de Horis dicendis, quod eſt contra communem ſententiam. Sic ergo argumentatur Caietanus. Qui in Choro recitat, debet implere præceptum de Horis recitandis per reciprocam communicationem, quod hìc non fit. Licet enim alij communicent illi ſuam partem quam canunt, ſuam tamen partem viciſſim illis non impertit, quia illam ſibi ſoli ſubmiſsè recitat.

7\. *Reijcitur ratio Caietani.* Cæterùm ſi hæc ratio vera eſt, ſequetur nulla conſuetudine induci potuiſſe (quod tamen eſt contra Caietanum & Nauarrum ſuprà) vt Canonici & alij Beneficiarij Choro addicti, ſubmiſſa in Choro recitatione præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe cenſeantur, quia nulla conſuetudo abolere poteſt obligationem recitandi integrum officium canonicum in Beneficiarijs. Vnde ratio hæc nullo modo concludit Beneficiarios tales non recitare integrum officium canonicum, cum partem illius audiant, partem verò ſubmiſsè recitent; ſed ſolùm ſequitur illos non communicare alijs ſuam partem, quia non canunt, quod verum quidem eſt, ſed impertinens ad integritatem officij, cùm quidam ab ipſorum parte canant, & illos alij audiant, & ſic omnes officium alternis recitent. Non enim neceſſaria eſt communicatio mutua inter omnes etiam in cantu, vt ab omnibus cenſeatur integrè perſolutum officium.

8\. *Adfertur vera ratio.* Ratio ergo vera, quæ in iure præſupponitur, hæc eſt: eò quòd fructus, & bona Eccleſiaſtica conferuntur Beneficiariis, non ſolùm, vt præſentiâ ſuâ Chorum exornent, & diuinum officium moderentur, ſed etiam vt voce graui, diſtincta, & clara Deum laudent: eſtque hæc prima Canonicatuum & Beneficiorum inſtitutio. Vnde ſi hoc primarium munus ſuum negligant contra iuſtitiam peccant, & ſubinde mortaliter ex ſuo genere: quod quomodo intelligendum ſit dictum eſt primo capite huius libri, & hìc etiam explicabitur.

9\. *Iure communi beneficiarij non acquirunt ius in diſtributiones niſi cum alijs canant.* Secunda concluſio, hinc ſequitur iure communi, & multarum Eccleſiarum ſpeciali, Beneficiarios in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis non acquirere ius in quotidianas diſtributiones niſi ſimul cum alijs ſuo ordine pſallant.

Eſt certa, & tenent Caietanus, Nauarrus & alij ſuprà. Et probatur primò, quia diſtributiones conſtitutæ ſunt tanquam ſtipendium quoddam 10. *Probatur rationibus,* eorum, qui non tantùm præſentes ſunt in Choro tempore diuini officij; ſed etiam qui in eodem pſalmodiam communem obeunt: ſicut parocho ſua portio ex ritibus Eccleſię ſoluitur, non quia parochiæ ſuæ adeſt, ſed quia Sacramenta & pabulum diuini verbi populo adminiſtrat.

Pro-

Digitized by Google

11\. Probatur ſecundò ex Caietano & Nauarro ſuprà: Vt Beneficiarij ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de Horis dicendis quoad lucrandas diſtributiones, non ſatis eſt vt ſubmiſsè in choro recitent partem vnam, & alteram audiant; ſed debent orationem ſuam, etiam oppoſito Choro communicare: Atqui hoc fieri non poteſt, niſi per claram recitationem vel per cantum, prout habet cuiuſque Eccleſiæ vſus: Ergo qui non clarè pronunciant vel pſallunt, non implent præceptum Eccleſiæ, quoad ſeruitium choro debitum, & conſequenter non acquirunt ſibi diſtributiones.

12\. *Dictum noſtrum moderatur Suarez, vt ſolum locum habeat pro parte media diſtributionum, quia altera media videtur illis tribuenda ratione præſentiæ.*

Aduerte tamen Franciſcum Suarez ſuprà cap. 12. num. 10. concluſionem noſtram moderari, vt ſolùm locum habeat in parte dimidia diſtributionum ſiue ſportularum, quæ miniſterio cantus reſpondent: Hanc enim ſuam non faciunt, qui vocem ſuam Choro ſubtrahunt; licet altera dimidia Eccleſiaſticorum donatiuorum meritò illis tribuenda videatur ratione ſuæ præſentiæ, quâ & Dei cultum augent, & Choro decus aliquod addunt, ſimulque diuinis laudibus intendunt. Diuidit enim ipſe, æs manuarium, quod ſingulis Beneficiarijs appenditur in duos ſemiſſes, quorum vnus ſoluatur Canonicis & alijs Beneficiarijs præſentiâ ſuâ officium diuinum honeſtantibus; alijs verò voces ſuas communi pſalmodiæ adiungentibus.

13\. *Probabile eſt Canonicos in Eccleſijs, vbi ex prima fundatione vel aliter, officium per vicarios, canitur ſo-*

Concluſio tertia: Probabile tamen eſt Canonicos in Eccleſijs, vbi ex prima fundatione, iuſta conſuetudine, vel lege per vicarios aut ſacellanos diuinum officium pſallitur, ſola præſentia ſua poſſe Eccleſiaſtica diaria, & diſtributiones ſibi acquirere.

Ita plures hoc tempore DD. Petrus Nauarra lib. 22. de Reſtitut. c. 2. num. 217. Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 34. dubit. 33. Imò auctores ſuprà citati in idem propendent. Caietanus V. *Hora*, ſub finem, cùm ait; *Si tamen intelligerent, quod viri timorati conſueuerunt ſic facere (ſcilicet ſuam partem non cantare, ſed ſubmiſſe legere) lucrari, dicerem quod conſuetudo bonorum optima eſt legum interpres, tantò magis, quantò maiores in choro non debent cantare, ſed meditari quæ ab inferioribus cantantur.* Nauarrus Miſcel. 79. de Orat. loquens de conſuetudine quarumdam Eccleſiarum, in quibus ſportulæ quotidianæ lucrifiunt ab habentibus dignitates, quamuis ſolùm verſus ſuos ſubmiſsè recitent ſine cantu. ſic ſubdit num. 2. Quare meo iudicio non poteſt defendi conſuetudo præfata Eccleſiarum prædictarum, niſi priuilegio ſedis Apoſtolicæ, vel ſtatuto ab ea confirmato, vel conſuetudine rationabili legitimè præſcripta. Azorius etiam & Suarez & alij, cenſent hanc ſententiam probabilem.

la præſentia poſſe diſtributiones lucrari.

14\. *Ita plures Doctores.*

15\. *Prob. ex Bulla Pij V.*

Probatur primò, Quia Pius V. conſtitut. ſua, quæ incipit *Ex proximo Lateranenſi Concilio* (quam refert Nauarrus tum in Enchir. confeſſ. cap. 25. n. 122. tum in Enchir. de Oratione cap. 7. n. 32. (apertè meminit huiuſmodi fundationum, ſtatutorum, & conſuetudinum, cùm ait; *Tametſi aliquis Choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones fortè aliter aſſignatas ſolâ præſentiâ, iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat*, &c. quod etiam obſeruauit Nauarrus Enchir. de Orat. c. 10. n. 47. & alij. Cùm ergo Pontifex ibi meminerit iſtarum conſuetudinum, & ſtatutorum, nec reprobet; tacitè nobis innuit non eſſe iniuſtas, & contra rationem, Licet quidam putent Pontificem eaſdem reprobare & ſtatuere, vt in poſterum recitantes, & non pſallentes, ſolùm præſentes fructus amittant, quos lucrifeciſſent, ſi cantaſſent. Sed verba, quæ ante produxi, hoc non ſignificant.

Nec etiam improbat eaſdem Tri-

16. *Conc. Trid. non improbat illam conſuetudinem,* dentinum ſeſ. 24. cap. 12. dum ſolam exigit præſentiam, ad ſibi ſportulas comparandas, cùm, inquit, *Diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant.* Rurſus ſeſ. 27. cap. 3. præcipit tertiã partem fructuum Beneficiorum conuerti in Diſtributiones, quæ, inquit, inter Dignitates Obtinentes, & cæteros diuinis intereſſentes diuidantur. Vbi nulla mentio cantus, ſed ſolius aſſiſtentiæ, & præſentiæ.

17. *Prob. ex C. conſuetudinem.* Idem denique colligitur ex decreto Bonifacij VIII. quod citatur à Tridentino ſuprà ſeſ. 24. & habetur in 6. C. vnico, Titulo, de Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel præbenda; vbi, loquẽs de diſtributionibus, quę Beneficia manualia vocat, hæc ſtatuit. *Statuimus, vt Diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac alijs Beneficiatis, & clericis Eccleſiarum ipſarum, qui ijſdem officijs in ipſis Eccleſiis adfuerint tribuantur, iuxta Eccleſiæ cuiuſlibet ordinationem rationabilem iam factam, ſeu etiam faciendam.*

18. *Examinatur decretum Boniſ. VIII.* Vbi duo pro hac ſententia notanda; primum quod ſtatuit diſtributiones tribuendas ijs, qui adfuerint nulla cantus facta mentione; alterum tribuendas iuxta rationabilem cuiuſque Eccleſiæ ordinationem. Sequitur ergo ſi rationabils Eccleſiæ ordinatio fuerit, vt præſentibus licet non cantantibus accreſcant, nihil fieri contra Decretum Pontificis.

19. *Ratione oſtenditur potuiſſe beneficia ſic inſtitui vt quidam ſola præſentia lucrarentur diſtributiones.* Probatur ſecundò, quia potuerunt huiuſmodi fundationes, conſuetudines, & ſtatuta, eſſe iuſta. Et de fundationibus quidem dubitari non poteſt: Cur enim ex pacto, & contractu cum Fundatoribus ſiue Rectoribus Eccleſiarum non potuerunt ſic Beneficia inſtitui, vt quidam ea poſſidentes diuinum officium canerent, & voce modularentur; Alij verò præſentiâ ſuâ condecorarent, grauitate moderarentur, auctoritate eidem pondus adderent, interimque modulantes alios auſcultarent, viciſſimque ſubmiſsè in ſuo Choro recitarent: Nihil enim hîc inuenitur vel iuri naturæ, vel poſitiuo repugnans: quia quilibet Beneficiarius præſtat obſequium, cui ex fundatione eſt addictus.

Quod verò pertinet ad conſuetudinem vel ſtatutum, vt hæc iuſta cenſeantur; neceſſarium in primis eſt, vt chorus inſtructus ſufficiẽter ſit inferioribus Clericis, qui cantorum & pſalmodorum munia ſuppleant, ne Dei cultus detrimentum patiatur, quod plerìſque in Eccleſijs Belgij videmus, vbi multitudo vicariorum, & capellanorum, præclarè defectui canonico pſalmorum non pſallentium ſubuenit, dum non ſolùm cantu plano, ſed etiam organico diuinas laudes modulantur; vnde ibi locum illud habere poteſt Caietani, *Debent maiores Clerici non cantare:* (ſcilicet cantu organico ſeu figurato) *ſed ea quæ ab inferioribus cantata ſunt, meditari.* Adde pleroſque canonicorum eſſe planè amuſos & voce abſona, vnde ſæpe præſtat eos bene tacere, quàm malè canere, ne illud vetus in eis locum habeat: *Anſer inter olores;* & iſtud; *Aſinus ad lyram.* Solet etiam huiuſmodi cantus peritiùs, ſuauiùs, & decentiùs per Vicarios, quàm per Canonicos peragi. Hinc vlteriùs verſimile eſt, ex Canonicorum præbendis deciſas eſſe portiones quæ hiſce Vicarijs & pſalmodis ſint attributæ, & ideo putandum eſt ab initio fundationis beneficiorum, ita Chorum fuiſſe temperatum, vt alij canerent, alij cantum ſuâ præſentiâ honeſtarent, & ſic cenſerentur vtrique ſuum munus impleuiſſe. Quod ſi de contraria fundatione conſtiterit, dicendum erit primam inſtitutionem per contrariam præſcriptionem fuiſſe mutatam. Vnde & ſecundo loco requiritur ad hanc conſuetudinem legitima præſcriptio annorum 40.

20. *Vt conſuetudo hæc iuſta ſit debebit chorus inſtructus eſſe inferioribus Clericis qui pſalmos canant.*

Poſtre-

Digitized by Google

21. *Statutum hoc de nouo, approbari debebit à Papa.*

Poſtremò ſtatutum vt ſit legitimum (ſiquidem modus ille cantandi per alios introducatur de nouo) debebit (vt rectè Nauarrus ſuprà aduertit) à ſede Apoſtolica approbari, quia derogat iuri communi, & ordinariè fundationi Beneficiorum. Deinde debebit eſſe iuſtum, vt ſuprà diximus de conſuetudine, vt ſcilicet Cantores in locum Canonicorum ſubſtituantur, qui pro dignitate diuinas laudes decantent, &c.

22. *Obiectio ex Trident.*

Dices, Tridentinum ſeſ. 24. cap. 12. ſtatuit Canonicos compellendos, vt diuina per ſe & non per ſubſtitutos officia obeant, atque in choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteque laudent.

23. *Loquitur Trid. de Eccleſiis, in quibus ex prima inſtitutione Canonici per ſe cantare ſolent.*

Reſpondeo primò Tridentinum loqui de Beneficiarijs illarum Eccleſiarum, quæ inſtitutæ ſunt iuxta tenorem iuris communis, hoc eſt, in quibus ex prima fundatione munus canonicorum eſt per ſe diuinas laudes voce modulari; non verò de alijs, in quibus ex primæua ſua origine, vel conſuetudine legitimè præſcripta onus Chori fuit diuiſum, & alijs quidem attributum miniſterium pſallendi, alijs ſuâ præſentiâ & auctoritate Eccleſiaſticum officium gubernandi.

24. *Adfertur explicatio Trident. ex reſponſis Cardinalium.*

Reſpondeo ſecundò, Illud *Omnes per ſe compellantur diuina obire officia, & non per ſubſtitutos*, intelligitur à congregatione Cardinalium explicationi Concilij Tridentini Præſidentium, quod debeant Miſſas, Euangelium, Epiſtolam, &c. per ſe canere, quòd etiam paſſim ſeruandum eſt, nō verò de officio Chori, de quo poſtea ſubditur, *In Choro, Hymnis & Canticis Dei nomen laudent*, &c. Quod etiam ab illis fit, dum reuerenter aſſiſtunt, per alios pſallunt, & ad eorum pſalmodiam cooperantur, componuntque vnum Eccleſiaſticum corpus, quod Deum, modo, quem Concilium præſcribit, celebrat. Ita ferè Suarez.

25. *Canonici compulſi vt per ſe canant, ſi non faciant peccant; quidem, ſed non videntur amittere diſtributiones.*

Nota hîc Concilium ſtatuere, vt per Epiſcopos, Præpoſitos, Decanos aut alios ſuperiores Canonici compellantur per ſe diſtinctè in Choro Deum laudare. Quod ſi compulſi non faciant peccabunt quidem, ſed tamen ex vi decreti Concilij Tridentini non videntur amittere Diſtributiones, vt rectè obſeruauit Franciſcus Zypæus lib. 3. Iuris Pontificij Noui, titulo de Clericis non reſidentibus, num. 28. quia decretum illud pœnam hanc ſuo præcepto non ſubiungit.

26. *Perniciosa & abuſiua ſunt decreta Eccleſiarum, quibus ſtatuitur, vt quis vna hora præſens lucretur totius diei diſtributiones.*

Nota ſecundò, Cum Beneficia manualia ſiue Diſtributiones ſingulis horis aſſignandæ ſint, conſtat ſtatuta quarumdam Eccleſiarum, quibus, qui ſemel in die, vel certis horis interfuerit, aliarum horarum, vel totius diei diſtributiones lucretur, eſſe perniciosa, & iniuſta, eaſque abuſiua declarat Concilium Baſilæenſe, Titulo, Quo tempore debeat quis eſſe in Choro §. tollens prorſus abuſum illum, quo in vna dumtaxat hora præſens totius diei diſtributiones vſurpat. Quis enim non videat huiuſmodi decreta, non dicam imminuere, ſed magna ex parte diuinum cultum abolere? cùm è contra donatiua illa, & diſtributiones conſtitutæ, vt illis tamquam illecebrâ, & eſcâ quadam animi negligentium capiantur, & ad Chori officium prouocentur. Vide hunc abuſum perſtringentem Stephanum Durantum lib. 3. de Ritibus c. 25. n. 6. cuius abuſus etiam meminit Franciſcus Zypæus ſuprà num. 38.

27. *Tenentur ad diſtributionum reſtitutionem, qui abſentes à choro eas receperint.*

Nota tertiò, eos qui manualia Beneficia ſiue Diſtributiones receperint, cùm tamen diuinis officijs non interfuerint, nullâ iuſtâ cauſâ ſecundum ius excuſante, earum dominum non acquirere, nec facere eas ſuas, imò ad earum reſtitutionem teneri, conſtitu-

tione Bonifacij VIII. C. vnico de Clericis non reſidentibus in 6. quam renouauit Tridentinum ſeſ. 24. cap. 12. cùm ait: *Diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis collusione aut remiſſione excluſa his careant.*

28. *Explicatur quid ſint colluſio & remiſſio in diſtributionibus recipiendis, & quòve modo à Trident. prohibeantur.* Per colluſionem intelligit mutuam conuentionem, quâ præſentes permittunt abſentibus eas recipere, vt cum rurſus illi abſuerint, hi viciſſim ſinant ſimili eos beneficio gaudere, vt reddant quid pro quo, vt loqui ſolemus. Remiſſiò verò ſignificat ſimplicem debiti relaxationem.

Cæterùm dubium fortè alicui incidat, quomodo vetetur hic debiti remiſſio, quæ libera cuique eſt in rebus ſuis. Sed breuiter dico, hanc meritò hìc vetari: quia quamuis laudabile ſit interdum iure ſuo cedere; cùm tamen illa remiſſio vergit in publicum detrimentum, & diuini cultus diminutionem, meritò fieri prohibetur. Non enim quis poteſt cedere iuri publico, vt patet in priuilegijs Canonis & Fori, quibus priuati Clerici renunciare nequeunt. Ita vero hic fit in propoſito. Nam ſemel apertâ ianuâ hiſce condonationibus ſocordia Beneficiariorum ſenſim augebitur, Eccleſia vacua, Chorus ſuis miniſtris deſtitutus apparebit; Vnde multorum malorum Ilias & ſeges in ſemine fuit elidenda, & ſtirpitus euellenda. Addit congregatio Cardinalium eos qui contra decretum Tridentinum Diſtributiones receperint, compellendos, vt illico reſtituant, diuidendas fabricæ Eccleſiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco Epiſcopi arbitratu. Plura hac de re diſputant Couarruuias l. 3. Variarum reſolut. & Azor. 2. p. Moralium Inſtit. l. cap. 7. & Nauarrus in Miſcel. de Orat. Miſcel. 59. Vbi probabiliter tenet, cùm

29. *Notanda verba Nauarri.* qui bona fide reſtitueret diſtributiones ijs quibus accreuerant, & illi poſtea liberè affectu beneuolentiæ aut pietatis eaſdem illi donarent, poſſe retineri, tum quia hæc non eſt remiſſio ſed donatio; tum quia odia ſunt reſtringenda.

CAPVT XXIV.

Quomodo peccetur Officium Diuinum mutilando, verba & ſyllabas abſorbendo, vel etiam aliquid extraneum addendo.

Dico primò publica in Choro diuinarum laudum præcipitatio, multilatio, verborum præciſio, ſyllabarum eliſio, verſuum ſuper verſus aggeſtio, ſi ſcienter & ſponte fiat, ordinariè eſt peccatum veniale, ſi autem nimia fuerit, etiam mortale. Eſt communis Doctorum Nauarri in Manuali Confeſſ. c. 25. n. 98. & in Enchir. de Horis c. 10. n. 9. Leſſij lib. 2. de Iuſt. c. 37. dubit. 10. & aliorum. 1. *Multilatio in officio publico ordinariè eſt peccatum veniale, ſi nimia ſit, mortale.*

Probatur primò, ex decretis Pontificum & Conciliorum. Innocentij III. C. *Dolentes* de Celebratione Miſſarum, cùm retuliſſet inter alios defectus, qui in celebratione diuini officij committuntur, recitationem Horarum per Syncopam, *transcurrendo*, inquit, *vndique continua Syncopa Matutinum*, poſt alia hæc ſubijcit. *Hæc & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent, pariter & deuotè.* Vbi Gloſſa (*in* ſtudiosè) explicat quantum ad officium oris, id eſt, ſine Syncopa, vel, vt nec verſus mutili proferantur medijs verbis interceptis, nec verba ſyllabis minuantur. 2. *Prob. ex decretis Pontif. & Concilijs.*

Rurſus Clemens V. in Concilio Viennenſi C. *Grani* de Celebratione Miſſarum. cùm plures diuini officij maculas notaſſet, etiam hanc perſtringit, 3.

gic, Horas canonicas dicere ſeu pſallere tranſcurrendo, ſyncopando, &c. nimis indeuotè, quod inferiùs fieri prohibet præcipitque Eccleſiæ Præpoſitis, vt ſollicitam adhibeant diligentiam, vt in poſterum deuotè pſallatur, ſi Dei & Apoſtolicæ Sedis indignationem euitare voluerint.

4. Extrauagante, *Docta*, de Vita & honeſtate Clericorum lib. 3. dicitur à Sanctis Patribus decretum, vt in diuinæ laudis officijs ſermo non ceſpitet, & modeſta pſallentium grauitas placida modulatione decantet.

5. Eadem habentur in Concilio Baſilæenſi ſeſ. 21. §. 2. vbi ſancitur dicendum officium in Choro prolatione non præcipiti, ſed diſtinctâ, & inferiùs, non curſim ac feſtinanter, rurſus §. 4. admonet, vt non in gutture, neque inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando, dictiones, vel colloquia, vel riſus intermiſcendo, ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati diurnum nocturnumque officium reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant.

Poſtremò, idem ſtatuit Tridentinum ſeſ. 24. c. 12. vt ſcilicet nomen Dei in choro reuerenter, diſtincteque laudetur.

6. *Probatur idem ratione.* Probatur ſecundò ratione, quia hoc modo diuinas laudes decantantes partem earum decerpunt, & ſic peccant contra officij integritatem, & cauſa ſunt, cur ſenſus eius ab aduerſa parte Chori non integrè percipiatur. Poteſtque hæc tam inormis interdum eſſe truncatio, vt notabilem Horarum partem è medio tollat, vnde & poſtea priuatim repetere tenentur. Quod ſi talis inordinatio committatur à maiore parte chori, vel toto choro, maius etiam erit delictum ratione ſcandali, & erroris irreparabilis quæ culpa maximè reſidebit in Præſide chori, quem Meſochoron vocant: deinde in alijs, qui cùm poſſint auctoritate ſua hunc præcipitem cantorum curſum ſiſtere, omittunt tamen. Nec à culpa immunis erit, qui ſolus lectiones, Capitula, Collectas recitat, ſi continua ſyncopa hæc decurrat. Si verò ab vno vel altero ſolo per ſocordiam, hæc imminutio fiat, rarò erit peccatum mortale, niſi per hoc, vel chorus multum perturbetur, vel inordinatio hæc ab alijs in exemplum trahatur. Adde ſi quid in hac re peccatum ab aliquo in particulari fuerit, poſſe hunc defectum priuatim reſarciri.

Docet verò Emmanuel Sa V. *Horæ* num. 9. eum qui in choro ſuam partem dicit, & alteram quantumuis attendat, non poteſt percipere, non teneri ſupplere, niſi, vt quidam addunt, ſurdus eſſet. 8. *Cùm quis in choro id quod alij canunt, attendens non poteſt percipere, non tenetur ſupplere.*

Nota hîc ex Nauarro in Enchir. de Horis cap. 10. num. 58. Si grauis à choro commiſſus fuerit defectus, non eſſe quidem obligationem ad eum ſupplendum, cantando communiter, vel conuentualiter: ſufficit enim vt ſinguli priuatim eum corrigant: licet Turrecremata & alij, doceant ſatius fore (ſi ſine ſcandalo fieri poſſit) vt publicè admiſſus error in ipſo choro reſarciretur. 9. *Quomodo defectus hic à choro commiſſus, poſſit ſuppleri.*

Nota ſecundò, ex eodem ſuprà num. 60. §. *Secundo limitatur*, interdum vſu venire, vt quis omittat partem notabilem in cantando vel recitando Horam aliquam, & tamen non teneatur ſupplere quæ ſunt omiſſa, ſed aliud quippiam æquiualens eorum loco recitare, vt cùm quis in aliqua Hora hinc inde verba quædam prætruncat, verſiculos intercipit, quorum ſingula per ſe quidem partem notabilem non conſtituunt, omnia verò coniuncta facilè ad eam pertingunt: tunc enim obligabitur ad ſupplendum per aliquid æquipollens; Non verò ad eoſdem verſiculos vel eadem verba repetenda, quia hoc eſſet rudem, indigeſtam 10. *Cùm quis hinc inde verba & verſus prætruncando peruenerit ad partem notabilem, ſupplebit non omiſſa recitando, ſed aliquid omiſſis æquiualens.*

Digitized by Google

geſtam, & ſenſu carentem confuſionem inuehere, ſupplebit ergo vnum duos, tréſve Pſalmos loco omiſſorum legendo.

Dico ſecundò. Inter priuatim recitandum, ſyllabas abſorbere, verborum extrema ſuccidere, ſi de induſtriâ, & certâ ſcientiâ fiat, peccatum eſt veniale ſi verò præter voluntatem contingat, culpa carebit.

11. *Priuatim recitando ſcienter ſyllabas abſorbere peccatum eſt veniale, ſi præter voluntatem fiat culpâ carebit.*

Prior pars eſt communis ferè DD. de qua vide Azor. lib. 10. c. 7. quæſt. 11. Et ratio eſt, quia etſi nonnullum ſit delictum contra decentem diuinarum laudum pronunciationem verba mutila, & dimidiata proferre, manet tamen eorum integra ſubſtantia & ſignificatio: quod probatur, tum ex alijs, tum ex C. *Retulerunt*, de Conſecratione diſt. 4. Vbi Pontifex reſpondet valuiſſe Baptiſmum collatū In nomine, Patria, & Filia, & Spiritua ſancta, quandoquidem ſolius linguæ lapſus fuerit, quem textum profert Gloſſa in C. *Dolentes* ſuprà, ad verba, *ſyncopâ continuâ percurrentes Matutinum*: Vnde etiam infertur nihil tunc neceſſariò ex Horis lectis repetendum, cùm ſenſus integer conſtet.

13. *Interdum verba inter recitandum deglutire mortale erit ſed rarius, & tunc officium repetendum.*

Dico tertiò, In priuata pſalmodia verba deglutire, & lapſu præcipiti verſus voluere potius quàm proferre, ita vt plures dictiones intercidant, interdum, ſed rarius, erit peccatum mortale: ſæpius verò, ſi ſua ſpōte contingat, veniale; aliquando autem nullum, ſi linguæ præcipitántia, conſuetudine roborata, vel rationabili de cauſa fiat.

13.

Explicatur, Peccatum mortale erit, quando notabilis in diuino officio, hac ratione hiatus & deformitas exiſtet: ita vt nec ipſe ſe, nec qui cum illo recitant ipſum percipiant, quia talis defectus explicitè vetatur in Pontificum decretis; vnde & hoc caſu debebit, repetere, & ſocius, qui experientiâ didicerit, illum ita præcitanter & imperfectè Horas canonicas legere, ſecurus non erit, ſi cum illo pſalmodiam frequentet, vt etiam tenet Nauarrus in Enchir. Confeſſ. c. 25. nu. 98. & 99. qui cenſet ſocium huiuſmodi mortaliter peccare, ſiquidem non fuerit in eius famulatu. Veniale autem erit, ſi materia leuis, & tunc nihil neceſſariò repetendum: Conſulendum tamen, vt Pſalmum aliquem vel orationem finito officio recitent, huiuſmodi præcipites, vt ſi quid maculæ inhæſerit, hoc modo detergatur.

Nota hîc prudenter ſtatutum in Concilio Baſilæenſi, Titulo, Quomodo diuinum officium §. 1. vt diuinæ laudes tractim & cum pauſa decenti, præſertim in medio cuiuſlibet verſiculi pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne ac feriale officium differentiam, reuerenter perſoluantur. Rectè autem aduertit Nauarrus ſuprà c. 16. n. 25. & 26. & c. 17. n. 43. pauſam illā non ſolùm faciendam in medio verſuum, vbi puncti vel virgulæ ſunt impreſſæ, ſed multò magis in fine, vbi plurimùm plenus eſt ſenſus, Ratio verò pauſæ eſt, partim vt vox reficiatur, partim vt mens ad vlteriorem attentionem & deuotionem excitetur. Debet autem hæc pauſatio eſſe moderata, nec nimis breuis, nec nimis longa, ne tædium pariat. 14.

14. *Pauſa interponenda dum peragitur diuinum officium in medio verſiculorum & in fine eorumdem.*

Quæres hîc, An peccatum ſit Horis Canonicis aliquid extraneum addere, vel permiſcere, quod in eorum ritu, & formula non contineatur.

15. *Quæritur, an peccatum ſit horis Canon. aliquid extraneum addere.*

Reſpondeo primò, Dum officium priuatum recitatur, ordinariè vel nullum, vel certè exiguum committi peccatum aliquam piam precatiunculam addendo, v. g. Patroni & tutelaris ſui commemorationem cum alijs ſanctorū ſuffragijs. Hoc enim nō videtur peccatum, & ratio eſt, primò, quia dum Pontifex prohibet quidquam addi Diuinis Officijs, loquitur ferè de officijs prout

16. *Dum priuatim officium dicitur, nullum vel exiguum*

prout in Eccleſia publicè dici ſolent. Deinde non planè conſtat, an Officium Canonicum, dum priuatim legitur, ſit oratio publica & nomine Eccleſiæ recitetur. Tertiò, quia, vt ſuprà dictum, nullum peccatum eſt, ſi interdum pia aliqua meditatione, vel oratione iaculatoria pſalmodia interrumpatur, quia pertinent hæc ad finem orationis, & deuotionem magis etiam accendunt. Quòd ſi aliena ab oratione interſerantur, tunc peccatum erit ratione interruptionis, & indecentiæ, de quo alibi actum.

ümmitit titer pecca- tum, præ- tionem ali- quam ad- dendo.

17\. *Quomodo grauiùs delinquatur aliquid addendo.*

Dixi autem ordinariè non fore peccatum, vel non niſi exiguum, quia ſi per illas additiones vellet quis nouos ritus ſua auctoritatę inducere, poſſet eſſe grauius, quamquam hoc vix fieri poteſt, cùm quid admiſcetur priuatim ex deuotione. Cenſeo etiam poſſe grauiùs in hac parte delinqui, cùm quis omiſſis v. g. lectionibus approbatis, quas habet in Breuiario, earum loco alienas non approbatas recitat vel quid ſimile admiſcet.

18\. *In officio chori peccatum maius erit aliquid addere; quomodo autem illud fiat, explicatur.*

Reſpondeo ſecundò, Dubium non eſſe grauiùs delinqui ad Officiũ Chorj aliquid adiungendo, vt rectè Suarez aduertit cap. 4. de Oratione cap. 13. num. 15. Primò quidem, ſi aliquid addatur tamquam pars Officij Canonici perpetuo ritu in eo decantandum, tunc enim apertè contrauenitur ſanctioni Pij V. Breuiario Romano præfixæ, vbi ſic ordinatur. *Statuentes Breuiarium ipſum nullo vnquam tempore, vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe.* Vnde hoc modo aliquid admiſcere ex ſe graue peccatum erit, quia eſt alienæ iuriſdictionis vſurpatio. Secundò, ſi addatur aliquid tamquam pars Diuini Officij non quidem ſemper & vbique obſeruandum, ſed ſolùm occaſionaliter & per accidens, vt ſi per dies aliquot inſtituatur commemoratio alicujus Sancti ex imprudenti deuotione, aliter quàm Rubricæ Breuiarij præſcribunt, vel quid ſimile admiſceatur præter ordinem Officij, hoc etiam peccatum eſſet, niſi bona fides excuſaret. Si tamen auctarium illud eſſet pium, abeſſetque ſcandalum & contemptus, ſolùm eſſet veniale, quia materia eſt leuior: tunc autem graue foret, ſi additamentum eſſet maius, præſertim verò cùm legitima pars Canonici Officij per hoc negligeretur v. g. ſi approbatæ lectiones omitterentur in Horis, extraneis in earum locum ſubeuntibus. Tertiò, denique ſolet interſeri ſubinde aliquid diuinis laudibus, non vt illorum pars, ſed vt aliquod emblema, & ornamentum adiunctum ad maiorem feſti ſolemnitatem, vt, dum Antiphona vel Reſponſorium, modulatis vocibus, organis, vel inſtrumentis muſicis diuini officij partibus ſuauiter interſonat, quod motetum vocant, & hæc quidem interpoſitio culpa vacabit, modò & res quæ cantatur pia ſit, & ſonus ipſe nihil ſeculare, vanum aut laſciuum perſtrepat: & ratio eſt, quia nuſquam hæc res ab Eccleſia prohibita eſt, & nata eſt excitandis ad deuotionem animis. Quod ſi cantus vel ratione materiæ, vel modulorum fuerit profanus vel obſcœnus, ferè ſemper crimen lætale admittetur, niſi interdum vel ratione leuitatis materiæ, vel inaduertentiæ, ignorantiæ, vel bonæ fidei excuſetur, vt lib. 1. fuſiùs dictum.

19\. *Interſerere aliquid diuinis laudibus interdum nullum erit peccatum.*

CAPVT XXV.

Quod delictum contrahant ſerò ad Chorum venientes, citò exeuntes, in eo dormientes, &c.

Dico primò, tardè ad Chorum intrare poſt Diuinum Officium in-

Digitized by Google

1\. *Tardè ad chorum ingredi vel citò egredi ordinariè eſt peccatum veniale.*

inchoatum, & ante finem illius egredi ordinariè peccatum eſt veniale, ſi ſine rationabili cauſa fiat. Ita Nauarrus in Enchir. de Orat. cap. 10. n. 11. & alij.

2\. *Interdum tamen erit mortale & quando.*

Nota hîc primo, interdum poſſe hîc etiam eſſe peccatum mortale, ſi nimirum pars notabilis alicuius Horæ hac ratione prætermittatur, nec poſtea priuatim ſuppleatur, vel ordinariè ſerò ad chorum ingreſſus fiat, vel inde ante finem recedatur; maximè ſi ſcandalum & perturbatio in alijs ex hoc oriatur, de quibus ſuprà egimus.

3\. *Sæpe huiuſmodi priuari ſolent diſtributionibus.*

Nota ſecundò, tardè ad chorum ſine cauſa venientes, niſi venerint iuxta laudabilem cuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem tempore ſtatuto, priuari Diſtributionibus, vt ſuprà dictum. Similiter ante finem Horarum diſcedentes. Vnde ſtatutum eſt in Concilio Baſilæenſi Titulo *Quo tempore quiſque debeat eſſe in choro*, vt abſentes à choro non cenſeantur, nec Diſtributionibus careant, qui in Matutinis ante finem Pſalmi, *Venite exultemus*; In alijs verò Horis ante finem primi; in Miſſa ante vltimum, *Kyrie eleiſon*, officio diuino interfuerint; ſecus ſi ſeriùs aduenirent.

4\. *Quid conſulat Nauarrus tardè venientibus, & an huiuſmodi diſtributiones reſtituere teneantur.*

Nota tertiò, Nauarrum ſuprà num. 44. ex his colligere, quòd nemo hoc tempore ex Beneficiarijs poſt finitum primum Pſalmum durante eâ horâ deberet ingredi chorum, etiam perdendo Diſtributiones, aut incurrendo alias pœnas; quod, inquit, aliquot religiones obſeruant, quia huiuſmodi ingreſſus eſt occaſio multum diſtrahendi mentes eorum, qui canere cœperunt Horam ab attentione debita. Notat tamen Toletus lib. 2. Inſtruct. Sacerd. cap. 12. num. 6. §. *Quartum dictum*, quod qui tardè ingrediuntur chorum, & tamen accipiunt Diſtributiones, non teneri reſtituere, ſi aliqua rationabili cauſa faciunt, idque rarò; Quod ſi abſque cauſa id faciunt, vel frequenter, non excuſantur; dummodo tamen ſit omiſſio partis notabilis Officij.

5\. *Quid veteres Patres circa ſerò ad diuinum offi. ium venientes ſtatuerint, maximè B. Benedictus.*

Nota quartò, Veteres Patres circa tardè ad chorum venientes plura ſtatuiſſe. Refert Caſſianus libro 3. de Inſtit. Renunciant. cap. 7. de Monachis Palæſtinæ, fuiſſe illis permiſſam dilationem in Tertia, Sexta, Nona, vſque ad finem Pſalmi primi. Is verò, qui in illis Horis priuſquam Pſalmus primus cœptus finiretur ad orationem non occurrebat, vlteriùs oratorium ingredi non audebat, ſed congregationis Miſſam ſtans pro foribus præſtolabatur, donec tarditatis ſuæ veniam impetraſſet humiliter ſatisfaciendo. In nocturnis verò Horis vſque ad ſecundum pſalmum præbebatur tardanti dilatio. Hæc Caſſianus. S. Benedictus his paria ſcribit in Regula ſua c. 43. cùm ita ſtatuit: „ Ad Horam „ diuini officij, mox vt auditum fue„ rit ſignum, relictis omnibus, quæ„ libet fuerint in manibus, ſumma „ cum feſtinatione curratur. Nihil „ operi Dei præponatur. Quod ſi quis „ ad nocturnas Vigilias poſt Gloriam „ Pſalmi 94. quem propter hoc omni„ no protrahendo & moroſè volumus „ dici, occurrerit, non ſtet in ordine ſuo „ in choro, ſed vltimus omnium ſtet, „ aut in loco quem talibus negligenti„ bus ſeorſum conſtituerit Abbas, „ vt videatur ab ipſo, vel ab omni„ bus, vſque dum Completo opere „ Dei, publica ſatisfactione pœni„ teat. Diurnis autem Horis, qui „ ad opus Dei poſt verſum & Gloriam „ primi Pſalmi, qui poſt verſum dicitur „ occurrerit, lege quã ſuprà diximus, in „ vltimo ſtet, nec præſumat ſociari „ choro pſallentium vſque ad ſatisfa„ ctionem, niſi fortè Abbas licentiam „ dederit permiſſione ſua, ita tamen vt „ ſatisfaciat reus. Vides ex his lector vnde Patres Concilij Baſilæenſis ſua decreta hauſerint.

Nota quintò, Ex Nauarro cap. 5. de Horis

6\. *Quæ cauſæ iuſtæ apud Nauarrum abſentiæ à choro, vel citò abeundi, &c.*

Horis num. 20. & 21. quando in aliqua Eccleſia aliquot dies conceduntur, vt quis nihil quotidianarum Diſtributionum perdendo poſſit abeſſe ab Horis, & diuinis officijs, id intelligendũ eſſe cùm abfuerit ex iuſta cauſa, non autem ſolo libito aut cauſa irrationabili, quod probat ex Paludano in 4. diſt. 5. q. 1. Addit præterea idem Nauarrus num. 21. ſtatutum quarumdam Eccleſiarum reputare cauſas iuſtas non veniendi ad chorum, vel ante orationes finitas egrediendi, hoſpitis aduentum, comæ aut barbæ raſionem, & ſimiles. Quod ſi hæ cauſæ verè non ſubſiſtant, ſed ſolùm prætextus abſentiæ vel liberiùs egrediendi quæratur à beneficiarijs, peccabunt, & non acquirent illius Horæ Diſtributiones, quia donatio ob cauſam, ſi cauſa non ſubfuerit, nulla eſt.

7\. *Qui ſerò venit ad chorum, continuare cum eo debet orationem, & poſtea, quod omiſit, ſupplere, &c.*

Nota ſextò, Rectè obſeruare eundem Nauarrum cap. 16. ſuprà num. 6. cum Angelo V. *Hora*, n. 16. quem ſequitur Emmanuel Sa. V. *Hora* num. 8. eum qui inchoatâ Horâ venit ad chorum non debere ſtatim ſupplere id, quod iam chorus, cantauit, ſed debere orationem cum eodem continuare, eâque finita in oratorio; ſupplere illud cui non interfuit. Quod ipſum extenditur ad eum qui poſt horam cœptam ex cauſa egreditur, vel obdormit, cui ſimiliter omiſſa ſupplenda ſunt, ſed finito chori officio. Idem cum Syluestro V. *Hora* quæſt. 12. §. *Tertium*, & Angelo eodem V. num. 18. Dico de ijs qui priuatim preces recitant, & inter legendum recordantur Pſalmum aut

8\. *In choro canentes non tenentur repetere quæ alij canunt cum tuſ-*

aliquid ſimile omiſiſſe: Hoc enim damnum poſtea reſarciendum. His adiunge quæ Nauarrus docet cap. 19. ſuprà n. 82. ex Maiore in 4. q. 6. cum Sylueſtro & Angelo ſuprà, ſcilicet determinaſſe Pariſienſes recitantem aut canentem in choro non oportere repetere vel ſupplere quod alij dixerunt, dum tuſſit, vel cruor naribus fluit, aut aliquid decens loquitur, etiamſi ob id chorum egrediatur, dummodo exiguum ſit, quamuis Pſalmus integer. Ratione namque ſocietatis dictum ab aliquibus cenſetur dictum ab alijs qui mediocri cum diligentia dicunt & audiunt, licet ob aliquod iuſtum impedimentum incidens non dicant vel non audiant, aut non tam rectè ac vellent. quãuis Nauarrus addat ſe ſẽper conſuelere ſolitũ, ſollicitè conſueſcere ad nihil prætermittendum, & ſi quid prætermittatur illud ſupplere, citra tamen impedimentum chori, vel abſentiam ab eo. Vnde cum grano ſalis intelligendum quod habet Emmanuel Sa V. *Horæ Canonicæ*, eum qui parum, animi gratiâ, è choro fuiſſet egreſſus, non teneri, non dicta vel audita ſupplere; Verum enim hoc erit in illis, quibus caput fuerit fatigatum nimia attentione & cantus prolixitate. & ſic conueniet cum Pariſienſi definitione, & ſententia Sylueſtri & Angeli ſuprà.

ſiunt vel aliquid neceſſarium breuiter dicunt, &c.

9\. *Peccat in choro dormiens & tenetur repetere ſi pars fuerit notabilis.*

Dico ſecundò, qui in choro tempore Diuini Officij, vel priuatim recitans, ita dormitat, vt neſciat, an & quid recitet, an vel quid audiat, ſine dubio peccat, ſi voluntarium hoc ſit. De quantitate autem peccati facile ex dictis eſt colligere. Quidquid verò ſit, tenebitur ſub mortali poſtea hunc defectum reſarcire, niſi fortè materiæ paruitas eum excuſet, vt rectè Sylueſter ſuprà, imò Nauarrus ſuprà cap. 9. n. 5. dicit dormientem, & quoad ſatisfactionem Horarum, & quoad lucrandas diſtributiones pro abſente reputari.

10\. *Explicat Nauar. quis dormitans ſatisfaciat præcepto de horis, & quis non.*

Nota tandem ex eodem Nauarro ſuprà n. 9. ſomno inter recitandum ita reſiſtentem, vt ſciat quid recitet, & quid ab alijs recitetur, etiamſi non ita ſenſum eorum capiat ſatisfacere Eccleſiæ præcepto; non verò illum, qui præ ſomno quid dicat aut quid audiat, neſcit, niſi poſtea ſuppleat.

11. *Obliuio aliquando excuſat in toto, aliquando ſolùm à mortali omiſſionem horarum.*

Dico tertiò, Obliuio & incogitantia, quæ ſæpe contingere ſolet circa recitationem vnius aut alterius Horæ ordinariè liberat ab omni culpa earumdem omiſſionem, aliquando verò ſolùm à mortali.

Ratio eſt, ſi enim nullo modo Horarum recitatio in mentem venerit, tunc omiſſio non erit vllum peccatum, cùm fuerit planè naturalis, & inuoluntaria. Quòd ſi quis memoriæ ſuæ infirmæ conſcius, nimirum expertus ſe lectionis Horarum obliuiſci, niſi certo tempore recitet ob negotia poſtea occurrentia, & tamen hoc neglexerit, nec aliquod indicium mentem excitans adhibuerit, peccabit facilè venialiter, ſi conſcientiæ fuerit timoratæ; ſi verò laxæ, etiam mortaliter, ratione videlicet præcedentis negligentiæ venialis, vel mortalis, niſi fortè hæc neceſſitas præueniendi vel ſigno aliquo ſe excitandi in mentem quoque non venerit. Ita ferè D. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 4. Nauarrus tum in Enchir. Confeſ. c. 25. n. 99. tum in Enchir. de Orat. c. 10. n. 48.

12. *Quod organa inter officium modulantur, illud à choro diſtinctè eſt ſupplendum.*

Dico quartò, Conueniens eſt vt tempore Diuini Officij dum organum, Pſalmi, Hymni, vel Cantica, alternis concinuntur, illud à choro diſtinctâ voce ſuppleri, quod organum modulatur. Ratio eſt, quia pars illa à choro non percipitur, quæ ad organũ pſallitur, & ita Horæ non canuntur integræ. Ita Nauarrus Enchir. de Horis cap. 21. num. 15. & Suarez lib. 4. de Horis Canonicis c. 8. num. 7. Quorum ille non ſupplentes non excludit à peccato; Hic verò partem quam organum modulatur, cenſet non ſolùm articulata voce, ſed etiam in cantum flexa reſarciendam. Sed meo iudicio ſequenda eſt in hoc chori cuiuſque bene conſtituti religioſa conſuetudo.

13. *Occupati neceſſarijs chori miniſterijs tempore diuini officij excuſantur à repetendo ea quæ vel non audierunt vel cecinerunt.*

Dico quintò, Excuſantur communi DD. ſententia à repetendis, quæ non cecinerunt vel audierunt; hi qui tempore Canonici Officij occupati fuerunt neceſſarijs chori miniſterijs. Ita D. Antoninus 2. p. titulo 9. cap. 12. §. 3. Sotus lib. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 3. Arragon. 2. 2. q. 83. art. 12. ſub finem, Emmanuel Sa. V. *Horæ* num. 8. Nauarrus Azor. & alij.

Huiuſmodi ſunt, qui deferunt thus tempore Cantici Zachariæ vel Dei Matris, prunas deportant ex ſanctuario ad adolendum incenſum, organa pulſant tempore Officij (licet Sotus de eo dubitet) quærunt Pſalmos, Antiphonas, transferunt libros neceſſarios de vna parte ad aliam, nuncia neceſſaria referunt, pauliſper ad reſpirandum egrediuntur, quæ duo poſtrema ponit Nauarrus Enchir. de Horis capite 11. numero 36. Ratio horum eſt, tum quia non tenentur illi, qui huiuſmodi officijs diſtinentur, ſcire memoriter quæ alij cantant, tum quia cenſetur chorus illis communicare quod ipſis eius ſeruitio occupatis cantat.

14. *Non excuſantur verò qui plus temporis illis impendunt, quàm neceſſe ſit, vel qui ante officium non præpararunt quæ debuerunt.*

Nota hîc primò, ex Nauarro, qui variè hac de re, imò & contrariè interdum, ſenſit, vt patet Enchir. capite 11. de Oratione numero. 36. ſi quis conferat cum capite 10. numero 70. & capite 21. numero 36. Non excuſari illos à peccato, & à repetitione omiſſorum, qui plus temporis his functionibus impendunt, quàm ipſa cauſa requirit. Deinde hanc excuſationem ſolùm locum habere in ijs, quæ ante tempus Diuini Officij præparari non potuerunt; & rectè. Siquidem non excuſauerim eos, qui tempore pſalmodiæ lectiones prælegunt, vt dum ad pulpitum eas cantaturi ſunt ſingulas dictiones emendatè, ſeruata cuiuſque ſyllabæ proſodia efferant, & diſtinctè pronuncient ſeruatis interpũctionis notis: hæc enim ante tempus officij diuini præuidenda erant: & licet tales non peccent dum tempore pſalmo-

pſalmodiæ illa prouident ſuppoſitâ negligentiâ prælegendi; peccarunt tamen in præcedente ſuâ incuriâ: poterant enim & debebant huiuſmodi præuidiſſe, niſi fortè excuſentur per naturalem obliuionem, & inaduertentiam. Locum verò habet, quod dixi in lectore, qui ſciebat, vel qui ſcire debebat, illam lectionem publicè in Choro cantare ſui muneris eſſe; vnde tenebitur poſtea totum ſupplere, quod omiſit canere vel audire; licet in hoc non peccauerit, & lucratus fuerit Diſtributiones. Ratio horum eſt, quia turpitudo ſua nemini prodeſſe debet. L. *Itaque fullo*, ff. de furtis, & non prouidere, quod oportet, peccatum eſt improuidentiæ, auctore D. Thoma 2. 2. quæſtion. 49. articu. 6. Quod ſi tempore diuini officij, hæc & ſimilia fiant ab eo cuius non erat illa præparare, idque in defectum alterius, qui ad illa obligabatur, hic à ſupplendo poſtea excuſabitur. Hæc ferè Nauarrus ſuprà.

16. *Peccatum eſt ſaltem veniale priuatim horam imperfectam ſine cauſa relinquere, grauius ſi publicè, quamuis poſtea reſumatur.*

Nota ſecundò, Frequenter priuatim à multis ſaltem venialiter peccari, qui Horam aliquam canonicam recitare incipiunt, & ſine cauſa iuſta imperfectam relinquunt, poſtea eamdem reſumpturi, tum quia hoc per ſe indecens eſt, tum quia C. *Nihil* 7. q. 1. dicitur ex Concilio Toletano VII. cap. 2. *Nullus abſque præuentu patentis moleſtiæ miniſter vel ſacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis autem temerariè hoc præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Quamuis autem ibi ſermo ſit de ſacrificio Miſſæ, poteſt tamē ad officia canonica transferri. Longè autem grauiùs delinquetur, ſi officium Chori imperfectum ſine vrgente ratione relinquatur. Vide Nauarrum in Enchir. de Horis cap. 16. num. 61. & 62.

CAPVT XXVI.

An præter Horas Canonicas alia etiam quædam ab obligatis recitanda.

NOtum eſt in Breuiarijs præter Horas Canonicas apponi alia quædam loco Corollarij v. g. Officium paruum D. Virginis, Officium Defunctorum, Pſalmos Graduales, Pœnitentiales, Litanias: de quibus dubium eſt, an culpa aliqua ſit illa in choro vel priuatim omittere? & quidem ſiue hoc fiat ab illis, qui vtuntur Breuiario Romano à Pio V. reformato, ſiue ab alijs, qui indulgentia ſedis Apoſtolicæ reſeruarunt ſuum ducentis annis antiquius. 1.

Dico primo, pro illis qui Breuiario Romano nouo vtuntur, ſic ſtatuit Pius V. in Conſtitutione eidem præfixa. 2.

Quod, inquit Pontifex, in Rubricis noſtri huius officij præſcribitur, quibus diebus officium B. Mariæ ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales dici ac pſalli oporteat: Nos propter varia huius vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione remouendum duximus; Verùm debito prouidentiæ paſtoralis admoniti omnes vehementer in domino cohortamur, vt remiſſionem noſtram, quantum fieri poterit, ſua deuotione ac diligentia præcurrentes illis etiam precibus, ſuffragijs & laudibus ſuæ & aliorum ſaluti conſulere ſtudeant. Tribuit inde Indulgentias centum dierum dicentibus Officium D. Virginis aut Defunctorum; ſeptem verò Pœnitentiales Pſalmos, vel Graduales orantibus quinquaginta dierum „ His verò ſub-

Qui Breuiario Romano Pij quinti vtuntur abſque periculo peccati omittunt officiũ paruum D. Virginis & reliqua; licet illud & alia legentes indulgentias conſequantur.

3. „ſubiungit: Hoc autem concedimus „ſine præiudicio ſanctæ conſuetudinis „illarum Eccleſiarum, in quibus officium paruum B. Mariæ ſemper Virginis in choro dici conſueuerat, ita „vt in prædictis Eccleſijs ſeruetur ipſa „laudabilis, & ſancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum officium. Hæc Pontifex. Vnde ſi in illis Eccleſijs conſuetudo erat Officium D. Virginis cantandi recepta per modum legis, obligabit etiã iã ſub peccato mortali proportione ſumpta ab Horis canonicis, ſi verò ſolùm vſurpata erat per modum ſimplicis conſuetudinis, nunc etiam ſub culpa nulla obligabit.

In quibus tamen Eccleſiis conſuetudo fuerat illud D. Virg. officium in choro pſallendi, etiam nunc ſeruanda eſt.

4. Nota verò, illud quod dicit Pontifex (in illis Eccleſijs, in quibus officium paruum B. Virginis dici conſueuerat in Choro, ſeruandum eſſe etiam iam laudabilem conſuetudinem) ſic intelligi à multis DD. vt videlicet recitetur non quotidie, ſed ſolùm illis diebus, quibus præſcribitur in Rubrica noui Breuiarij dicendum, quæ habetur ante officium paruum eiuſdem Virginis. Ita Petrus Arragon. 2. 2. q. 83. a. 11. Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 12. & alij. Et ratio eſt, quia veriſimile eſt Pontificem voluiſſe ſeruari Rubricas ſui Breuiarij, & ſecundum earum præſcriptum illud ſtatuiſſe recitari.

Hoc autem intelligendum videtur de diebus quibus præſcribitur illud ipſum dicendum in noui Breuiarij Rubricis.

5. Dico ſecundò, In alijs omnibus Eccleſiis, quæ hoc nouum Breuiarium non receperunt, ſtandum eſt antiquis moribus, & Breuiariorum ſtatutis, quibus vtuntur, vt nimirum prædicta officia diebus præſcriptis recitentur, idque ſub eadem obligatione, quæ ante vigebat. Nihil illis ſiquidem per noui Breuiarij editionem & non receptionem relaxatum eſt.

In alijs Eccleſiis quæ Breuiarium Pij non receperunt manet eadem obligatio officium D. Virginis legendi quæ ante erat.

Probatur primò, Manifeſtè ex verbis Pij V. in ſua Conſtitutione iam allatis, in quibus declarat ſe ſolum auferre obligationem è rubricis ſui Breuiarij & periculum peccandi à non recitantibus, idque ex indulgentia. 6.

Probatur ſecundò, Quia æquum eſt vt qui nouum aliquod decretum varia onera annexa habens ſuſcipiunt, gaudeant etiam priuilegijs in eodem conceſſis; cùm ergo antiquo vtentes Breuiario illud non admiſerint, meritò etiam eiuſdem immunitatibus priuantur intra ſui iuris terminos conſtituti. 7.

8. Quod nunc ſpectat ad obligationem prædictas preces recitandi ab ijs, qui Romanum Breuiarium nouum non acceperunt, nihil certi reſponderi poteſt: quia obligatio hæc incerta eſt & pendens à cuiuſque Eccleſiæ antiquis conſuetudinibus & ſtatutis. Solùm indicabo auctores aliquos qui hac de re ſcripſerunt. Caietanus itaque V. *Hora* num. 4. & 5. Sic habet; Ex „iure ſolùm inueniuntur ſeptem Horæ, „Canonicæ præceptæ, ex conſuetudi- „ne autem quilibet debet iuxta ſuæ „Eccleſiæ ſeu religionis conſuetudi- „nem dicere pro Horis, quod ibi con- „ſueuit pro Horis dici. Et idem repu- „tatur iudicium de adiunctis ſiue ſuf- „fragijs, ſiue Pſalmis, ſiue Horis Beatæ „Virginis, &c. Diſcernendo ta- „men conſuetudinem vim haben- „tem præcepti à conſuetudine ſimpli- „ci, ita quod conſueta ſecundum vim „præcepti ſoluantur vt præcepta, & „conſueta vt conſueta. Hæc ille. Dominicus verò Sotus libro 10. de Iuſtit. quæſtion. 5. art. 4. tradit officium D. Virginis primum quidem recitari cœpiſſe ex deuotione, poſtea ex conſuetudine habente vim præcepti. Item omnes in ſacris teneri ad Officium Defunctorum in Commemoratione Animarum; Beneficiatos autem diebus omnibus, quibus ex conſuetudine recitatur in ipſorum Eccleſiis; Putat verò religioſos ad illud obligari ſecundùm ſua ſtatuta, Litanias verò dicit non habere vim præcepti vt recitentur.

Incertum eſt quanta ſit obligatio in ijs qui Rom. Breu. non receperunt prædicta officia legendi vt patet ex citatis DD.

9.

10.

Syl-

Sylueſter V. *Hora* q. 5. dicit ad officium B. Virginis teneri eos, qui tenentur ad Horas ratione generalis conſuetudinis, eo modo, quo eſt in conſuetudine Eccleſiæ, cuius officium dicunt.

12. Idem q. 6. docet de Officio Defunctorum: Nauarrus autem in Enchir. de Orat. cap. 10. n. 3. affirmat generatim eos qui tenentur recitare Horas canonicas, etiam teneri recitare Horas B. Virginis quæ ſunt pars Horarum canonicarum. Idem num. 4. tradit eoſdem teneri ad officium Defunctorum, diebus quibus Breuiarium ipſorum præcipit generaliter omnibus qui Breuiarium illud recitant. Eſt enim tunc, ait, pars Horarum canonicarum, non iure, ſed conſuetudine. Quod ſi, inquit, dumtaxat præciperet recitari in choro talis vel talis Eccleſiæ vel talibus Canonicis aut Clericis, alij ad id non tenerentur. Iuxta communem ſententiam DD. D. Thomas

13. quodlibeto 6. art. 8. diſputans, an Beneficiatus in ſcholis exiſtens teneatur ad legendum Officium Mortuorum? Reſpondet, quod officium Mortuorum quandoque in Eccleſia dicitur, ſicut ordinariè pertinens ad Eccleſiæ Officium, ſicut in tota Eccleſia in die Animarum, & in qualibet eſt aliqua ſuper hoc ſpecialis conſuetudo, puta vt dicatur ordinariè ſemel in ſeptimana vel qualitercumque aliter ſecundùm certum tempus; & ad huiuſmodi officium tenetur Clericus beneficiatus in ſcholis exiſtens. Aliquando verò dicitur Officium Mortuorum in aliqua Eccleſia extraordinariè, propter aliquam cauſam ſpecialiter emergentem, puta ad preces alicuius perſonæ, &c. & ad huiuſmodi officium non tenetur Clericus exiſtens in ſcholis. Hæc Diuus Thomas. Putat vero Sotus ſuprà, non eſſe ita certum an Clerici non Beneficiati ad Officium Defunctorum teneantur, quia videtur officium illud introductum potiùs ratione præbendarum, quàm nudi ordinis, prout inſinuat D. Thomas. Hinc vides lector, certi nihil definiri hac de re poſſe, ſed vnicuique gradiendum antiquâ & tritâ patrum viâ, id eſt, conſulendam conſuetudinem. Plura de obligatione recitandi officium D. Virginis & Defunctorum, vide apud D. Alardum Gazæum in libellis de iiſdem officijs. 14.

14. Qui priuatim offic. Rom. legunt exempti ſunt ab onere prædicta legendi, in alijs, qui antiquum retinent, priuatim etiam manet obligatio quæ ante erat.

Dico tertiò, Sicut illi qui publicè in choro officium diuinum recitant ſecundum vſum Breuiarij Romani noui, exempti ſunt ab onere prædictas preces minores recitandi; ita etiam dum idem officium priuatim recitant ab iiſdem immunes ſunt. E contrà, qui ſuum ducentis antiquius annis retinent, obligantur priuatim eaſdem preces recitare ea obligatione, quâ antea ex conſuetudine, vel ſtatuto tenebantur, vt per ſe patet.

Tantùm duo hic ſunt notanda. Primum, quando ſpecialis lex in nouo Breuiario Romano fertur de horum aliquo recitando in particularibus Rubricis, tunc illud recitantes ad idem tenebuntur. Sic iuxta Romani Breuiarij ſpecialem Rubricam obligantur omnes Horis legendis aſtricti in die Commemorationis Animarum ſub præcepto legere Officium Defunctorum nouem lectionum. Item tenentur in die S. Marci Euangeliſtæ, in quem incidunt Litaniæ maiores, & tribus diebus Rogationum, ſiue Litaniarum minorum legere Litanias cum adiunctis precibus, niſi interfuerint illorum dierum proceſſionibus. Et ratio eſt, quia indultum Pij V. ſolùm excipit à Rubricis generalibus, non verò ab hiſce ſpecialibus, quia de illis in indulto nulla fit mentio. 15.

15. Quando in nouo Pij V. Breuiar. fertur ſpecialis lex de horum aliquo legendo v. g. de Offic. Defunctorum in die Animarum, Litanijs diebus quibuſdam, tunc ad illud qui eodem vtuntur, ſpeciatim tenentur.

Alterum; Clericos reformato Romano Breuiario vtentes, dum priuatim

16. tim recitant non aſtringi, ad legendum paruum officium B. Virginis, quamuis in Choro ſuarum Eccleſiarum iuxta conſuetudinem quam Pius V. vult retineri, pſallatur. Ita cum alijs docent Emmanuel Rodericus tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 41. artic. 15. & Azor. lib. 10. Moralium Inſtit. cap. 16. qu. 3. Et ratio eſt, quia dum Pontifex ſolùm obligat ad ſeruandum antiquum vſum in Choro, ſatis inſinuat ſe Clericos eximere ab onere illas recitandi, dũ priuatim orant. Multò verò magis ijdem liberi erunt à perſoluendis, Pſalmis Pœnitentialibus, Officio Defunctorum &c. quamuis in Choro iuxta Rubricas Romani Breuiarij canantur. Quia aliorum deuotio non poteſt illis obligationem inijcere.

Clerici Pij quinti Breuiar. legentes non obligantur dum priuatim recitant, D. Virginis offic. quamuis ex conſuetudine antiqua in choro dici debeat.

CAPVT XXVII.

Qua voce Officium Diuinum recitandum.

1. Conſtat ex traditis libro primo, precationem canonicam ex natura ſua eſſe vocalem & voce ſenſibili neceſſariò proferendam.

Vnde non eſt probabilis eorum ſententia, qui putant ſatisfacere aliquem poſſe præcepto Eccleſiæ, dum Horas priuatim orat, ſi ſola mente eas percurrat, vt rectè Emmanuel Sa V. *Hora*, n. 11. & Franciſcus Suarez de Horis can. c. 7. num. 2. Meritò redarguit Nauarrum dicentem c. 20. Enchir. de Horis numer. 14. diſputando ſuſtineri poſſe dicentem ſolùm mentaliter ea, quæ iubentur in Horis canon. vel Miſſę ſacrificio ſecreto dici, ſatisfacere, licet ipſe non conſuleret. Certum eſt enim hoc non ſufficere, tum quia Eccleſia præcipit orationem ſenſibilem, tum quia ſola mente ſinę vllius vocis prælatione ſequeretur poſſe fieri Venerabilis Euchariſtiæ conſecrationem, qui eſt error manifeſtus.

Non eſt probabile poſſe priuatim Horas Canonicas ſola mente percurri ab obligatis.

Dico primò, Quando canonicum officium publicè in Choro recitatur neceſſariò alta voce, quæ ab alijs percipi poſſit, proferendum eſt. Eſt certa, & conſtat ex ijs quæ 1. libro tradidimus. 2.

Publicè officium alta voce proferendum.

Dico ſecundò, Quando idem officium dicitur priuatim alternis tamen cum ſocio, vel ſocijs lege Horas orandi aſtrictis, dicendum eſt eo vocis ſono vt ab ijſdem percipi poſſit. Quod ſi ſocius ex deuotione, & non ex obligatione recitet, ſatis erit, vt vltimas ſyllabas, verſus vel lectionis capiat, vt alternis reſpondere poſſit. Ratio prioris partis eſt, quia non poteſt obligatus ad Horas recitandas cenſeri legere per alterum, cùm nihil eorum quæ legit auditione percipit. Ratio verò poſterioris patet, quia cùm alter nihil legere teneatur, non obligabitur etiam alternis audire. 3.

Quando priuatim dicitur officium cum ſocio obligato, ſic proferendum vt ab vtroque percipi poſſit.

Dico tertiò, Cùm quis ſolus priuatim Horas Canonicas recitat, vti poteſt voce elata, vel depreſſa prout libuerit, niſi prudentia dictauerit ſubmiſſiùs recitandum, ne alij impediantur. 4.

Quando priuatim quis ſolus recitat, poteſt vti voce alta

Probatur, quia cùm nec ratio, nec præceptum illum vrgeat, hoc vel illo modo recitare, liberum illi erit, vtrum voluerit, eligere.

Solùm ſupereſt hîc difficultas, An cùm quis ſolus Horas recitat ſufficiat vocem in ore formare, ita vt à nullo penitus, ne quidem ab ipſo recitante audiatur; an verò neceſſarium ſit à circumſtantibus, vel ſaltem ab eo qui legit illam percipi? 5.

Dubium an cum quis ſolus recitat, ſatis ſit ita vocem formare vt à nullo penitus ne quidem à recitante audiatur.

Sunt de ea quęſtione tres diuerſę Doctorum opiniones. Prima eſt Ioannis Medina Cod. de Orat. q. 7. vbi docet vocem priuatim, & per ſe ſolum recitantis debere eſſe tam claram & diſtinctam, vt aſſiſtentes eam audire, ceſſante alio impedimento poſſint, quæ probari poteſt. 6.

Sunt tres ſententiæ, prima eſt debere vo-

Pri-

...tem ita eſſe claram, vt ab aſtantibus percipi poſſit, ſed ea reijcitur.

Primò ex Concilio Baſilæenſi ſeſſ. 21. vbi dicitur officium debere recitari non in gutture neque inter dentes. Verùm nihil aliud vult Concilium, niſi vt officium dicatur diſtinctè, articulatè & intelligenter, non verò voce
7. ita clara vt ab alijs audiri poſſit, vt rectè aduertit Nauarrus cap. 20. de Horis n. 14.

8. Confirmari poteſt eadem ſententia ſecundò ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 83. artic. 13. in corpore, vbi docet rationabiliter eſſe inſtitutum, vt miniſtri Eccleſiæ publicas, ſiue communes orationes etiam alta voce pronuncient. Sed D. Thomas manifeſtè ibi loquitur de publicis orationibus, quæ publicè in choro canuntur, vel recitantur; non verò de oratione, quæ priuatim in cubiculo recitari poteſt.

9. Probatur etiam tertiò, ex Caietano in locum D. Thomæ citatum, vbi præter alia reprehendit dicentes priuatas Miſſas, ita ſubmiſsè vt ab audientibus intelligi nequeant: & inferiùs videtur requirere, vt ſaltem oratio communis ſic intelligibiliter dicatur, vt percipi poſſit, non ſolum ab orante, ſed etiam ab alijs diſtinctè ſenſus verborum. Verùm Caietanus loquitur iuxta mentem D. Thomæ, in quem commentatur, de oratione, quæ publicè coram alijs profertur, vt patet exemplo, quod adfert de Miſſa, quam præſentibus alijs vult clara voce pronunciari, & mox ſubdit; quòd ſi coram alijs non dicatur, ſufficiet, ſi a ſeruitore proximo audiatur. Ex quo inferas, quod ſi quis ſolus Horas recitet ſine ſocio, ſatis eſſe, ſi ipſe ſolus intelligat. Tunc enim ſufficiet orationem eſſe ſenſibilem, & vocalem, quod eſt neceſſitatis, non verò altam, quod ſolùm eſt rationabile & decens. Quòd ſi ratio aliud ſuadeat v. g. ne alij impediantur, ne quidem tunc conueniet clara voce illas pronunciare.

Altera ſententia planè oppoſita, eſt Ioannis Azor. lib. 10. cap. 11. quæſt. 4. vbi tenet ſatis eſſe dum quis ſolus diuinum officium perſoluit, vt ſic recitet, vt verè dici queat voce preces fundere, ſiue ab alio, vel à ſe audiri poſſit, ſiue non: quia ſolùm tenetur ore, & non tantùm mente precari. Ratio itaque ipſius eſt, quia Eccleſia ſolum præcipit, vt voce oretur, non autem tanta, vel tanta. Sed dicendum Eccleſiam quidem non præcipere, vt oretur voce tanta vel tanta; velle tamen, vt oratio ſit ſenſibilis, vel vocalis, vt ſaltem ab illo percipiatur, qui illam recitat; quod ſatis colligitur dum paſſim in Concilijs inculcatur (τὸ diſtinctè) vt in Tridentino nominatim ſeſſ. 24. cap. 12. & rurſus non in gutture, neque inter dentes, vt in Baſilæenſi ſeſſ. 21. §. 2. 10.

Altera eſt. ſufficere vt ore profe-rat, ſiue ſeipſum audiat, ſiue non, ſed & hæc reijcitur.

Tertia demum opinio, cui inhærendum, eſt communis Nauarri & Caietani ſuprà, Suarez, & aliorum, ſcilicet, vocem eius qui ſolus recitat, non neceſſariò quidem debere ita eſſe elatam vt alij præſentes eam percipiant; debere tamen non ita eſſe depreſſam, quin ſaltem ſe ipſum audiat. 11.

Tertia ſententia vera eſt non debere vocem orantis priuatim eſſe ita claram vt præſentes audiant, non tamen ita preſſam quin ſaltem ſe intelligat.

Prior pars per ſe ſatis clara eſt, quia Eccleſia ſolùm iubet, vt oratio ſit vocalis, & ſenſibilis, qualis eſt etiam ſi ab aſtantibus non percipiatur.

Addit Nauarrus ſuprà, magnam partem Miſſæ, & quædam ex Horis Canonicis recitanda eſſe ſubmiſsè & ſecretò, quod indicium eſt, poſſe etiam voce
depreſſa officium legendo Eccleſiæ 12.
præcepto ſatisfieri. 13.

Altera pars probatur, tum quia vix aut ne vix quidem fieri poteſt, vt quis vocem articulatè vocalibus plectris, lingua dentibus formet, vt illam non percipiat, niſi fortè fuerit ſurdus; tum quia Eccleſia præcipit vocem ſenſibilem, quâ homo exteriùs ſignificet ſe orare; Atqui hoc non ſignificabit, niſi 14.

ſaltem ſe ipſum orantem audiat. Ergo hoc neceſſariumeſt, vt ſcire poſſit ſe præcepto Eccleſiæ feciſſe ſatis.

CAPVT XXVIII.

Quo loco Precationes Canonicæ dicendæ.

1. QVia lib. 3. pluſcula de hoc argumento inculcanda, ideo carptim hanc quæſtiunculam delibabimus.

2. *Publicè dum dicuntur, in Eccleſijs canenda.*

Dico primò, Preces Canonicæ, cùm publicè dicuntur à Beneficiarijs, in Eccleſia pronunciandæ ſunt. Tractat hoc amplè Ioannes Stephanus Durantus lib. de Ritibus c. 24. à num. 1. vſque ad 8. & Nauarrus in Enchir. de Horis toto cap. 5.

3. *Probatur ex Iure.*

Probatur ex C. Finali diſt. 92. & Clementina 1. de Celebratione Miſſar. vbi præcipitur Canonicum Officium in Eccleſia pſallendum. Vide Sotum l. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 4. ſub finem.

4. *Probatur ratione.*

Ratio eſt, quia inter ceteras cauſas, cur Eccleſiæ extructæ ſint, illa eſt non poſtrema, vt in ijs Diuina Officia religioſè celebrentur; vnde & Oratoria, & domus orationis paſſim nuncupantur.

5. Adde populum eò conuenire, vt diuinas laudes audiat, Deique, vt ait Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum q. 4. commendatiorem & ſacratiorem ibi eſſe præſentiam.

6. *Dictum noſtrum intelligit extra tempus neceſſitatis.*

Nota vero dictum noſtrum intelligendum extra tempus neceſſitatis, tum enim poſſunt loco aliquo honeſto & congruo dici, quia tum verum eſt illud Clementis Romani lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 34. Non locus hominem ſanctificat, ſed homo locum. Vnde primis Eccleſiæ temporibus in Cryptis, & Hypogæis diuina peragebantur officia.

Dico ſecundò, officium diuinum priuatim etiam à Beneficiarijs legitimè impeditis recitari poteſt quolibet loco, dummodo is talis ſit, qui attentionem non impediat, aut alijs offenſionem non pariat, aut denique Dei cultum non dedecoret. Eſt communis Doctorum Caietani, Soti ſuprà, & aliorum. Et ratio eſt, quia, vt inquit S. Baſilius exhortatione ad baptiſmum, in precibus priuatis non locus, ſed affectus deſideratur, habetq; locum illud Pſalmi 102. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* 7.

Priuatim quolibet loco decenter dici poteſt offic.

8. Confirmatur ex piorum conſuetudine: & accedit, nullum in iure communi extare decretum, quo hoc vetetur. Certè Concilium Baſilæenſe ſeſ. 21. agens de modo priuatim legendi Horas, hæc tantùm habet, *Orent tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam ſe diſponere & præparare debent.*

9. *Interdum teneri quis poteſt ex lege ſpeciali dicere officium certo loco.*

Dixi in iure communi hoc non vetari, quia vt rectè Nauarrus Enchir. de Horis capite 5. numero 3. poteſt interdum quis teneri officium dicere certo loco, idque lege, vel ſtatuto ſpeciali, vel conſuetudine rationabili: quo caſu, ſi alibi legerit, non ſatisfaciet illi ſtatuto, &c.

10. *Cæteris paribus melius eſt offic. recitare in locis ſacris quàm alibi.*

Dico tertiò: Non eſt dubium quin ceteris paribus melius ſit officium recitare in Eccleſijs & locis conſecratis, quàm profanis.

Probat hoc Nauarrus ſupra num. 4. ex iure & DD. de quo plura lib. 3. Sufficiat attuliſſe rationes quas habet D. Thomas 2. 2. quæſt. 84. artic. 3. ad 2. ſcilicet, Primò propter loci conſecrationem ex qua ſpiritualem deuotionem concipiunt adorantes, vt magis exaudiantur, ſicut ex adoratione Salomonis 3. Reg. 8. Secundò propter ſacra myſteria & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur, & magis excitant ad Dei præſentiam apprehendendam, eumque orandum. Tertio propter concurſum multorum ado- 11.

Rationes huius adferuntur ex D. Thoma.

Digitized by Google

adoratorium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, iuxta illud Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c.*

12. Occurrebat hîc agendum de Situ, qui eſt habitudo quædam corporis, & partium eius in loco; Verùm de illo latiùs tractandum lib. 3.

13. *Situs in recitando priuatim ſeruandus qui conciliet reuerentiam & deuotionem, publicè verò qui alios ædificet.*

Solùm duo obiter monenda. Primum, dum priuatim oratio canonica habetur, ſeruandus ille corporis habitus qui partim mentem excitet ad Dei reuerentiam & deuotionem, partim corporis valetudini non obſit. Cùm verò habenda alijs præſentibus, ſeruiendum ipſorum bonæ ædificationi.

14. *Publicè ſeruandus ſitus qui in conſuetudine eſt cuiuſque Eccleſiæ in cuius prætermiſſione aliquando peccatum ven. committi poterit.*

Alterum eſt, inſuper tenendam poſituram illam, quæ Rubricis Breuiarij cuiuſque præſcribitur, vel in conſuetudine eſt Eccleſiæ in qua reſidet: nam ſitus ille, ſi commodè fieri poteſt, etiam priuatim retinendus. Quamuis autem, vt rectè aduertit Suarez libro 4. de Oratione capite 27. numero 2. in huiuſmodi rituum prætermiſſione nullum ordinariè, ſi contemptus abſit, committatur peccatum, maximè in priuata recitatione; publicè tamen, ſi prætereantur, leuis interdum offenſio in alijs exiſtit: vnde tam ratione illius, quàm etiam ex parte prætermiſſionis facilè in choro peccatum veniale admittetur, ſi cauſa legitima deſit. Vide Nauarrum in Enchir. de Oratione capite 4.

CAPVT XIX.

Quo tempore Horariæ preces publicè in templo dicendæ.

PRincipio ſummatim in vnum colligo, quæ lib. 1. de primæua & canonica Diuinorum Officiorum Inſtitutione circa temporum obſeruationem ex antiqua Patrum memoria deduxi. Sunt autem hæc.

1. *Summatim tempora exprimuntur, quibus ex primæua Inſtitutione canonicum officium dicendum.*

Nocturnum officium ex prima inſtitutione pſallendum poſt mediam noctem, Laudes autem ſub auroram cœlo albeſcente. Prima, Hora poſt ſolis ortum prima. Tertia, in ſecunda vel tertia diei hora inæquali, Sexta conſequenter, quarta, quinta, vel ſexta hora. Nona ſimiliter ſeptima, octaua, vel nona. Veſperæ hora duodecima, ſub occaſum ſolis, poſtremò Completorium in crepuſculo veſpertino. Hæc mihi videntur, vt accuratè explicui lib. 1. fuiſſe olim canonica tempora diuinis officijs obeundis conſecrata. Quæ tamen noſtra hac tempeſtate (quâ non ſolùm merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, vt quondam dixit Pelagius Papa C. *Fraternitatis* diſt. 34.) In paucis vel nullis propè Eccleſijs Cathedralibus obſeruari videmus. Soli monachi ferè, & regulares definita à iure antiquo aliquo modo tempora retinent, in quibus Horas canonicas decantent.

2. *Competentibus horis publicè pſallendum.*

Dico primò, publicè competentibus temporibus in Eccleſia Horæ canonicæ perſoluendæ.

Probatur primò, ex C. *Presbyter*, de Celebratione Miſſarum, vbi præcipitur publicè compleri horis competentibus officium, licet priuatim mane dici plures Horas permittat. Idem mandatur Clementinâ primâ, eodem. Vnde rectè Concilium Baſilæenſe ſeſſ. 21. horis, inquit, debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſſis, per ſingulas horas, laudes diuinæ reuerenter ab omnibus perſoluantur.

3. Probatur ſecundò, quia niſi Officij horæ reſpondeant horis diei manifeſta ſequetur indecentia, cùm plurima pſalmorum, & orationum verba mentionem faciant certorum temporum, verbi gratiâ, noctis, auroræ, meridiei, veſperæ, &c. quæ ſi alienis horis vſurpentur indecora ſunt & minùs conuenientia. Vnde D. Thomas quodlibeto 3. artic. 29. abſurdum putat tempore

Completorij dicere *Iam lucis orto ſidere* &c. Deinde minus aptè redemptionis noſtræ myſteria repræſentantur, niſi preces Horariæ temporibus ab Eccleſia definitis celebrentur.

5\. *Horæ quibus pſallitur, non ſunt accipiendæ mathematicè, ſed moraliter, & cum quadam latitudine.*

Dico ſecundò, tempora Horis publicè cantandis deſtinata, non ſunt accipienda Mathematicè & indiuiſibiliter, ſed cum morali quadam latitudine, vt notum eſt, ſiquidem Officio Nocturno tribuimus totum interuallum à media nocte, vſque ad ortum auroræ, Laudibus aſſignamus totum crepuſculum Matutinum, hoc eſt circiter horam & dimidiam. Primæ horam vnam, Tertiæ binas, Sextæ, & Nonæ tres, Veſperis vnam, Completorio vnam cum dimidia.

6\. *Tempus competens horis canendis eſt id quo populus frequentior conuenire ſolet, modò non multum excedat limites à Iure præfixos.*

Dico tertiò, Hæc tempora officio publicè celebrando conuenientia non malè ſumuntur à conſuetudine frequentioris populi conuentus, ſi videlicet non multum excedat limites horæ legibus præſcriptæ ſiue Canonicæ. Ita Innocentius in C. *primum*, de Celeb. Miſſ. vbi ſic ait, *Horas competentes credimus illas, quibus melius creditur populum acceſſurum ad officium audiendum.* Hæc ille, cuius dictum paſſim DD. probant.

7\. *Conſulenda quoque hac in re Rubrica Breuiariorum & ſequenda.*

Dico quartò, In hac quoque temporum deſignatione obſeruandæ ſunt Miſſalium, & Breuiariorum Rubricæ, quamuis interdum humanæ infirmitati compatientes non nihil deuient à priſtino Patrum rigore, vt cùm ſtatuitur Veſperas in quadrageſima decantandas mane, ante refectionem, quæ olim paulò antè noctem canebantur.

8\. *Sequendus hic ante omnia cuiuſq; Eccleſiæ receptus vſus.*

Dico quintò, Ante omnia in publica pſalmodia retinendus eſt mos, quo ad tempus eam perſoluendi, cuiuſlibet Eccleſiæ, Religionis, aut Prouinciæ, & receptus vſus. Ita Caietanus in Summa V. *Hora*, num. 12. Syluester eodem q. 9. §. *Primum*, Nauarrus Enchir. de orat. c. 3. n. 59. & alij omnes.

Nota hîc ex eodem Caietano ſupra, in præuentione vel poſtpoſitione Officij in Choro non interuenire peccatum mortale, etſi quandoque negligentia magna interueniat, dummodo communiter ſeruetur conſuetudo, quia in huiuſmodi, ait, circūſtantijs, nō puto, incurri mortale peccatum ſine contemptu, quoniam non ſpectant ad ſubſtantialia materiæ præcepta. Quod eius dictum, vt conueniat cum communi DD. ſententia limitandum eſt, niſi ita notabilis fiat antepoſitio, vel pōſtpoſitio in publico officio, vt iuxta commune iudicium graue ſcandalum in populo oriatur, pro cuius fructu pſalmodia ſtatis horis peragitur, vel magna precum canonicarum naſcatur confuſio; tunc enim peccatum erit mortale, v. g. ſi populus volens poſt prandium audire Veſperas, audiant decantari in choro Primam. Ita Syluester ſuprà q. 9. §. *Sextum*, Angelus V. *Hora* num. 22. & Nauarrus ſuprà n. 63. vbi dicit ſententiam Caietani reprobari per ius Canonicum, c. 1. de Celebratione Miſſarum & Clementinas eodem.

9\. *Non committitur peccatum mortale præueniendo vel poſtponendo tempus conſuetum horas cantandi, niſi vel ea in re graue oriatur ſcandalum vel confuſio in diuino officio.*

Nota ſecundò, paſſim tradere Doctores, ex iuſta cauſa poſſe interdum preces canonicas anticipari vel differri: ſic videmus propter ſolemnem proceſſionem poſtridie habendam ad Veſperam pridie decantari Matutinum cum Laudibus. Huiuſmodi cauſæ iuſtæ numerantur hæ à DD. Synodus congreganda, hoſtium timor, concio habenda, aduentus principis, & ſimiles. Addit etiam Nauarrus ſuprà num. 71. & 73. minorem cauſam requiri, vt ſemel atque iterum mutetur hora officij publici, quàm vt in perpetuum: Imò putat maiorem auctoritatem ad hoc requiri, quàm ſit Epiſcopi, qui non poteſt ferre ſtatutum contrarium iuri communi Conciliorum & Pontificum.

10\. *Ex cauſa iuſta poteſt interdum tempus horæ canonicæ anticipari vel differri.*

CAPVT XXX.

Quando priuatim Eccleſiæ Officium recitandum.

1. *In priuata recitatione non peccatur mortaliter modò intra diem naturalem horæ dicantur.*

DIco primò, nullum peccatum mortale committitur, ab eo qui canonicas preces priuatim legere tenetur, ſi eas recitet intra ſpatium diei naturalis, quod eſt à media nocte ad mediam noctem, quamuis horas debitas non obſeruet.

2. Eſt certa & communis DD. ſic tamen, vt quoad recitationem Matutini & Laudum incipiat dies à veſpera præcedente, vt poſt D. Thomam quodlibeto 5. a. vltimo notarunt Caietanus V. *Horæ Canonicæ* diu. 12. Nauarrus, Couaruuias & alij omnes DD.

3. Probatur, quia nullo præcepto mandatur Clericis, priuatim Horas legentibus, vt horis competentibus recitent; vt oſtendi poteſt ex omnibus canonibus quibus præcipitur, vt in Eccleſijs debitis Horis pſallatur, quos ſuprà retulimus.

4. *Peccatur tamen venialiter grauius vel leuius pro ratione præuentionis vel dilationis ſi horæ ſtatæ legendi prætereant.*

Dico ſecundò, peccabunt tamen iidem venialiter grauius vel leuiùs pro ratione præuentionis vel retardationis, ſi horas ſtatas non ſeruent ſine rationabili cauſa.

Eſt communis DD. omnium tam Theologorum quàm Canoniſtarum.

Probatur primò, auctoritate B. Pachomij in ſua regula c. 81. vbi ſtatuit etiam ab occupatis extra monaſterium in itinere, agris &c. pſallendi tempora non prætermittenda. Idem ſecutus eſt S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis Interrog. 37. vbi longiùs à conuentu fratrum abſentes vult nihilominus ſtatuta orandi tempora obſeruare.

5. *Prob. 1. auctoritate B. Pachomij, Baſil. Bened.*

Eandem orbitam triuit S. Benedictus in ſua Regula c. 50. vbi ſanxit, vt monachi procul ab oratorio laboris vel itineris cauſâ cõſtituti ſeruitutis penſũ horâ cõpetenti non negligant reddere.

Confirmatur ratione: Quia quamuis non obligentur ex vi præcepti ſtatis illis & ſolemnibus horis officium diuinum recitare; obligantur tamen ex decoro, & congruitate ipſius officij, quod ideo appellatur horæ Canonicæ, quia certis quibuſdam diei horis ſecundum canones ſit perſoluendum, & illæ horæ potiſſimùm delectæ ſint, in quibus præcipua ſalutis noſtræ myſteria peracta ſunt. Verba denique ipſius officij ſæpius temporis meminerunt, quo recitandum, vnde contra rationem & ordinem ipſius erit, alienis planè horis illud perſoluere. Vnde etiamſi non peccetur contra illud, quod eſt ſubſtantia ipſius officij; peccatur tamen contra id quod in eo eſt accidentarium. 6. *Confirmatur rationibus.*

7. Præterea ſtabilitur ratione petita ex D. Thoma 1. 2. q. 83. ar. 4. ad 1. vbi dicit peccatum veniale committi non ſeruando modum rationabilem adimplendi præceptum quem lex prætẽdit, quod hîc fit, quia lex præcipiens recitari Horas canonicas, prætendit, vt recitentur obſeruato prædicto modo: & circumſtantia Horarum debitarum: & rectè: Dicit enim Apoſtolus & obſecrat ad Rom. 12. vt exhibeamus Deo rationabile obſequiũ, λογικὴν λατρείαν, prout videlicet recta ratio dictat conueniens eſſe & expedire.

8. *Exemplis Sanctorum declaratur Seuerini &c.*

Declaratur exemplis. Vno quidem de Eremita, cui Angelus interdum maturas, aliàs acerbas, nonnunquam putreſcentes vuas adferebat, prout videlicet tempeſtiuè, præproperè vel tardè penſum Horarium exhibuerat, quod plerique Canoniſtæ cum Ioanne Andrea referunt in c. 1. de Celebratione Miſſarum & Summularij V. *Horæ Canonicæ.* Altera verò, de S. Seuerino Colonienſi Epiſcopo grauiter in Purgatorio punito ob Horas Canonicas omnes ſimul manè recitatas, non

ſeruatis temporum interuallis, quod narrat B. Petrus Damiani in Epiſt. ad Deſiderium Abbatem, poſtea Victorem III. Rom. Pontificem, quod alibi ad longum tradimus.

9. *Quæritur ratio, cur B. Seuerinus tam grauiter punitus fuerit.*

Solùm hîc explicandum, Cur B. Seuerinus tam acerba pertulerit ſupplicia, cùm videatur ab omni culpa potuiſſe excuſari, quod tempus Horarum præuenerit, vrgentibus poſtmodum publicis negotiis.

10. *Ratio fuit, eò quod omnes horas à Matutino vſque ad Complet. incluſiuè mane percurreret.*

Omiſſis variis ſolutionibus quas proferunt Azor. lib. 10. c. 9. q. 3. Francolinus Tract. de Tempore Horarum Canonicarum c. 26. nu. 7. & alij. Dico rationem punitionis in Exemplo recitato ſatis indicari ab ipſo met S. Seuerino, cùm ait: *Canonicæ Synaxis officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolui, mane quippe ſimul omnia* (Nota) *coaceruans tota die negotijs ingruentibus ſecura libertate vacabam: Ob hanc itaque negligentiā Horarum ardoris huius fero ſupplicium.* Cauſa ergo cruciatus Purgatorij in Seuerino fuit, quod totum horarium penſum vno tenore & filo, quod aiunt, nulla temporum intercapedine ſeruata mane decurreret, cùm per tria vel duo ſaltem congrua interualla diſtribuere potuiſſet. Rarior enim caſus occurrit, in quo cui liceat a Matutinis vſque ad Completorium incluſiuè omnes Horas vno quaſi ſpiritu abſque noxa perſoluere. Si enim à negotiis reſpirare conceditur corpori meridianam refectionem indulgendo, cur non etiam menti aliquod ſpirituale orationis pabulum miniſtrando?

11. *Iuſta cauſa excuſat etiam à veniali, etſi ſtatas horas in recitando non obſeruet.*

Dico 3. Cauſa iuſta excuſat Clericum Horis recitandis obnoxium ab omni culpa mortali, & veniali, etſi horas ſtatas & debitas non obſeruet in legendo. Eſt communis DD.

12. *Conſtat ex iure.*

Conſtat manifeſte ex c. *Preſbyter* & c. 1. de Celebratione Miſſarum, vbi preſbytero inopi concedit ius, vt mane perſoluat ſuæ ſeruitutis penſum vſque ad Veſperas incluſiuè, vt illo abſoluto ad opus rurale exire poſſit: Sic enim locum illum intellexerunt plerique omnes Canonum Interpretes, Innocentius Panormitanus, Ioannes Andreas & alij. Ratio eſt, quia legitima cauſa facilè tollere poteſt, quod in hac parte erat indecentiæ.

13. *Cauſæ rationabiles ponuntur, quæ excuſationem Clerico adferunt horis debitis non legentis.*

Quæres, quæ cauſa in hac materia cenſeatur rationabilis debitum precum horariarū non perſoluendi horis conſtitutis, ſed eas, vel præcurrendi, vel poſtferendi.

Reſpondeo ex communi DD. ſententia ad hoc quamlibet cauſam honeſtam vel vtilem cenſeri rationabilem, vt v. g. omnes Horæ ad Nonam vſque incluſiuè mane vno tractu recitentur. Talis cauſa eſt occupatio ſtudendi, prælegendi, concionandi, negotium aliquod temporarium expediendi, opus ad publicam vel amicorum vtilitatem pertinens præſtandi, &c. Quod ſi non ſolùm honeſta vel vtilis cauſa, ſed etiam legitima interuenerit, etiam Veſperas mane perorare, nullū erit peccatum, vt patet ex c. *Preſbyter* citato, v.g. ſi iter aggrediendū, ſi diutina occupatio, vel moleſta multorū negotiorum turbatio præ manibus ſit. Ita cōmuniter DD. quin addit Caietanus ſuprà, etiā conſuli à iure, præueniri tēpus, vt quietiùs aut deuotiùs dicatur officium. Vnde nullum ſibi ſcrupulum formant viri pij propter varia vitæ mortalis impedimenta ſub horam quartam pomeridianam priuatim Officium Matutinum adiunctis vel ſeparatis Laudibus dicere; mane verò ante ſacrum Primam cum Tertia, poſt ſacrum verò Sextam vel Nonam: vel omnes Horas paruas ſimul ante ſacrum; poſt prandium vero circa horam ſecundam Veſperas & Completorium. Si enim in choro, vt ſuprà dictum, conſuetudo Eccleſiarū ſequenda proponitur: quis vetet mihi priua-

priuatim precum curriculum abſoluenti inſiſtere moribus virorum tum pietate, tum doctrinâ præſtantium? Quocirca iudico ſufficientem cauſam moderatè præcurrendi vel poſtponendi Horas Canonicas eſſe bonorum conſuetudinem, nullamque aliam requiri. Vt autem inſolita aliqua præuentio vel retardatio introducatur v. g. vt quis mane dicat Completorium, vel à prandio Primam; cenſeo planè exigi cauſam iuſtam; alioqui peccatum admittendum veniale.

14. *Soluitur obiectio contra dicta.* Obijcies non ſatis verè & congruè ſub Veſperam ante ſomnum nos orare, *Somno refectis artubus, Spreto cubili ſurgimus, &c.* vel Sole adhuc ſplendente canere, *Nox atra rerum contegit, Terræ colores omnium, &c.* vel ante Solis ortum dicere; *Iam lucis orto ſydere &c.* Reſpondeo verba illa quæ in Hymnis canuntur non referri ad tempus, quo illa pronuntiamus, ſed ad tempus, quo dicenda eſſent, ſi iuſta Horarum Canonicarum interualla ſequeremur ſecundum primæuam earum inſtitutionem. Sic paſſim in Officio Eccleſiaſtico dicimus, hodie hoc vel illud myſterium factum eſſe, non quod tunc contigerit, ſed quod tunc illius in Eccleſia celebris habeatur memoria.

15. *Obligatio quolibet die Horas recitandi extinguitur in puncto noctis mediæ.* Ex dictis colligitur 1. obligationem Horas Canonicas quolibet die legendi extingui in puncto mediæ noctis, quem veteres noctis meridiem vocarunt: Ita vt ſi quis toto die naturali præcedenti aſſignatum illi officium non dixerit, & ob id, ſi ſine cauſa hoc fecerit, mortaliter peccarit, vlteriùs ad illud recitandum non teneatur, quia quodlibet officium, eſt onus proprium cuiuſque diei & non alterius, ſicut Miſſa & ieiunium alligata ſunt certis diebus.

16. *S. Thom. docet non eſſe imponendam ſatisfactionem omiſſum officium poſtridie repetendi.* An verò in Sacramento pœnitentię imponenda ſit ſatisfactio omiſſum officium alio die repetendi diſputat S. Thomas Quodlibeto 3. ar. 29. & rectè concludit non eſſe hoc iniungendum ei, qui diuinum officium neglexerit, ſed potiùs aliquid aliud ad diuinam laudem pertinens, v. g. pſalterium, vel aliud ſecundùm quantitatem delicti: & rationem dat, quia ſæpius omiſſum officium ſi iteraretur tempori non congrueret, quia deberet interdum v. g. tempore Paſchali legi officium de Domini paſſione &c.

17. *Qui penſum Horarum non perſoluit debito tempore, tenetur obligatione illud præſtandi vſque ad noctem mediam.* Colligitur 2. eum, qui definitis Horis Canonicum penſum non perſoluit, ſecum trahere obligationem ſatisfaciendi debito vſque ad eiuſdem diei noctem mediam: & res per ſe patet, cùm enim tempore congruo non perſoluerit & adhuc perſoluere poſſit, ad illud tenetur, quia tempus, quo quis poſſit & debeat obligationi ſuæ ſatiſfacere, in ſua latitudine, integrum diem naturalem comprehendit, &, quidem quoad lectionem Matutini, etiam extenditur ad Veſperam diei præcedentis.

18. *Ceteris paribus melius eſt Horam orandi præuenire quàm poſtponere.* Nota hîc ex communi DD. conſenſu, quamuis optimum conſilium ſit, ad vnguem obſeruare ſtatuta ab antiquitate orandi tempora; ſi nihilominus aliquantulum ab illo more deflectendum ſit, minus malum eſſe horam precandi definitam ceteris paribus præuertere, quàm ſubſequi: & ratio eſt, 1. quia qui anteuertit tempus ordinarium nulli ſe diſcrimini exponit quotidianas preces negligendi aut illas præcipitandi, ſicut is qui in longum protrahit. Deinde differre horam ſupplicandi arguit ſocordiam, præuenire verò diligentiam oſtendit; Vnde extat celebre illud axioma, quod præter alios habet Hugo de S. Victore in Expoſitione Regulæ D. Auguſtini c. 3. ſub initium. *Ante tempus orare eſt prouidentia, in tempore verò conſtituto obedientia, tempus orandi præterire eſt negligentia.*

19. Dixi non ſine ratione, *ceteris paribus*, quia

quia interdum adeo enormis, & inuſitata præuentio accidere poteſt, vt melius ſit differre; ſi præſertim æquè bene preces legendæ ſint. Quod ſi etiam attentiùs & deuotiùs recitarentur, melius tunc erit tempus proferre, vt per ſe conſtat.

20. *Non omnis anticipatio in horis licita eſt. v.g. non licet pridie ad veſperam Primam ſequentis diei recitare, cuius ratio redditur.*

Nota 2. aliquam in Horis legendis anticipationem planè eſſe illicitam, vt ſi quis pridie ad veſperam legat Primam ſequentis diei: cuius ratio eſt, quia ex vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine non poteſt quis ſatisfacere præcepto de Prima & ceteris poſterioribus Horis perſoluendis antequam Sol incipiat ad nos procedere, quod fit poſt mediam noctem, quia iſtarum Horarum precatio alligata eſt diei, qui tunc incipit. Nec habet hac in re locum illa ratio, qua debitor ſatiſfacere poteſt ſuo creditori præueniendo tempus ſolutionis, & creditor beneficij loco habet talem ſolutionem, itemque illud vetus: Bis dat, qui citò dat. Cauſa huius rei eſt, quia illa, quæ dicta ſunt, ordinariè vera ſunt in beneficiis temporariis & debitis pecuniariis, non verò in debitis, quorum ſolutio reſtricta eſt ad diem vel horam certam, ſicut apparet in præceptis quibuſdam diebus ieiunandi, Miſſam audiendi &c. quæ certo die, imò certis quibuſdam horis impleri debent. Tale autem eſt debitum precũ Horariarum determinatum ad ſingulos dies, cui nec ante, nec poſt diem naturalem ſatisfieri poteſt, quia, vt præter alios rectè obſeruarunt Nauarrus Enchir. de Orat. c. 3. num. 22. & 45. tempus in Horis Canonicis legendis determinatum eſt non ſolùm in fauorem recitantis, ſed etiam in fauorem publicæ vtilitatis, quæ conſiſtit in augmento diuini cultus, & in eo quod deuotiùs & attentiùs ſuis ſeparatim temporibus ſingulæ Horæ dicuntur, quàm ſi omnes ſimul accumularentur, quo caſu neque debitor ante tempus ſolutioni præfixum ſe liberare poteſt. l. *Qui Romæ*, in principio, ff. de verbor. obligat.

21. *Dubium, an ad libitum pridie Matutinum cum Laudibus ſequentis diei recitari poſſit.*

Quæres hic 1. An ad libitum pridie Nocturnum Officium cũ Laudibus ſequentis diei, & quando recitari poſſit.

22. *Reſponſio eſt affirmans propter receptam conſuetudinem, & vnde ea prouenerit.*

Reſp. 1. abſolutè licere, conſuetudine vbique etiam inter pios recepta extendente tempus legendi Matutinum etiam ad veſperam diei præcedentis, quæ abundè ſufficit, vt abſque peccato id facere liceat. Videtur autem mos ille pridie nocturnas preces orandi ortum habuiſſe, ex eo quod olim primus Nocturnus diceretur poſt occaſum Solis primâ noctis vigiliâ; vt cum D. Thoma plures auctores probabiliter docent: qua de re latiùs eſt actum lib. priore. Imò docet Suarez lib. 4. de Orat. c. 15. n. 3. aliquas Eccleſias non tantùm regulares, ſed etiam ſæculares, vt Salmantinam & alias fortaſſe, Matutinum inchoare poſt Solis occaſum ferè per horam, & cum illo Laudes coniungere. Vnde qui illâ horâ Matutinum recitant, ſi non perfectè, aliqua tamen ex parte ſeſe legitimo tempori accommodant. Deinde per quandam fictionem iuris, & computationem Canon. nox dicitur incipere à veſpera, vt pluribus locis docet Francolinus, Ergo poterit ab illo tempore per conſuetudinem introduci, vt Nocturnum officium recitetur, quod in Prima, quæ diurnum officium eſt, & in reliquis locũ non habet. Conſuedo autem hæc pluribus modis iuſta cenſeri debet, quia graue fuiſſet omnibus obligatis ſtatim poſt mediam noctem ſurgere, & Matutinum legere, vel ſaltem tam multas preces horarias mane ſimul agglomerare. Preterea, non ſolùm ſuauiùs, ſed etiam attentiùs deuotiùſque diuinum officium dicitur, cùm in plures partes diuiditur. Poſtremò minori omiſſionis periculo exponitur officium, dum dimidia ferè

eius

Digitized by Google

eius pars pridie ſine culpa anticipata ſolutione dependi poteſt.

23. *Ex ſententia D. Thomæ poteſt legi Matutinum pridie poſt dictum Completor. id eſt, vt explico, hora quarta pomeridiana; vel etiam ad medium quartæ.*

Reſpondeo 2. quantum ad tempus, in quo ſine ſcrupulo pridie Matutinum diei ſequentis legi poſſit, videtur dicendum cum D. Thoma quodlibeto 5. art. 28. quòd anticipare tempus in Horis recitandis, ex laſciuia, vt quietiùs ſomnolentiæ & voluptati quis vacet, non eſſe abſque peccato, ſi verò hoc fiat propter neceſſitatem, vel honeſtam occupationem licitè poſſe veſperi dici Matutinas, tempus præueniendo, ſicut etiam in ſolemnibus Eccleſijs fit, quia, inquit, quantum ad Eccleſiaſticum officium & ſolemnitatum celebritates dies incipit à Veſperis: Vnde concludit, ſi aliquis poſt dictas Veſperas & Completoriũ dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem ſequentem. Sententia ergo D. Thomæ eſt, poſſe dici Matutinas ſequentis diei poſt lectum Completorium præcedentis. Verùm, niſi hæc D. Thomæ verba recto ſenſu explicentur, vel tempus pridie Matutinum recitandi nimis extendunt, vel nimis contrahunt. Si enim intelligamus poſſe dici Matutinum poſt dictum Completorium horâ debitâ, & Canonicâ, quæ ſecundum probabiliſſimam ſententiam eſt crepuſculum veſpertinum, vt libro priori docui; iam non poterit dici niſi nocte, horâ fere integrâ poſt Solis occaſum, vel primâ vigiliâ noctis, quod tamen eſt contra conſuetudinem, quâ nemo religioni ſibi ducit ſub occaſum Solis, tam æſtate quàm hieme matutinum orare. Si verò velimus poſſe idem recitari poſt dictum Completorium quocumque modo, quo priuatim etiam ex more ſine ſcrupulo legi ſolet inter ſecundam & tertiam pomeridianam vel etiam maturiùs, iam non de ſerò, vt loquitur D. Thomas, antecedentis diei illud recitamus, neque veſperi, ſed ante tempus Canonicum Veſperarum, quod incipit iuxta omnium ſententiam poſt horam tertiam pomeridianam. Itaque mediâ viâ tanquam tutiſſimâ incedendum, accipiendaque illa verba D. Thomę (*poſt dictas Veſperas & Completorium*) de dicto officio Veſperarum & Completorij publico ſiue in choro, quod in Eccleſijs ſecularibus ſimul canitur, & vtrumque coniunctim abſoluitur ordinariè inter tertiam & quartam pomeridianam. Nam Veſperæ in Cathedralibus Eccleſijs ferè ad medium Tertiæ inchoantur. Vnde ſequitur ex more proborum matutinum poſſe recitari horâ quartâ pomeridianâ, tam æſtate quàm hyeme, quia tunc incipit tempus pro Matutino, abſoluto Communiter officio Completorij in choro Eccleſiarum. Imò iudicio meo etiam mediâ horâ anticipari poterit; & recitari ad medium quartæ poſt meridiem: tum, quia iuxta multorum opinionem valde probabilem, hora tertia audita eſt tẽpus, quo Canonicè poſſunt legi Veſperæ, quia eſt hora diei decima inchoata; De more verò plurimarum Eccleſiarum adiungitur Completorium; ergo, cùm poſt auditam tertiam legeris Veſperas & Completorium, poteris immediatè inchoare Matutinum, idque vbique terrarum, tam in locis, vbi in templis publicum officium cantatur, in quibus ordinariè paulò poſt tertiam Completorium abſoluitur, quàm in alijs, vbi quotidiana pſalmodia in Eccleſijs non frequentatur.

24. *Nihil ferè refert ſiue ante cænam, ſiue eâ ſumptâ matutinum recitetur.*

Parum autem refert, ſiue ante cænam, ſiue à cæna Matutinum recitetur, quia nihil circa hoc iure ſtatutum eſt, nec conſuetudo vlla per modum legis obtinuit. Quamuis Paludanus Antoninus Gabriel, Maior, Nauarrus, quos citat Francolinus c. 26. de Tempore Horarum Canonicarum num. 27. indecens eſſe putent bibere vel comedere lecto Matutino, & ipſe Francolinus n.

25. probet potiùs ante cænam eſſe recitandum, quia ſumpto cibo animus minùs aptus eſt ad orationem corpore ſomno ciboque prægrauato. Ceterùm conſulendum eſt ceteris paribus, vt ſumptâ moderatâ cœnulâ æſtate recitetur ſub primam vigiliam noctis, hyeme verò eodem tempore ante cænam

25. vel poſt. Dico autem, *ceteris paribus*, quia ex omnibus horis legitimis abſolutè illud tempus eligi conuenit, in quo quietiùs, attentiùs, deuotiùs Deus exoretur.

26. *Obiectio contra dicta.*

Obijcies, Pontifex interdum priuilegium indulget quibuſdam Religioſis, quo illis liceat vnâ horâ ante Solis occaſum recitare Matutinum: Ergo per ſe non licet.

27. *Solutio.*

Reſp. Varijs de cauſis dari tale priuilegium: 1. vt deroget iuri communi, quo deberet nocte legi Nocturnum officium. 2. vt etiam deroget conſuetudini, quæ fortè alibi inualuit non recitandi Matutinum niſi nocte. 3. vt ex animis Religioſorum omnis eximatur ſcrupulus, qui ex varijs DD. ſententijs emergere ſolet.

28. *Cùm recitatur veſperi Matutinum poſt dictum Completorium tunc bis debent legi Pater, Aue & Credo.*

Notâ hic ex Francolino lib. de Tempore Horarum Canonicarum c. 28. num. 17. & 18. quòd quando quis poſt Completorium vellet ſtatim ſubiungere Nocturnum officium diei ſequentis, debeat bis recitare Pater, Aue, & Credo: ſemel pro fine Completorij, & iterum pro initio Nocturni, licet hoc non contingat in Horis eiuſdem diei, quando ſe mutuò immediatè ſequuntur: tunc enim ex Rubricis Breuiarij Romani noui, oratio Dominica pro fine Horæ omittitur. Ratio diuerſitatis eſt, quod Horæ eiuſdem diei quandam inter ſe habeant ex natura rei continuationem: Completorium autem huius diei cum Matutino ſequentis, cùm pertineant ad diuerſos dies, nullam habent inter ſe connexionem, ſed ſolùm per accidens coniunguntur ex facto recitantis.

29. *An Veſperæ priuatim dicenda in Quadrageſima ante cænam.*

Quæres 2. An in Quadrageſima debeant etiam priuatim Veſperæ recitari ante cænam vel refectionem ſub meridiem iam ſumi ſolitam.

Reſpondeo ex c. *Solent*, de Conſecrat. diſt. 9. colligitur publicè eas ante cibi ſumptionem eſſe celebrandas: priuatim autem eas refectioni præmittere conſilij eſt, non obligationis, quia

30. *Solum eſt conſilij ea tunc recitare, ſed publicè eſt præcepti.*

DD. communiter dicunt nullum eſſe peccatum, ſi priuatim ſecus fiat, cùm nullum ea de re extet ius, quia textus allegatus intelligitur de officio communi, non priuato, & conſuetudo contraria non eſt introducta per modum legis præcipientis. Vide hac de re Syluestrum V. *Hora*, q. 9. §. *Quintum*. Caietanum in Summa Verbo *Ieiunium*, & 2. 2. q. 147. art. 7. Durantum l. 3. de Ritibus cap. 11. n. 10. Francolinum tract. de Tempore Horarum Canonicarum c. 37. n. 11. & ſequent. Et maximè Nauarrum tum in Enchir. de Horis c. 3. n. 41. tum miſcel. 70. de Oratione, vbi etiam tantum conſilij eſſe docet in diebus ieiunij extra Quadrageſimam priuatim dicere Nonam ante refectionem.

31. *An liceat ſimul ſatisfacere obligationi de Miſſa audienda diebus feſtis, & de recitandis Horis.*

Quæres 3. An liceat Horas Canonicas recitare eo tempore, quo diebus ab Eccleſia præceptis Miſſa audiri debet, poſſitque eodem tempore duabus obligationibus ſatisfieri?

Reſpondeo cum Nauarro in Enchir. Confeſſ. c. 21. n. 8. & in Enchir. de Horis c. 19. n. 178. Azor. tom. 1. Inſtitutionum Moralium l. 7. c. 5. q. 3. & 4. & l. 10. c. 12. q. 10. Suarez 3. tom. 3. p. diſp. 83. ſect. 3. in fine, & maximè cum Thoma Sanchez in Opere ſuo

32. *Licitum eſt vtrumque ſimul præſtare, & vtriuſque obligationi ſatisfacere.*

Morali l. 1. c. 14. n. 11. licitum eſſe ſimul intereſſe Miſſæ & Horas recitare, & præceptum de vtroque præſtando impleri. Et ratio eſt, quia poteſt quis vno tempore diuerſis actibus duobus præceptis ſatisfacere, quando vnius

Digitized by Google

vnius executio alterum non impedit: & quia temporum diuerſitas nuſquam præcipitur. Ideoq; hanc ſententiam tenent plerique DD. & præter citatos Caietanus, Sotus, Henriquez, Valentia, quos ſuprà citat Sanchez. Vnde immeritò Syluester, Angelus, & Armilla hoc negant, eò quòd videatur illis impoſſibilis attentio ad vtrumque opus ſimul. Hoc enim falſum eſt, cum ſufficiat pro vtraque actione vna ad Deum attentio, & in neutra attentio ad verba neceſſariò requiratur: quamuis, cùm hóc verum ſit, quod aduertit Nauarrus ſuprà, ſi alteri eorum deeſſet debita attentio, tunc illi non ſatisfieret, ſi verò vtrique, tunc neutri. Vnde, inquit Nanarrus, ad melius eſſe tutius erit vtramque ſeparatim exequi, quod verum videtur, ſi quis ad Miſſæ & Horarum verba ſimul velit attendere: Nam veriſimile tunc neutri præcepto perfectè ſatisfacturum, niſi fortè tam ſibi præſens circa vtrumque ſit, vt facilè mentem ad vtriuſque actionis verba poſſit aduertere. Ceterùm dicendum eſt ne quidem venialiter peccari, ſi vtrique cum debita attentione ſatisfiat, vt cum Sanchez ſuprà plures DD. tradunt, quamuis & Caietanus ſuprà cum quibuſdam alijs putent eſſe veniale, ſi abſque cauſa fiat. Mihi verò facilis videtur vtriuſque ſimul expletio, ſiquis more ſolito Horis legendis intentus præſentem ſe ſacrificio ſiſtat, & orationes, quas legit, referat ad Deum, per Sacrificium colendum. Si enim quis precatiunculas ſpontaneas recitans putat ſe præcepto de Miſſa audienda ſatisfacere, cur non is qui obligatorias? Porrò conueniunt omnes DD. nihil prorſus peccati eſſe, ſi tempore quo Sacerdos preces ſecretas ad Deum fundit, orationes Canonicæ recitentur, vel dum quis procul ab altari abeſt &c. Vide plura apud Azor. ſuprà.

CAPVT XXXI.

Quotuplex ſit attentio? Item an aliqua ſit de ſubſtantia Orationis Vocalis?

1. *Præcipitur officium recitari ſtudioſè & deuotè.*

NOtandum eſt c. *Dolentes* de Celebratione Miſſarum præcipere duos modos circa Officij Diuini celebrationem, cùm ait: *Diſtrictè præcipientes in virtute Obedientiæ, vt Diuinum Officium Nocturnum pariter & Diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè.*

2. *Studioſè pertinet ad officium oris, deuotè ad officium cordis.*

Modus prior ſignificatus per *ſtudioſè*, vt notat ibi Gloſſa, pertinet ad officium oris exterius, vt ſine ſyncopa officium peragatur; alter ſignificatus per *deuotè*, pertinet ad officium cordis internum. Inſinuat ergo τὸ deuotè religioſum & promptum affectum attentè orandi. Hic enim affectus propriiſſimè dicitur deuotio.

3. *Diuiditur 1. attentio in interiorem, & exteriorem, & quid vtraque ſit.*

Dico 1. multis modis à DD. diuiditur attentio. 1. illius diuiſio eſt in attentionem Interiorem, & Exteriorem. Interior attentio eſt, quâ mentem applicas, vel ad verba ſacra cum interna reuerentia recitanda & audienda, vel, dum illa recitas, pio eorum ſenſu animum reficis, vel ſpiritum in Deum erigis. Exterior verò eſt quâ irretortis oculis, & habitu corporis modeſto ſtans, flectens, vel ſedens conaris more orantis diſtinctè, & ſine errore verba Pſalmorum &c. efferre nihilque moliris exteriùs, quod attentionem animi poſſit detorquere aut impedire.

4. *Diuiditur 2. attentio in eam quæ eſt ad verba, ad eorũ ſenſum, ad Deum, ad res quæ petuntur.*

2. Diuiſio, eſt in attentionem ad verba, ad verborum ſenſum, ad Deum ad res quæ petuntur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 83. a. 13. Caietanus V. *Hora* n. 9. quam alij omnes ſequuntur, licet diuerſis verbis eas explicent.

Attentio ad verba vocatur, quâ quis aduertit ne in Diuino officio vnum

 verbum

5. *Attentio ad verba quid.* verbum pro alio dicat, ne quid omittat, ne præcipitet, ſed, vt verba ſacra articulatè, & reuerenter pronuntiet, tanquam Deo per hoc miniſtrans. Requiritur enim vt hæc attentio ſit aliqua ſaltem ratione religioſa, vt ſit ſufficiens.

6. *Quæ attentio ad ſenſum.* Attentio ad ſenſum verborum eſt, quâ quis intendit mente percipere quid verba ſacra ſignificent, ſiue in ſenſu literali & primario, ſiue in ſecundario & myſtico; quamuis aliqui hãc attentionem ſubdiuidant in literalem & ſpiritualem: ſed non eſt opus, vterque enim ſenſus ſubeſt verbis ſacræ ſcripturæ, & ad vtrumque attentio applicari poteſt. Dirigitur verò hæc, & ad eum ſcopum collimat, vt affectus in rem intellectam inflammetur.

7. *Quæ attentio ad Deum.* Attentio ad Deum eſt, cùm ad diuinitatem ſemper quidem nos contemplantem, maximè autem cùm oramus, vel ad Ieſum Chriſtum pro nobis natum, paſſum, crucifixum &c. oculos mentis conuertimus.

8. *Attentio ad ea quæ petuntur, quid.* Attentio ad res quæ petuntur eſt, cùm animi intentio (inquit Caietanus) fertur in caſtitatem, humilitatem, fidem, ſpem, diuinam amicitiam, cœleſtem patriam, & alia huiuſmodi, quæ ſola communiter petuntur in diuino officio. Adde cùm oculi cordis figuntur in aliquod myſterium, quod diei pſalmodia repræſentat, & inde ſuauiter animus rapitur in Dei amorem. Porro hæ omnes attentiones, ſecundâ exceptâ, peritis & imperitis conuenire poſſunt; quamuis rudes in prima, inquit Caietanus, materialiter errare poſſint; ſed hoc nihil refert; ſatis enim eſt, vt attendant ne errent. Denique 1. attentio eſt infima, 2. media 3. ſumma.

9. *Diuiditur 3. in attentionem formalem ſiue actualem & virtualem, & quid vtraque ſit.* 3. Diuiſio eſt in attentionem formalem ſiue actualem & virtualem, quæ etiam colligitur ex D. Thoma ſuprà. Formalis dicitur, cùm quis actu & re ipſa conſiderationem detinet circa vnum ex quatuor iam numeratis, ſcilicet, vel circa verba, vel eorum ſenſum, aut Deum, vel rem aliquam piam.

10. Virtualis verò eſt, quæ cenſetur manere ex vi & ratione propoſiti, quo quis ſe applicuit ad orandum, volens vno ex quatuor illis modis attendere. Hæc moraliter perſeuerat, donec, vel expreſſè, vel implicitè reuocetur.

11. *Diuidunt aliqui attentionem in diſtinctam & confuſam.* Addunt aliqui non malè attentionem diſtinctam & confuſam. Diſtincta eſt, cùm quis orationem inchoaturus Deum ſibi præſentem proponit, volens corde & voce illi confiteri & pſallere. Confuſa eſt, cùm ex bona conſuetudine ſe ad orandum applicat, nihil vlteriùs cogitans, & hæc etiam ſufficit, cùm conſuetudo illa ex multorum actuum piorum frequentatione nata ſit.

12. *Attentio eſt de eſſentia orationis mentalis.* Dico 2. attentio eſt orationi mentali intrinſeca & eſſentialis.

Patet, quia, vt rectè Sotus lib. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 5. Attentio eſt ipſamet oratio mẽtalis, cùm nihil aliud ſit, quàm conſideratio, & applicatio mentis ad id, quod voluntas intendit, qua durante durat oratio, qua ceſſante etiam ceſſat.

13. *Attentio vel formalis, vel virtualis eſt etiam de ſubſtantia orationis vocalis.* Dico 3. Attentio vel formalis, vel ſaltem virtualis eſt etiam de ſubſtantia orationis vocalis. Eſt D. Thomæ & Caietani ſuprà, & fusè illam confirmat Theodorus Peltanus lib. 3 de Oratione cap. 6. ſub initium.

14. *Afferuntur rationes.* Probatur 1. Oratio vocalis, eſt vera oratio, vt ſuppono ex D. Thoma ſuprà art. 12. & alijs: atqui vera oratio non eſt ſine aliqua attentione: Ergo neque oratio vocalis. Probatur minor, quia oratio eſt petitio decentium à Deo, iuxta Damaſcenum libro 3. fidei Orthod. c. 24. Sed nullo modo deſiderium ſuum exponit, qui non aduertit, nec conſiderat quid petat: Ergo. Deinde iuxta eumdem Damaſcenum Oratio eſt mentis in Deum aſcenſio: atqui

Digitized by Google

atqui is nullatenus mente ad Deum eleuatur qui alienis cogitationibus diſtrahitur. Ergo.

15. Probatur 2. Oratio vocalis eſt ſignum orationis mentalis, ſicut omnes externæ ſubmiſſiones & adorationes ſigna ſunt cultus interni: Sed oratio mentalis nulla ratione eſſe poteſt ſine attentione: Ergo nec vocalis, alioquin erit ſignum falſum.

16. Probatur 3. Qui vocaliter orat cenſetur Deum colere ritu religioſo: atqui Ioannis 4. dicitur à Chriſto: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & Veritate adorare oportet*: Ergo qui vocaliter orat, Deum Spiritu venerari debet. Sed, ſi attentio deſit, non coletur Deus Spiritu, ſed ſolo Corpore; ergo neceſſaria erit Spiritus attentio.

17. *Oſtenditur ſufficere virtualem attentionem vt oratio vocalis ſit vera oratio.* Dixi de ratione orationis vocalis neceſſariam eſſe attentionem ſaltem virtualem, quia, vt oratio vocalis ſit vera petitio, vel aſcenſus mentis in Deũ, non eſt neceſſe, vt rectè obſeruauit D. Thomas ſupra. 13. ad 1. & 2. vt attentio toto tempore duret, quo quis preces vocales fundit, quia hoc fieri non poteſt, ratione humanæ infirmitatis, & naturalis mentis noſtræ volubilitatis, quæ cor ad inferiora deprimit. Sufficit vt ad orationem accedens, ex inſtinctu Spiritus, & animo vacandi Deo accedat, quem ſponte aliò non detorqueat, quia tunc ſemper moraliter durat attentio, & homo ſemper attendit, quantum eſt ex parte ſua, & ſui primi propoſiti.

CAPVT XXXII.

Vtrùm qualibet Attentio ſufficiat ad Orationis honeſtatem, præcepti impletionem, & fructuum conſecutionem.

1. *Ad orationis honeſtatem ſufficit qualibet attentio ex tribus.* Dico primò, ad Orationis honeſtatem ſufficit qualibet attentio, ex tribus ſuprà poſitis. Eſt communis DD. & ratio eſt, quia qualibet attentio ſatis eſt ſi adhibeatur vt oratio ſit ſignum externum religioſum, & ſignificans cultum internum, quo Deus in Spiritu adoretur, & iuſta à Deo poſtulentur, &c.

2. *Obiectio contra dictum.* Dices, peccatum aliquod videtur, ſiſtere in infimæ vel mediæ attentionis modo, præſcindendo interim præſtantiorem, & ſupremum excludendo, cum inferioribus illis vti debeamus tamquam medijs perueniendi ad finem qui eſt Diuinitatis Contemplatio. Ergo non ſemper ſufficiet quælibet attentio ad bonitatem vocalis orationis.

3. *Reſpondent Doctores aliqui non ſiſtendum in inferiore attentionis modo ſi poſſit quis progredi ad altiorem.* Ob hoc argumentum Caietanus 2. 2. q. 83. art. 13. dicit concluſionem noſtram intelligendam eſſe cum grano ſalis, vt ſcilicet attentio, & perſeuerantia mentis circa inferiorem modum eligatur, ſi aſcendere ad ea, quæ diuinitatis ſunt, in progreſſu non dabitur; ita quòd talis debeat eſſe orantis mens, vt eligat, v. g. meditationem paſſionis Chriſti, vt medium non vt finem, vt ſcilicet per illam, ſi Deus dederit, aſcendat ad ea quæ diuinitatis ſunt. *Vnde, inquit, ſciendum eſt, quod quæcumque attentionum ex tribus eligatur ſine præſciſſione tamen melioris, hoc eſt, quod eligatur vt mediũ ſibi accommodũ perueniendi ad meliorẽ, ſatisfit præcepto Eccleſiæ.* Sentire ergo videtur Caietanus ſufficere quamlibet attentionem, ex dictis ſine excluſione præſtantioris. Vnde rectè inferas eandem non ſufficere, præſtantiorem excludendo. Caietanum ſequitur Nauarrus in Enchir. de Oratione cap. 13. num. 33. & ſequenti: Dicit enim neceſſarium eſſe ei qui primum, vel ſecundum attendendi modum eligit, ne illum eligat animo perſiſtendi in eo, & non tranſeundi ad tertium, qui melior eſt illis; ſed eligat eum tanquam gradum aſcendendi ad alium meliorem, ſi Deus id dederit. Nam ſi adeò conten-

Digitized by Google

tus fuerit aliquo. primorum duorum, vt proponeret procurare tertium, neq; mereretur, neque ſatisfaceret, vt determinauit Caietan. Hactenus Nauarrus. Vnde in ſequentibus dicit recitantẽ horas, quamuis primum vel ſecundum attentionis modũ eligat, ob ſuam imbecillitatẽ vel valetudinem, debere ſemper illum eligere implicitè, vel explicitè tamquam medium & gradum ad altiorem, vt debito ſuo ſatisfaciat, & non pro fine vltimato ſuæ recitationis. Imò qui videret inferiores modos ſibi impedimento eſſe tendendi ad ſupremum deberet illos omittere; ſatisfaceret tamen præcepto dummodo eos non acciperet, tamquam vltimos fines ſuæ recitationis. Hæc ille. Idem tenet Hieronymus à Politio, in expoſitione Regulæ D. Franciſci c. 3.

4. *Reſpondetur conſilium DD. illorum optimum eſſe, ſed tamen nullum committi per ſe peccatum etiamſi negligatur.*

Verùm reſpondeo, optimum quidem Conſilium eſſe Caietani & Nauarri, niti videlicet inferiorum attentionum modis tanquam gradibus ad culmen diuinæ contemplationis, vt mentis aciẽ quis, quantũ mortalis vitæ conditio patitur, in Deum figat: ſi quidem illius tam ſublimis cognitionis capax ſit, vel id ſe poſſe aduertat; Ceterùm etiam in voluntaria illius melioris, vel etiam ſummæ attentiônis omiſſione, & excluſione nullum agnoſco peccatum, ne veniale quidem, per ſe loquẽdo: & adducor ad hoc ſentiendum, quia nullo præcepto Iuris naturalis, diuini, aut humani poſitiui cogor adhibere inter orandum attentionem præſtantiorem cùm habeam ſufficientem, quod mihi quidem certum eſt. Si quidem iure naturæ non cogor, niſi ad recitandum verba ſacra cum ea attentione & reuerentia, vt poſſim dici verè orare: Atqui hoc fit etiam in infimis attentionum modis, vt probatum eſt, & poſſum iuſtam habere cauſam, attentionem ſublimiorem non adhibendi, v. g. ob capitis infirmitatem &c. Ergo. Poſitiuum autem ius nullum extat, de *præſtantiori, vel præſtantiſſima* attentione adhibenda, *vt conſtat*, quia ſolum præcipit opus, & ea quæ neceſſaria ſunt ad ipſius operis ſubſtantiam; non verò perfectionem ipſius, intentionem graduum, aut modum ſimilem.

5. *Obiectio contra reſponſionem ex C. Dolentes vbi præcipit officium celebrari deuotè quantum Deus dederit, eiuſque ſolutio.*

Nec obſtat his C. *Dolentes* de Celebratione Miſſarum, quo præcipit diuinum officium celebrari deuotè quantum Deus dederit, quia, quod ibi præcipitur, ſolum eſt Deuotio neceſſaria ad ſubſtantiam orationis vocalis, qualis eſt illa, qua animo vacandi Deo verba ſacra recitantur: ſublimior verò deuotio ſolùm proponitur vt finis, quo collimare poſſit recitans, quantum Deus dederit. Finis verò præcepti non cadit ſub præceptum. Vnde ſponte impedire præſtantiorem attentionem poterit interdum eſſe peccatum veniale, ſi ſit actus otioſus, & ſine cauſa fiat; nunquam tamen erit præuaricatio præcepti de Horis Canonicis recitandis. Dixi autem hoc verum eſſe per ſe loquendo, quia voluntariæ præciſioni melioris attentionis per accidens adiungi poſſunt, non ſolùm venialia, ſed etiam mortalia peccata, v. g. dum quis initio contentus attentione infima ad verba, poſtea ſponte extraneis vacat cogitationibus; quod ſi etiam turpibus delectetur, peccabit etiam mortaliter, non ſolùm contra Temperantiam, ſed veriſimiliter etiam contra virtutem Religionis; grauis enim videtur iniuria erga Deum, cum voce laudas, interea fœdis actionibus de indruſtria ſe delectare, vt docet Suarez lib. 3. de orat. cap. 4. num. 13.

6. *Obiectio altera, qua probatur etiam ſummum attentionis modum non ſufficere intercedum.*

Dices ſecundo, Accidit è contra mentem interdum ita abripi in Dei diuinorumque contemplationem, vt recitans neſciat quid dixerit, quod videtur eſſe contra veritatem oratio-

7. *Reſponſio eſt, poſſe*

nis

tionis vocalis, & attentionem illi debitam: Ergo non ſemper ſufficiet etiam ſummus attentionis gradus ad honeſtatem orationis vocalis.

interdum ita quem rapi in diuina vt non ſatisfaciat obligationi de horis recitandis, requiritur enim ad eas ſemper aliqua ſaltem ad verba attentio, ne erretur.

Respond. Certum imprimis eſſe ſi vi ſuperinfundentis ſe ſpiritus in contemplatione ita animus à ſenſibus abalienetur ſicut in raptu contingit, vt vox etiam conticeſcat, nullam tunc eſſe orationem vocalem, vt conſtat. Vnde teneretur quis obligatus ad preces vocales, raptum illum, quantum eſt in ſe, impedire, vt præceptum impleat. Quòd ſi quis inter orandum vocaliter, interdũ ex pia cœleſtia meditandi conſuetudine, vel ex ſuaui ruminatione ſenſus pſalmorum in Dei contemplationem ita feratur, vt verba quidem ore pronuntiet, nullatenus tamen ſe pronuntiare aduertat; tunc cenſendus eſt optimè orare, & obligationi ſuæ ſatisfacere, quia abſtractio illa eſt quaſi naturalis & non voluntaria, manetque virtualis attentio ad verba, cum actuali ad Deum. Si verò quis de indruſtia nolit attendere ad verba, contentus ſola cogitatione Dei, rerumque cœleſtium: tunc opus eſt aliqua diſtinctione; quia ſi vocaliter orare velit, preces tum primum in ore, vt ſic dicam, natas fundendo, tunc prorſus neceſſarium eſt vt ad illam quandantenus mentem adhibeat, ne leuiter verba aliqua effutiat, quæ indigna ſint Dei maieſtate cum qua loquitur. Cùm verò recitat precationes iam ante compoſitas, v. g. Pſalmos Dauidicos, tunc, ſi ex libro eas profert, ſemper ferè ad eas aliquo modo animum applicat, & periculum fere nullum ſubeſt in illis errandi. Vnde huiuſmodi attentio ſufficit, vt oratio vocalis vera, & honeſta cenſeatur. Si verò huiuſmodi preces de memoria recitat, idque ex ſpontanea deuotione nullum peccatum vel peccati periculum erit, etiam ſi interdum labi contingat. Si verò oratio quæ memoriter pronuntiatur fuerit obligatoria, vt eſt canonicarum Horarum lectio in ijs qui ad illas tenentur, tunc ordinariè opus erit aliqua attentione ad verba, vt illa perfectè, ordinatè, diſtincteque proferantur, nec erretur. Vide Medinam Cod. de Orat. q. 14. ſub finem. Quidquid ſit, numquam neceſſaria eſt aduertentia, vt ſic dicam, in actu ſignato vel reflexo, quâ videlicet aduertat quis ſe attendere. Sufficiet attentio vel aduertentia ſimplex & in actu exercito. Ita vt quis ſcienter verba proferat, quia, vt rectè Nauarrus Enchir. de Orat. cap. 13. num. 31. ex Caietano docet, attentio reflexa non eſt attentio ad orationem, ſed ad ipſam attentionem, quæ non requiritur ad veritatem orationis vocalis.

Ego cum S. Bernardo Sermone 47. in Cantica & alijs Doctoribus, maximè probo in pſalmodia Eccleſiæ attentionem ad ſenſum verborum, ex quo ſuauiter poſſit ſpiritus in pios motus excitari, & ſenſim in diuinarum rerum contemplationem amoremque aſcendere. Et ratio eſt, quia hoc pacto ſimul ad verba, eorum ſenſum, Deumque attentionem ſuam extendet, ad Deum quidem principaliter & vltimatè, ad verba autem & eorum ſenſum, minus principaliter, & non vltimatè. 8. *Probatur maximè in Pſalmodia attentio ad verborum ſenſum vnde mens in Deum aſcendat.*

Dico ſecundò, ad impletionem præcepti de Horis Canonicis vel recitandis, vel alijs quibuſcumque precibus voce proferendis, ſatis etiam erit, quælibet ex prædictis attentio. Sequitur ex dictis; Eſtque communis D[octorum], de quo vide Caietanum ſuprà, & ratio eſt manifeſta, cùm enim præceptum ſolùm iniungat orationem vocalem, quæ ex ſubſtantia vera, & honeſta oratio ſit, & ad eiuſmodi orationem ſufficiat quælibet ex prædictis attentio, ſatis etiam erit quælibet earum ad præcepti impletionem. 9. *Sufficit ad impletionem præcepti de horis quælibet ex trib. attentio.*

Digitized by Google

10. *Non quælibet tamen ſufficit ad orationis quoſlibet effectus.* Dico tertiò, non quælibet attentio ſufficit ad quoſlibet orationis vocalis effectus.

11. *Quatuor ſunt orationis effectus vel fructus.* Nota ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 13. & communi quatuor eſſe orationis fructus, videlicet, meritum, ſatisfactionem (quam D. Thomas ſub merito comprehendit) impetrationem, & ſpiritualem mentis refectionem.

12. *Probatur aſſertio.* Nunc probatur aſſertio, quia ad poſtremum fructum orationis referendum, qui eſt ſpiritualis conſolatio, quam vulgò deuotionem vocamus, non ſufficit virtualis attentio, ſed requiritur formalis ſiue actualis, vt D. Thomas ſuprà, & per ſe ſole clarius eſt. Adde vel nullam, vel valde exiguam mentis dulcedinem percepturum illum qui ſolùm ad verba actu attendit, prouidens ne in illis proferendis erret, niſi vel ex illorum ſenſu Spiritus pinguedinem exprimat, vel Deum aut aliquid in Deum excitans ſibi proponat. Ad reliquos tres effectus conſequendos ſufficit & requiritur virtualis ſaltem attentio, quia oratio vocalis procedens ex propoſito attendendi aliquo ex tribus prædictis modis, eſt vera oratio honeſta, & religioſa: & homini in hac vita impoſſibile eſt ſemper actualem aduertentiam adhibere; ergo ſufficiet ad merendum, ſatisfaciendum, & impetrandum eiuſmodi attentio.

CAPVT XXXIII.

Quæ culpa ſit in vocali Oratione Attentionem negligere.

1. *Gabriel in oratione voluntaria attentionem negligere non putat eſſe peccatum.* GAbriel lect. 62. in Canonem Miſſæ Lit. I. planè videtur ſentire, diſtractionem in orationibus voluntarijs nullum eſſe peccatum: Quoniam inquit, ſi penitus omitti poſſunt ſine peccato, non eſt mirum, quod euagatio tollens attentionem non inducit peccatum, niſi fortè adeſſet contemptus vel puſillorum ſcandalum.

2. *Peccatum eſt irreuerentia in oratione ſponte euagari.* Dico primò, Peccatum eſt irreuerentiæ erga Deum orare ſine vlla attentione, ſiue ex propoſito euagari, eſt certa & communis DD. D. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 13. ad 3. vbi ſic ait: *Quod ſi quis ex propoſito in oratione mente euagatur hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum, & contra hoc Auguſtinus dicit in Regula Pſalmis & Hymnis cum oratis, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.* & clariùs Caietanus ibi. Idem docet Medina Cod. de Orat. quæſt. 14. Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 5. Nauarrus in Enchir. de Orat. cap. 13. num. 39. & ſequenti, & reliqui omnes.

3. *Probatur efficaci ratione.* Probatur, quia quicumque vult orare, ſiue ex neceſſitate præcepti, ſiue tantùm libera animi inductione, tenetur opus illud exercere cum debita reuerentia &c. vt patet in aliarum virtutum functionibus, quas ſi quis obire velit, obligatur ſeruare neceſſarias earum circumſtantias. Qui enim recipit hoſpitem, qui pro alio aduocatus intercedit, inquit Caietanus, tenetur hoc facere cum debitis circumſtantijs, ſi facit, & ſi non vult facere, vt decet, non ſe exerceat in eiuſmodi muneribus. Quod multo etiam magis locum habet in actionibus religioſis erga Deum. Cogitat aliquis ex pia conſuetudine confeſſionem facere, vel ſacram communionem recipere, tenetur adhibere contritionem & alias præparationes debitas. Accedit oraturus Deum, curanda illi eſt attentio, ne deſpicere videatur tantam maieſtatem. Quis regem mortalem aditurus, & ſupplicem libellum porrecturus audeat oculos quaquauerſum contorquere, aut cum palatinis miſcere ſermones? Quin potiùs animo ſenſibuſque collectis, quid dicat; dicturuſque ſit, attentè ſecum meditatur. Et

meritò

Digitized by Google

meritò ſaliàs non gratiam, ſed indignationem principis referet. Dicitur Malachiæ primo: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum eſt? Et ſi offeratis claudum & languidum, nónne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Quaſi dicat: ſi princeps terrenus iniquo animo fert quamcumque irreuerentiam, quomodo non multò magis Rex cœlorum ſe deſpectum arbitrabitur tantâ viſâ irreuerentiâ? Vide hâc de re D. Cyprianum lib. de Oratione Dominica ſub finem.

4. *Explicatur locus Malachiæ.*

5. *Voluntaria diſtractio non erit peccatum ſi quis verba orationis ſolùm materialiter velit recitare, non verò orare.*

Aduerte tamen nullum fore peccatum voluntariam etiam diſtractionem, ſi quis verba orationis, verbi gratiâ, Pſalmi aut Hymni alicuius recitet non animo orandi, ſed memoriæ commendandi, ſe recreandi, alias otioſas aut prauas cogitationes expellêdi ſicut nulla culpa erit honeſtam huiuſmodi exercitationem alijs actionibus ſecularibus interrumpere. Ita Gregorius à Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 10. §. 4. Quia, inquit, talis non vult formaliter orare, ſed ſolùm materialiter orationis verba recitare. Vide etiam Azorium, Leſſium & alios.

6. *Voluntaria diſtractio in ſpontanea oratione ſolùm eſt peccatum veniale.*

Dico ſecundò, Voluntaria euagatio mentis in oratione ſponte aſſumptâ, vel ſaltem non obligante ſub mortali, ſolùm eſt peccatum veniale. Ita expreſsè Caietanus ſuprà, in expoſitione reſponſionis D. Thomæ ad tertium argumentum; Sotus ſuprà, Nauarrus ſuprà cap. 13. num. 46. & alij. Ratio eſt, quia vt rectè Caietanus & Sotus ſuprà, committitur hoc pacto indecentia quædam defectu attentionis & reuerentiæ debitæ, quæ tamen non repugnat perfectæ virtuti vel caritati, ſed tantùm ab ordine recto nonnihil exorbitat.

Nec refert quod non teneatur quis tunc orare, vel ſaltem non niſi ſub veniali, quia ſatis eſt quod velit orare, quod cùm fit etiam ſponte, iure naturæ debitam poſtulat attentionem & reuerentiam.

7. *Quamuis non teneatur quis orare, cùm tamen orat debitè hoc facere debet.*

8. *Quando quis obligatur ſub mortali orare tunc ſub eodem tenetur attentionem habere.*

Dico tertiò, Quando iure diuino vel Eccleſiaſtico ſub reatu peccati mortalis ad orandum quis obligatur, tunc ſub eodem ad debitam attentionem tenetur, ita vt euagatio voluntaria tunc ſit peccatum mortale. Eſt eorumdem Doctorum. Vide Nauarrum ſuprà, qui plures pro hac ſententia citat.

Ratio eſt, Quia ex præſuppoſito talis tenetur orare, atqui, vt ſuprà diximus, oratio vera non conſiſtit ſine virtuali ſaltem attentione: ergo è conſequenti tenetur attendere. Accedit quòd cùm oratio iniungitur iure diuino, eodem etiam iure adiungatur obligatio attendendi & animum ad Deum eleuandi, cùm verò iure Eccleſiaſtico, eadem quoque præcipiatur attentio ſaltem ad verba vt ſacra, ſicut conſtat ex C. *Dolentes* de Celebratione Miſſarum, §. Finali.

9. *Euagatio inuoluntaria nullum eſt peccatũ, vbi etiam exponitur quæ euagatio ſit inuoluntaria, quæ verò voluntaria tacitè vel expreſſè.*

Nota hic dixiſſe nos euagationem voluntariam in oratione eſſe peccatũ, quia euagatio planè inuoluntaria nullũ peccatum eſt, vt euenire ſolet cùm quis animo Deum laudandi preces canonicas inchoat, & poſtea præter mentem varijs imaginationibus ab oratione auocatur, quas tamen nullo modo aduertit. Cùm enim illa animi abalienatio careat volũtario, carebit conſequenter etiam omni peccato: perdurat ſiquidem ſemper virtualis attentio initio orationis ſuſcepta. Quod ſi quis tacitè vel expreſsè ab initio conceptum Deo vacandi propoſitum mutet, ſponte ſinens ſe ferri alienis à ſcopo orationis cogitationibus, iam cenſebitur euagatio voluntaria, & proinde in oratione obligatoria peccatum mortale, ſi fuerit in parte notabili, quia nec actualis erit, vt per ſe patet attentio, nec etiam vir-

Digitized by Google

tualis,vtpote quæ per contrariam intentionem fuerit reuocata. Dico autem *tacitè* vel *expreſsè*; *expreſsè* quidem, cùm quis deditâ operâ attentionem abrumpit habenas laxans effræni imaginatrici,quò illam impetus fert; *tacitè* verò, cùm aduertit mentem alior ſum abripi, & quidem tempore orationis. (vtriuſque enim aduertentia neceſſaria eſt ad peccatum, vt videat ſcilicet ſe aliena cogitare, & per hoc impediri ab orando & attentione ad orandum neceſſaria;) Et interim negligens eſt in mente reuocanda, & ſiſtendo animi impetu, vel occupat ſe actibus externis omnes attentionis modos excludentibus. Tunc enim euagatio erit voluntaria in cauſa, negligentiâ ſcilicet prauos motus cohibendi interrumpente primum orandi propoſitum: quod intellige de negligentia ſupina & craſſa,nam ſi leuis ſolummodo fuerit, non erit ampliùs quàm peccatum veniale. Si verò aduertens ſe aliena mente voluere & per hoc ab inſtituto auerti, mediocrem ſaltem diligentiam adhibeat, vt mentem reuocet, iam ad nullum euagatio illa peccatum imputabitur. Hæc ferè Caietanus ſuprà art. 13. ad tertium & in ſumma, Verbo *Hora* n. 8. 10. & 11. Nauarrus in Enchir. de Orat. c. 13. n. 18. & 20. & alij paſſim Doctores.

CAPVT XXXIV.

Num neceſſaria ſit ad ſatisfaciendum Præcepto Eccleſiæ de Horis legendis Intentio Deum orandi.

1\. *Vt ſatisfiat præcepto de horis dicendis neceſſaria eſt intentio [or]andi.*

Concluſio. Ad precationem Canonicam ſoluendam neceſſaria eſt Intentio orandi, Deumque laudandi, vel formaliter, & explicitè, vel ſaltem virtualiter & implicitè.

Eſt communis Doctorum, Arragon. 2.2. q.83. art. 13. Azor. lib. 10. c.8. q. 7. & cap. 12. q. 9. Leſſij lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dub. 11. Sanchez in Opere Morali lib. 1. cap. 13. n. 3. Suarez l. 3. de Orat. cap. 30. num. 3. & lib. 4. cap. 26. num. 5.

Ratio eſt, Quia nullum præceptum impletur, ſiue diuinum, ſiue humanum, niſi per actum humanum voluntarium & liberum, quo fiat id quod præcipitur: Atqui præceptum Eccleſiaſticum præcipit orationem: Ergo non poteſt illud impleri ſine voluntate & intentione orandi, 2.

Confirmatur 1. Quia cùm lex de Horis recitandis imponatur hominibus, non animalibus brutis, non brutorum modo, ſed humano, & moraliter implenda eſt. 3.

Confirmatur 2. Nemo legem de precibus canonicis ſoluit, niſi liberè & actu humano; ergo ſimili modo debebit illam adimplere. 4.

Ex hoc ſequitur primò, vt rectè aduertit Nauarrus & alij ſuprà, præcepto de precibus canonicis recitandis non ſatisfacere eum qui recitat ebrius, dormiens, aut mente captus, quia non recitat liberè & more humano. 5.

Non ſatisfacit ebrius, dormiens &c. horas recitans.

Sequitur ſecundò, eiuſmodi cùm ſomnum excuſſerit, vel crapulam edormierit, teneri iterum recitare, & ſi excommunicatio lata fuerit in non recitantes, incurrent ebrij, & dormiturientes, niſi ſui compotes iterum recitauerint, vt rectè Sotus lib. 2. de Iuſt. q. 3. art. 9. 6.

Vnde iterum huiuſmodi hora legenda.

Sequitur tertiò, vt bene explicant Suarez, Leſſius, & Sanchez ſuprà, non ſufficere ad impletionem huius legis, ſi quis canonicas precationes legat, non vt oret, Deumque laudet, ſed vt memoriæ ea quæ legit, commendet, vt ſe ea lectione oblectet, vt concioni quædam eorum adaptet, vel ſimili aliquo decreto animi; Et ratio eſt, Quia non intendit præſtare materiam ſeu rem præceptam, 7.

Non ſatisfacit quis horas legens, vt memoriæ mandet &c.

Digitized by Google

prandi, hoc eſt orare, quod præcipit Eccleſia; vnde tenebitur, qui hoc modo legit, repetere.

8. *Sufficit voluntas orandi implicita.*

Dixi voluntatem orandi neceſſariam eſſe, vel *explicitè*, vel *implicitè*, quia non eſt opus, vt quis ſemper intendat orare, Deum laudare, recitare animo Deum colendi, Horas, & orationes præceptas. Sufficit abolute proponere parere Eccleſiæ præcepto, recitare Horas, vt quis debet, ſatisfacere ſuę obligationi, quæ ſunt intentiones implicitæ, imò ſatis etiam eſt ſub ratione magis generali & confuſa, apprehendere manu Breuiarium, vel ire ad templum, vel cubiculum, ad recitandum more ſolito quia talis actio ex habitu vel conſuetudine limitatur moraliter ad præſtandũ more ſolito penſũ quotidianum, ſicut accipere & aperire Miſſale, aptare calicem, veſtes ſacras induere, ex morę determinantur ad actionem moralem & humanam offerendi ſacrificium.

9. *Sufficit ad implendum præceptum de horis habere voluntatem præſtandi, opus bonum ex genere ſuo, v. g. orandi, quamuis ex fine extrinſeco vel aliunde vitietur.*

Aduerte hîc, ſicut ad ſatisfaciendum alijs præceptis diuinis vel humanis, neceſſaria eſt intentio præſtandi actionem præceptam, v. g. orandi, ieiunandi, &c. Ita quoque requiri intentionem honeſtam, & bonam, ſiue præſtandi opus bonum ex genere ſuo, vel ex parte obiecti, & quantum pertinet ad ſubſtantiam actus. Verbi gratiâ ad exſoluendum penſum orationis canonicæ neceſſarium eſt velle orare, quæ eſt actio ex ſuo obiecto bona, cum ſit opus imperatum à virtute Religionis: non eſt autem vllo modo neceſſarium ad præceptum implendum de Horarum recitatione, vt ſicut oratio debet eſſe bona ex ſua ſubſtantia, ita etiam bona ſit ſecundum circumſtantias & finem extrinſecum, quia poteſt quis pſalmodiæ vacans præcepto Eccleſiæ ſatisfacere, quamuis opus illud ex ſe religioſum, vitiet prauo fine extrinſeco humanæ laudis, aut inordinatæ pecuniæ cupiditatis. Nihil enim vetat legem impleri per actionem peccato infectam, vt conſtat ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 100. artic. 9. & 10. quandoquidem legiſlator præcipiat ſubſtantiam actus, non modum, niſi ſit ſubſtantialis ipſi actui, vel ſecundum ſe, vel prout ſub legem cadit.

CAPVT XXXV.

Qualis attentio præcipiatur C. Dolentes, *de Celebratione Miſſarum.*

1. *C. Dolentes non duo, vt quidam volunt, ſed ſolùm vnicum fertur præceptum.*

Ota primò, plures DD. exiſtimaſſe, illo Capitulo ferri duo præcepta, vnum de ipſa diuini officij celebratione, alterum de modo celebrandi illud *ſtudioſe & deuote*: vel vnum de actu exteriore integrè illud recitandi; aliud de attentione, vel interiore, vel ſaltem exteriore. Alij verò dicunt modum illum non cadere ſub præceptum, ſed ſolùm eſſe conſilij. Verùm meo iudicio ſolùm hîc fertur vnum præceptum, videlicet Diuinum officium dicendi prout oportet, hoc eſt, *ſtudioſe*, ſiue integrè, & *deuote*, ſiue attentè.

Nec refert, quòd pluribus modis contra illud peccetur, quia hoc etiam locum habet in alijs præceptis, tam Iuris naturalis, quàm poſitiui. Sic præceptum confeſſionis vnum eſt, & tamen prætergreditur quis illud, non ſolùm non confitendo, ſed etiam ſine dolore, vel propoſito emendationis, vel non integrè peccata ſua ſacerdoti exponendo, & ſic de alijs: Quinimò in illo Capitulo, præceptum negatiuum, & affirmatiuum idem ſpectant, ideoque vnum præceptum dici poſſunt. Vnde etiam vnum peccatum tantùm committitur, dum recitatur Officium non integrè, & abſque attentione, licet maius vel minus iuxta materiæ quantitatem, & alias circumſtantias. 2.

Digitized by Google

3. *Non fertur in C. Dolentes nouum præceptum, ſed ſolùm renouatur, &c.*

Nota ſecundò, In illo Capitulo non fuiſſe latum nouum præceptum, ſed ſolùm renouatum, & explicatiùs propoſitum & ſub maioribus pœnis iniunctum, vt Diuinum Officium *ſtudioſe deuoteque* celebretur: quod eſt contra Caietanum V. *Hora* num. 6. vbi ait, non ad iterandum præceptum de Officio Diuino, ſed ad præcipiendum modum dicendi nouum præceptum factum eſt, vt ſcilicet *ſtudioſe & deuote*, quantum Deus dederit, exſoluatur. Verùm ſemper debuit Eccleſiaſticum officium recitari integrè, & deuotè, cùm vterque modus pertineat ad intrinſecam orationis vocalis rationem; certum eſt autem Eccleſiam præcepiſſe ea, quæ ſpectabant ad orationis ſubſtantialem integritatem. Sed quia abuſus quidam paulatim in publicam præſertim diuini officij celebrationem irrepſerant, videlicet pſallere ſyncopando & tranſcurrendo, & confabulationes in Choro miſcere; ideo expreſſiùs illi vetantur, additis pœnis, dum in conſtitutione dicitur: *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis* (ferendæ ſcilicet) *penitus inhibemus.* Deinde attentio & deuotio grauiſſimis verbis iniungitur, dum additur: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè.*

4. *Fertur ibidem propriè dictum præceptum.*

Nota tertiò, Ex verbis Concilij iam poſitis manifeſtè ſequi propriè dictum hîc ſanciri præceptum, & quidem de omnibus illâ clauſulâ comprehenſis, vt certiſſimum eſt. Nec refert quòd interſerantur illa verba, *quantum ijs Deus dederit*, quia vt rectè aduertit Sotus lib. 10. de Iuſtitia quæſt. 5. artic. 5. & alij, Nihil aliud iſta indicant, niſi cuique illam attentionem & deuotionem adhibendam eſſe, quam Deus ipſi communicauerit. Quaſi dicat, adhibeat quiſque ſaltem aliquam attentionem, vel ſupremam, vel mediam, vel ſaltem infimam. Vnde verba illa præceptum non tollunt, ſed rigorem eius mitigant. Vnde rectè Caietanus V. *Hora* num. 10. Celebrat, inquit, diuinum officium, ex parte „ ſua *ſtudioſe & deuote*, qui cum ani- „ mo, quantum in ſe eſt, vacandi Deo „ inchoat, & non mutatur in contra- „ rium (hoc eſt in voluntatem non at- „ tendendi diuino officio) expectans „ quantum Deus det in proſequendo, „ tam attentionis, quæ ſpectat ad ſtu- „ dioſitatem applicatiuam intellectus, „ & ſenſus ad attendendum; quam „ cuiuſque ſanctæ affectionis, quæ ſpe- „ ctat ad deuotionem ablatiuam, „ promptæ voluntatis ad ea quæ Dei, „ ſunt. Hæc ille veriſſimè. His ita poſitis duæ ſunt ſententiæ DD. de attentionis genere quæ præcipitur C. *Dolentes.*

5. *Duæ ſententiæ DD. circa attentionem, quæ percipitur C. Dolentes.*

Prima eſt, ab Eccleſia ſolùm præcipi attentionem externam, vt videlicet obligatus ad Horas recitandas non occupet ſe actionibus externis, quæ attentionem animi penitus excludant; non verò internam, quâ teneatur omnes alienas à rebus diuinis cogitationes tempore orationis reijcere. Vnde mortaliter cenſent peccare, qui huiuſmodi occupationibus exterioribus deliberate ſe dat, non verò qui interiùs ſponte vagatur; modò penſum ſuum integre perſoluat. Ita tenet Gloſſa in Clementina 1. de Celeb. Miſſ. ad illud: *Fructum labiorum.* Textus, inquit, *probat ſola vocali pronuntiatione Horarum adimpleri præceptum recitandi, licet animo aliud voluamus*, Idem docet Hoſtienſis & alij in C. *Dolentes* ſuprà, Angelus V. *Hora* n. 27. Syluester eodem q. 11. Durandus in 4. d. 15. q. 12. n. 6. Ibidem Palud. q. 5. ar. 2. con. 4. Ioan. Medina Cod. de orat. q. 16. & plures alij.

6. *Prima eſt ſolùm præcipi attentionem externam, quæ eſt probabilis.*

Probatur hæc ſententia primò, Sicut Eccleſia non poteſt cognoſcere aut iudicium

7. *Prob. hæc ſententia.*

dicium ferre de actibus animi internis, ita etiam non poteſt eos præcipere, vetare, aut punire. Ergo nullo modo putandum eſt eam prohibere ſuo decreto internam mentis euagationem, ſed ſolùm externis in rebus, cum attentione non conſiſtentibus occupationem.

8. Probatur ſecundò, Quia Pontifex cum Concilio Generali ibidem ſolùm prohibet præcepto negatiuo, in Diuino Officio ſyncopationem, & ſenſuum ad indebitos ſermones applicationem; Ergo ſimiliter præcepto affirmatiuo, quo mandat idem *deuotè & ſtudioſè* recitari, ſolùm præcipit illius integritatem & externam attentionem cùm conſtet prohibitionem & præceptionem verſari circa eandem materiam, Hæc ſententia tum propter DD. tum propter rationes probabilis eſt. Aliam ſententiam iam explico.

9. *Sententia alia multò verior præcipi veram & internam attentionem actualem vel virtualem.*

Concluſio. Multò verius eſt Eccleſiam decreto ſuo non ſolùm præcipere attentionem exteriorem, vt videlicet nihil exteriùs agatur, quod mentem diſtrahat; ſed etiam veram & internam animi deuotionem & attentionem actualem, vel ſaltem virtualem: ita vt mortale crimen incurrat, ſi quis ſponte cogitationibus ab oratione alienis per partem notabilē occupetur, Ita expreſſè Caietanus in Summa V. *Hora* nu. 7. & 10. & 2. 2. q. 83. art. 13. ibidem Arragon. Sotus lib. 10. de Iuſtit. q. 5. art. 5. Nauarrus in Enchir. de Orat. cap. 13. num. 19. Azor. Leſſius, Suarez & alij.

10. *Rationes pro hac ſententia.*

Probatur primò, Eccleſia præcipit orationem vocalem veram & propriè dictam, Atqui de ratione orationis vocalis eſt neceſſaria aliqua attentio. Ergo Eccleſia dum præcipit orationem, conſequenter etiam præcipit aliquam attentionem. Maior eſt plane certa, & à nemine negatur. Minor verò probatur ex dictis ſuprà c. 31. vbi probatum eſt attentionem eſſe de ſubſtantia orationis vocalis.

Probatur ſecundò, Qui horas canonicas tenetur recitare etiā tenetur formaliter vel virtualiter velle orare, vt oſtenſum eſt cap. præcedenti; Sed qui ſponte ſe implicat otioſis cogitationibus non intendit vere orare, quia orare eſt Deo ſuum deſiderium proponere, quod hîc nullo modo præſtatur. Ergo. 11.

Probatur tertiò, Eccleſia præcipit diuinum officium celebrari *ſtudioſe & deuote*; Atqui deuotio eſt promptitudo voluntatis, ad ea quæ Dei ſunt, v. g. ipſius laudes, orationes, &c. Ergo Eccleſia conſequenter præcipit attentionem quæ ad actus deuotionis neceſſaria eſt. 12.

13. *Variè reſpondent ad argumenta auctores primæ ſententiæ.*

Scio variè ad hoc argumentum reſponderi ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ, dum dicunt vel ſolùm conſuli deuotionem internam per verba illa *Studioſè & deuotè*; præcipi verò ſolam ſubſtantiam diuini officij, quod ſuperiùs reſinatum eſt: vel aiunt, ibi agi de deuotione, quatenus pendet ab exterius actionibus, quibus vel promoueri, vel impediri ſolet, q. d. celebrent diuinum officium deuotè, id eſt, nihil admittant exterius occupationis, quod deuotionem, reuerentiam aut attentionem animi impediat. Quamuis verò hoc probabiliter admitti poſſit; eſt tamen contra mentem Eccleſiæ præcipientis orationem canonicam, cui iure naturæ neceſſariò annexa eſt interna attentio & deuotio: alioqui non veram & germanam, ſed fictam, & ſimulatam præciperet orationem, quod nefarium eſt ſentire. Reſpondent etiam tertiò aliqui præceptum illud cadere in pſalmodiam publicam, quæ fit in choro, quæ aliquas conditiones requirit in priuata non neceſſarias. Quamuis verò veriſſimum ſit primariò ibi præceptum ferri de Officio

Digitized by Google

publico chori; quia tamen officium canonicum etiam cùm priuatim recitatur, eſt officium Eccleſiæ, & conſequenti requirit eaſdem conditiones, quæ iure naturæ orationi ineſſe debent, quæ ſunt orare *ſtudioſe & deuote*.

14. *Refutatur reſponſio Ioannis Medinæ.*

Quod vero Ioannes Medina Cod. de Orat. q. 16. ſequens opinionem eorum, qui docent attentionem animi interiorem non eſſe neceſſariam ad Horarum recitationem, concedat non obligare Eccleſiam ad orationem propriè dictam, quippe cui eſſentiale ſit interior mentis aduertentia. Item addat Eccleſiam ſupplere ſua deuotione id quod ſuis miniſtris fortè deeſt, cùm per illos tamquam legatos oret; abſurda ſunt & falſa, & præterea rectè refutantur à Suarez lib. 4. de Orat. c. 26. n. 14. & ſequent.

15. *Reſpondetur ad primum argumentum contrariæ ſententiæ, ſcilicet non eſſe improbabile Eccleſiam poſſe imperare actus internos.*

Ad argumenta contrariæ Sententiæ iam reſpondeo. Ad primum dico primò, Non eſſe improbabile Eccleſiam imperare poſſe fidelibus etiam actus merè internos, etiam per ſe ſpectatos, vt docet Adrianus quodlib. 1. q. 1. ſi iudicaret ita expedire ad illos conducendos in vitam æternam. Cùm enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tradiderit poteſtatem condendi leges accommodatas & vtiles ad ſalutem animarum, quibus inoffenſo pede ad finem ſuum prouehantur, præcipere poterit, etiam directè actus virtutum internos, prout conducibilius in Domino illi viſum fuerit. Vide Leſſium lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 11.

16. *Reſponſio 2. Eccleſiam non præcipere directè actus internos, ſed ſolùm indirectè.*

Reſpondeo ſecundò, Etſi concedamus Eccleſiam per ſe primò, & directè non imperare actiones interiores, negamus tamen non præcipere actus internos indirectè & conſequenter, vt ſunt rationes, circumſtantiæ, aut modi actionum exteriorum, vt ſortiantur & induãt conditionem verarum & Chriſtianarum virtutum, vel vt actus externi ſint meritorij, Deo grati, vitæ æternæ comparandæ idonei, ſaltem ex ſua ſubſtantia. Sic præcipit per ſe primò, & immediatè, per confeſſionem peccata exponere, conſequenter verò & mediatè omnia, quæ neceſſaria ſunt, vt confeſſio debito modo fiat, prout à Chriſto fuit inſtituta, & remiſſionis peccatorum impetratoria. Vnde indirectè & conſecutiuè præcipit examen conſcientiæ, dolorem, & deteſtationem peccatorum, emendationis propoſitũ, &c. Et ſic de alijs Eccleſiaſticis præceptis, quibus actus religionis mandantur, eſt ratiocinandum. Ita ergo cùm præcipit pſalmodiam canonicam immediatè quidem & per ſe primò imperat integram officij Eccleſiaſtici recitationem, ſecundariò verò & mediatè deuotionem, reuerentiam, intentionem orandi, adeoque internam attentionẽ, vt pſalmodia ſit actus Religionis quo Deus colatur, laudetur, oretur, &, quantum eſt ex natura illius actionis, præſtetur opus dignum homine Chriſtiano, meritorium gratiæ & vitæ æternæ.

17. *Reſponſio ad alterum argumentum.*

Ad alterum reſpondeo. Prohibitionem & iuſſionem Eccleſiæ verſari circa materiam eiuſdem ordinis. Vnde ſicut indirectè prohibet diſtractionem voluntariam mentis in diuino officio, quæ oritur ex effuſione auditus ad indebitos ſermones, ita etiam præcipit indirectè internam deuotionem & attentionem, quæ contrariatur voluntariæ mentis diſtractioni, licet per ſe primò prohibeat impedimenta externa abſtrahentia ab animi aduertentia, & reuerentia erga Deum; mediatè verò mandet internam deuotionem orationi externæ neceſſariam, vt ſit actus virtutis Religionis, & integrum ac debitum hominis Chriſtiani officium, qui Deum non ſolùm corpore, ſed & ſpiritu colere tenetur.

Ex dictis ſequitur primò, Eum qui

Horas

Digitized by Google

Horas Canonicas recitauit, non animo orandi Deum, ſed dumtaxat legendi, vel addiſcendi, peccaſſe mortaliter, quia præceptum Eccleſiæ etiam quoad ſubſtantiam præcepti non impleuit.

18. *Qui horas recitauit non animo orandi non ſatisfecit.*

19. *Peccauit mortaliter qui ſponte diſtractus horas dixit.*

Sequitur ſecundò, Similiter peccaſſe mortaliter eum, qui ſponte alienis cogitationibus diſtractus officium canonicum legit: quia præceptum Eccleſiæ obligat, vt obſeruetur cum conditionibus ad orationem veram requiſitis, quas hic non obſeruauit.

20. *Poteſt hoc peccatum diſtractionis fieri veniale duobus modis, vel ratione leuitatis materiæ, vel defectu perfectè voluntarij.*

Sequitur tertiò, Hoc peccatum poſſe fieri veniale duobus modis, vt in alijs contingit. Primò ex paruitate materię, vt quia euagatio non durat per notabilem partem diuini officij; quæ autem ſit pars notabilis, ſuprà dictum eſt. Secundò ex defectu perfecte voluntarij, vt quia recitans preces canonicas, non perfectè aduertit ſe diſtrahi, ſed tantum leuiter & imperfectè, & ideo non curat mentem ad orationẽ reuocare: vel quia ſufficienter videt ſe ad extranea euagari, & tamen leuiorem quàm par erat, adhibet diligentiam in animo retrahendo ab inutilibus cogitationibus. Erit autem peccatum illud omiſſionis contra præceptum affirmatiuum de adhibenda deuotione in celebratione diuini officij, quamuis adiungatur illi ordinariè peccatum commiſſionis, quod per ſe peccatũ eſt; veniale, verbi gratiâ, otioſa cogitatio, niſi fortè delectatio moroſa de obiecto turpi, quæ præter deformitatem propriam ſuperaddet etiam aliam mortalem contra virtutem Religionis; vt alibi dictum.

21. *Locus obſcurus Caiet. de diſtractione voluntaria explicatur clarius.*

Sequitur quartò, Satis obſcure de diſtractione voluntaria & mortali ſcripſiſſe Caietanum tum in Summa V. *Hora* num 8. & 10. vbi ad voluntariam diſtractionem requirit, vt animus mutetur in contrarium ex propoſito & intentione; quod niſi intelligatur de intentione directa vel indirecta, per ſe vel in cauſa, verùm non eſt; tum 2. 2. q. 83. art. 13. vbi ad euagationem mortalem in oratione præcepta requirit, vt ſit, vel ex contemptu, vel ex induſtria in parte notabili; ad venialem verò, vt ſolùm ex negligentia non attendat ſaluo propoſito attendendi. Qui locus intelligi debet, non de negligentia craſſa & ſupina, ſed leui, & ferè indeliberata: Euagatio enim ex illa proueniens, eſt mortalis, & æquiualet propoſito & intentioni directæ moraliter; quia eſt intentio indirecta & virtualis; orta verò euagatio ex leui dumtaxat incuriâ tantùm eſt venialis, quia eius cauſa ſolùm venialis eſt.

Sequitur poſtremò, Recte ſcripſiſſe Nauarrum in Ench. de Horis Canonicis cap. 13. n. 29. & ſequent. Ex Ioan. Maiore in 4. diſt. 12. q. 7. Non teneri quem repetere pſalmos vel lectionis officij diuini, quæ non recordatur ſe recitaſſe, modò non recordetur ſe non recitaſſe, & credat probabiliter ſe recitaſſe, quia ſolitus ſit ea recitare: & idem tradit de ijs, qui ab initio lectionis Horarum habuerũt propoſitum expreſſum vel tacitum attendendi, & in medio vel fine pſalmi, vel lectionis vident, ſe fuiſſe euagatos, quando illud ante non aduerterunt, vel ſi aduerterint, operam dederunt vt mentem reuocarent. Eiuſmodi enim nihil repetẽdũ: quod multò verius eſt ſi ſcrupulis angi ſolent; talibus enim conſtare debet ſe aduertiſſe euagationes, nec repuliſſe. Imò addit Nauarrus ſuprà, optimum conſilium eſſe volenti ſeriò orationi attendere, vt non occupet ſe reflectendo an attendat necne, quia tales faciliùs errant in recitando, vt contingere ſolet ijs, qui per trabes ſuſpenſas in aëre vel regulas in tectis incedunt, qui tum maximè lapſui proximi ſunt, dum de eo cogitant & timent.

22. *Non tenetur quis repetere ea, quæ non recordatur ſe recitaſſe, modò non recordetur ſe non recitaſſe, & probabiliter credat ſe recitaſſe.*

CAPVT XXXVI.

Vtrùm qui ſine attentione Preces Canonicas legit, teneatur poſtea repetere, & fructus, ſi Beneficiarius eſt, reſtituere.

REperio tres diuerſas in hac quæſtione ſententias.

1. *Tres de hac quæſtione opiniones.*

2. *Prima docet non teneri eum qui ſponte diſtractus fuit, repetere nec reſtituere, eſtque probabilis.*

Prima eſt Ioannis de Medina Cod. de Orat. quæſt. 16. Anton. Cordubenſis libro 4. Quæſtion. Theolog. q. 13. ſub finem, qui docent eum qui ſponte diſtractus officium canonicum perlegit, quamuis peccarit mortaliter, voluntariè euagationes animi admittendo, non teneri tamẽ repetere. Ducuntur ad hoc ſentiendũ ex eo, quod putẽt in præcepto de Horis dicendis duo interuenire præcepta, vnũ de recitando integrè Diuino Officio, alterum de attentione debita adimplenda, ſiue adimplendo præcepto quo ad modum. Vnde cùm huiuſmodi impleuerit præcepti ſubſtantiam, non tenetur rurſus recitare; attentionem verò contra quam peccauit, non obligatur rurſus adhibere, cùm non teneatur denuo orare, quod eſt attentionis materia. Sicut ergo is qui preces canonicas nolens obligationi ſuæ ſatisfacere recitauit, nihilominus eas repetere non tenetur vt ſuprà dictum: & qui ex maleuolentia debitum ſoluit Iuſtitiæ, præceptum compleuit: & qui cum conſcientia peccati mortalis in paſchate, communicauit, Eccleſiæ mandatum ſeruauit Ita qui voluntariè diſtractus Horas dixit, legem de Horis recitandis adimpleuit, quia ſubſtantiam operis præcepti præſtitit. Vnde vlteriùs inferunt nullam in huiuſmodi oriri obligationem fructus reſtituendi, quia naſcitur ex operis externi omiſſione. Eſt hæc opinio probabilis.

3. *Altera cenſet huiuſmodi quidem teneri repetere, non tamen obligari ad fructuum reſtitutionem.*

Altera ſententia eſt eorum, qui docent eum, qui de induſtria vel ſupina ignauia euagationes admittit tempore lectionis diuini officij, peccare quidem mortaliter & teneri repetere; non tamen obligari ad fructuum reſtitutionem, ita diſertè Sotus lib. 10. de Iuſtit. q. 5. art. 5. ſub finem, Toletus lib. 2. de Inſtruct. Sacerd. c. 12. num. 6. 9. *Quartum dictum*, vbi ſic ſcribit: Non „ quotieſcumque mortaliter aliquis „ peccat circa officium ſoluendum, „ obligatur ad reſtitutionem, v. g. ſi „ recitet abſque aduertentia, ita vt nolit „ aduertere, mortaliter peccat, non ta- „ men tenetur reſtituere. In choro etiam poteſt ita confabulari cum alijs & immodeſtus eſſe, vt peccet, non tamen tenetur reſtituere, dummodo non prætermittat officium, ita Tole- „ tus. Fundamentum eorum eſt, eò „ quòd reſtitutio fructuum, Iure Canonico impoſita eſt ijs qui diuinum officium recitare omiſerunt, hi verò, etſi non debito modo, officium tamen ſuum exterius ſaltem executi ſunt.

4. *Tertia cenſet talem & teneri repetere, & ſi non repetierit, fructus beneficij reſtituere.*

Poſtrema eſt communis DD. Nauarri in Enchir de Horis c. 20. n. 31. & 32, qui plures recitat, & c. 13. n. 17. idem docet de non attendente ad ea, quæ canuntur in choro, quoad amiſſionem diſtributionum. Idem tenet Valentia tom 3. diſput. 6. quæſt. 2. punct. 10. §. 8. Azor. Suarez, Leſſius & alij, qui conſequenter ſuis principijs docẽt eum qui ſine interna aduertentia recitauit, cùm non ſatisfecerit Eccleſiæ præcepto de officio Canonico recitando, ſed mortaliter peccarit teneri repetere ab initio intra ſpatium diei naturalis, & ſi hoc non præſtiterit, non facere fructus ſuos, ſi Beneficio Eccleſiaſtico gaudeat.

5. *Aſſeritur, & probatur tertia ſententia de repetitione horarum.*

Prima concluſio. Qui ſponte in oratione canonica vel ex craſſa negligentia extraneis cogitationibus abreptus fuit, obligatur in conſcientia eandem iterare. Eſt Auctorum tertiæ ſententiæ.

Proba-

Probatur, Quia huiuſmodi recitans non verè impleuit legem de Horis recitandis, ne quidem quoad ſubſtantiam operis præcepti. Ergo tenetur iterum recitare.

Probatur Antecedens, quia modus deuotè & attentè officium diuinum celebrandi pertinet ad ſubſtantiam operis præcepti, tam ſecundum ſe, quàm quatenus ſub legem cadit. Ergo.

7. *Qui recitauit horas ſponte diſtractus cum propoſito repetendi ante mediam noctem nondum peccauit mortaliter &c. ſi verò habuerit voluntatem non repetendi, peccauitque mortaliter ratione voluntatis, tenetur tamen repetere.*

Aduerte hic primò, eum qui de induſtria euagatus preces Canonicas recitauit cum propoſito eas iterandi ante mediam noctem nondum peccaſſe mortaliter, vt per ſe patet, cùm tempus idoneum adhuc ſuperſit legendi. Si verò habuerit voluntatem non repetendi, peccauit quidem mortaliter ratione mali propoſiti, nondum tamen violauit præceptum exterius, ſed adhuc tenetur illud exequi, ſi poſſit. Vnde ſi poſtea animum mutet, & legat vt conuenit, verè præceptum impleuit, & ad nullam obligatus manet reſtitutionem, nec excommunicationem, ſi fortè in non recitantes lata eſſet, incurrit. Quòd ſi appetente nocte media ſine attentione debita recitauit, iam præceptum etiam exterius tranſgreſſus eſt, quia nullum iam ſupereſt tempus opus debitum vt oportet iterandi.

8. *Explicatur quid ſentiendum ſit de illo qui caruit propoſito & iterum recitandi, & iterum non recitandi.*

Aduerte ſecundò, ex Suarez ſuprà c. 26. n. 27. ſi huiuſmodi ſine cura attendendi recitans caruerit vtroque propoſito recitandi iterum & non recitandi, vtroque caſu certo certius debere iterare officium, ſed dubium eſſe quodnam peccatum tunc interius commiſerit. Si enim more ſolito ex obligatione ſibi impoſita Horas incipiens ſponte diſtrahatur, volens tamen ab initio per illam recitationem ſatisfacere; videtur peccaſſe mortaliter, niſi mutet propoſitū, dū ſe de induſtria diuertere videt, quia voluntatem virtualē habet non iterandi, quod ex his ſignis colligitur, ſi nimirū non eſt ſolitus iterare cum ſic diſtracto animo recitat, vel ſi non ſupereſt tempus repetendi, vel ſi videt alijs impedimentis occurrentibus excludendum ſe ab officij repetitione. Quod ſi ſolitus ſit officium malè hoc modo recitatum poſtea à capite integrare, veriſimile eſt non peccaſſe mortaliter, quia videtur habuiſſe ſaltem tacitè propoſitum iterandi.

9. *Tenetur is qui ſponte diſtractus recitauit, etiam ad fructuum reſtitutionem.*

Secunda concluſio. Qui de induſtria cogitationes alienas tempore Diuini Officij admiſit, ita vt præceptum de Horis legendis non impleuerit, tenetur ad fructus reſtituendos, ſicut is qui illud omiſit. Sequitur ex dictis & probatur à Nauarro ſuprà cap. 10. num. 32. Vide Petrum à Nauarra lib. 2. de Reſtitutione cap. 2. num. 228. & aliquot ſequentibus.

10. Ratio eſt, quia præceptum Eccleſiæ non impleuit, ob cuius tranſgreſsionem debita eſt fructuum reſtitutio.

11. *Reſponſio ad obiectionem.*

Nec refert, quòd obligatio reſtituendi imponatur non recitanti, non verò malè recitanti; quia (vt omittam varias reſponſiones Nauarri ſuprà) talis verè non recitauit iuxta mentem Eccleſiaſticorum canonum, imò iuxta rei veritatem: tum quia tenetur officium recitatum repetere, quòd non contingit ijs, qui prauo fine, vel aliunde cum peccato recitant; tum quia etſi recitauit taliter qualiter, non tamen verè orauit: Eccleſia autem præcipit orationem, quæ ſine attentione ſaltem virtuali nulla eſt. Vnde, cùm non præſtiterit operis ſubſtantiam, meritò reſtituere obligatur.

12. *Eſt tamen altera ſententia probabilis non debere talem reſtituere.*

Eſt tamen altera ſententia, quæ talem à reſtitutione liberat, probabilis, quæ legem Concilij Lateranenſis ſolùm extendit ad non recitantes.

CAPVT XXXVII.

Quomodo peccetur, tam in Choro, quam priuatim, debitæ attentionis defectu tempore pſalmodiæ.

1. *Modus pſallendi deuotè magis obligat publicè quam priuatim recitantes.*

SVppono modum Diuinum Officium pſallendi deuotè, reuerenter & attentè magis obligare publicè illud perſoluentes, quàm priuatim, quia hoc canones Eccleſiaſtici expreſsè ſignificant, vt patet C. *Dolentes*, de Celebratione Miſſarum & Clementina 1. eodem, & pluribus alijs decretis.

2. *Peccatum eſt mortale in choro ſine attentione pſallere.*

Dico primò, Aſtrictus officio chori præcepto de Horis pſallendis non ſatisfacit, ſed mortaliter peccat, ſi partem notabilem orationis canonicæ ſine interna deuotione vel attentione præterlabi ſinat, animo carens eam iterandi. Sequitur ex dictis.

3. *Excuſantur qui tempore Pſalmodiæ neceſſarijs chori ſeruitijs attendunt.*

Aduerte hîc excuſari à peccato, & à repetitione eum qui ſeruitio ipſi choro debito attendit, v. g. Thymiamaſi vel Thurificationi, librorum translationi, & ſimilibus, ideoque minus diligenter pſalmodiæ & cantui intendere poteſt: tum quia ad Deum præcipuè oculum dirigere cenſetur, cui in huiuſmodi miniſterijs ſeruit: tum quia tamquam membrum corporis myſtici ſimul cum choro orare videtur. Eadem ratione dicit Nauarrus ſuprà cap. 16. n. 67. licere canenti ſalutare obiter intrantes Chorum, vel tranſeuntes, verbum vnum aut alterum famulo vel alteri indicare neceſſitate cogente, &c.

4. *Dubium quomodo peccet qui tempore pſalmodiæ in choro voluntariè euagatur, proponens tamen priuatim repetere.*

Dubium verò eſt, quomodo peccet is, qui voluntariè animum à diuinis diuertit tempore publicæ pſalmodiæ, cui vel vocem vel ſaltem præſentiam ſuam ſubminiſtrare debet, proponens tamen officium priuatim iterare. Diſputat hanc quæſtionem in vtramque partem accuratè Suarez ſuprà cap. 14. num. 10. & ſequent.

5. *Videtur peccare mortaliter, ſi attentio actionibus externis impediatur.*

Dico ſecundò, Videtur hoc modo cantare vel choro adeſſe peccatum omnino mortale, ſi debita attentio confabulationibus, iocis, & ſimilibus actionibus externis, maximè ijs, quæ ſeuerè prohibentur C. *Dolentes*, & Clementina 1. de Celebratione Miſſarum interrumpatur.

Ratio eſt; tum quia actiones illæ non ſolùm iure naturæ, ſed etiam poſitiuo grauiter inhibentur; tum quia mali exempli ſunt, & aliorum orare volentium deuotionem notabiliter impediunt. Vide Nauarrum ſuprà c. 2. n. 4. & cap. 13. num. 17, 24. & ſequent. 6.

7. *Si verò ſolùm ſit euagatio mentis interior proueniens ex tædio non facile erit mortale, ſi adſit propoſitum priuatim repetendi.*

Dico tertiò, Quando euagatio mentis ſolùm eſt interior proueniens ex negligentia & tædio, nullaq; interponitur actio externa attentionem aliorum impediens, & ſcandalum generans, adeſtque propoſitum domi iterum eamdem precationem reſtaurandi, non facilè erit peccatum mortale animo voluntariè diſtrahi tempore quo pſalmodia in Choro peragitur.

Ratio eſt, quia videntur Beneficiarij ſatisfacere ſuo muneri, ſi cantent in Choro, vel ſaltem ex conſuetudine aſſiſtant; ita vt non peccent, niſi venialiter, voluntariè diſtractiones admittendo, dummodo priuatim recitando vt oportet obligationem ſuam impleant. 8.

9. *Huiuſmodi non tenentur ad reſtitutionem fructuum vel diſtributionum.*

Vnde ſequitur huiuſmodi Beneficiarios ſponte euagantes tempore diuini officij ad nullam vel fructuum, vel diſtributionum reſtitutionem teneri, quia per priuatam recitationem ſatisfaciunt obligationi quæ oritur ex titulo beneficij, & ſupplent defectum attentionis in publico officio requiſitæ, vnde non peccant contra Iuſtitiam; Per cantum verò vel aſsiſtentiam in choro

Digitized by Google

choro, ſuo publico muneri itidem ſatisfaciunt: ſicut cantores mercede conducti ſufficienter explent ſuum miniſterium, dum accuratè canunt, ita vt ad nullam reſtitutionem teneantur, quamuis animo ſponte diuagentur. Imò nec peccant, niſi venialiter quamuis priuatim nihil repetant: Suppono enim nullum eos poſſidere Beneficium, vel Ordinem habere, quo ad Horas recitandas aſtringantur: quod multo certius eſt in opinione eorum qui docent etiam eos qui mortaliter peccant, non procurando neceſſariam attentionem, ad nihil tamen reſtituendum obligari.

10.
Soluitur obiectio contradicta.

Nec obſtat his, quod hac ratione euenire poſſet, nullum in choro verè orare omnibus ſponte interdum euagantibus; quia vix fieri poteſt, vt omnes voluntariè diſtrahantur, & non aliqui ſaltem ibi cantent, vel adſint animo Deum laudandi vel orandi, & ad ipſa verba ſacra animum aduertant, & hoc ſatis eſt, vt chorus dici poſſit Deo Hymnis & orationibus vacare.

11.
Contraria tamen ſententia, ſcilicet beneficiarios in choro ſine attentione præſentes peccare mortaliter quantumuis ſoleant priuatim repetere, eſt probabilis.

Aduerte tamen contrariam ſententiam, ſcilicet huiuſmodi Beneficiarios ſine attentione in choro cantantes, vel aſſiſtentes peccare mortaliter, (quantumuis propoſitum vel conſuetudinem habeant priuatim antea vel poſtea recitandi) videri valde probabilem: quam inſinuat Nauarrus in Enchir. de Horis c. 13. num. 17. & colligitur ex C. *Dolentes* ſuprà, vbi præcipitur Officium Diuinum (maximè autem ſermo eſt de Officio Chori) celebrari *ſtudioſè & deuotè*.

12.
Peccatum eſt mortale [...] *tempore* [...]

Dico quartò, Tam in publica pſalmodia, quàm in recitatione priuata non ſolùm peccatur mortaliter defectu internæ attentionis per euagationes mentis voluntarias, ſed multò etiam magis, per occupationes circa actiones externas, quæ cùm nulla attentionum poſſunt conſiſtere. Patet ex C. *Dolentes* ſuprà, vbi primariò videntur prohiberi externæ actiones, quæ internam animi deuotionem tollunt, vel tollere natæ ſunt.

[illegible] occupari actionibus externis quæ cum nulla attentione conſiſtunt.

Quæres ergo: Quænam ſint illa externa opera, quæ impediant attentionem animi ad diuina officia, ita vt quis ijs ſe implicando tranſgrediatur præceptum Eccleſiæ de precibus Horarijs deuotè celebrandis.

13.
Quæritur quænam ſint huiuſmodi actiones externæ quæ attentionem impediant.

Reſpondeo primò, difficile eſſe ſtatuere certam & infallibilem regulam de his actionibus, vt rectè docet Nauarrus cap. 13. ſuprà num. 22. & ſequent. In vniuerſum dici poteſt, non tantùm in hoc negotio ſpectandam eſſe actionis externæ naturam & qualitatem, vipote an mentem ad ſe vehementer trahat, multumque occupet an non; ſed etiam conſiderandum eſſe modum, quo actio illa exercetur: præcipuè autem rationem habendam facilitatis & habilitatis eamdem exercentis. Si quidem etſi dictare aut ſcribere aliquid ab orationis canonicæ recitatione alienum per ſe mentem valde defixam teneat; inuenientur tamen aliqui Iulij Cæſares ſoliti ſimul plura dictare notarijs diuerſis, qui poterunt fortaſſe varia audire, legere aut dictare, & ſimul attentione aliqua ex tribus Horas Canonicas perſoluere, nec peccare mortaliter; licet venialis irreuerentia illos argueret, niſi iuſta cauſa interuenirer.

14.
Reſponſio 1. non ſolum in huiuſmodi actionibus conſideranda eſt earum qualitas; ſed maximè habilitas eandem exercentis.

Reſpondeo ſecundò, Spectatâ ordinariâ hominum induſtriâ, ingenio & habilitate, communiter peccatum mortale erit ſimul Horas recitare, & deliberato animo ſe occupare aliud diuerſum legendo, dictando, ſcribendo ſubtile aliquod argumentum accuratè inueſtigando, de rebus ſerijs colloquia miſcendo, alium attentè audiendo, magnâ curâ focum inſtruendo, vel ſimile opus agitando, magna celeritate ſe veſtiendo, &c. Ratio eſt, quia

15.
Spectata hominum ordinaria habilitate peccatum mortale erit tempore pſalmodiæ ſe occupare di- [...]

uerſum aliquid legendo, ſcribendo, &c.

opera illa ex natura ſua, vel ex modo quo exercentur nata ſunt mentem ita ad ſe rapere, vt difficulter alijs intendere poſſit. Dixi *deliberato animo* huiuſmodi functionibus incumbere & pariter Horas legere peccatum eſſe mortale: quia vt rectè Nauarrus ſuprà n. 22. & alij docent, vel nullum, vel ſolum veniale peccatum erit, ſi quis ſine reflexione, vel aduertentia inter recitandum officium diuinum huiuſmodi actionibus inſiſtat, non aduertens ſe per has ab oratione auocari, quia cenſetur durare virtute primum propoſitum quo ab initio orare intendebat.

16. *Non eſt peccatum mortale horas legere, dum quis ſe induit, exuit, manus lauat, &c. poterit tamen eſſe ſæpe veniale.*

Reſpondeo tertiò, Non eſſe peccatum mortale Horas recitare, dum quis ſe veſtibus induit, exuit, caput pectit, faciem, vel manus lauat, calamum aptat, & huiuſmodi leuiora & conſueta tractat, quæ exiguam animi curam & attentionem ex ſe requirunt, quia facile poteſt interea mentem ad orandum collectam retinere: quamuis D. Antoninus 2. parte titul. 9. capit. 3. §. contrarium ſentire videatur, dum ait tales vix ſatisfacere præcepto, quia ex propoſito ſe immiſcent actionibus ab attentione auertentibus: verùm de prioris generis actionibus intelligendus eſt. Siquidem nullus pius ſcrupulum ſibi format, dum deambulando Horas legit, & ex vſu Eccleſiaſtico iubetur ſacerdos lauando manus ad ſacrificium, veſtes ſacras induendo, &c. certas precatiunculas dicere. Et Iacobus à Graffijs lib. 2. deciſionum aurearum cap. 52. dicit, nec venialiter peccare eum, qui inter lauandum manus vel ſe veſtiendum Horas recitat. Caietanus etiam 2. 2. quæſt. 83. art. 13. cenſet non malè agere eum, qui ſponte orat, dum ſe veſtit aut aliquo ſimili opere occupatur, annitens quantum poteſt, orationi intendere: quia (inquit) huiuſmodi opera non impedire orationis attentionem experientia teſtatur. Et in quibuſdam Religioſorum ſtatutis ſcriptum eſt, quod ſurgendo dicant Officium B. Virginis. S. quoque P. Dominicus medicinam contra phantaſmata mala communem & fructuoſam dicebat orationem ſolicitam, ſtatim cùm quis ſurgit à ſomno. Hæc Caietanus. Facilè tamen in plerîſque prædictarum actionum exercendis peccatum intercurret Veniale cuiuſdam irreuerentiæ erga Deum aut indecentiæ: quam tamen culpam facilè diluet cauſa rationabilis, vtilitas ſpiritualis, aut neceſſitas, vt rectè Nauarrus ſuprà n. 49. Adde quaſdam etiam ſuperiorum actionum fieri poſſe inter orandum, ſine vlla ſuſpicione peccati, quales ſunt deambulare, iter conficere, in hortum proſpicere, &c.

17. *Quæ ſit attentio neceſſaria & ſufficiens in horis legendis.*

Ex omnibus hactenus de attentione diſputatis hoc ſummatim colligo. Neceſſariam & ſufficientem Attentionem in publica pſalmodia vel priuata Horarum recitatione eſſe, ſiquis ad eas obligatus ſaltem ad verba quæ legit animaduertat, cum mente tamen orandi & vacandi Deo, (quam generalem & confuſam ad Deum attentionem quidam vocant) vel intendens cum Eccleſia per orationes iſtas Dei laudes celebrare. Dixi autem *neceſſariã* illam *attentionem eſſe*, quia requiritur aliquo modo aduertentia aliqua ad verba ſaltem ſuperficialis & ſimplex, vt quis in illis pronuntiandis non erret. Addidi etiam *ſufficientem eſſe*, quia licet attentio ad verborum ſenſum, vnde mens pijs affectionibus permoueatur, excellentior ſit, & conſulenda; non eſt tamen neceſſaria, & ſine culpa omitti poteſt.

18. *Probabile eſt eum ſatisfacere qui exterius attentionem*

Nota poſtremò ex Petro à Nauarra lib. 2. de Reſtitutione cap. 2. n. 234. probabile eſſe, quod, ſi quis memoriâ teneat omnia recitanda, ipſum ſatisfacere præcepto de Horis, quantumcumque ad verba non attendat, dummodo exteriùs attentionem adhibeat, recol-

recollectuſque ſit, & compoſitionẽ moteſtiamque orantis ſeruet, quia non exponit ſe periculo errandi: adeo vt is qui more ſolito Completorium dicit memoriter, ſi in fine unius vel alterius pſalmi aduertat ſe debitè recitare, credendus ſit à mortali excuſari, nec ad reſtitutionem teneri, cùm quoad cetera ſaltem ſit veriſimile ipſum rectè omnia pronuntiaſſe. *[dicibus memoriter horas recitãtes, quamuis ad verba non animaduertat.]*

CAPVT XXXVIII.

Quæ cauſæ ab intrinſeco prouenientes à penſo Horarum ſoluendo aliàs obligatum eximant.

1. *Quæruntur cauſæ generatim excuſantes.*

NOTA primò, Quærere nos cauſas generales quibus contingat excuſari à recitandis horarijs precibus eos, qui ad illas iure vel conſuetudine tenentur, quarum quatuor recenſet Nauarrus in Enchir. Confeſ. cap. 25. nu. 100. nam de particularibus Beneficiariorum excuſationibus dictum eſt ſuprà, ſuo loco.

2. *Variæ cauſæ excuſant.*

Nota ſecundò, Sicut diuerſis de cauſis liberamur ab alijs præceptis Eccleſiaſticis implendis, ita quoque circa legem de precationibus canonicis recitandis varia occurrunt impedimenta ex parte animi, corporis, & exteriorum occupationum, quæ iuſtam vacationem ab ijſdem tribuant perſoluendis.

3. *Excuſat corporis infirmitas grauis &c.*

Dico primò, Prima excuſatio ab Horis legendis eximens eſt Impotẽtia, vel phyſica & abſoluta, vel ſaltem moralis, procedens ex graui corporis infirmitate, ita vt preces legi non poſſint ſine notabili valetudinis incõmodo, vel magno dolore & moleſtiâ; verbi gratiâ, capitis vel oculorum, nec in hoc caſu opus eſt iudicio medici.

4. *Probatur*

Ita communiter DD. omnes. Vide Nauarrum in Enchir. Confeſ. ſuprà, & in Enchir. de Horis c. 11. n. 1. Sumitur ex C. *Ad Audientiam*, de Clericis non Reſidentibus: & clariùs ex diſt. 91. in principio, & ibidem ex C. *Clericus viſum*, quod ſumptum eſt ex Concilio Carthaginenſi IV. cap. 49. Vbi dicitur: *Clericus, qui abſq; corpuſculi ſui inæqualitate vigilijs deeſt, ſtipendijs priuatus excommunicetur.* Notat verò Gloſſa in principio illius diſtinctionis, per inæqualitatẽ corporis intelligi exuberantiam, vel defectum humorum, in quibus conſiſtit infirmitas. *[ex Iure Canon.]*

Aduerte autem, Non quamcumque incommodam valetudinem concedere hanc relaxationem. Non enim leuis capitis, ſtomachi, vel pectoris dolor eximit ab hoc onere: quia non ſolet impedire huiuſmodi alias functiones profanas etiam ſerias, quæ miniſterio linguæ vel capitis indigent. Item non liberat à recitando tertiana, vel quartana, tempus antemeridianum, vel poſt meridianum vacuum relinquens, quod maximè locum habet pro Horis, quæ legi ſolent tempore quo à febri datur reſpiratiò: quia, iudicio medicorum, non ſolet pronunciatio Horarum hoc modo laborantibus notabilem dolorem aut nocumentum adferre, vt rectè Nauarrus Enchir. de Horis cap. 11. num. 3. 5. *Leuis infirmitas hanc excuſationem non tribuit.*

Petes hîc primò, An is qui ſub meridiem præuidet febris acceſſum, vel aliud quodcumque, etiam voluntarium, impedimentum, quo prohibeatur Veſperas & Completorium legere, teneatur tempus recitationis prævertere, & mane eaſdem Horas perſoluere. 6. *An præuidẽs febris acceſſum vel aliud impedimentum teneatur tempus recitationis præuertere.*

Reſpondeo, Communiter docere DD. eum qui animo præuidet morbi acceſſum, vel aliud quodcumque impedimentum teneri recitationem Horarum, vel anteponere intra ſpatium diei naturalis, quod eſt tempus habile & legitimum. ad Diuinum Officium 7. *Communis ſententia eſt teneri tempus præuenire.*

dicendum. Vnde, ſi quis per accidens excuſetur à peccato propter impedimentum ſuperueniens non præuiſum; non tamen excuſatur per ſe: quia ſi illud præuiderit, debet tempus anticipare: ſicut è contra, qui aliquo tempore fuit impeditus, non poteſt tranſacto tempore, quo in choro Officium Eccleſiaſticum cantari ſolet (quod poſſumus vocare tempus opportunum ad recitandum) Horas tempore illo debito & opportuno non recitatas omittere: quia vt ſępe dictum eſt, tempus obligationis eſt dies naturalis. Ergo quiſquis intra illum quamcumque Horam legere poteſt, ad hoc tenetur.

8. *Probabile eſt, ſi impedimentum ſit à natura vel coactione, non neceſſe eſſe tempus præuenire.*

Nota tamen, Quoſdam DD. inter quos eſt Melchior Canus relectione 5. de Pœnit. putare non eſſe neceſſe præuenire tempus canonicum, ſi impedimentum futurum ſit à natura vel coactione (non autem voluntarium) quale eſt febris ſtatis horis accedens, & ſe exacuens. Et ratio eſt, quia poſſe præuenire tempus ordinatum à lege vel conſuetudine, v. g. Veſperi legere Matutinum eſt quoddam priuilegium, quo tunc vti non tenemur: quorum ſententiam probabilem cenſeo cum Leſſio lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 8. num. 43. modò, ſi impedimentum ceſſet, ante mediam noctem prætermiſſa recitentur.

9. *Poteſt tertiana laborans facilè etiam excuſari à præueniendo vel differendo.*

Nota ſecundò, Tertianâ vel quartanâ laborantem ex alio etiam capite facilè eximi poſſe ab Horarijs precibus anticipandis vel poſtponendis intra tempus diei legitimum. Nimirum, quia multarum orationum congeſtio, & diuturna recitatio acriorem febris paroxiſmum efficere poteſt, vel grauis nimium eſſe poſt eius abſceſſum propter malam ægri corporis affectionem & relictam debilitatem, vt rectè obſeruauit Suarez ſuprà cap. 28. num. 28.

10. Petes ſecundò, An in caſu ægritudinis, vel ſimili teneatur quis adhibere ſocium, quo cum alternis legat, ſi hac ratione ſine notabili valetudinis incommodo poſſit, quod aliter nimium graue foret. Solet enim onus diuiſum ſuauius eſſe.

An infirmus &c. teneatur adhibere ſocium, ſi facilius ſit legere hora ſpoſſit. 11.

Reſpondeo, Leſſius ſuprà dubit. 9. num. 54. docet eum, qui ſocio vti ſolet in recitando teneri illum adhibere, ſi hoc pacto ſine magno detrimento penſum reddere poteſt; ſi verò aſſociatus dicere non ſolet, non teneri. Verùm probabilius videtur, quod paſſim alij docent, ſcilicet, adhibendum in orando ſocium, ſi commodè haberi poteſt. Ita Nauarrus ſuprà cap. 11. n. 11. & ſequent. maximè verò num. 13. & 14. quem ſequuntur Azor. Suarez, & alij. Et ratio eſt, quia nulla hîc vel phyſica, vel moralis impotentia locum habet, quâ impediatur Officium Diuinum dicere. Cenſemur quippe poſſe, quod per alium facere poſſumus.

Probabilius eſt ſocium adhibendum.

12. *Non tenentur diuites Clerici dum ægrotant pretio ſocios conducere.*

Nota tamen non videri obligari diuites Clericos, quantumuis etiam amplum & copioſum ſacerdotium obtineant, ad ſocium pretio conducendum; Quidquid ſuprà inſinuat Nauarrus, quem ſequitur Valerius Reginaldus libr. 18. Praxis fori Pœnitentialis cap. 13. num. 183. Sub finem; tum quia nulla ratione vel iure hoc probari poteſt, tum quia, ſicut non teneor ſacerdoti ſoluere Stipendium, vt feſtiuis diebus ſacrum audiam; ita nec ſocio, vt mecum legat. Adde non debere imponi maius onus infirmis Clericis, quàm ſanis. Conſulendum nihilominus eſt Beneficio lauto fruentibus, vt mercede ſibi comparent ſocium, qui ſimul cum illis legat dum infirmantur.

13. *Quid faciendum ſi dubium ſit de morbi grauitate.*

Petes tertiò, Quid faciendum ſit, ſi dubium incidat de morbi grauitate, vel, an lectio officij canonici grauiter valetudini noceat.

Reſpondeo, Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. ſentit tunc & conſilium medici

medici, & auctoritas Prælati requirenda. Nauarus ſuprà c. 21. de Horis, num. 16. aduerſus Sotum agens, cenſet ſufficicere hac in re conſilium medici probè eruditi, quia ſic habet conſuetudo. Rari enim Prælatum in ſimili conſulunt, niſi Religioſi, & hæc ſententia Nauarri omnino vera videtur, inque eam paſſim deſcendunt DD. Azorius, Suarez, & alij, imò ſufficit hac in re vnius periti & Deum timentis medici iudicium. Ratio eſt, quia medicorum proprium eſt, de morbis & rebus valetudini noxijs ferre iudicium, quibus proinde, vtpote in arte ſua peritis, meritò credendum eſt: nec tunc opus eſt vllà ſuperioris diſpenſatione, cùm ſatis conſtet de veritate cauſæ excuſantis. Quod ſi & ipſe medicus ambigat de ægritudinis grauitate, requirendum Prælati conſilium & auctoritas: & eo in caſu vera eſt Soti opinio, quia aliqua diſpenſatione opus erit, vt quis ſecurè poſſit Horas omittere, & ſolent Regulares ad Monaſterij Moderatorem confugere, cui per priuilegia conceſſa verè eſt facultas Officium Diuinum in aliquid leuius commutandi durante infirmitate, vt lib. 3. dicetur: eademque auctoritas in eiuſmodi dubio diſpenſandi reſpectu Clericorum ſibi ſubditorum indulgetur Epiſcopis, licèt rariùs ad eos propter huiuſmodi adiri ſoleat. Quidquid ſit, ſi neque medicus, neque ſuperior in dubio hoc de morbi grauitate conſuli poteſt, tunc, vel Officium Diuinum recitandum, quamuis cum aliquo incommodo, quia non ſolùm hoc tutius eſt in foro conſcientiæ, ſed etiam, quia præceptum & ſuperior ſunt in poſſeſſione ſuæ auctoritatis; vel certè dubium hoc practicè deponendum, quod locum habet, quando non eſt dubium merè negatiuum, ſed probabile, vel probabilius eſt infirmitatem huiuſmodi à recitatione immunitatem concedere: quod maximè verum eſt, quando ſolùm paucis diebus officium intermittendum eſt: Nam ſi longiores feriæ concedendæ, ad Superiorem, ſi acceſſus pateat, recurrendum erit. Ita Azor lib. 10. Inſtit. Moral. c. 13. q. 1. ſub finem & Suarez ſuprà c. 28. n. 19. & ſequentibus. Ceterum, vt ego quoque meum hîc iudicium interponam, non facilè in ſimili dubio mortaliter peccabit Clericus vel Religioſus timoratæ conſcientiæ, qui bona fide abſque craſſa ignorantia, cenſebit ſe ab Horarum lectione liberum propter apparentem aliquam rationem, licet re ipſa leuiorem; de quo vide Caietanum in Summa, V. *Præcepti tranſgreſſio*, ſub finem.

14. Sufficit vnius periti & Deum timentem medicum conſulere, niſi & ipſe dubitet, tunc enim opus erit ſuperioris auctoritate.

Petes quartò, An is qui morbo, vel aliàs legitimè impeditus debitum Horarum canonicarum pendere non ſufficit, teneatur aliquid aliud earum loco quod facilè poteſt, perſoluere: verbi gratiâ, Roſarium B. Virginis, paruum eius officium, vel quid ſimile. 15.

An qui horas legere non valet, aliud earum loco recitare teneatur.

Reſpondeo, DD. hoc in dubio ſoluendo varios fuiſſe. Angelus enim V. *Hora* n. 4. cenſet debere, vtpote quia eſt obligatio iuris diuini ſecundum ipſum. Nauarrus ſuprà cap 11. n. 19. tenet ad nihil quidem aliud dicendum aſtringi lege humana; ſupplendum tamen aliquid indeterminatum iure naturali diuino; fatetur tamen non eſſe damnandum peccati mortiferi, ſi quis preces illas non determinatas omitteret. Idem videntur ſenſiſſe aliqui antiquiores. Verùm abſolutè dicendum cum Syluestro V. *Hora* q. 4. dicto 3. nihil huiuſmodi impedito neceſſariò legendum, vel per alias orationes compenſandum, vt ex ijs, quæ ſuprà de obligatione Beneficiariorum & Clericorum in ſacris docuimus, facilè colligi poteſt. Ratio verò eſt, quia nullo iure præcepta eſt 16.

Nihil tenetur huiuſmodi loco earum legere.

hæc

hæc compenſatio, & quandocumque certum aliquod opus lege imponitur, ſi illud præſtari non poteſt, nulla remanet obligatio per aliud, vel per alium illud ſupplendi, vt patet in præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis, à quo ſi iuſtè excuſor, non teneor, vel per alium audire, vel alias preces eius loco orare. Idem dicendum de lege Eccleſiaſtici iejunij, & alijs.

17. *Qui horas impeditus morbo vel aliter recitare non poteſt, alios audire recitantes non tenetur.*

Petes quintò, An is qui ratione morbi vel alio modo nequit Canonicum penſum perſoluere, teneatur ſaltem alios recitantes audire.

Reſpond. Cum communi ſententia DD. quam habet Syluester V. *Hora*, q. 4. dicto 2. & Nauarrus de Orat. cap. 11. num. 7. & 8. non teneri. Et, ſi alios hoc modo ſolùm recitantes audiat, nõ ſatisfacere, ſi aliunde iuſta excuſatio non ſubueniat. Et ratio eſt, quia præceptum eſt Horas canonicas legere & voce proferre, non verò proferentes audire, niſi cum ſocio recitans eius partem audias, tunc enim ex priſco Eccleſiæ vſu cenſeris per illum legere & ſatisfacere. Deinde præceptum hoc eſt perſonale, non ſupplendum per alium, ſi per te implere non poſſis: Vnde ad hoc non teneris, &, ſi præſtiteris, obligatione non ſolueris.

18. Petes ſextò, Vtrum is qui ratione ægritudinis vel iuſtæ occupationis quotidianum penſum non peregit, teneatur die ſequenti impedimento jam ceſſante prætermiſſas preces reſumere.

Qui non legit hodie impeditus horas cã.non, non tenetur poſtridie eaſdem repetere.

Reſpondeo, Iuxta ſententiam receptam, negatiuè: quia Officium Diuinum eſt onus cuique diei proprium, cuius obligatio die præterlabête etiam præterlabitur, & euaneſcit. Adde minus congruum eſſe officium vno die omiſſum poſtridie reddere, vt alibi dictum eſt. Denique qui non poteſt ieiunare in quadrageſima, non obligatur ieiunare alio tempore cap. 2. de Obſeruatione Ieiuniorum. Vide Stephanum Durant. lib. 3. de Ritibus cap. 23. num. 2.

19. *Poteſt interdum caſus incidere in quo ſacrum dicere poſſis, & tamen horas legere non tenearis.*

Nota hîc caſum incidere interdum poſſe, vt rectè obſeruat Toletus lib. 2. Inſtructionis cap. 14. in quo quis Horas legere non teneatur, poſſitque nihilominus offerre ſacrificium, vt cùm quis graui dolore oculorum, vel alio premitur, cui proinde permoleſtum ſit officium longum recitare, non verò ſacrum dicere.

20. *Excuſantur muti & alij in quibus eſt impotentia vel abſoluta vel moralis loquendi.*

Dico ſecundò, Eamdem immunitatem ab Horis ſoluendis tribuit impotentia abſoluta vel moralis loquendi, vt eſt in mutis & ijs qui iuſtâ ex cauſâ preces canonicas pronuntiare non obligatur, cùm ad impoſſibile nemo cogendus ſit, & Eccleſia humanæ imbecillitati nimis ardua imperare non ſoleat: cumque non præcipiat mente ſola orare, erunt illi liberi penitus à debito Horarum.

Quæres hîc primò, An ſurdus quoque excuſetur à recitatione Diuini Officij.

21. *Surdus per ſe non eximitur à recitando.*

Reſpondeo breuiter cum P. Suarez ſuprà cap. 28. num. 17. Nulla ratione eximi à recitando, cùm per ſe legere poſſit. An verò ſurdus ſe ipſum audiat legentem nec ne, nihil refert, cum facilè percipere poſſit quid dicat, & ad illud mentem aduertere. Quod ſi legitimè impediatur quo minus per ſe ſolus recitet, tunc quoque immunis erit à recitatione cum ſocio, quia illum audire vel omnino non poteſt, vel certè non niſi voce ſtentorea clamantem, ad quem modum, nec ſocius, nec ipſe compellendus eſt. Quod ſi ſimul fuerit captus oculis & auribus, tunc, neque cùm ſocio, neque ſecum ſolum quidquam dicere tenebitur, niſi quod memoria nouit, ſi quidem illud fuerit maior pars Diuini Officij, iuxta ea quæ inferiùs dicentur. Huiuſmodi tamen, ſi ratione Beneficij

neficij choro aſtrictus fuerit, præſentiâ ſuâ debebit pſalmodiam honorare, ſicut & ſacro diebus feſtiuis adeſſe. Vnde Ioannes Maior in 4. diſt. 12. q. 6. quem ſequitur Nauarrus in Enchir. de Horis cap. 19. num. 80. non excuſant a canendo in choro, ſi ex eo quod videt vel audit aſſequitur, quando canere vel ſilere debeat, ſed non ſatisfacere dicunt canendo ſolùm partem ſui chori, niſi audiat partem alterius, vel ſaltem recitet ſubmiſsè ex libro.

Quæres ſecundò, An cœcus ſolutus ſit à lege Horas recitandi.

Reſpondeo, aliquos hunc ſimpliciter excuſare, inter quos eſt Toletus lib. 2. Inſtructionis c. 14. & inclinat Sotus l. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 3. dum ſcribit: Excuſantur cœci & qui legere nequeunt, niſi fortè memoriter aliqua proferre poſſint, quamuis hoc dubium ſit, quia per accidens eſt quod memoriter teneant. Nauarrus in Enchiridio de Horis cap. 11. num. 13. & ſequentibus & cap. 21. num. 14. excuſat cœcum cum hac limitatione, niſi poſſit Horas cum ſocio recitare, & eſſet, qui vellet, & poſſet eum iuuare gratis aut pretio, ſi haberet reditus Eccleſiaſticos ſufficientes ad ſe alendum, & ad illum conducendum: vbi etiam obligat eum ad recitandum eam partem, quam memoriter tenet, ſi maior pars Horarum fuerit, licet non habeat ſocium nec habere teneatur. In hanc ſententiam plerique omnes huius temporis DD. abeunt, vt Azor. ſuprà c. 13. q. 3. & 5. Suarez ſuprà cap. 28. num. 14. & 15. Cæterùm quamuis poſterior pars opinionis Nauarri mihi placeat, vt cœcus, ſi maiorem Horæ partem memoriâ teneat, eam dicat, quia ratio hoc ſuadet, & Doctores; prior tamen pars de ſocio adhibendo difficultate non caret: tum quia ſolùm locum habet in Horis, quas cœcus memoriter nouit, quæ ſunt ferè minores, & in his ſocio non indiget, non verò in Matutino, cuius pſalmos plerumque non nouit, nec alia, & ſic non poterit cum ſocio alternis dicere; tum quia docent Nauarrus & Suarez ſuprà, hunc debere mercede conduci ſaltem à ditioribus, maximè verò à Beneficiarijs opulentioribus, quod inſolitum videtur. Vnde & ipſe Suarez videtur, nonnihil poſtea ſuam ſententiam mitigare, dum ait cœcum, qui ratione Beneficij choro aſſiſtere tenetur, ſatisfacere quidem ſi in choro recitet prout poteſt, attendendo ad ea quæ ab alijs canuntur, & partem ſuam, prout nouit, cum alijs pſallendo, neque poſtea teneri priuatim repetere, quamtumuis multa canere omiſerit (recitat enim prout poteſt;) ſi verò choro adeſſe nolit, omnino obligari ad recitandum cum ſocio etiam pretio conducto, quando fructus Beneficij ad hoc ſufficiunt: quam rationem cum Nauarro dicit ceſſare in ſimplicibus Clericis & Religioſis, qui non ratione Iuſtitiæ, ſed ſolius Religionis, vel Obedientiæ ad penſum Horarum aſtringuntur, & ideo ſi gratis hunc adiutorem habere non poſſunt, non coguntur proprijs expenſis alere.

23. *Non videtur cœcus teneri ad ſocium adhibendum qui parum ex horis nouit memoriter.*

Nota hîc primò, quidquid ſit de ſocio adhibendo inter recitandum, cœcum qui nihil ex Horarijs precibus memoriâ tenet, vel ſaltem perparum, non obligari ad audiendam partem ſocij in alternatione, & rurſus ad ſuam cum illo recitandam; & ratio eſt, quia non videtur præceptum humanum, ad illam exactiſſimam diligentiam obligare. Adde hoc recitandi genus eſſe, tum permoleſtum, tum parum decens; vnde huiuſmodi cœcus ſocium in legendo adhibere non tenetur. Excipit tamen Suarez ſuprà n. 16. illos Beneficiarios cæcutientes, qui cùm poſſent & deberent intereſſe choro, ab eo ſine legitimâ causâ abſunt:

Digitized by Google

3. *Non fertur in C. Dolentes nouum præceptum, ſed ſolùm renouatur, &c.*

Nota ſecundò, In illo Capitulo non fuiſſe latum nouum præceptum, ſed ſolùm renouatum, & explicatiùs propoſitum & ſub maioribus pœnis iniunctum, vt Diuinum Officium *ſtudioſe deuoteque* celebretur: quod eſt contra Caietanum V. *Hora* num. 6. vbi ait, non ad iterandum præceptum de Officio Diuino, ſed ad præcipiendum modum dicendi nouum præceptum factum eſt, vt ſcilicet *ſtudioſe & deuote*, quantum Deus dederit, exſoluatur. Verùm ſemper debuit Eccleſiaſticum officium recitari integrè, & deuotè, cùm vterque modus pertineat ad intrinſecam orationis vocalis rationem; certum eſt autem Eccleſiam præcepiſſe ea, quæ ſpectabant ad orationis ſubſtantialem integritatem. Sed quia abuſus quidam paulatim in publicam præſertim diuini officij celebrationem irrepſerant, videlicet pſallere ſyncopando & tranſcurrendo, & confabulationes in Choro miſcere; ideo expreſſiùs illi vetantur, additis pœnis, dum in conſtitutione dicitur: *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis* (ferendæ ſcilicet) *penitus inhibemus*. Deinde attentio & deuotio grauiſſimis verbis iniungitur, dum additur: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè*.

4. *Fertur ibidem propriè dictum præceptum.*

Nota tertiò, Ex verbis Concilij iam poſitis manifeſtè ſequi propriè dictum hîc ſanciri præceptum, & quidem de omnibus illâ clauſulâ comprehenſis, vt certiſſimum eſt. Nec refert quòd interſerantur illa verba, *quantum ijs Deus dederit*, quia vt rectè aduertit Sotus lib. 10. de Iuſtitia quæſt. 5. artic. 5. & alij, Nihil aliud iſta indicant, niſi cuique illam attentionem & deuotionem adhibendam eſſe, quam Deus ipſi communicauerit. Quaſi dicat, adhibeat quiſque ſaltem aliquam attentionem, vel ſupremam, vel mediam, vel ſaltem infimam. Vnde verba illa præceptum non tollunt, ſed rigorem eius mitigant. Vnde rectè Caietanus V. *Hora* num. 10. Celebrat, inquit, diuinum officium, ex parte „ ſua *ſtudioſe & deuote*, qui cum ani- „ mo, quantum in ſe eſt, vacandi Deo „ inchoat, & non mutatur in contra- „ rium (hoc eſt in voluntatem non at- „ tendendi diuino officio) expectans „ quantum Deus det in proſequendo, „ tam attentionis, quæ ſpectat ad ſtu- „ dioſitatem applicatiuam intellectus, „ & ſenſus ad attendendum; quam „ cuiuſque ſanctæ affectionis, quæ ſpe- „ ctat ad deuotionem ablatiuam, „ promptæ voluntatis ad ea quæ Dei „ ſunt. Hæc ille veriſſimè. His ita poſitis duæ ſunt ſententiæ DD. de attentionis genere quæ præcipitur C. *Dolentes*.

5. *Duæ ſententiæ DD. circa attentionem, quæ percipitur C. Dolentes.*

6. *Prima eſt ſolùm præcipi attentionem externam, quæ eſt probabilis.*

Prima eſt, ab Eccleſia ſolùm præcipi attentionem externam, vt videlicet obligatus ad Horas recitandas non occupet ſe actionibus externis, quæ attentionem animi penitus excludant; non verò internam, quâ teneatur omnes alienas à rebus diuinis cogitationes tempore orationis reijcere. Vnde mortaliter cenſent peccare, qui huiuſmodi occupationibus exterioribus deliberatè ſe dat, non verò qui interiùs ſponte vagatur; modò penſum ſuum integrè perſoluat. Ita tenet Gloſſa in Clementina 1. de Celeb. Miſſ. ad illud; *Fructum labiorum*. Textus, inquit, *probat ſola vocali pronuntiatione Horarum adimpleri præceptum recitandi, licet animo aliud voluamus*. Idem docet Hoſtienſis & alij in C. *Dolentes* ſuprà, Angelus V. *Hora* n. 27. Sylueſter eodem q. 11. Durandus in 4. d. 15. q. 12. n. 6. Ibidem Palud. q. 5. ar. 2. con. 4. Ioan. Medina Cod. de orat. q. 16. & plures alij.

7. *Prob. hæc ſententia.*

Probatur hæc ſententia primò, Sicut Eccleſia non poteſt cognoſcere aut iudicium

Digitized by Google

dicium ferre de actibus animi internis, ita etiam non poteſt eos præcipere, vetare, aut punire. Ergo nullo modo putandum eſt eam prohibere ſuo decreto internam mentis euagationem, ſed ſolùm externis in rebus, cum attentione non conſiſtentibus occupationem.

Probatur ſecundò, Quia Pontifex cum Concilio Generali ibidem ſolùm prohibet præcepto negatiuo, in Diuino Officio ſyncopationem, & ſenſuum ad indebitos ſermones applicationem; Ergo ſimiliter præcepto affirmatiuo, quo mandat idem *deuotè & ſtudioſè* recitari, ſolùm præcipit illius integritatem & externam attentionem cùm conſtet prohibitionem & præceptionem verſari circa eandem materiam. Hæc ſententia tum propter DD. tum propter rationes probabilis eſt. Aliam ſententiam iam explico.

9. *Sententia alia multò verior præcipi veram & internam attentionem actualem vel virtualem.* Concluſio. Multò verius eſt Eccleſiam decreto ſuo non ſolùm præcipere attentionem exteriorem, vt videlicet nihil exteriùs agatur, quod mentem diſtrahat; ſed etiam veram & internam animi deuotionem & attentionem actualem, vel ſaltem virtualem: ita vt mortale crimen incurrat, ſi quis ſponte cogitationibus ab oratione alienis per partem notabilẽ occupetur. Ita expreſſè Caietanus in Summa, V. *Hora* nu. 7. & 10. & 2. 2. q. 83. art. 13. ibidem Arragon. Sotus lib. 10. de Iuſtit. q. 5. art. 5. Nauarrus in Enchir. de Orat. cap. 13. num. 19. Azor. Leſſius, Suarez & alij.

10. *Rationes pro hac ſententia.* Probatur primò, Eccleſia præcipit orationem vocalem veram & propriè dictam; Atqui de ratione orationis vocalis eſt neceſſaria aliqua attentio. Ergo Eccleſia dum præcipit orationem, conſequenter etiam præcipit aliquam attentionem. Maior eſt plane certa, & à nemine negatur. Minor verò probatur ex dictis ſuprà c. 31. vbi probatum eſt attentionem eſſe de ſubſtantia orationis vocalis.

Probatur ſecundò, Qui horas canonicas tenetur recitare etiã tenetur formaliter vel virtualiter velle orare, vt oſtenſum eſt cap. præcedenti; Sed qui ſponte ſe implicat otioſis cogitationibus non intendit vere orare, quia orare eſt Deo ſuum deſiderium proponere, quod hîc nullo modo præſtatur. Ergo. 11.

Probatur tertiò, Eccleſia præcipit diuinum officium celebrari *ſtudioſè & deuotè*; Atqui deuotio eſt promptitudo voluntatis, ad ea quæ Dei ſunt, v. g. ipſius laudes, orationes, &c. Ergo Eccleſia conſequenter præcipit attentionem quæ ad actus deuotionis neceſſaria eſt. 12.

Scio variè ad hoc argumentum reſponderi ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ, dum dicunt vel ſolùm conſuli deuotionem internam per verba illa *Studioſè & deuotè*; præcipi verò ſolam ſubſtantiam diuini officij, quod ſuperiùs refutatum eſt: vel aiunt, ibi agi de deuotione, quatenus pendet ab externis actionibus, quibus vel promoueri, vel impediri ſolet, q. d. celebrent diuinum officium deuotè, id eſt, nihil admittant exterius occupationis, quod deuotionem, reuerentiam aut attentionem animi impediat. Quamuis verò hoc probabiliter admitti poſſit; eſt tamen contra mentem Eccleſiæ præcipientis orationem canonicam, cui iure naturæ neceſſariò annexa eſt interna attentio & deuotio: alioqui non veram & germanam, ſed fictam, & ſimulatam præciperet orationem, quod nefarium eſt ſentire. Reſpondent etiam tertiò aliqui præceptum illud cadere in pſalmodiam publicam, quæ fit in choro, quæ aliquas conditiones requirit in priuata non neceſſarias. Quamuis verò veriſſimum ſit primariò ibi præceptum ferri de Officio publico 13. *Variè reſpondent ad argumenta auctores primæ ſententiæ.*

publico chori; quia tamen officium canonicum etiam cùm priuatim recitatur, eſt officium Eccleſiæ ; ex conſequenti requirit eaſdem conditiones, quæ iure naturæ orationi ineſſe debent, quæ ſunt orare *ſtudioſe & deuote.*

14. *Refutatur reſponſio Ioannis Medinæ.* Quod vero Ioannes Medina Cod. de Orat. q. 16. ſequens opinionem eorum, qui docent attentionem animi interiorem non eſſe neceſſariam ad Horarum recitationem, concedat non obligare Eccleſiam ad orationem propriè dictam, quippe cui eſſentiale ſit interior mentis aduertentia. Item addat Eccleſiam ſupplere ſua deuotione id quod ſuis miniſtris fortè deeſt, cùm per illos tamquam legatos oret; abſurda ſunt & falſa, & præterea rectè refutantur à Suarez lib. 4. de Orat. c. 26. n. 14. & ſequent.

15. *Reſpondetur ad primum argumentum contrariæ ſententiæ, ſcilicet non eſſe improbabile Eccleſiam poſſe imperare actus internos.* Ad argumenta contrariæ Sententiæ iam reſpondeo. Ad primum dico primò, Non eſſe improbabile Eccleſiam imperare poſſe fidelibus etiam actus merè internos, etiam per ſe ſpectatos, vt docet Adrianus quodlib. 8. q. 1. ſi iudicaret ita expedire ad illos conducendos in vitam æternam. Cùm enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tradiderit poteſtatem condendi leges accommodatas & vtiles ad ſalutem animarum, quibus inoffenſo pede ad finem ſuum prouehantur, præcipere poterit, etiam directè actus virtutum internos, prout conducibiliùs in Domino illi viſum fuerit. Vide Leſſium lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 11.

16. *Reſponſio 2. Eccleſiam non præcipere directè actus internos, ſed ſolùm indirectè.* Reſpondeo ſecundò, Etſi concedamus Eccleſiam per ſe primò, & directè non imperare actiones interiores, negamus tamen non præcipere actus internos indirectè & conſequenter, vt ſunt rationes, circumſtantiæ, aut modi actionum exteriorum, vt ſortiantur & induãt conditionem verarum & Chriſtianarum virtutum, vel vt actus externi ſint meritorij, Deo grati, vitæ æternæ comparandæ idonei, ſaltem ex ſua ſubſtantia. Sic præcipit per ſe primò, & immediatè, per confeſſionem peccata exponere, conſequenter verò & mediatè omnia, quæ neceſſaria ſunt, vt confeſſio debito modo fiat, prout à Chriſto fuit inſtituta, & remiſſionis peccatorum impetratoria. Vnde indirectè & conſecutiuè præcipit examen conſcientiæ, dolorem, & deteſtationem peccatorum, emendationis propoſitũ, &c. Et ſic de alijs Eccleſiaſticis præceptis, quibus actus religionis mandantur, eſt ratiocinandum. Ita ergo cùm præcipit pſalmodiam canonicam immediatè quidem & per ſe primò imperat integram officij Eccleſiaſtici recitationem, ſecundariò verò & mediatè deuotionem, reuerentiam, intentionem orandi, adeóque internam attentionẽ, vt pſalmodia ſit actus Religionis quo Deus colatur, laudetur, oretur, &, quantum eſt ex natura illius actionis, præſtetur opus dignum homine Chriſtiano, meritorium gratiæ & vitæ æternæ.

17. *Reſponſio ad alterum argumentum.* Ad alterum reſpondeo. Prohibitionem & iuſſionem Eccleſiæ verſari circa materiam eiuſdem ordinis. Vnde ſicut indirectè prohibet diſtractionem voluntariam mentis in diuino officio, quæ oritur ex effuſione auditus ad indebitos ſermones, ita etiam præcipit indirectè internam deuotionem & attentionem, quæ contrariatur voluntariæ mentis diſtractioni, licet per ſe primò prohibeat impedimenta externa abſtrahentia ab animi aduertentia, & reuerentia erga Deum; mediatè verò mandet internam deuotionem orationi externæ neceſſariam, vt ſit actus virtutis Religionis, & integrum ac debitum hominis Chriſtiani officium, qui Deum non ſolùm corpore, ſed & ſpiritu colere tenetur.

Ex dictis ſequitur primò, Eum qui

Horas

Digitized by Google

Horas Canonicas recitauit, non animo orandi Deum, ſed dumtaxat legendi, vel addiſcendi, peccaſſe mortaliter, quia præceptum Eccleſiæ etiam quoad ſubſtantiam præcepti non impleuit.

Sequitur ſecundò, Similiter peccaſſe mortaliter eum, qui ſponte alienis cogitationibus diſtractus officium canonicum legit: quia præceptum Eccleſiæ obligat, vt obſeruetur cum conditionibus ad orationem veram requiſitis, quas hic non obſeruauit.

20. *Poteſt hoc peccatum diſtractionis fieri veniale duobus modis, vel ratione leuitatis materiæ, vel defectu perfecti voluntarij.*

Sequitur tertiò, Hoc peccatum poſſe fieri veniale duobus modis, vt in alijs contingit. Primò ex paruitate materię, vt quia euagatio non durat per notabilem partem diuini officij; quæ autem ſit pars notabilis, ſuprà dictum eſt. Secundò ex defectu perfectè voluntarij, vt quia recitans preces canonicas, non perfectè aduertit ſe diſtrahi, ſed tantum leuiter & imperfectè, & ideo non curat mentem ad orationẽ reuocare: vel quia ſufficienter videt ſe ad extranea euagari, & tamen leuiorem quàm par erat, adhibet diligentiam in animo retrahendo ab inutilibus cogitationibus. Erit autem peccatum illud omiſſionis contra præceptum affirmatiuum de adhibenda deuotione in celebratione diuini officij, quamuis adiungatur illi ordinariè peccatum commiſſionis, quod per ſe peccatũ eſt veniale, verbi gratiâ, otioſa cogitatio, niſi fortè delectatio moroſa de obiecto turpi, quæ præter deformitatem propriam ſuperaddet etiam aliam mortalem contra virtutem Religionis; vt alibi dictum.

21. *Locus obſcurus Caiet. de diſtractione voluntaria explicatur clarius.*

Sequitur quartò, Satis obſcure de diſtractione voluntaria & mortali ſcripſiſſe Caietanum tum in Summa V. *Hora* num 8. & 10. vbi ad voluntariam diſtractionem requirit, vt animus mutetur in contrarium ex propoſito & intentione; quod niſi intelligatur de intentione directa vel indirecta, per ſe vel in cauſa, verùm non eſt; tum 2. 2. q. 83. art. 13. vbi ad euagationem mortalem in oratione præcepta requirit, vt ſit, vel ex contemptu, vel ex induſtria in parte notabili; ad venialem verò, vt ſolùm ex negligentia non attendat ſaluo propoſito attendendi. Qui locus intelligi debet, non de negligentia craſſa & ſupina, ſed leui, & ferè indeliberata: Euagatio enim ex illa proueniens, eſt mortalis, & æquiualet propoſito & intentioni directæ moraliter; quia eſt intentio indirecta & virtualis; orta verò euagatio ex leui dumtaxat incuriâ tantùm eſt venialis, quia eius cauſa ſolùm venialis eſt.

22. *Non tenetur quis repetere ea, quæ non recordatur ſe recitaſſe, modò non recordetur ſe non recitaſſe, & probabiliter credat ſe recitaſſe.*

Sequitur poſtremò, Rectè ſcripſiſſe Nauarrum in Ench. de Horis Canonicis cap. 13. n. 29. & ſequent. Ex Ioan. Maiore in 4. diſt. 12. q. 7. Non teneri quem repetere pſalmos vel lectionis officij diuini, quæ non recordatur ſe recitaſſe, modò non recordetur ſe non recitaſſe, & credat probabiliter ſe recitaſſe, quia ſolitus ſit ea recitare: & idem tradit de ijs, qui ab initio lectionis Horarum habuerunt propoſitum expreſſum vel tacitum attendendi, & in medio vel fine pſalmi, vel lectionis vident, ſe fuiſſe euagatos, quando illud ante non aduerterunt, vel ſi aduerterint, operam dederunt vt mentem reuocarent. Eiuſmodi enim nihil repetẽdũ: quod multò verius eſt ſi ſcrupulis angi ſolent: talibus enim conſtare debet ſe aduertiſſe euagationes, nec repuliſſe. Imò addit Nauarrus ſuprà, optimum conſilium eſſe volenti ſeriò orationi attendere, vt non occupet ſe reflectendo an attendat necne, quia tales faciliùs errant in recitando, vt contingere ſolet ijs, qui per trabes ſuſpenſas in aëre vel tegulas in tectis incedunt, qui tum maximè lapſui proximi ſunt, dum de eo cogitant & timent.

QA-

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

Vtrùm qui ſine attentione Preces Canonicas legit, teneatur poſteà repetere, & fructus, ſi Beneficiarius eſt, reſtituere.

REperio tres diuerſas in hac quæſtione ſententias.

1. *Tres de hac quæſtione opiniones.*

Prima eſt Ioannis de Medina Cod. de Orat. quæſt. 16. Anton. Cordubenſis libro 4. Quæſtion. Theolog. q. 13. ſub finem, qui docent eum qui ſponte diſtractus officium canonicum perlegit, quamuis peccarit mortaliter, voluntariè euagationes animi admittendo, non teneri tamẽ repetere. Ducuntur ad hoc ſentiendũ ex eo, quod putẽt in præcepto de Horis dicendis duo interuenire præcepta, vnũ de recitando integrè Diuino Officio, alterum de attentione debita adimplenda, ſiue adimplendo præcepto quoad modum. Vnde cùm huiuſmodi impleuerit præcepti ſubſtantiam, non tenetur rurſus recitare; attentionem verò contra quam peccauit, non obligatur rurſus adhibere, cùm non teneatur denuo orare, quod eſt attentionis materia. Sicut ergo is qui preces canonicas nolens obligationi ſuæ ſatisfacere recitauit, nihilominus eas repetere non tenetur vt ſuprà dictum: & qui ex maleuolentia debitum ſoluit: Iuſtitiæ, præceptum compleuit: & qui cum conſcientia peccati mortalis in paſchate, communicauit, Eccleſiæ mandatum ſeruauit Ita qui voluntariè diſtractus Horas dixit, legem de Horis recitandis adimpleuit, quia ſubſtantiam operis præcepti præſtitit. Vnde vlteriùs inferunt nullam in huiuſmodi oriri obligationem fructus reſtituendi, quia naſcitur ex operis externi omiſſione. Eſt hæc opinio probabilis.

2. *Prima docet non teneri eum qui ſponte diſtractus fuit, repetere nec reſtituere, eſtque probabilis.*

Altera ſententia eſt eorum, qui docent eum, qui de induſtria vel ſupina ignauia euagationes admittit tempore lectionis diuini officij, peccare quidem mortaliter & teneri repetere; non tamen obligari ad fructuum reſtitutionem, ita diſertè Sotus lib. 10. de Iuſtit. q. 5. art. 5. ſub finem, Toletus lib. 2. de Inſtruct. Sacerd. c. 12. num. 6. §. *Quartum dictum*, vbi ſic ſcribit: Non quotieſcumque mortaliter aliquis „ peccat circa officium ſoluendum, „ obligatur ad reſtitutionem, v.g. ſi „ recitet abſque aduertentia, ita vt nolit „ aduertere, mortaliter peccat, non ta- „ men tenetur reſtituere. In choro etiam poteſt ita confabulari cum alijs & immodeſtus eſſe, vt peccet, non tamen tenetur reſtituere, dummodo non prætermittat officium, ita Tole- „ tus. Fundamentum eorum eſt, eò „ quòd reſtitutio fructuum, Iure Canonico impoſita eſt ijs qui diuinum officium recitare omiſerunt, hi verò, etſi non debito modo, officium tamen ſuum exterius ſaltem executi ſunt.

3. *Altera cenſet huiuſmodi quidem teneri repetere, non tamen obligari ad fructuum reſtitutionem.*

Poſtrema eſt communis DD. Nauarri in Enchir. de Horis c. 20. n. 31. & 32. qui plures recitat, & c. 13. n. 17. idem docet de non attendente ad ea, quæ canuntur in choro, quoad amiſſionem diſtributionum. Idem tenet Valentia tom 3. diſpur. 6. quæſt. 2. punct. 10. §. 8. Azor. Suarez, Leſſius & alij, qui conſequenter ſuis principijs docẽt eum qui ſine interna aduertentia recitauit, cùm non ſatisfecerit Eccleſiæ præcepto de officio Canonico recitando, ſed mortaliter peccarit teneri repetere ab initio intra ſpatium diei naturalis, & ſi hoc non præſtiterit, non facere fructus ſuos, ſi Beneficio Eccleſiaſtico gaudeat.

4. *Tertia cenſet talem & teneri repetere, & ſi non repetierit, fructus beneficij reſtituere.*

Prima concluſio. Qui ſponte in oratione canonica vel ex craſſa negligentia extraneis cogitationibus abreptus fuit, obligatur in conſcientia eandem iterare. Eſt Auctorum tertiæ ſententiæ.

5. *Aſſeritur, & probatur tertia ſententia de repetitione horarum.*

Proba-

Probatur, Quia huiuſmodi recitans non verè impleuit legem de Horis recitandis, ne quidem quoad ſubſtantiam operis præcepti. Ergo tenetur iterum recitare.

Probatur Antecedens, quia modus deuotè & attentè officium diuinum celebrandi pertinet ad ſubſtantiam operis præcepti, tam ſecundum ſe, quàm quatenus ſub legem cadit. Ergo.

... verò habuerit voluntatem non repetendi, peccauitque mortaliter ratione voluntatis, tenetur tamen repetere. Aduerte hîc primò, eum qui de induſtria euagatus preces Canonicas recitauit cum propoſito eas iterandi ante mediam noctem nondum peccaſſe mortaliter, vt per ſe patet, cùm tempus idoneum adhuc ſuperſit legendi. Si verò habuerit voluntatem non repetendi, peccauit quidem mortaliter ratione mali propoſiti, nondum tamen violauit præceptum exterius, ſed adhuc tenetur illud exequi, ſi poſſit. Vnde ſi poſtea animum mutet, & legat vt conuenit, verè præceptum impleuit, & ad nullam obligatus manet reſtitutionem, nec excommunicationem, ſi fortè in non recitantes lata eſſet, incurrit. Quòd ſi appetente nocte media ſine attentione debita recitauit, iam præceptum etiam exterius tranſgreſſus eſt, quia nullum iam ſupereſt tempus opus debitum vt oportet iterandi.

8. *Explicatur quid ſentiendum ſit de illo qui caruit propoſito & iterum recitandi, & iterum non recitandi.* Aduerte ſecundò, ex Suarez ſuprà c. 26. n. 17. ſi huiuſmodi ſine cura attendendi recitans caruerit vtroque propoſito recitandi iterum & non recitandi, vtroque caſu certo certius debere iterare officium, ſed dubium eſſe quodnam peccatum tunc interius commiſerit. Si enim more ſolito ex obligatione ſibi impoſita Horas incipiens ſponte diſtrahatur, volens tamen ab initio per illam recitationem ſatisfacere; videtur peccaſſe mortaliter, niſi mutet propoſitũ, dũ ſe de induſtria diuertere videt, quia voluntatem virtualẽ habet non iterandi, quod ex his ſignis colligitur, ſi nimirũ non eſt ſolitus iterare cùm ſic diſtracto animo recitat, vel ſi non ſupereſt tempus repetendi, vel ſi videt alijs impedimentis occurrentibus excludendum ſe ab officij repetitione. Quod ſi ſolitus ſit officium malè hoc modo recitatum poſtea à capite integrare, veriſimile eſt non peccaſſe mortaliter, quia videtur habuiſſe ſaltem tacitè propoſitum iterandi.

Secunda concluſio. Qui de induſtria cogitationes alienas tempore Diuini Officij admiſit, ita vt præceptum de Horis legendis non impleuerit, tenetur ad fructus reſtituendos, ſicut is qui illud omiſit. Sequitur ex dictis & probatur à Nauarro ſuprà cap. 20. num. 32. Vide Petrum à Nauarra lib. 2. de Reſtitutione cap. 2. num. 228. & aliquot ſequentibus. 9. *Tenetur is qui ſponte diſtractus recitauit, etiam ad fructuum reſtitutionem.*

Ratio eſt, quia præceptum Eccleſiæ non impleuit, ob cuius tranſgreſsionem debita eſt fructuum reſtitutio. 10.

Nec refert, quòd obligatio reſtituendi imponatur non recitanti, non verò malè recitanti; quia (vt omittam varias reſponſiones Nauarri ſuprà) talis verè non recitauit iuxta mentem Eccleſiaſticorum canonum, imò iuxta rei veritatem: tum quia tenetur officium recitatum repetere, quod non contingit ijs, qui prauo fine, vel aliunde cum peccato recitant; tum quia etſi recitauit taliter qualiter, non tamen verè orauit: Eccleſia autem præcipit orationem, quæ ſine attentione ſaltem virtuali nulla eſt. Vnde, cùm non præſtiterit operis ſubſtantiam, meritò reſtituere obligatur. Eſt tamen altera ſententia, quæ talem à reſtitutione liberat, probabilis, quæ legem Concilij Lateranenſis ſolùm extendit ad non recitantes. 11. *Reſponſio ad obiectionem.* 12. *Eſt tamen altera ſententia probabilis non debere talem reſtituere.*

CAPVT XXXVII.

Quomodo peccetur, tam in Choro, quam priuatim, debitæ attentionis defectu tempore pſalmodiæ.

1. *Modus pſallendi deuotè magis obligat publicè quàm priuatim recitantes.*

SVppono modum Diuinum Officium pſallendi deuotè, reuerenter & attentè magis obligare publicè illud perſoluentes, quàm priuatim, quia hoc canones Eccleſiaſtici expreſsè ſignificant, vt patet C. *Dolentes*, de Celebratione Miſſarum & Clementina 1. eodem, & pluribus alijs decretis.

2. *Peccatum eſt mortale in choro ſine attentione pſallere.*

Dico primò, Aſtrictus officio chori præcepto de Horis pſallendis non ſatisfacit, ſed mortaliter peccat, ſi partem notabilem orationis canonicæ ſine interna deuotione vel attentione præterlabi ſinat, animo carens eam iterandi. Sequitur ex dictis.

3. *Excuſantur qui tempore Pſalmodiæ neceſſarijs chori ſeruitijs attendunt.*

Aduerte hîc excuſari à peccato, & à repetitione eum qui ſeruitio ipſi choro debito attendit, v. g. Thymiamaſi vel Thurificationi, librorum tranſlationi, & ſimilibus, ideoque minus diligenter pſalmodiæ & cantui intendere poteſt: tum quia ad Deum præcipuè oculum dirigere cenſetur, cui in huiuſmodi miniſterijs ſeruit: tum quia tamquam membrum corporis myſtici ſimul cum choro orare videtur. Eadem ratione dicit Nauarrus ſuprà cap. 16. n. 67. licere canenti ſalutare obiter intrantes Chorum, vel tranſeuntes, verbum vnum aut alterum famulo vel alteri indicare neceſſitate cogente, &c.

4. *Dubium quomodo peccet qui tempore pſalmodiæ in choro voluntariè euagatur, proponens tamen priuatim repetere.*

Dubium verò eſt, quomodo peccet is, qui voluntariè animum à diuinis diuertit tempore publicæ pſalmodiæ, cui vel vocem vel ſaltem præſentiam ſuam ſubminiſtrare debet, proponens tamen officium priuatim iterare. Diſputat hanc quæſtionem in vtramque partem accuratè Suarez ſuprà cap. 14. num. 10. & ſequent.

5. *Videtur peccare mortaliter, ſi attentio actionibus externis impediatur.*

Dico ſecundò, Videtur hoc modo cantare vel choro adeſſe peccatum omnino mortale, ſi debita attentio confabulationibus, iocis, & ſimilibus actionibus externis, maximè ijs, quæ ſeuerè prohibentur C. *Dolentes*, & Clementina 1. de Celebratione Miſſarum interrumpatur.

6.

Ratio eſt; tum quia actiones illæ non ſolùm iure naturæ, ſed etiam poſitiuo grauiter inhibentur; tum quia mali exempli ſunt, & aliorum orare volentium deuotionem notabiliter impediunt. Vide Nauarrum ſuprà c. 2. n. 4. & cap. 13. num. 17. 24. & ſequent.

7. *Si verò ſolùm ſit euagatio mentis interior proueniens ex tædio non facile erit mortale, ſi adſit propoſitum priuatim repetendi.*

Dico tertiò, Quando euagatio mentis ſolùm eſt interior proueniens ex negligentia & tædio, nullaq; interponitur actio externa attentionem aliorum impediens, & ſcandalum generans, adeſtque propoſitum domi iterum eamdem precationem reſtaurandi, non facile erit peccatum mortale animo voluntariè diſtrahi tempore quo pſalmodia in Choro peragitur.

8.

Ratio eſt, quia videntur Beneficiarij ſatisfacere ſuo muneri, ſi cantent in Choro, vel ſaltem ex conſuetudine aſſiſtant; ita vt non peccent, niſi venialiter, voluntariè diſtractiones admittendo, dummodo priuatim recitando vt oportet obligationem ſuam impleant.

9. *Huiuſmodi non tenentur ad reſtitutionem fructuum vel diſtributionum.*

Vnde ſequitur huiuſmodi Beneficiarios ſponte euagantes tempore diuini officij ad nullam vel fructuum, vel diſtributionum reſtitutionem teneri, quia per priuatam recitationem ſatisfaciunt obligationi quæ oritur ex titulo beneficij, & ſupplent defectum attentionis in publico officio requiſitæ, vnde non peccant contra Iuſtitiam; Per cantum verò vel aſsiſtentiam in

Digitized by Google

choro, ſuo publico muneri itidem ſatisfaciunt: ſicut cantores mercede conducti ſufficienter explent ſuum miniſterium, dum accuratè canunt, ita vt ad nullam reſtitutionem teneantur, quamuis animo ſponte diuagentur. Imò nec peccant, niſi venialiter quamuis priuatim nihil repetant: Suppono enim nullum eos poſſidere Beneficium, vel Ordinem habere, quo ad Horas recitandas aſtringantur: quod multo certius eſt in opinione eorum qui docent etiam eos qui mortaliter peccant, non procurando neceſſariam attentionem, ad nihil tamen reſtituendum obligari.

10\. Nec obſtat his, quod hac ratione poſſet euenire, nullum in choro verè orare omnibus ſponte interdum euagantibus; quia vix fieri poteſt, vt omnes voluntariè diſtrahantur, & non aliqui ſaltem ibi cantent, vel adſint animo Deum laudandi vel orandi, & ad ipſa verba ſacra animum aduertant, & hoc ſatis eſt, vt chorus dici poſſit Deo Hymnis & orationibus vacare.

11\. *Contraria tamen ſententia, ſcilicet beneficiarios in choro ſine attentione præſentes peccare mortaliter quantumuis ſoleant priuatim repetere, eſt probabilis.*

Aduerte tamen contrariam ſententiam, ſcilicet huiuſmodi Beneficiarios ſine attentione in choro cantantes, vel aſſiſtentes peccare mortaliter, (quantumuis propoſitum vel conſuetudinem habeant priuatim antea vel poſtea recitandi) videri valde probabilem: quam inſinuat Nauarrus in Enchir. de Horis c. 13. num. 17. & colligitur ex C. *Dolentes* ſuprà, vbi præcipitur Officium Diuinum (maximè autem ſermo eſt de Officio Chori) celebrari *ſtudioſè & deuotè*.

12\. *Peccatum eſt mortale tempore pſalmodiæ occupari actionibus externis quæ cum nulla attentione conſiſtunt.*

Dico quartò, Tam in publica pſalmodia, quàm in recitatione priuata non ſolùm peccatur mortaliter defectu internæ attentionis per euagationes mentis voluntarias, ſed multò etiam magis, per occupationes circa actiones externas, quæ cùm nulla attentionum poſſunt conſiſtere. Patet ex C. *Dolentes* ſuprà, vbi primariò videntur prohiberi externæ actiones, quæ internam animi deuotionem tollunt, vel tollere natæ ſunt.

13\. *Quæritur quænam ſint huiuſmodi actiones externæ quæ attentionem impediant.*

Quæres ergo: Quænam ſint illa externa opera, quæ impediant attentionem animi ad diuina officia, ita vt quis ijs ſe implicando tranſgrediatur præceptum Eccleſiæ de precibus Horarijs deuotè celebrandis.

14\. *Reſponſio 1. non ſolum in huiuſmodi actionibus conſiderandum eſt earum qualitas; ſed maximè habilitas eandem exercentis.*

Reſpondeo primò, difficile eſſe ſtatuere certam & infallibilem regulam de his actionibus, vt rectè docet Nauarrus cap. 13. ſuprà num. 22. & ſequent. In vniuerſum dici poteſt, non tantùm in hoc negotio ſpectandam eſſe actionis externæ naturam & qualitatem, vtpote an mentem ad ſe vehementer trahat, multumque occupet an non; ſed etiam conſiderandum eſſe modum, quo actio illa exercetur: præcipuè autem rationem habendam facilitatis & habilitatis eamdem exercentis. Si quidem etſi dictare aut ſcribere aliquid ab orationis canonicæ recitatione alienum per ſe mentem valde defixam teneat; inuenientur tamen aliqui Iulij Cæſares ſoliti ſimul plura dictare notarijs diuerſis, qui poterunt fortaſſe varia audire, legere aut dictare, & ſimul attentione aliqua ex tribus Horas Canonicas perſoluere, nec peccare mortaliter; licet venialis irreuerentia illos argueret, niſi iuſta cauſa interueniret.

15\. *Spectata hominum ordinaria habilitate peccatum mortale erit tempore pſalmodiæ ſe occupare di-*

Reſpondeo ſecundò, Spectatâ ordinariâ hominum induſtriâ, ingenio & habilitate, communiter peccatum mortale erit ſimul Horas recitare, & deliberato animo ſe occupare aliud diuerſum legendo, dictando, ſcribendo ſubtile aliquod argumentum accuratè inueſtigando, de rebus ſerijs colloquia miſcendo, alium attentè audiendo, magnâ curâ focum inſtruendo, vel ſimile opus agitando, magna celeritate ſe veſtiendo, &c. Ratio eſt, quia

uerſum aliquid legendo, ſcribendo, &c.

opera illa ex natura ſua, vel ex modo quo exercentur nata ſunt mentem ita ad ſe rapere, vt difficulter alijs intendere poſſit. Dixi *deliberato animo* huiuſmodi functionibus incumbere & pariter Horas legere peccatum eſſe mortale: quia vt rectè Nauarrus ſuprà n. 22. & alij docent, vel nullum, vel ſolum veniale peccatum erit, ſi quis ſine reflexione vel aduertentia inter recitandum officium diuinum huiuſmodi actionibus inſiſtat, non aduertens ſe per has ab oratione auocari, quia cenſetur durare virtute primum propoſitum quo ab initio orare intendebat.

16. *Non eſt peccatum mortale horas legere, dum quis ſe induit, exuit, manus lauat, &c. poterit tamen eſſe ſæpe veniale.*

Reſpondeo tertiò, Non eſſe peccatum mortale Horas recitare, dum quis ſe veſtibus induit, exuit, caput pectit, faciem, vel manus lauat, calamum aptat, & huiuſmodi leuiora & conſueta tractat, quæ exiguam animi curam & attentionem ex ſe requirunt, quia facile poteſt interea mentem ad orandum collectam retinere: quamuis D. Antoninus 2. parte titul. 9. capit. 3. §. contrarium ſentire videatur, dum ait tales vix ſatisfacere præcepto, quia ex propoſito ſe immiſcent actionibus ab attentione auertentibus: verùm de prioris generis actionibus intelligendus eſt. Siquidem nullus pius ſcrupulum ſibi format, dum deambulando Horas legit, & ex vſu Eccleſiaſtico iubetur ſacerdos lauando manus ad ſacrificium, veſtes ſacras induendo, &c. certas precatiunculas dicere. Et Iacobus à Graffijs lib. 2. deciſionum aurearum cap. 52. dicit, nec venialiter peccare eum, qui inter lauandum manus vel ſe veſtiendum Horas recitat. Caietanus etiam 2. 2. quæſt. 83. art. 13. cenſet non malè agere eum, qui ſponte orat, dum ſe veſtit aut aliquo ſimili opere occupatur, annitens quantum poteſt, orationi intendere: quia (inquit) huiuſmodi opera non impedire orationis attentionem experientia teſtatur. Et in quibuſdam Religioſorum ſtatutis ſcriptum eſt, quod ſurgendo dicant Officium B. Virginis. S. quoque P. Dominicus medicinam contra phantaſmata mala communem & fructuoſam dicebat orationem ſolicitam, ſtatim cùm quis ſurgit à ſomno. Hæc Caietanus. Facilè tamen in pleriſque prædictarum actionum exercendis peccatum intercurret Veniale cuiuſdam irreuerentiæ erga Deum aut indecentiæ: quam tamen culpam facilè diluet cauſa rationabilis, vtilitas ſpiritualis, aut neceſſitas, vt rectè Nauarrus ſuprà n. 49. Adde quaſdam etiam ſuperiorum actionum fieri poſſe inter orandum, ſine vlla ſuſpicione peccati, quales ſunt deambulare, iter conficere, in hortum proſpicere, &c.

Ex omnibus hactenus de attentione diſputatis hoc ſummatim colligo. Neceſſariam & ſufficientem Attentionem in publica pſalmodia vel priuata Horarum recitatione eſſe, ſiquis ad eas obligatus ſaltem ad verba quæ legit animaduertat, cum mente tamen orandi & vacandi Deo, (quam generalem & confuſam ad Deum attentionem quidam vocant) vel intendens cum Eccleſia per orationes iſtas Dei laudes celebrare. Dixi autem *neceſſariã* illam *attentionem eſſe*, quia requiritur aliquo modo aduertentia aliqua ad verba ſaltem ſuperficialis & ſimplex, vt quis in illis pronuntiandis non erret. Addidi etiam *ſufficientem eſſe*, quia licet attentio ad verborum ſenſum, vnde mens pijs affectionibus permoueatur, excellentior ſit, & conſulenda; non eſt tamen neceſſaria, & ſine culpa omitti poteſt. 17. *Quæ ſit attentio neceſſaria & ſufficiens in horis legendis.*

Nota poſtremò ex Petro à Nauarra lib. 2. de Reſtitutione cap. 2. n. 234. probabile eſſe, quod, ſi quis memoriâ teneat omnia recitanda, ipſum ſatisfacere præcepto de Horis, quantumcumque ad verba non attendat, dummodo exteriùs attentionem adhibeat, recol- 18. *Probabile eſt eum ſatisfacere qui exterius attentionem*

recollectuſque ſit, & compoſitionē modeſtiamque orantis ſeruet, quia non exponit ſe periculo errandi: adeo vt is qui more ſolito Completorium dicit memoriter, ſi in fine unius vel alterius pſalmi aduertat ſe debitè recitare, credendus ſit à mortali excuſari, nec ad reſtitutionem teneri, cùm quoad cetera ſaltem ſit veriſimile ipſum rectè omnia pronuntiaſſe.

CAPVT XXXVIII.

Quæ cauſæ ab intrinſeco prouenientes à penſo Horarum ſoluendo aliàs obligatum eximant.

1. *Referuntur cauſæ generatim eximentes.*

NOTA primò, Quærere nos cauſas generales quibus contingat excuſari à recitandis horarijs precibus eos, qui ad illas iure vel conſuetudine tenentur, quarum quatuor recenſet Nauarrus in Enchir. Confeſ. cap 25. nu. 100. nam de particularibus Beneficiariorum excuſationibus dictum eſt ſuprà, ſuo loco.

2. *Variæ cauſæ excuſant.*

Nota ſecundò, Sicut diuerſis de cauſis liberamur ab alijs præceptis Eccleſiaſticis implendis, ita quoque circa legem de precationibus canonicis recitandis variæ occurrunt impedimenta ex parte animi, corporis, & exteriorum occupationum, quæ iuſtam vacationem ab ijſdem tribuant perſoluendis.

3. *Excuſat corporis infirmitas grauis &c.*

Dico primò, Prima excuſatio ab Horis legendis eximens eſt Impotētia, vel phyſica & abſoluta, vel ſaltem moralis, procedens ex graui corporis infirmitate, ita vt preces legi non poſſint ſine notabili valetudinis incōmodo, vel magno dolore & moleſtiâ; verbi gratiâ, capitis vel oculorum, nec in hoc caſu opus eſt iudicio medici.

4. *Probatur* *ex Iure Canon.*

Ita communiter DD. omnes, Vide Nauarrum in Enchir. Confeſ. ſuprà, & in Enchir, de Horis c. 11. n. 1. Sumitur ex C. *Ad Audientiam*, de Clericis non Reſidentibus: & clariùs ex diſt. 91. in principio, & ibidem ex C. *Clericus victum*, quod ſumptum eſt ex Concilio Carthaginenſi IV. cap. 49. Vbi dicitur: *Clericus, qui abſq; corpuſculi ſui inæqualitate vigilijs deeſt, ſtipendijs priuatus excommunicetur.* Notat verò Gloſſa in principio illius diſtinctionis, per inæqualitatē corporis intelligi exuberantiam, vel defectum humorum, in quibus conſiſtit infirmitas.

5. *Leuis infirmitas hanc excuſationem non tribuit.*

Aduerte autem, Non quamcumque incommodam valetudinem concedere hanc relaxationem. Non enim leuis capitis, ſtomachi, vel pectoris dolor eximit ab hoc onere: quia non ſolet impedire huiuſmodi alias functiones profanas etiam ſerias, quæ miniſterio linguæ vel capitis indigent. Item non liberat à recitando tertiana, vel quartana, tempus antemeridianum, vel poſt meridianum vacuum relinquens, quod maximè locum habet pro Horis, quæ legi ſolent tempore quo à febri datur reſpiratio: quia, iudicio medicorum, non ſolet pronunciatio Horarum hoc modo laborantibus notabilem dolorem aut nocumentum adferre, vt rectè Nauarrus Enchir. de Horis cap. 11. num. 3.

6. *An prævidēs febris acceſſum vel aliud impedimentum teneatur tempus recitationis præuertere.*

Petes hîc primò, An is qui ſub meridiem præuidet febris acceſſum, vel aliud quodcumque, etiam voluntarium, impedimentum, quo prohibeatur Veſperas & Completorium legere; teneatur tempus recitationis præuertere, & mane eaſdem Horas perſoluere.

7. *Communis ſententia eſt teneri tempus præuenire.*

Reſpondeo, Communiter docere DD. eum qui animo præuidet morbi acceſſum, vel aliud quodcumque impedimentum teneri recitationem Horarum, vel anteponere intra ſpatium diei naturalis, quod eſt tempus habile & legitimum ad Diuinum Officium dicen-

Digitized by Google

dicendum. Vnde, ſi quis per accidens excuſetur à peccato propter impedimentum ſuperueniens non præuiſum; non tamen excuſatur per ſe: quia ſi illud præuiderit, debet tempus anticipare: ſicut è contra, qui aliquo tempore fuit impeditus, non poteſt tranſacto tempore, quo in choro Officium Eccleſiaſticum cantari ſolet (quod poſſumus vocare tempus opportunum ad recitandum) Horas tempore illo debito & opportuno non recitatas omittere: quia vt ſæpe dictum eſt, tempus obligationis eſt dies naturalis. Ergo quiſquis intra illum quamcumque Horam legere poteſt, ad hoc tenetur.

8.
Probabile eſt, ſi impedimentum ſit à natura vel coactione, non neceſſe eſſe tempus præuenire.

Nota tamen, Quoſdam DD. inter quos eſt Melchior Canus relectione 5. de Pœnit. putare non eſſe neceſſe præuenire tempus canonicum, ſi impedimentum futurum ſit à natura vel coactione (non autem voluntarium) quale eſt febris ſtatis horis accedens, & ſe exacuens. Et ratio eſt, quia poſſe præuenire tempus ordinatum à lege vel conſuetudine, v. g. Veſperi legere Matutinum eſt quoddam priuilegium, quo tunc vti non tenemur: quorum ſententiam probabilem cenſeo cum Leſſio lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 8. num. 43. modò, ſi impedimentum ceſſet, ante mediam noctem prætermiſſa recitentur.

9.
Poteſt tertiana laborans facilè etiam excuſari à præueniendo vel differendo.

Nota ſecundò, Tertianâ vel quartanâ laborantem ex alio etiam capite facilè eximi poſſe ab Horarijs precibus anticipandis vel poſtponendis intra tempus diei legitimum. Nimirum, quia multarum orationum congeſtio, & diuturna recitatio acriorem febris paroxiſmum efficere poteſt, vel grauis nimium eſſe poſt eius abſceſſum propter malam ægri corporis affectionem & relictam debilitatem, vt rectè obſeruauit Suarez ſuprà cap. 28. num. 28.

10.
An infirmus &c. teneatur adhibere ſocium, ſi facilius ſic legere hora poſſit.

Petes ſecundò, An in caſu ægritudinis, vel ſimili teneatur quis adhibere ſocium, quo cum alternis legat, ſi hac ratione ſine notabili valetudinis incommodo poſſit, quod aliter nimium graue foret. Solet enim onus diuiſum ſuauius eſſe.

11.

Reſpondeo, Leſſius ſuprà dubit. 9. num. 54. docet eum, qui ſocio vti ſolet in recitando teneri illum adhibere, ſi hoc pacto ſine magno detrimento penſum reddere poteſt; ſi verò aſſociatus dicere non ſolet, non teneri. Verùm probabilius videtur, quod paſſim alij docent, ſcilicet, adhibendum in orando ſocium, ſi commodè haberi poteſt. Ita Nauarrus ſuprà cap. 11. n. 11. & ſequent. maximè verò num. 13. & 14. quem ſequuntur Azor. Suarez, & alij. Et ratio eſt, quia nulla hîc vel phyſica, vel moralis impotentia locum habet, quâ impediatur Officium Diuinum dicere. Cenſemur quippe poſſe, quod per alium facere poſſumus.

Probabilius eſt ſocium adhibendum.

12.
Non tenentur diuites Clerici dum ægrotant pretio ſocios conducere.

Nota tamen non videri obligari diuites Clericos, quantumuis etiam amplum & copioſum ſacerdotium obtineant, ad ſocium pretio conducendum; Quidquid ſuprà inſinuat Nauarrus, quem ſequitur Valerius Reginaldus libr. 18. Praxis fori Pœnitentialis cap. 13. num. 183. Sub finem; tum quia nulla ratione vel iure hoc probari poteſt, tum quia, ſicut non teneor ſacerdoti ſoluere Stipendium, vt feſtiuis diebus ſacrum audiam; ita nec ſocio, vt mecum legat. Adde non debere imponi maius onus infirmis Clericis, quàm ſanis. Conſulendum nihilominus eſt Beneficio lauto fruentibus, vt mercede ſibi comparent ſocium, qui ſimul cum illis legat dum infirmantur.

13.
Quid faciendum ſi dubium ſit de morbi grauitate.

Petes tertiò, Quid faciendum ſit, ſi dubium incidat de morbi grauitate, vel, an lectio officij canonici grauiter valetudini noceat.

Reſpondeo, Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. ſentit tunc & conſilium medici

Digitized by Google

14. medici, & auctoritas Prælati requirenda. Nauarus ſuprà c. 21. de Horis, num. 16. aduerſus Sotum agens, cenſet ſufficiere hac in re conſilium medici probè eruditi, quia ſic habet conſuetudo. Rari enim Prælatum in ſimili conſulunt, niſi Religioſi, & hæc ſententia Nauarri omnino vera videtur, inque eam paſſim deſcendunt DD. Azorius, Suarez, & alij, imò ſufficit hac in re vnius periti & Deum timentis medici iudicium. Ratio eſt, quia medicorum proprium eſt, de morbis & rebus valetudini noxijs ferre iudicium, quibus proinde, vtpote in arte ſua penitus, meritò credendum eſt: nec tunc opus eſt vllà ſuperioris diſpenſatione, cùm ſatis conſtet de veritate cauſæ excuſantis. Quod ſi & ipſe medicus ambigat de ægritudinis grauitate, requirendum Prælati conſilium & auctoritas: & eo in caſu vera eſt Soti opinio, quia aliqua diſpenſatione opus erit, vt quis ſecurè poſſit Horas omittere, & ſolent Regulares ad Monaſterij Moderatorem confugere, cui per priuilegia conceſſa verè eſt facultas Officium Diuinum in aliquid leuius commutandi durante infirmitate, vt lib. 3. dicetur: eademque auctoritas in eiuſmodi dubio diſpenſandi reſpectu Clericorum ſibi ſubditorum indulgetur Epiſcopis, licèt rariùs ad eos propter huiuſmodi adiri ſoleat. Quidquid ſit, ſi neque medicus, neque ſuperior in dubio hoc de morbi grauitate conſuli poteſt, tunc, vel Officium Diuinum recitandum, quamuis cum aliquo incommodo, quia non ſolùm hoc tutius eſt in foro conſcientiæ, ſed etiam, quia præceptum & ſuperior ſunt in poſſeſſione ſuæ auctoritatis; vel certè dubium hoc practicè deponendum, quod locum habet, quando non eſt dubium merè negatiuum, ſed probabile, vel probabilius eſt infirmitatem huiuſmodi à recitatione immunitatem concedere: quod maximè verum eſt, quando ſolùm paucis diebus officium intermittendum eſt: Nam ſi longiores feriæ concedendæ, ad Superiorem, ſi acceſſus pateat, recurrendum erit. Ita Azor lib. 10. Inſtit. Moral. c. 13. q. 1. ſub finem & Suarez ſuprà c. 28. n. 19. & ſequentibus. Ceterum, vt ego quoque meum hîc iudicium interponam, non facilè in ſimili dubio mortaliter peccabit Clericus vel Religioſus timoratæ conſcientiæ, qui bona fide abſque craſſa ignorantia, cenſebit ſe ab Horarum lectione liberum propter apparentem aliquam rationem, licet re ipſa leuiorem; de quo vide Caietanum in Summa. V. *Præcepti tranſgreſſio*, ſub finem.

... opus ſit ſuperioris auctoritate.

Petes quartò, An is qui morbo, vel aliàs legitimè impeditus debitum Horarum canonicarum pendere non ſufficit, teneatur aliquid aliud earum loco quod facilè poteſt, perſoluere: verbi gratiâ, Roſarium B. Virginis, paruum eius officium, vel quid ſimile. 15.

An qui horas legere non valet, aliud earum loco recitare teneatur.

Reſpondeo, DD. hoc in dubio ſoluendo varios fuiſſe. Angelus enim V. *Hora* n. 4. cenſet debere, vtpote quia eſt obligatio iuris diuini ſecundum ipſum. Nauarrus ſuprà cap 11. n. 19. tenet ad nihil quidem aliud dicendum aſtringi lege humana; ſupplendum tamen aliquid indeterminatum iure naturali diuino; fatetur tamen non eſſe damnandum peccati mortiferi, ſi quis preces illas non determinatas omitteret. Idem videntur ſenſiſſe aliqui antiquiores. Verùm abſolutè dicendum cum Syluestro V. *Hora* q. 4. dicto 3. nihil huiuſmodi impedito neceſſariò legendum, vel per alias orationes compenſandum, vt ex ijs, quæ ſuprà de obligatione Beneficiariorum & Clericorum in ſacris docuimus, facilè colligi poteſt. Ratio verò eſt, quia nullo iure præcepta eſt hæc 16.

Nihil teneatur huiuſmodi loco earum legere.

Digitized by Google

dicendum. Vnde, ſi quis per accidens excuſetur à peccato propter impedimentum ſuperueniens non præuiſum; non tamen excuſatur per ſe: quia ſi illud præuiderit, debet tempus anticipare: ſicut è contra, qui aliquo tempore fuit impeditus, non poteſt tranſacto tempore, quo in choro Officium Eccleſiaſticum cantari ſolet (quod poſſumus vocare tempus opportunum ad recitandum) Horas tempore illo debito & opportuno non recitatas omittere: quia vt ſæpe dictum eſt, tempus obligationis eſt dies naturalis. Ergo quiſquis intra illum quamcumque Horam legere poteſt, ad hoc tenetur.

8. *Probabile eſt, ſi impedimentum ſit à natura vel coactione, non neceſſe eſſe tempus præuenire.*

Nota tamen, Quoſdam DD. inter quos eſt Melchior Canus relectione 5. de Pœnit. putare non eſſe neceſſe præuenire tempus canonicum, ſi impedimentum futurum ſit à natura vel coactione (non autem voluntarium) quale eſt febris ſtatis horis accedens, & ſe exacuens. Et ratio eſt, quia poſſe præuenire tempus ordinatum à lege vel conſuetudine, v. g. Veſperi legere Matutinum eſt quoddam priuilegium, quo tunc vti non tenemur: quorum ſententiam probabilem cenſeo cum Leſſio lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dubit. 8. num. 43. modò, ſi impedimentum ceſſet, ante mediam noctem prætermiſſa recitentur.

9. *Poteſt tertiana laborans facilè etiam excuſari à præueniendo vel differendo.*

Nota ſecundò, Tertianâ vel quartanâ laborantem ex alio etiam capite facilè eximi poſſe ab Horarijs precibus anticipandis vel poſtponendis intra tempus diei legitimum. Nimirum, quia multarum orationum congeſtio, & diuturna recitatio acriorem febris paroxiſmum efficere poteſt, vel grauis nimium eſſe poſt eius abſceſſum propter malam ægri corporis affectionem & relictam debilitatem, vt rectè obſeruauit Suarez ſuprà cap. 28. num. 28.

10. *An infirmus &c. teneatur adhibere ſocium, ſi facilius ſit legere hora s poſſit.*

Petes ſecundò, An in caſu ægritudinis, vel ſimili teneatur quis adhibere ſocium, quo cum alternis legat, ſi hac ratione ſine notabili valetudinis incommodo poſſit, quod aliter nimium graue foret. Solet enim onus diuiſum ſuauius eſſe.

11. *Probabilius eſt ſocium adhibendum.*

Reſpondeo, Leſſius ſuprà dubit. 9. num. 54. docet eum, qui ſocio vti ſolet in recitando teneri illum adhibere, ſi hoc pacto ſine magno detrimento penſum reddere poteſt; ſi verò aſſociatus dicere non ſolet, non teneri. Verùm probabilius videtur, quod paſſim alij docent, ſcilicet, adhibendum in orando ſocium, ſi commodè haberi poteſt. Ita Nauarrus ſuprà cap. 11. n. 11. & ſequent. maximè verò num. 13. & 14. quem ſequuntur Azor. Suarez, & alij. Et ratio eſt, quia nulla hîc vel phyſica, vel moralis impotentia locum habet, quâ impediatur Officium Diuinum dicere. Cenſemur quippe poſſe, quod per alium facere poſſumus.

12. *Non tenentur diuites Clerici dum ægrotant pretio ſocios conducere.*

Nota tamen non videri obligari diuites Clericos, quantumuis etiam amplum & copioſum ſacerdotium obtineant, ad ſocium pretio conducendum; Quidquid ſuprà inſinuat Nauarrus, quem ſequitur Valerius Reginaldus libr. 18. Praxis fori Pœnitentialis cap. 13. num. 183. Sub finem; tum quia nulla ratione vel iure hoc probari poteſt, tum quia, ſicut non teneor ſacerdoti ſoluere Stipendium, vt feſtinis diebus ſacrum audiam; ita nec ſocio, vt mecum legat. Adde non debere imponi maius onus infirmis Clericis, quàm ſanis. Conſulendum nihilominus eſt Beneficio lauto fruentibus, vt mercede ſibi comparent ſocium, qui ſimul cum illis legat dum infirmantur.

13. *Quid faciendum ſit dubium ſit de morbi grauitate.*

Petes tertiò, Quid faciendum ſit, ſi dubium incidat de morbi grauitate, vel, an lectio officij canonici grauiter valetudini noceat.

Reſpondeo, Sotus lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. ſentit tunc & conſilium medici

medici, & auctoritas Prælati requirenda. Nauarus ſuprà c. 21. de Horis, num. 16. aduerſus Sotum agens, cenſet ſufficere hac in re conſilium medici probè eruditi, quia ſic habet conſuetudo. Rari enim Prælatum in ſimili conſulunt, niſi Religioſi, & hæc ſententia Nauarri omnino vera videtur, inque eam paſſim deſcendunt DD. Azorius, Suarez, & alij, imò ſufficit hac in re vnius periti & Deum timentis medici iudicium. Ratio eſt, quia medicorum proprium eſt, de morbis & rebus valetudini noxijs ferre iudicium, quibus proinde, vtpote in arte ſua peritis, meritò credendum eſt: nec tunc opus eſt vllà ſuperioris diſpenſatione, cùm ſatis conſtet de veritate cauſæ excuſantis. Quod ſi & ipſe medicus ambigat de ægritudinis grauitate, requirendum Prælati conſilium & auctoritas: & eo in caſu vera eſt Soti opinio, quia aliqua diſpenſatione opus erit, vt quis ſecurè poſſit Horas omittere, & ſolent Regulares ad Monaſterij Moderatorem confugere, cui per priuilegia conceſſa verè eſt facultas Officium Diuinum in aliquid leuius commutandi durante infirmitate, vt lib. 3. dicetur: eademque auctoritas in eiuſmodi dubio diſpenſandi reſpectu Clericorum ſibi ſubditorum indulgetur Epiſcopis, licèt rariùs ad eos propter huiuſmodi adiri ſoleat. Quidquid ſit, ſi neque medicus, neque ſuperior in dubio hoc de morbi grauitate conſuli poteſt, tunc, vel Officium Diuinum recitandum, quamuis cum aliquo incommodo, quia non ſolùm hoc tutius eſt in foro conſcientiæ, ſed etiam, quia præceptum & ſuperior ſunt in poſſeſſione ſuæ auctoritatis; vel certè dubium hoc practicè deponendum, quod locum habet, quando non eſt dubium merè negatiuum, ſed probabile, vel probabilius eſt infirmitatem huiuſmodi à recitatione immunitatem concedere: quod maximè verum eſt, quando ſolùm paucis diebus officium intermittendum eſt: Nam ſi longiores feriæ concedendæ, ad Superiorem, ſi acceſſus pateat, recurrendum erit. Ita Azor lib. 10. Inſtit. Moral. c. 13. q. 1. ſub finem & Suarez ſuprà c. 28. n. 19. & ſequentibus. Ceterum, vt ego quoque meum hîc iudicium interponam, non facilè in ſimili dubio mortaliter peccabit Clericus vel Religioſus timoratæ conſcientiæ, qui bona fide abſque craſſa ignorantia, cenſebit ſe ab Horarum lectione liberum propter apparentem aliquam rationem, licet re ipſa leuiorem; de quo vide Caietanum in Summa. V. *Præcepti tranſgreſſio*, ſub finem.

15. *An qui horas legere non valet, aliud earum loco recitare teneatur.*

Petes quartò, An is qui morbo, vel aliàs legitimè impeditus debitum Horarum canonicarum pendere non ſufficit, teneatur aliquid aliud earum loco quod facilè poteſt, perſoluere: verbi gratiâ, Roſarium B. Virginis, paruum eius officium, vel quid ſimile.

16. *Nihil tenetur huiuſmodi loco earum legere.*

Reſpondeo, DD. hoc in dubio ſoluendo varios fuiſſe. Angelus enim V. *Hora* n. 4. cenſet debere, vtpote quia eſt obligatio iuris diuini ſecundum ipſum. Nauarrus ſuprà cap 11. n. 19. tenet ad nihil quidem aliud dicendum aſtringi lege humana; ſupplendum tamen aliquid indeterminatum iure naturali diuino; fatetur tamen non eſſe damnandum peccati mortiferi, ſi quis preces illas non determinatas omitteret. Idem videntur ſenſiſſe aliqui antiquiores. Verùm abſolutè dicendum cum Sylueſtro V. *Hora* q. 4. dicto 3. nihil huiuſmodi impedito neceſſariò legendum, vel per alias orationes compenſandum, vt ex ijs, quæ ſuprà de obligatione Beneficiariorum & Clericorum in ſacris docuimus, facilè colligi poteſt. Ratio verò eſt, quia nullo iure præcepta eſt

hæc

Digitized by Google

hæc compenſatio, & quandocumque certum aliquod opus lege imponitur, ſi illud præſtari non poteſt, nulla remanet obligatio per aliud, vel per alium illud ſupplendi, vt patet in præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis, à quo ſi iuſtè excuſor, non teneor, vel per alium audire, vel alias preces eius loco orare. Idem dicendum de lege Eccleſiaſtici iejunij, & alijs.

17. *Qui horas impeditus morbo vel aliter recitare non poteſt, alios audire recitantes non tenetur.*

Petes quintò, An is qui ratione morbi vel alio modo nequit Canonicum penſum perſoluere, teneatur ſaltem alios recitantes audire.

Reſpond. Cum communi ſententia DD. quam habet Syluester V. *Hora*, q. 4. dicto 2. & Nauarrus de Orat. cap. 11. num. 7. & 8. non teneri. Et, ſi alios hoc modo ſolùm recitantes audiat, nō ſatisfacere, ſi aliunde iuſta excuſatio non ſubueniat. Et ratio eſt, quia præceptum eſt Horas canonicas legere & voce proferre, non verò proferentes audire, niſi cum ſocio recitans eius partem audias, tunc enim ex priſco Eccleſiæ vſu cenſeris per illum legere & ſatisfacere. Deinde præceptum hoc eſt perſonale, non ſupplendum per alium, ſi per te implere non poſſis: Vnde ad hoc non teneris, &, ſi præſtiteris, obligatione non ſolueris.

18. Petes ſextò, Vtrum is qui ratione ægritudinis vel iuſtæ occupationis quotidianum penſum non peregit, teneatur die ſequenti impedimento jam ceſſante prætermiſſas preces reſumere.

Qui non legit hodie impeditus horas eâdem, non tenetur poſtridie eaſdem repetere.

Reſpondeo, Iuxta ſententiam receptam, negatiuè: quia Officium Diuinum eſt onus cuique diei proprium, cuius obligatio die præterlabēte etiam præterlabitur, & euaneſcit. Adde minus congruum eſſe officium vno die omiſſum poſtridie reddere, vt alibi dictum eſt. Denique qui non poteſt ieiunare in quadrageſima, non obligatur ieiunare alio tempore cap. 2. de Obſeruatione Ieiuniorum. Vide Stephanum Durant. lib. 3. de Ritibus cap. 23. num. 2.

19. *Poteſt interdum caſus incidere in quo ſacrum dicere poſſis, & tamen horas legere non tenearis.*

Nota hîc caſum incidere interdum poſſe, vt rectè obſeruat Toletus lib. 2. Inſtructionis cap. 14. in quo quis Horas legere non teneatur, poſſitque nihilominus offerre ſacrificium, vt cùm quis graui dolore oculorum, vel alio premitur, cui proinde permoleſtum ſit officium longum recitare, non verò ſacrum dicere.

20. *Excuſantur muti & alij in quibus eſt impotentia vel abſoluta vel moralis loquendi.*

Dico ſecundò, Eamdem immunitatem ab Horis ſoluendis tribuit impotentia abſoluta vel moralis loquendi, vt eſt in mutis & ijs qui iuſtà ex causâ preces canonicas pronuntiare non obligatur, cùm ad impoſſibile nemo cogendus ſit, & Eccleſia humanæ imbecillitati nimis ardua imperare non ſoleat: cumque non præcipiat mente ſola orare, erunt illi liberi penitus à debito Horarum.

21. *Surdus per ſe non eximitur à recitando.*

Quæres hîc primò, An ſurdus quoque excuſetur à recitatione Diuini Officij.

Reſpondeo breuiter cum P. Suarez ſuprà cap. 28. num. 17. Nulla ratione eximi à recitando, cùm per ſe legere poſſit. An verò ſurdus ſe ipſum audiat legentem nec ne, nihil refert, cum facilè percipere poſſit quid dicat, & ad illud mentem aduertere. Quod ſi legitimè impediatur quo minus per ſe ſolus recitet, tunc quoque immunis erit à recitatione cum ſocio, quia illum audire vel omnino non poteſt, vel certè non niſi voce ſtentorea clamantem, ad quem modum, nec ſocius, nec ipſe compellendus eſt. Quod ſi ſimul fuerit captis oculis & auribus, tunc, neque cùm ſocio, neque ſecum ſolum quidquam dicere tenebitur, niſi quod memoria nouit, ſi quidem illud fuerit maior pars Diuini Officij, iuxta ea quæ inferiùs dicentur. Huiuſmodi tamen, ſi ratione Beneficij

neficij choro aſtrictus fuerit, præſentiâ ſuâ debebit pſalmodiam honorare, ſicut & ſacro diebus feſtiuis adeſſe. Vnde Ioannes Maior in 4. diſt. 12. q. 6. quem ſequitur Nauarrus in Enchir. de Horis cap. 19. num. 80. non excuſant à canendo in choro, ſi ex eo quod videt vel audit aſſequitur, quando canere vel ſilere debeat, ſed non ſatiſfacere dicunt canendo ſolùm partem ſui chori, niſi audiat partem alterius, vel ſaltem recitet ſubmiſsè ex libro.

22. *Explicatur, ſit quomodo* [redacted]

Quæres ſecundò, An cœcus ſolutus à lege Horas recitandi.

Reſpondeo, aliquos hunc ſimpliciter excuſare, inter quos eſt Toletus lib. 2. Inſtructionis c 14. & inclinat Sotus l. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 3. dum ſcribit: Excuſantur cœci & qui legere nequeunt, niſi fortè memoriter aliqua proferre poſſint, quamuis hoc dubium ſit, quia per accidens eſt quod memoriter teneant. Nauarrus in Enchiridio de Horis cap. 11. num. 13. & ſequentibus & cap. 21. num. 14. excuſat cœcum cum hac limitatione, niſi poſſit Horas cum ſocio recitare, & eſſet, qui vellet, & poſſet eum iuuare gratis aut pretio, ſi haberet reditus Eccleſiaſticos ſufficientes ad ſe alendum, & ad illum conducendum: vbi etiam obligat eum ad recitandum eam partem, quam memoriter tenet, ſi maior pars Horarum fuerit, licet non habeat ſocium nec habere teneatur. In hanc ſententiam plerique omnes huius temporis DD. abeunt, vt Azor. ſuprà c. 13. q. 3. & 5. Suarez ſuprà cap. 28. num. 14. & 15. Cæterùm quamuis poſterior pars opinionis Nauarri mihi placeat, vt cœcus, ſi maiorem Horæ partem memoriâ teneat, eam dicat, quia ratio hoc ſuadet, & Doctores; prior tamen pars de ſocio adhibendo difficultate non caret: tum quia ſolùm locum habet in Horis, quas cœcus memoriter nouit, quæ ſunt ferè minores, & in his ſocio non indiget, non verò in Matutino, cuius pſalmos plerumque non nouit, nec alia, & ſic non poterit cum ſocio alternis dicere; tum quia docent Nauarrus & Suarez ſuprà, hunc debere mercede conduci ſaltem à ditioribus, maximè verò à Beneficiarijs opulentioribus, quod inſolitum videtur. Vnde & ipſe Suarez videtur, nonnihil poſtea ſuam ſententiam mitigare, dum ait cœcum, qui ratione Beneficij choro aſſiſtere tenetur, ſatisfacere quidem ſi in choro recitet prout poteſt, attendendo ad ea quæ ab alijs canuntur, & partem ſuam, prout nouit, cum alijs pſallendo, neque poſtea teneri priuatim repetere, quantumuis multa canere omiſerit (recitat enim prout poteſt;) ſi verò choro adeſſe nolit, omnino obligari ad recitandum cum ſocio etiam pretio conducto, quando fructus Beneficij ad hoc ſufficiunt: quam rationem cum Nauarro dicit ceſſare in ſimplicibus Clericis & Religioſis, qui non ratione Iuſtitiæ, ſed ſolius Religionis, vel Obedientiæ ad penſum Horarum aſtringuntur, & ideo ſi gratis hunc adiutorem habere non poſſunt, non coguntur proprijs expenſis alere.

23. *Non videtur cæcus teneri ad ſocium adhibendum qui parum ex horis nouit memoriter.*

Nota hîc primò, quidquid ſit de ſocio adhibendo inter recitandum, cœcum qui nihil ex Horarijs precibus memoriâ tenet, vel ſaltem perparum, non obligari ad audiendam partem ſocij in alternatione, & rurſus ad ſuam cum illo recitandam; & ratio eſt, quia non videtur præceptum humanum, ad illam exactiſſimam diligentiam obligare. Adde hoc recitandi genus eſſe, tum permoleſtum, tum parum decens; vnde huiuſmodi cœcus ſocium in legendo adhibere non tenetur. Excipit tamen Suarez ſuprà n. 16. illos Beneficiarios cæcutientes, qui cùm poſſent & deberent intereſſe choro, ab eo ſine legitimâ causâ abſunt:

Digitized by Google

quia meritò tales ad extraordinarium illum modum cogendi ſunt: quòd ſi vti illo non poſſint; dicit eos grauiter peccare, ſine cauſa ſe officio chori ſubtrahendo.

24. *Cœcus quid facere debeat qui memoriter nouit maiorem partem officij diei.*

Nota ſecundò, Ex Nauarro cap. 11. ſuprà n. 23. cœcum conſultiùs facturum videri, ſi recitet omnes partes, quas poteſt, officij proprij diei maiorem partem Horarum conſtituentes, quàm totum officium alterius diei, quod fortè poteſt totum de memoria reddere: vt poſſunt aliqui officium totum commune de aliquibus Sanctis, paucis exceptis.

25. *Ignorantia Iuris inculpata excuſat à lectione Horarum.*

Dico tertiò, Etiam ignorantia iuris, ſi inuincibilis & inculpata fuerit, legitima eſt occaſio vacationis ab Horis dicendis. Ratio eſt, quia tunc illarum omiſſio eſt planè inuoluntaria, & ideo abſque peccato.

26. *Rarò tamen hæc ignorantia inuenitur.*

Obſerua tamen, Hanc rationem immunitatis à precibus Canonicis vix poſſe moraliter locum habere: ſicut cōtingit in Ignorantia probabili obligationis diebus feſtis Miſsā audiendi: Vt enim præceptum hoc de Sacro audiendo omnibus Chriſtianis (pueris fortaſſe primum ratione vtentibus exceptis) notiſſimum eſt; ita quoque lex de precibus Horarijs quot diebus perorandis exploratiſſima eſt omnibus Beneficiarijs, & Sacris Initiatis: modò demas primum iuniores aliquot, quibus in ætate puerili collatum fuit Beneficium, antequam potuerint obligationem ſuam aduertere, præſertim ſi nullus illam inſinuauerit, Secundo Monachos aliquot & moniales, quę ſibi per ſuaſerint confeſſarij vel viri eruditi auctoritate inductæ, ſe ſolùm ex conſuetudine vim præcepti non habente ad Horas recitandas obſtringi.

27. De Ignorantia facti ſiue naturali inaduertentia, quomodo excuſet, ſuprà dictum eſt.

Dico 4. Laborans inſcitiā Breuiarium recitandi ordinariè peccat vel Sacrum Ordinem ſuſcipiendo, vel Beneficium acceptando. Ita Nauarrus ſuprà c. 11. n. 20. & 39. Nemo enim debet accipere officium, ad quod non eſt idoneus.

28. *Peccat qui neſciens legere breuiarium dum ordines ſuſcipit &c. niſi bona fides, &c. excuſet.*

Dixi *Ordinariè*, quia facilè huiuſmodi à peccato excuſabitur, ſi bona fide ſperet probabiliter ſe directorem inuenturum, vel ſocium à quo adiuuetur, & inſtruatur: præcipuè verò cùm ſe præclara occaſio offert, vel ſacrum ordinem ſuſcipiendi, vel Beneficium obtinendi, vt prȩter Nauarrum Miſcel. 97. de Orat. notarunt plerique omnes DD.

29.

30. *Diſputatur inter Doctores, an nouo peccato peccet, qui neſciens breuiarium recitare ſacrum Ordinem ſuſcipit & horas omittit.*

Aduerte verò, dubium eſſe inter eoſdem, an talis iam ad ſacrum Ordinem vel Beneficium promotus nouo peccato peccet omittendo Officij recitationem. Non peccare docet Nauarrus ſuprà pro aliquo tempore, quo recitare neſcit, dummodo moralem det operam, vt recitare diſcat, vel abhibeat ſocium, etiam ſoluto illi ſtipendio, ex ſuo ſufficiente Beneficio, vel patrimonio, ad quod eſt ordinatus. Quod ſi negligat diligentiam debitam adhibere, iam cenſebitur eſſe in mora & culpa, & conſequenter nouum admittet peccatum. Alij contrà exiſtimant huiuſmodi Clericum, ſi Latinè legere nouit, & aliquantulum intelligit, non eximi à recitando, quia facile illi erit Breuiarium reuoluendo ſaltem Dominicæ vel Feriæ alicuius officiū legere quoad maiorem partem, & ſic præceptum Eccleſiæ quoad ſubſtantiam implere, licet in ordine, vel integritate plures leuiores defectus incidant, qui, ſuppoſita eius impotentia, ad peccatum non imputabuntur. Quod ſi Breuiarium legere præ ignorantia nequit, tunc procul dubio à noua culpa liber erit, donec didicerit: quod ſi non faciat, iam & grauius in dies peccabit, & tamquam ineptus Beneficium reſignare debebit.

Dico

Dico quinto, Dubium non eſt, quin probabilis metus mortis, carceris, vel grauis alicuius mali ſubeundi omnino liberet ab Officij Canonici lectione: vt, cùm proficiſcendum inter hæreticos, qui, viſo Breuiario, necem minitentur. Ratio eſt, quia regulariter non ſolum humanarum legum obligatio ceſſat in graui vitæ, famæ, vel fortunarum diſcrimine, ſed etiam multarum diuinarum & naturalium.

32. *Tenetur quis interdum breuiario vti etiam cum mortis periculo.*

Rectè verò aduertit Suarez per accidens contingere poſſe, vt quis non obſtante mortis periculo teneatur inter fidei hoſtes Breuiario vti, & Horas legere, cùm videlicet aliàs immineret grauis Catholicæ Religionis iniuria & puſillorum ſcandalum: quod aliquando locum habere poſſet cùm metus directè incutitur à Catholici nominis hoſtibus, vt Presbyter Officio Breuiarij recitando ſuperſedeat. Quando autem huiuſmodi caſus fuerit, ex circumſtantijs prudenter iudicandum erit. Ratio huius eſt, quia lex humana interdum per accidens obligare poteſt etiam cum vitæ periculo ratione præcepti diuini aut naturalis concurrentis, & tunc cum eo periculo obligantis. Vt patet in legibus militaribus, quibus miles vetatur ſtationem deſerere, etiam in præſentiſſimo vitæ diſcrimine. Vide Gregorium à Valentia tom. 2. diſp. 7. q. 5 punct. 6. & Thomam Sanchez in Opere Morali lib. 1. c. 18.

CAPVT XXXIX.

Quæ cauſæ extrinſecæ immunitatem à precibus Horarijs recitandis tribuant.

1. *Liberat ab horis neceſſaria occupatio ex officio vel charitate ſuſcepta.*

DIco primò, Occupatio honeſta & neceſſaria ex officio vel charitate ſuſcepta, quæ ſimul cum lectione Horarum, vel omnino non conſiſtit, vel ſaltem non conuenienter exerceri poteſt, aliàs obligatos à lege eas recitandi liberat.

Ita omnes DD. Henricus Gandauenſis quodlib. 15. q. 12. Maior. in 4. diſtinct. 12. q. 6. Syluester V. *Hora* quæſt. Finali. Nauarrus ſuprà cap. 11. n. 34. Petrus Arragon. 2. 2. q. 83. art. 12. Gregorius à Valentia tom. 2. diſp. 6. q. 2. punct. 10. Stephanus Durantus lib. 3. de Ritibus cap. 23. num. 3. Toletus lib. 2. Inſtruct. c. 14. & alij. Maximè autem hoc verum eſt, quando occupatio illa ſubitò ſuperuenit, quæ ſine peccato vel ſcandalo differri, vel omitti nequit, & cum qua Horarum lectio ſtare non poteſt.

2. Exempla huius plura ſuggerunt citati Auctores. Vt ſi populus vel milites in ſeditione tumultuentur, & graui oratione ſint ſedandi; ſi concio publica ad plebem, quæ prætermitti ſine offenſione non poſſit, habenda: vel lectio, aut theſium defenſio, ad quas magnâ opus eſſet præparatione ad commune bonum inſtituenda: ſi grauiter laboranti aliter ſuccurrere quis nequiret, niſi Officium Canonicum prætermitteret: ſi multitudine confiteri volentium in Paſchate, vel Iubilæo parochus ita obrueretur, vt ſpatium recitandi vix inueniret. Huiuſmodi autem non eſt Peregrinatio, vel ſtudium ordinarium, vel meditatio rerum cœleſtium: quia hæc non eſt functio neceſſaria, multò minùs quæ iudicio prudentum obligationem præcepti de recitandis Horis, vel adæquet, vel ſuperet.

Nota hìc quædam ad praxim conducentia.

3. *Non eſt ſuſcipiendum Clerico tale officium, cui ordinariè annexa ſit occupatio talis, quæ lectionem horarum impediat.*

Primum eſt, nullatenus ſuſcipiendum eſſe Clerico ad Horas recitandas obſtricto huiuſmodi officium, cui ordinariè annexa ſit talis occupatio quæ lectionem Horarum excludat, niſi ſpecialis ratio charitatis aliud ſuadeat. Vnde huiuſmodi, vel officium relinquendum, vel beneficium reſignandum

Digitized by Google

dum, vel diſpenſatio petenda: cùm autem voluntariè tale officium ſuſceperit, à recitando non excuſabitur. Aliud eſſet, ſi occupationes officij ſuſcepti recitationem Horarum impedientes rarius & improuiſo occurrant, quia tunc propter neceſſitatem iure liberari à recitando poterit. Vide Suarez ſuprà num. 33. & ſeq.

4. *Non eſt neceſſe vt occupatio horas impediens obliget ſub peccato graui, &c.*

Secundum, Ex Ioanne Maiore ſuprà, Non requiritur, vt functio vel opus ex charitate ſuſceptum ſub peccato maiore vel æquali ad executionem obliget, atque recitatio Diuini Officij; Licet tunc neceſſitas actionis implendæ magis vrgeat; ſed ſufficit, vt ex illius prætermiſſione graue aliquod incommodum proprium, vel proximi ſequi natum ſit; vnde quis prudenter iudicare poſſit præceptum de Horis in tali caſu non obligare, cum omiſsione operis ex caritate ſuſcepti. Vnde poteſt quis aſsiſtere, & ſeruire, non lectis Horis, infirmo grauiter ægrotanti ex caritate, alijs deficientibus, quamuis etiam miniſterium illud non obeundo non peccaret, ſaltem grauiter.

5. *Quando occupatio totum diem non tenet, tunc horæ ſolùm ſunt poſtponendæ vel anteponendæ non omittendæ.*

Tertium, Quando eius generis occupatio eſt, vt non totum diem, ſed partem tantùm illius impeditam teneat; tunc, vel præuenire oportebit recitando, ſi fieri potuerit, tempus iſtius occupationis, vel certè poſtponere Horarum lectionem: Alioqui nulla cadet excuſatio in eum, qui hoc facere neglexerit: niſi fortè tale impedimentum, vel non præuiderit, vel non aduerterit: quin etiam quantumuis ſciens & volens præuenire omiſerit; poſtea tamen vrgente occupatione ab omni peccato immunis erit, ſi eum præteritæ negligentiæ pœnituerit: quia moraliter tunc impotens cenſetur ad recitandum.

6. *Breuiarij*

Dico ſecundò, Iuſtam non recitandi Diuinum Officium excuſationem præſtat Breuiarij defectus, ſiue defectus ab prouenerit ex culpa ſiue abſque ea.

Eſt communis DD. de quo vide Nauarrum ſuprà c. 11. n. 38. Solus Sotus l. 10. de Iuſtitia q. 5. a. 3. videtur non ſatis clarè locutus de hac excuſatione, dum docet non excuſari carentes Breuiario, quia omnes emere poſſunt & debent (niſi ibi ſint, vbi non extant) nec ante eſſent ordinandi quàm haberent. Aliud autem foret, de carente Breuiario fortuito caſu: non enim tenetur quis ex lege diſcere memoriter. Hæc ille. Verum non diſſentit à communi ſententia, quia ſolùm oſtendere vult aliquos poſſe facilè peccatum incurrere, dum negligunt comparare ſibi Breuiarium; Ex quo omiſſio Horarum fiat voluntaria & culpabilis in cauſa; non verò intendit docere eos, pro tempore, quo eo carent, peccare non recitando. Ratio concluſionis eſt, quia nemo tenetur ad impoſſibile L. *Impoſſibilium* ff. de Regulis Iuris.

7. *Diſcrimen inter carentem breuiario ſine culpa & cum culpa.*

Nota hîc primò, latum diſcrimen eſſe inter eum, qui abſque culpa Breuiario caret, v. g. quia iter facturus illud domi per obliuionem reliquit, vel per viam amiſit; & eum qui malitioſè, ne videlicet recitaret, combuſſit, vel in aquam coniecit, vel ſine illo Beneficium, vel Sacrum Ordinem accepit. Si quidem is qui inculpabiliter Codice Horarum, deſtitutus eſt, nullo modo peccat omittendo officium, &, ſi Beneficiarius eſt, ad nullam fructuum reſtitutionem tenetur, nec cenſuram incurrit, ſi contra non legentes lata eſt. E contra is, qui ſua malitiâ, vel craſsâ negligentiâ eo caret: quia præuiderat ſe non poſſe tempore debito Horas recitare: præterquam quod peccarit in cauſa, malâ ſcilicet voluntate, vel ſaltem ſpontaneâ negligentiâ; Vnde externa omiſſio imputabitur ei ad peccatum, & ex ea tene-

Digitized by Google

nebitur reſtituere: cenſuramque incurret, niſi pœniteat, & ratione pœnitentiæ ſubſequens omiſſio incipiat ei eſſe inuoluntaria.

Nota ſecundò. Rectè aduertere Franciſcum Suarez ſuprà num. 9. rarò peccare ſaltem mortaliter eum, qui timoratæ eſt conſcientiæ, & ex aliqua incuria Breuiarium domi reliquit iter aggreſſurus, tum quia videtur in ſimili caſu obliuio eſſe naturalis, tum quia negligentia interueniens valde eſt exigua, & remota reſpectu omiſſionis Horarum.

Nota tertiò, Sicut ſupra de cœco, & alijs dictum eſt, eos de memoria debere recitare, ſi norint Horas, vel earum notabilem partem, de quo plura inferiùs; Ita etiam Codice Horario priuati tenebuntur memoriter reddere quæ ſciunt, ſaltem maiorem alicuius Horæ partem, quidquid dubitando doceat Sotus.

Peres hîc, An is qui ad ſubdiaconatus ordinem promouetur debeat ab initio diei, in quo ordinem ſuſcipit habere paratam ſacrarum precum Ephemeridem ſiue Breuiarium, vt illius diei Officium recitet.

Reſpondent Azor. ſuprà cap. 14. quæſt. 17. & Suarez ſuprà num. 8. non cogi Officium totum illius diei recitare, cùm ad illud nondum ſe obligauerit, ſed ſufficere vt Horas illas legat, quæ tempori ſuæ ordinationis reſpondent, ſi iuxta antiquos patrum canones cantarentur. Verbi gratiâ, ſi ſub meridiem initietur ſacris, legat, Sextam, Nonam, &c. Verum meo iudicio opus hîc videtur Epijkia, & ex æquo & bono res terminanda, Sufficiet itaque incipere à Veſperis; & videtur illa Eccleſiæ mens, quæ non cenſetur, velle tironem ad paruas aliquas Horas diei currentis aſtringere.

11. videtur ſufficere ſi à veſperis illius diei incipiat legere officium.

12. Diſpenſatio

Dico tertiò, Certum eſt Pontificis Romani diſpenſatione relaxari poſſe vinculum reddendi penſi diurni in omnibus legi Horarias preces dicendi obnoxijs.

Romani Pontif. eximit ab horis legendis; quicquid olim aliqui ſenſerint.

Ita Syluester V. *Hora* quæſt. 8. Nauarrus ſuprà cap. 11. num. 31. & alij plerique omnes DD. exceptis Angelo, Panormitano, Turrecremata & Ioanne Maiore, qui volunt Pontificem in hoc onere auferendo, à Beneficiarijs maximè, & ſacris initiatis, non poſſe vti nuda diſpenſatione, ſed ſola commutatione. Sed vt ſuprà monſtratum eſt cap. 2. & 4. falſo nituntur fundamento, videlicet iure naturæ & Diuino huiuſmodi aſtringi ad ſepties in die Deo laudes dicendas ſaltem indeterminatas. Verùm docuimus iure naturalis Iuſtitiæ huiuſmodi non obligari, ſed Beneficiarios ſolùm titulo gratitudinis; ſacris verò initiatos tantùm ratione decentiæ. Quod autem Beneficiarijs detur Beneficium propter Officium etiam Horas canonicas recitandi, Iuris eſt Eccleſiaſtici: & quamuis ſuppoſita voluntate Eccleſiæ ad illas ratione Iuſtitiæ teneantur; poteſt tamen Pontifex alio titulo Beneficium conferre, & tunc debito Officij Diuini recitandi ſoluuntur.

13 Probatur concluſio. Quia Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt diſpenſare in toto Iure canonico C. *Propoſuit*, de Conceſſione præbendæ.

14 Aduerte tamen ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 97. art. 4. & Caietano ibidem qu. 96. art. 5. Pontificem peccaturum, ſi ſine iuſta cauſa hac in lege diſpenſet, & eum qui diſpenſatione eâ vtetur, licet peccatum hic tantùm ſit veniale regulariter ſecundum valde probabilem multorum doctorum ſententiam; eritque nihilominus diſpenſatio valida, vt rectè Sotus lib. 1. de Iuſtitia q. 7. ar. 3. Nauarrus Caietanus & alij paſſim.

Peccat Pontifex ſine cauſa diſpenſans, &c.

Quæres hîc primo, An idem diſpenſandi ius etiam Epiſcopis competat,

Digitized by Google

15. *Episcopi hac in lege propriè non diſpenſant.*

Reſpondetur, negatiuè cum communi ſententia DD. quam habet Nauarrus ſup. n. 24. ſcilicet, non poſſe propriè diſpenſare cum Beneficiarijs, vel ſacrorum ordinum Clericis. Ratio eſt, quia nec Epiſcopi, nec Legati contra vniuerſalis Eccleſiæ decreta diſpenſant, exceptis caſibus in Iure communi ipſis permiſſis, vel conſuetudine legitimè præſcripta conceſſis. Lex enim ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt, ex Clementina *Romani*, de Electione, ſub initium.

16 *Poſſunt tamen legem Eccleſiæ interpretari.*

Dixi non poſſe Epiſcopos *propriè* diſpenſare; quia impropriè poſſunt, (quando videlicet dubium incidit, An Beneficiarius vel ſacris Initiatus Clericus in caſu aliquo Horas legere teneatur) rationabiliter Eccleſiæ legem interpretari, & facultatem non recitandi indulgere.

17. Quæres ſecundò, An prælatus reſpectu Regularium ad Chori officium deſtinatorum, & nondum in Sacris exiſtentium, valeat vinculum canonicas Horas ſoluendi relaxare.

18. *Verius eſt, quicquid alij dixerint, poſſe Prælatum regularem cum ſubditis nondum ſacris initiatis diſpenſare, quamuis choro ſint deſtinati.*

Reſpondeo, plures DD. canonum olim cenſuerunt non valere, quos citant & ſequuntur Nauarrus ſuprà c. 11. n. 25. & Durantus lib. 3. de Ritibus c. 23. n. 4. Verùm Suarez ſuprà c. 28. n. 41. vult in hoc ſeruandam eſſe cuiuſque Religionis conſuetudinem, quæ ſi hanc diſpenſationem non permittat, non poterit eam Superior vſurpare: Secus ſi eam concedat. Deinde addit cuique Ordini conſulenda & ſequenda eſſe ſua priuilegia. Ceterùm dicendum abſolutè Prælatum Regularem cum ſuis ſubditis nondum in Sacris conſtitutis ex cauſa poſſe diſpenſare, cuius rei plures rationes ſuprà capit 3. huius libri congeſſimus, & Auctores pro hac ſententia protulimus. Et ratio tota eſt, quia obligatio in illis pendet ex conſuetudine, Conſuetudo autem inducta eſt ex Regula, ſed Prælatus poteſt diſpenſare in Regula, vt ſuppono. Ergo etiam in conſuetudine.

CAPVT XI.

An qui iuſta de cauſa liberum à toto Officio recitando, non teneatur ſaltem ad partem dicendã quã commodè poteſt.

TRactarunt hoc argumentum ex ijs qui ad manus meas peruenerunt poſt Nauarrum Enchir. de Horis cap. 11. num. 9. & ſequent. Azor. lib. 10. Inſtitut. Moral. c. 13. q. 4. Emmanuel Rodericus tom. 1. Quæſtionum Regul. qu. 42. art. 10. Thomas Sanchez in Opere Morali lib. 1. c. 19. Suarez l. 4. de Orat. cap. 28. n. 22. & ſequent. A quibus quia in aliquibus diſſenſio, opinionem meam ſequentibus concluſionibus breuiter perſequar.

1. *Auctores quibus dubium tractarunt.*

2. *Non omnis poteſtas aliquid recitandi ad illud obligat.*

Dico primò, Non quæuis facultas vel potentia partem aliquam Horariæ precationis recitandi obligat ad illam dicendam. Eſt certa, quia alioqui nullus prope infirmus ab illa proferenda eximeretur, quod conſtat eſſe falſum.

3. *Non omnis è contra impotentia aliquid recitandi excuſat à lectione alicuius horæ.*

Dico ſecundò, Similiter non quælibet impotentia recitandi particulam aliquam alicuius Horæ excuſat ab ea recitanda; vt v. g. non quia ignorat quis orationem, ſiue collectam diei, & breuiario caret, ideo liberatur à recitanda Tertia quam memoriter tenet, vt per ſe liquet.

4. *Non eſt abſolutè verum potentem ad maiorem partem horarum legendam præcepti*

Dico tertiò, ſimpliciter falſum eſt (niſi rectè explicetur) impotentem ad maiorem partem Horarum dicendam, excuſari abſolutè ab illis legendis; & è contra potentem ad maiorem partem earum dicendam teneri ad eam recitandam.

Prior pars probatur, quia, vt rectè docet Sanchez ſuprà, licet totum vnius diei Officium ſit integrum obiectum

præcepti

[P]ræcepti de Horis recitandis, eſt tamen præceptum hoc diuiduum, id eſt, ratio illius præcepti cernitur in ſingulis Horis ſpeciatim: Vnaquæque enim Hora canonica continet precationem peculiarem diſtinctam, quæ etiam ſeparata ab alijs, & per ſe ſpectata præcipitur: & finis quem legiſlator intendit, qui eſt integra pſalmodia illi tempori propria, in eius exhibitione plenè præſtatur. Ergo qui non poteſt maiorem ſeptenarij Horarum legere, non propterea excuſatur à toto ſeptenario, ſed debebit recitare quamcumque partem in qua ratio & finis præcepti obtinetur: quod fit ſi ſingulæ Horæ recitentur, quantumuis minores, ſi modò commodè fieri poterit.

[illegible]

6\. Confirmatur à ſimili. Qui non poteſt ieiunare maiorem partem Quadrageſimæ, non propterea liber eſt à ieiunio aliquorum dierum, quibus commodè poteſt inediam tolerare, vt in confeſſo eſt apud omnes. Item qui vouit integrum Roſarium, vel tres illius partes, ſi non poſſit totum legere, non idcirco immunis erit ſaltem ab vna illius parte legenda, vt etiam vulgo notum eſt, apud quem communiter partes illæ ſeparantur, & ſeiunctè ab inuicem recitantur.

7\. Altera pars probatur: quia fieri poteſt, vt quis memoriâ teneat maiorem partem Diuini Officij, & poſſit eam recitare; ita tamen, vt nullam Horam canonicam ne quidem dimidiata ex parte ordinatè recitet, ſed totum mutile & inordinatè reddat, hinc inde fruſta pſalmorum, lectionum, hymnorum confuſè iungens, ſic vt oratio canonica, quæ corpus eſt ex partibus heterogeneis aptiſſimè compoſitum, monſtri inſtar efficiatur: talis procul dubio nihil tenebitur recitare, quia in nulla Horarum canonicarum poteſt ſubſtantiam præcepti præſtare; ſed ipſius oratio repugnat rationi & Fini quem præcipiens ſibi propoſuit, quæ eſt decora Dei laudatio, quæ hîc non ſeruatur.

Dico quartò, Quicumque commodè & certò poteſt aliquam Horam canonicam è ſeptem integrè recitare, ad illam tenetur quantumuis non maior, ſed minor ſit Diuini Officij pars; vt cùm quis Breuiario caret; qui verò illam nequit moraliter integrè legere, ita vt ſaltem impleat præceptum, & non peccet mortaliter, etiamſi ſcienter & ſponte eam omittat, ad nihil obligatur. 8.

Qui poteſt aliquam è ſeptem horis integrè recitare, ad illam tenetur; qui verò hoc non poteſt, ita vt ſaltem impleat præceptum, ad nihil tenetur.

Ratio prioris partis colligitur ex dictis, quia obligatio de Horis canonicis recitandis eſt diuidua, extendens ſe ad ſingulas, ſicut ad omnes, & in qualibet earum ſaluatur ratio præcepti, & contra faciendo mortale peccatum committitur. 9.

Probatur prius.

Ratio poſterioris eſt, quia obligatio ad vnamquamq; Horam canonicã in particulari eſt de re indiuidua, ſicut eſt præceptum ieiunij, prout præcipit tali vel tali die ieiunandum, & votum legendi ſeptem pſalmos pœnitentiales, vel recitandi quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad quinque Chriſti Vulnera veneranda; quæ ſic obligant, vt ſi non poſſis implere totum id, quo moraliter ſatisfacias integrè præcepto, vel voto quoad ſubſtantiam, ad nihil obligaris. Ita ſi nequeas intereſſe Sacrificio Miſſæ, niſi vſque ad conſecrationem, nihil ex eo audire teneris, cùm ſubſtantialem eius partem, quam maximè intendit legiſlator præcipere, non poſſis audire, & ſic non valeas præceptum implere quoad ſubſtantiam. 10.

Probatur poſterius.

Quòd ſi poſſis Horam aliquam canonicam recitare, paucis quibuſdam exceptis, v. g. Tertiam vſque ad Capitulum ad hoc teneris. Et ratio eſt, quia omiſſio illius particulæ, etſi ſponte ſine cauſa iuſta fiat, non eſt peccatum

tum mortale. Parum enim pro nihilo reputatur, & qui Horam illam eo vſque deducit orando, implet præceptum de eadem integrè recitanda moraliter quoad ſubſtantiam. E diuerſo, ſi, quia Breuiario cares, non potes lectiones & reſponſoria feſti duplicis recitare, potes verò omnes pſalmos Matutini, quos memoriâ tenes, ad nihil obligaris, vt rectè Sanchez ſuprà num. 7. contra Nauarrum ſuprà num. 19.

12. *Soluitur obiectio.*

Nec refert, quòd fortaſſis Pſalmi illi conficiant maiorem portionem Officij Nocturni, & ſecundum regulam Nauarri maior pars ad ſe minorem trahat; quia negamus regulam illam hîc conuenire, ſed ſpectandum eſſe an lectis illis pſalmis impleatur moraliter integrè præceptum de Officio Nocturno orando quoad ſubſtantiam; Ita vt quis voluntariè nouem lectiones cum reſponſorijs omittens nō peccet mortaliter. Cùm autem contrarium hîc conſtet, ſequitur per illam recitationem præcepto non ſatisfieri.

13. *Quando dubium eſt, an poſſit quis horam integram moraliter recitare, tunc ſeruanda regula Nauarri, vt pars maior trahat ad ſe minorem.*

Dico quintò, Quando non conſtat vtrum quis poſſit Horam aliquam canonicam moraliter integrè recitare, vt contingit in ægritudine & vrgente aliqua occupatione, ſed dubium eſt quæ tandem ſit pars Diuini Officij, quam quis facilè recitare poſſit; tunc ſeruari poteſt regula Nauarri ſuprà poſita, vt pars maior trahat ad ſe minorem, & ita recitet partem maiorem imò & æqualem quam poteſt omiſſa minore, & altera æquali quam forte non poteſt: quod ſi maiorem vel æqualem non poteſt recitare, ceſſabit obligatio ad minorem vel aliam æqualem. Ita Sanchez ſup. n. 9. Et ratio eſt, quia cùm in obligationibus anxietas, & ſcrupulorum occaſio cauenda ſit; nulla ratione id certius aſſequemur, quàm regulæ poſitæ inſiſtendo. Non difficulter enim diſcernere, & ſtatuere quis poterit, an poſſis maiorem Diuini Officij partem orare. Atque eadem hæc ratio valet in ſimilibus præceptis diuinis, v. g. ieiunij Quadrageſimalis: Simili enim dubio incidente, qui non poteſt ieiunare maiorem vel æqualē partem Quadrageſimæ, ab omni ieiunandi obligatione liberabitur.

14. *Refutatur Emmanuel Roderic, qui putat excuſari infirmum à recitanda parte horarum quam commodè poteſt.*

Ex dictis ſequitur non rectè docuiſſe Emanuelem Rodericum ſuprà, cùm ait infirmum, qui ratione ægritudinis excuſatur à recitandis Horis, liberari à parte legenda Horarum quam commodè poteſt, quod probat his rationibus.

Primò, quia alioqui nullus infirmus, qui aliquanto tempore conſueuit recitare, excuſaretur, quandoquidē vix vllus talis inuenitur, qui aliquam partem Horarum memoriter dicere nequeat.

15. *Argumenta eius.*

Secundò, Quia præceptum obligans ad aliquid certo modo faciendum, non obligat ad quamlibet partem eius præſtandam eo modo quo præſtari poteſt, vt præceptum vel votum eundi Romam, non obligat impotentem ad eundum vſque ad medium itineris, ſi poſſit, ſecundum mentem omnium DD. in C. *Cum dilecti*, de dolo & contumelia. Nec qui tenetur audire Miſſam integram in die feſto, tenetur audire partem eius, quando totam minimè audire poteſt.

16.

17.

Tertiò, Quia hoc non intendit Legiſlator, quod colligitur ex eo, quod perplexitas in lege diuina & humana eſt euitanda, quæ hîc oriretur: nemo enim facilè poſſet diſcernere quas partes poſſet recitare, & quas non.

Verùm hæc argumenta non difficulter ſoluuntur.

18. *Soluuntur argumenta Roderici.*

Ad primum enim negatur nullum infirmum excuſandum. Non enim dicimus infirmum obligari ad quamlibet partem etiam minimam, quam facilè recitare poteſt, ſed ad Horam integram, & maiorē, vel æqualem officij partē, quā commodè legere poteſt.

Ad

Ad ſecundum, conceſſo aſſumpto reſpondeo exempla allata ad probandum non ſeruire propoſito. Non primum, quia is, qui obligatur ire Romam ex voto vel præcepto, nullo modo quoad ſubſtantiam vel intentionem præcipientis, vel ſuam, implet præceptum, vel votum, ſi medium tantùm iter conficiat. Non ſecundum, quia qui non poteſt, vel culpa ſua, vel aliter totam Miſſam audire tenetur ſaltem ad illam partem, quæ ſubſtantialis eſt Miſſæ, & in qua maximè ſeruatur ratio præcepti. Vnde qui iuſta de cauſa non poteſt totam Miſſam audire, & poteſt nihilominus intereſſe parti illius ſacratiori, quæ eſt ab initio Canonis, vſque ad Sacramenti conſumptionem, obligatur illam audire, quamuis accidentarias illius partes non perceperit, vel cum cauſa, vel abſque ea, vt colligitur ex Suarez 3. parte tom. 3. d. 88. ſect. 2. & expreſsè habet Sanchez ſuprà n. 6. & implicitè docet Nauarrus ſuprà n. 16. Cùm ait obligatum ad Miſſam audiendam nec potentem audire totam, teneri ad eam partem quam veriſimiliter præcipiens intendit, & in qua militat eadem ratio, quæ in tota.

Ad tertium, dico non facilè nobis poſſe conſtare de mente legiſlatoris.
20. Deinde reſpondeo, non oriri magis perplexitatem in infirmo circa præceptum de Horis, quàm circa illud de ieiunio quadrageſimali. Dicat ergo Rodericus; cur potiùs infirmus excuſetur à parte Horarum recitanda, quam commodè poteſt, quàm à parte ieiunij quadrageſimalis obſeruanda, quam ieiunare valet, quod ipſe ibidem vult.

21. *Explicatur illud dictum: Qui non poteſt dicere maiorem partem, non obligatur ad quicquam in horis.*

Nota hîc primò, ex dictis rectè ſequi, ſi conferantur ſingulæ Horæ Canonicæ cum partibus, ex quibus componuntur, eum, qui non poteſt dicere maiorem partem alicuius Horæ, conſequenter liberari omnino ab illa dicenda, quia, vt dictum ſuprà, vnaquæque hora præcipitur vt oratio quędam perfecta, quæ talis dici non poteſt, niſi ſaltem fuerit maior illius pars; non verò minor aut etiam æqualis, iuxta Suarez: ſi verò comparatio inſtituatur inter omnes Horas & totum diei Officium, quod eſt obiectum adæquatum præcepti, ſic non omnino ſequitur, liberatum à maiori parte Horarum, liberari conſequenter à toto, & qui non poteſt dicere tot Horas, vt contineant maiorem partem Officij illius diei, non teneri vllam dicere. Cur enim legitimè occupatus ferè vſque ad mediam noctem nòn teneatur ſaltem Completorium legere, ſi tempus commodè patiatur.

Nota ſecundò, Ex Suarez ſuprà n. 22.
27. in caſu infirmitatis non ſemper ægrum, qui poteſt vnam vel alteram Horam ſine graui incommodo dicere, ad eam teneri. Hoc enim eſt præter proborum conſuetudinem, & ſuauitatem legis humanæ. Quare opus eſt hîc aliqua diſtinctione. Si enim ſit debilitas capitis, vel oculorum, quæ impediat lectionem Matutini, vtpote longioris, & non aliarum Horarum breuiorum; Hac omiſsâ ad alias obligabitur, quia commodè illas legere poteſt; Sin autem fuerit morbus, qui indefinitè impediat lectionem Horarum, verbi gratiâ, febris vel aliquis grauior, tunc non eſt ànxiè inquirendum, quam Horam infirmus legere poſſit, & quam non: ſed ex more proborum iudicandum eſt ægrum indefinitè, quod idem eſt atque vniuerſaliter; ab omnibus Horis immunem eſſe; quia in tali caſu valde difficile eſt attingere punctum, & præciſè definire, quid homo valeat, quid non recitare ſine notabili incommodo: Et ſi hoc voluerit, Rodericus, cum illo ſentimus.

Non ſemper tenetur æger qui poteſt ſine magno incommodo vnam vel alteram horam dicere, eaſdem recitare.

Ad maiorem Dei gloriam.

Digitized by Google

DE RELIGIONE HORARVM CANONICARVM LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Admoti Stimuli ad religioſè Officium Canonicum perſoluendum.

1. *Nomen officij monet nos accuratè horas recitare.*

PRimvs eſt ipſum nomen Officij, quo monemur accuratè illud decenterque præſtare: quippe cum in officio excolendo ſita ſit omnis honeſtas, dignitas, laus, fructus cuiuſque ordinis, ſtatus, perſonæ; & in illius neglectu turpitudo, dedecus, ignominia, & detrimentum; ſic ergo quiſque noſtrûm, qui pſalmodiam frequentamus, illi incumbat, ſic illi mentem curamque applicet, vt Deo placeat, populum ædificet, ſibi gratiam, gloriamque acquirat, proſit omnibus, officiat nemini. Pulchrè S. Bonauentura in Speculo diſciplinæ ad Nouitios parte 1. c. 16. *Cura*, inquit, *officij diligens, maxima ſtatus integritas. Neglectus officij, maxima vitæ corruptio, maxima Religionis deformitas. Nemo Dei ſe æſtimet ſeruum, ſi Dei potiſſimam negligat ſeruitutem, quæ appropriato vocabulo Dei ſeruitium nuncupatur.* Hæc Bonauentura. Sciat ideo Officium nuncupatum Diuinum, quia ad Dei cultum præcipuè inſtitutum, ideoque ea pietate, ſollicitudine, puritate, quæ Deum deceat, obeundum.

2. *Idem inculcat nomen diuini dicitur enim officium diuinum.*

3. *Alter ſtimulus eſt, quod officium canonicum pro primo auctore habet Spiritum ſanctum.*

Accedit aliud, quod Officium Canonicum pro primo & præcipuo ſuo auctore, & architecto habeat Spiritum Sanctum, cuius afflatu & inſpiratione locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Petri 1. Ex quorum vaticinijs & diuinis monitis, mirabili varietate eſt contextum. Vnde debita cum veneratione ipſorum verba proferre eſt loqui non linguâ hominum, ſed ſacrorum vatum, Angelorum & Apoſtolorum, imò ipſius Dei omnipotentis. Sunt enim verba hæc notæ ſenſuum & mentis diuinæ, quibus in nobis ſancta prouocantur deſideria, iuxta illud ad Rom. 8. *Quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nec modò inſpirat deſideria, ſed verbis à ſe ſuggeſtis, facit nos orare, & exorare. Vnde ibidem ſubdit Apoſtolus; *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret Spiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Vnde rectè ait Cyprianus lib. de Oratione Dominica *Amica & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare.*

4. *Stimulus tertius, continet hoc offic. profund. fidei myſteria, ſaluberrima monita, functiones virtutum nobiliſſ. &c.*

Tertius. Horæ Canonicæ compoſitæ ſunt ex ſententijs, quæ ſine vllius erroris periculo proponunt: Primò quidem Religionis noſtræ profundiſſima myſteria, Summæ Trinitatis, admirandæ Incarnationis, ſaluificæ Paſſionis, glorioſæ Reſurrectionis, &c. Deinde complectuntur ſaluberrima monita ad vitam bene beateque agendam: Poſtremò continent functiones nobiliſſimas, quibus diuinam maieſtatem colimus, & promeremur: quales ſunt, Fidei, Spei, Caritatis, Submiſſionis, Obſecrationis, Gratiarum actionis, & alias, idque eo ordine, & decoro, quod neceſſarium eſt vt ſeruemus, dum cum infinita, & increata illa natura tractamus, vt ei acceptum ſit ob-

Digitized by Google

Obſequium noſtrum. Cùm enim nos, pote homines ruſticani, in agris, non aula educati, cœleſtis curiæ rituum prorſus ignari, quid oremus ſicut oportet neſciamus; magno diuinæ prouidentiæ & bonitatis beneficio factum eſt, vt nobis per dilectiſſimam eius ſponſam in manus venirent precationum formulæ, & libelli à Spiritu ſancto dictati, *qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, 1. ad Corinth. 2. & ideo optimè nouit, quid, & quomodo orandum ſit, vt faciles precibus noſtris aures tribuat, & ad miſericordiam flectatur. Ex quorum libellorum, vt ſic dixerim, ſtylo, & ratione, non verò ex ingenio eos offerentis, pendet vis ipſarum precationum canonicarum, quia in eis ipſe Deus ſuum quodammodo characterem agnoſcit, & ſtylum curiæ cœleſtis amplectitur: vt princeps aliquis mundi huius libellum ſupplicem à mendico ſibi porrectum, quia figura & ſchemate aulico conſcriptus eſt, benignè in manus accipit, perlegit, eique ſubſcribit.

5. Stimulus quanta agat incommoda ſequentes dum à miniſtris Eccleſiæ diuinum officium irreuerenter perſoluitur.

Quartus, Cogitet is, qui nihil penſi habet, Religiosè an ſecus diuinum perſoluat Officium, ſe, dum irreuerenter & animo vago precatur, Deum honore & gloria fraudare, cælites lætitiâ, in locis expiatorijs detentos refrigerio, viuentes auxilio; ſeipſum gratiâ, donisque cœleſtibus. Diligenter ſecum, quiſquis ille eſt, verſet, populum Chriſtianum non aſſequi id propter quod miniſtros in templis conſtituit, videlicet, vt per diu & per noctes Deo gratias referant pro immenſa beneficiorum ſerie, quæ aſſiduè fidelibus communicat, illiuſq; furorem nouis continuè facinoribus, in eos accenſum ſuis ſupplicijs humillimis extinguant. Sciant huiuſmodi, ſi Beneficijs Eccleſiæ fruantur, eum in finem vectigal annuum ſe accipere, vt ab omni aliâ curâ expediti, totis viribus iniunctum ſibi miniſterium exequantur.

6. Explicatur locus Amos 5. Odi & proieci feſtiuitates veſtras, &c.

Veniant in mentem illis Dei verba apud Amos Prophetam cap. 5. *Odi & proieci feſtiuitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Aufer à me tumultum carminum tuorum* vel, vt habetur Hebraicè, aufer deſuper me tumultum, &c. quod videtur eſſe defatigati, & magno pondere preſſi, *& cantica lyræ tuæ non audiam.* Vbi D. Hieronymus lib. 2. Comment. in Amos. Pulchrè, ait, Cantica Leuitarum, quibus laudabant „ Deum tumultum vocat ſonitumque „ confuſum, quia non eſt ſpecioſa laus „ in ore peccatoris: Eccleſ. 15. Et hæc „ eadem idolis quoque offerre conſue- „ uerant. Hæc Hieronymus. Sic meritò deteſtatur Deus pſalmodiam eorum, vel potiùs tumultum carminum, qui ipſum non animi promptâ voluntate, & deuotione, ſed tantùm labijs & voce honorant. Reuoluant poſtremò iterum atque iterum, ſe grauiter offendere cœleſtem curiam, dum ſacram hymnodiam, ad exemplar ipſius inſtitutam, & ab eadem in hunc inferiorem mundum deriuatam tam eneruiter perſoluunt, vt æternis illis & immortalibus vitis nauſeam prouocent.

7. Miniſter Eccleſiæ fungitur vice legati totius mundi apud Deum.

Quintus, Penſum Horarum ex obligatione perſoluens fungitur munere Oratoris & legati ipſius Eccleſiæ apud Diuinam Maieſtatē, vt communem cauſam agat, non modò humani generis, ſed etiam rerum omnium creatarum rationis, & vitæ expertium, quæ, cùm proinde conditori ſuo per ſe gratias referre nequeant, illius ore & ſpiritu quodammodo geſtiunt reddere, cuius voluntati obſecundant. Acutè itaque Auguſtinus initio expoſitionis Pſalm. 148. Sunt, ait, quæ ſpiri- „ tum vitæ, & intellectum ad laudan- „ dum Deum non habent, ſed quia & „ ipſa bona ſunt, & in ordine ſuo inte- „ grè diſpoſita ſunt, & ad pulchritudi- „ nem vniuerſitatis referuntur, quam „ condi-

Digitized by Google

„condidit Deus, ipſa quidem per ſe „voce ſua, & corde ſuo, Deum non „laudant, ſed cùm ab intelligentibus „conſiderantur, per ipſa laudatur „Deus, & cùm per ipſa laudatur Deus, „quodammodo Et ipſa laudant „Deum. Hæc Auguſtinus.

8. *Pontifex veteris legis ſuis veſtibus ornatus quid ſignificaret.* Succurrit hic typus Pontificis antiquæ legis ſacrorum olim Præſtitis, de cuius ornatu loquens Salomon, Sapient. 18. num. 24. ſic ait: *In veſte poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*, Per poderem autem, ſiue tunicam talarem, tam lineam ſtrictam, quàm hyacinthinam accipiunt communiter interpretes (per Synecdochen) omnes veſtes ſummi ſacerdotis, Porrò ſymbolicè, vel per myſtologiam phyſicam hæc ſacerdotalia ornamenta explicant Ioſephus lib. 3. Antiquitatum cap. 8, vel 11, Philo lib. 3. de Vita Moyſis, & lib. 2. de Monarchia, D. Hieronymus epiſt. 128. de Veſtibus Sacerdotis ad Fabiolam, Beda lib. 3. de Tabernaculo cap. 3. & breuiter D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 9. & commentatores paſſim in Exod. 28. & Sapient. 18. Succinctè ego in gratiam lectoris. Linea ergo feminalia, & byſſina tunica ſtricta Terram deſignabant, ex qua gignitur byſſus ſiue linum. Zona Oceanum, qui quaſi cingulo terram ſtringit, quamquam & purpura eumdem notet quæ conchilij fucatur colore. Tunica hyachinthina Aëris ſymbolum erat, in quo ſunt mala punica, id eſt, fulgura, & tintinnabula, id eſt, tonitrua. Coccus verò Ignem indicabat. Ephod varium figurabat Cœlum ſiderium. Duo Onyches erant duo Hemiſphæria, vel Sol & Luna. Duodecim lapides pretioſi in Rationali erant duodecim ſigna Zodiaci, vel duodecim Menſes. Rationale notabat ratione mundum conſiſtere, & gubernari. Doctrina & Veritas, Dei Veritatem in creaturis ſummam eſſe; creaturæ enim Deum eſſe verè docent. Tiara, demonſtrabat cœlum Empyreum. Lamina Tiaræ aurea habens inſcriptum nomen tetragrammaton figurabat Deum omnibus imperantem & præſidentem.

9. Significabat ergo hoc paratu Pontifex ſe vniuerſi huius Architecti & Molitoris eſſe miniſtrum, vt fecialis & armiger principis alicuius ornatus inſignibus ſe illius obſequijs dicatum oſtendit: quin imò indicabat res omnes conditas Dei beneficentiâ indigere, & , vt rectè obſeruauit poſt Philonem Sixtus Senenſis lib. 1. Biblioth. v. *Pontificialis*, &c. Ideo geſtabat Pontifex in veſtitu ſuo totius mundi imaginem, vt ſciret ſe huius vniuerſitatis eſſe caduceatorem, & ſequeſtrum apud omnium rerum conditorem Deum, & preces offerre debere, non pro hominibus tantùm, ſed omnibus etiam naturæ partibus, cœlo atque elementis, eique eorum vice gratias agere. Adde his malis punicis demonſtrari regna diuerſa (ſiquidem conſtant ea granis multis, quæ omnia ſuis folliculis & quaſi cellis diſtinguuntur, ſuntque ſub eadem corona) vni Deo, quem Pontifex tiaratus, & coronatus repræſentabat eſſe ſubiecta. Monebatur ergo pro vniuerſa creatura precari, imo & ſacris operando totum mundum deprecatorem ſecum apud Deum adhibere: Inſuper Doctrinâ & moribus in ſe ipſo exprimere, vniuerſi ordinem, concentum, ornatum, erga communem Dominum obſeruantiam vt ſit microcoſmus, ita maioris mundi referens in vitæ ratione imaginem, ſicut portabat in veſtibus.

10. Applicet ſibi hæc quicumque Clericus Eccleſiæ legatus & Dei liturgus. Nouerit ſe precationes & laudes quotidianas totius Eccleſiæ, imò vniuerſi nomine Deo illius effectori offerre,

con-

Digitized by Google

[con]ſideret quantum onus humeris ſuis [impo]ſitum recumbat, Reputet quem [de]precetur, pro quibus tandem & quantulus ipſe. Næ lapis ſit inſenſibilis, qui hæc animo reuoluens non concutiatur horrore, reuerentiâ non moueatur, attentione non excitetur, ardore non incaleſcat. Properet ergo tamquam alter Aaron ſine querela vitæ integer, & purus ſceleris, proferat ſeruitutis, ſiue, liturgiæ ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſiſtat iræ, & finem imponat neceſſitati, & publicæ vrgenti calamitati oſtendens quoniam Dei eſt famulus, prout de Aarone ſcribitur. Sapient. 18. num. 21. perpendat quanta ſit diuinæ bonitatis dignatio, quæ non abnuat ſeruorum ſuorum infimum pro totius mundi ſalute obtinendâ admittere ad ſuum colloquium & ſuarum laudum præconium. Quanti autem hoc faciendum ſit, argumento eſt, quod Eccleſia ab ipſa Dei Matre ſimile quid magni beneficij loco hac formulâ petere ſolet, cùm ita canit: *Dignare me laudare te, virgo ſacrata, &c.*

Audiat aureum Græciæ os lib. 6. de Sacerdotio. Eum, inquit, qui pro
11. „ ciuitate tota, imò verò, pro vni„ uerſo terrarum orbe legatus inter„ cedit, deprecatorque eſt apud „ Deum, vt hominum omnium non „ viuentium modò, ſed etiam mor„ tuorum peccatis propitius fiat, qua„ lem, quæſo, eſſe oportet? Etenim „ neque Moyſis, neque Heliæ fidu„ ciam, fore vmquam ſatis putaue„ rim ad ſupplicationem huiuſmodi „ peragendam. Et Romanum Gregorium 1. p. Paſtoral. c. 11. & habetur C. *Ecce.* diſt. 49. *Sollicitè*, inquit, *formidandum eſt, ne, qui placare poſſe iram Dei creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.*

Sextus, Horariæ precationes conſtant pſalmorum & hymnorum, carminibus, lectionibus, & orationibus. Sic ergo horarias precationes inchoaturus, collecto animo ſecum ratiocinetur, Cùm preces ad Deum in officio fundo, cum ipſo ſermones miſceo: quantum hæc cogitatio horrorem mihi inijcere, quantam reuerētiam ſubijcere, quantam deuotionem adijcere debet! Lectiones ſacras vel audio, vel recito? Loquitur mihi Deus, litteras è cælo delapſas perlego; Quanta cum attentione, & ſilentio hæ accipiendæ? Putáſne intelligis quæ legis? attende doctrinæ. Pſallit quis, & entheum aliquod carmen modulatur? Angelicis inſeri, & admiſceri ſe Choris exiſtimet: Angelus eſt quiſquis vt oportet pſallit. Sic cantabat Auguſtinus vel cantantes audiebat, vt ipſe de ſe refert lib. 9. confeſ. c. 4. Sic ſanctiſſimi illi viri, quibus, vt ſcribit Chryſoſtomus Homil. 59. ad populum, Dauidica carmina multos excitabant fontes lacrymarum. Faue è cœlo Deus. Arbitretur Eccleſiæ pſaltes ſibi dici illud, Pſal. 148. dum canit: *Laudate eum omnes Angeli eius.* Angelorum opus, inquit S. Baſilius in Pſal. 28. eſt laudare Deum. Omnibus denique cœleſtibus exercitibus vna hæc cura gloriam tranſcribere Creatori. S. Auguſtinus in Pſal. 148. ad illud: *Præceptum poſuit,* „ *& non præteribit.* Quale, inquit, præ„ ceptum putatis habere cœleſtia, & „ Angelos Sanctos? Quale præceptum „ dedit illis Deus? Quale, niſi vt lau„ dent illum? Beati quorum hoc eſt „ negotiū laudare Deum. Non arant, „ non ſeminant, non molunt, non „ coquunt: Opera enim iſta ſunt ne„ ceſſitatis, ibi neceſſitas non eſt. „ Non frangunt panem eſurienti, non „ veſtiunt nudum, non viſitant ægro„ tum: Opera enim ſunt iſta miſeri-

12. *Incitamēta petita ex orationibus, lectionibus, Pſalmis diuini officij.*

 cordiæ

„ cordiæ; ibi autem nulla miſeria eſt, „ in qua fiat miſericordia. O beati! „ putamus, erimus nos ſic? Eia ſuſpi- „ remus, de ſuſpirio gemamus. Et „ quid ſumus, vt ibi ſimus, morta- „ les, abiecti, terra & cinis? Sed qui „ promiſit, omnipotens eſt. Si ad nos „ attendimus, quid ſumus? Si ad il- „ lum, Deus eſt, omnipotens eſt. „ Non eſt facturus Angelum ex ho- „ mine, qui fecit hominem ex nihilo? Hæc ille. Et rurſus l. 22. de Ciuitate c. „ 30. Quanta erit illa felicitas, vbi „ nullum erit malum, nullum latebit „ bonum, vacabitur Dei laudibus, „ qui erit omnia in omnibus. Nam „ quid aliud agatur, vbi neque vllâ „ deſidiâ ceſſabitur, neque vllâ indi- „ gentiâ laborabitur? Neſcio. Admo- „ neor ſancto Cantico, vbi lego, vel „ audio: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* „ Omnia membra & viſcera incor- „ ruptibilis corporis, quæ nunc vide- „ demus per vſus neceſſitatis varios „ diſtributa, quoniam tunc non erit „ ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſe- „ cura, ſempiterna felicitas profi- „ cient in laudibus Dei. Ipſe Deus „ erit finis deſideriorum noſtrorum, „ qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio „ amabitur, ſine fatigatione laudabi- „ tur. Hoc munus, hic effectus, hic „ actus, profectò erit omnibus ſicut „ ipſa vita æterna communis. Hacte- nus Auguſtinus. Eia ergo agite fra- tres; hoc inchoemus in terris, quod perpetuare deſideramus in Cœlis.

13. *Fructus pſalmodiæ dum piè & reuerenter peragitur.*

Septimus, Perpendat Clericus pſalmodiæ deputatus innumeros fru- ctus, quos officium diuinum piè, & reuerenter præſtitum parere ſolet. Sunt autem illi, tum communes omni orationi, tum proprij orationi publicæ, quæ Eccleſiæ nomine peragitur, de quibus lib. 1. egimus. Generatim de illis dici poteſt quod de venerandi ſa- crificij copioſis prouentibus ſcribit Religioſus Auctor lib. 4. de Imita- tione Chriſti cap. 5. ſub finem: *Quando Clericus deuotè pſalmodiam celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Eccleſiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præſtat, & ſe omnium bonorum participem efficit.* Adde illum dignum eſſe, cui de communi Ec- cleſiæ penu cibaria & alimenta præ- ſtentur, ſportulæ & donatiua accre- ſcant.

14. *Proponenda Dei præſentia dum pſallimus.*

Octauus, Proponere ſibi Dei præ- ſentiam. Cùm enim oculi eius ſemper & vbique omnia peruadant, & perui- deant, & vigilent in pœnas in conſpe- ctu publici illius luminis delinquen- tium (ita vt in Carmine ludicro, non ludicrè cecinerit Poëtarum apud Græcos princeps, in Batrachomyo- machia, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, id eſt, *Habet Deus vindicem oculum*;) Multò ta- men magis id habet locum, cùm ad Deum preces dirigimus. Solùm ad- duxero ad propoſitum, quæ habet magnus ille Pater Benedictus in Re- gula ſua cap. 19. *Vbique*, inquit, *credi- mus diuinam eſſe præſentiam, & oculos Do- mini in omni loco ſpeculari bonos, & malos, maximè tamen hoc ſine dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum aſſiſtimus.* Ideo ſem- per memores ſimus, quod ait Prophe- ta: *Seruite Domino in timore.* Et iterum, *Pſallite ſapienter.* Et, *In conſpectu Angelo- rum pſallã tibi.* Ergo conſideremus qua- liter oporteat nos in conſpectu Diui- nitatis, & Angelorum eius eſſe; Et ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens no- ſtra concordet voci noſtræ.

15. *Honeſtas, vtilitas, iucunditas diuini officij attentè conſideranda.*

Nonus, Cùm triplex ſit ratio boni, quæ homines vel vera, vel fucata ſpe- cie alliciat ad ſui proſecutionem; Ho- neſtum videlicet, Vtile, & Iucundum, & mira dignitas, ſplendorque in diui- ni officij contextu, ſingulisque eius membris eluceat; ingentes quoque prouentus ſpirituales ex eo colligan- tur, vt iam iam perſpeximus; reſtat

nunc

ſunt, vt illecebra aliqua accedat, ex liquida, & pura animi voluptate, quæ ab illis percipitur, qui religioſè illud obeunt. Siquidem non læua mente cecinit pſaltes, Pſalm. 70. *Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi.* Significat hoc S. Iacob. c. 5. *Æquo animo aliquis veſtrum eſt? pſallat*, vbi Gloſſa, Crebra pſalmodiæ dulcedine nociuam triſtitiæ peſtem de corde expellat: Et eadem in Pſal. 143. Laus diuina, bonorum eſt refectio, vt nulla videatur ei ſimilis delectatio, &c. Rectè S. Bernardus Ser. 7. in Cantica Cibus in ore, Pſalmus in corde. At qualis cibus! *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo.* Pſalm. 118. & alibi. *Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Sap. 8. Apparet hoc in viris ſanctitate præcipuis, quibus breuis nox erat, quæ in Dei laudibus conſumebatur. Apparet in ijs, qui quò prolixiùs pſalmodia in Choro extendebatur, eò magis deuotio & ſpiritualis voluptas in animo augebatur. Apparet in ijs, quibus pſalmi ſapiebant nectar, Ambroſiam, & melle ſaporata Manya, quos ſuo loco commemorabimus.

16. *Exempla piè pſallentium.*

Decimus, Exempla eorum, qui magno mentis ardore, & religione Horarium penſum Deo reddiderunt, quorum indiculum infrà recẽſebimus.

17. *Incitamenta decem prouocantia nos ad Deum alacriter laudandũ ex Ioan. Turrecremata.*

Aſcribo hîc poſtremò, decem incitamenta nos prouocantia ad alacriter inſiſtendum diuinis laudibus, paucis additis, & demptis, quæ Cardinalis à Turrecremata enumerat, tract. 65. in Regulam D. Benedicti, qui eſt in cap. 8. Sunt autem hæc:

18. Primum, eſt ipſa Scriptura, Pſalmus. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis.* Eccleſ. 49. v. 41. *In omni corde, & ore collaudate & benedicite nomen Domini*, Et rurſus v. 20. *Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, & in Canticis labiorum, & citharis, & ſic dicetis in confeſſione: Opera Domini vniuerſa bona valde.* Ad Heb. 13. *Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo &c.*

Secundum, Altitudo magnificentiæ diuinæ, Pſal. 144. *per ſingulos dies benedicam tibi* &c. Et mox ſubiungit: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Eccleſ. 43. v. 32. *Glorificantes* (id eſt, glorificate) *Dominum, quantumcumque potueritis ſuperualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius, Benedicentes Dominum, Exaltate illum quantum poteſtis: Maior eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis* (id eſt, laborantes defatigemini) *non enim comprehendetis.* 19.

Tertium, Omnis creatura: Opera enim laudabilia artificem laudabilem oſtendunt Eccleſiaſtici 9. v. 23. *In manu artificum opera laudabuntur.* Vide D. Auguſtinum in Pſal. 148. ſuprà. 20.

Quartum, Beneficium Creationis, Pſal. 99. *Iubilate Deo omnis terra, &c.* Et ſequitur. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. *Tu Deus excitas nos, vt laudare te nos delectet, quia feciſti nos, &c.* 21.

Quintum, Beneficium Redemptionis. Lucæ 2. *Nato Saluatore facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, &c.* 22
Homines ſcilicet ad eaſdem laudes prouocans, Pſalm. 66. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Quare? *Terra dedit fructum ſuum*; de quo ſancta Elizabetha, Lucæ 1. *Benedictus fructus ventris tui.* 23.

Sextum, Quia homini data eſt lingua ad Deum laudandum, vnde qui eum non laudant, pro mutis habendi ſunt: Auguſtinus in Confeſſ. *Væ tacentibus de te, quia loquaces muti facti ſunt.* Non ſic pſalmodus. 33. *Semper laus eius in*

in ore meo. Et Pſalm. 70. *Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.*

24. Septimum, Nobilitas Operis ſeu Dei Laudationis, cui intendunt Angeli & Beati, Pſalm. 83. *In ſecula ſeculorum laudabunt te.* Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana: *Deus, cùm de illo nihil dignè poſſit dici, admiſit humanæ vocis obſequium, & verbis noſtris in laude ſua nos gaudere voluit.*

25. Octauum, Deo gratiſſimum hoc eſt obſequium. Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Caſſidorus in Pſal. 118. *Laudes Deo in otio exhibere gratiſſimum eſt, ſed in tribulatione amplius probatur eximium.*

26. Nonum, Dæmoni, valde hoc opus infeſtum. Pſalm. 17. *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.* Figuram huius habet 1. Regum 6. *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* S. Ephrem lib. 2. de Compunctione cap. 2. *Quemadmodum puluis à vehementia venti ſpargitur & impugnatur; ſic aduerſarius noſter ad nihilum redigitur, quando vox noſtra in laudibus Dei perſonat.*

27. Decimum, Præparat Laus Dei viam Spiritui ſancto. 4. Reg. 3. *Cum caneret pſaltes facta eſt ſuper Heliſæum manus Domini.* Pſal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Gregorius ſuper Ezechielem, *Cùm vox pſalmodiæ per intentionem agitur cordis; per hanc omnipotenti Deo iter ad cor præparatur.*

Plura habet excitamenta hac de re
Nauarrus Miſcel. 98. 99. & 100. de
28. Oratione.

CAPVT II.

Accenſa faces ad Nocturnas Vigilias ſollicitè & alacriter obeundas.

ACcendit eas, idem à Turrecremata ibidem loci, quarum meo lumine accedente.

Prima eſt, Ipſa Scripturæ Lucerna lucens in huius noctis tenebris, Pſal. 133. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Thren. 2. *Conſurge, lauda in nocte*, 2. ad Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in laboribus, & vigilijs.* Leuit. 8. & Num. 3. Deuter. 18. præcipitur filijs Aaron & Leuitis, *vt die ac nocte maneant in Tabernaculo, obſeruantes cuſtodias Domini, atque vt excubent in cuſtodia Sanctuarij, & in miniſterio altaris.* Prou. 8. *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, &c.* 1. *Scriptura lumen.*

Secunda Facula, eſt lux è Pharo exemplorum. Primo, Sanctorum quatuor animalium, Apoc. 3. *Quæ requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, &c.* Secundò, cuſtodum Eccleſiæ, Iſaiæ 62. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Tertiò, Exemplum egregij Pſaltæ Iſrael. Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam, &c.* Et Pſalm. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus,* & quę ſequuntur. quartò, Chriſti Seruatoris, Lucæ 6. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Quintò, Sanctorum Pauli & Silæ, Actor. 16. *Qui nocte Deum laudabant.* Adde & Iudithæ cap. 12. quæ petijt ab Holoferne, vt daretur ei copia nocte, & ante lucem egrediendi foras ad orationem & deprecandi Dominum. Imò & cap. 6. ibidem. *Omnis populus per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt petentes auxilium à Deo Iſrael.* Iſaiæ cap. 26. *Anima mea deſiderauit te in nocte, &c.* 2. *Sanctorum exempla.*

3. Lam-

3. *Vigilias nocturnas ... ſuum, ... Gr.*

Tertia Lampas, eſt exemplum mulierum matrum familias, de quarum vna eximia dicitur, Prouerb. 31. *De nocte ſurrexit, &c.*

Accedit lucerna artificum nocte operi & lucro inuigilantium, de quibus dicitur, Eccleſ. 38. *Omnis faber & Architectus qui noctem tamquam diem tranſigit.*

Veniant Nocturnæ Philoſophorum & Philologorum lucubrationes, quæ oleum & lucernam redolebant. Nota eſt Cleanthis Stoici lucerna, quæ etiam in prouerbium abijt, dicimus enim ad Cleanthis lucernam euigilatum, cùm aliquid magnâ curâ & diligentiâ elaboratum eſt. Marcus Tullius lib. de Claris Oratoribus refert Themiſtoclem accenſum gloriæ ſtudio in publico noctu deambulaſſe, eò quòd ſomnum capere non poſſet, diceretque ſe Milciadis Trophæis excitari. Demoſthenes plus olei quàm vini expendit, atque omnes opifices nocturnis ſemper vigilijs præuenit auctore S. Hieronymo Apolog. 1. contra Ruffinum. Imò teſte Cicerone in Tuſculanis dicebat ſe dolere, ſi quando opificum antelucanâ victus eſſet induſtriâ. Adfert Chryſoſtomus hom. 42. ad populum & homil. 26. in Acta, Nocturnos cuſtodes, qui in gelu circumeunt vehementer clamantes, & per vicos ambulantes, madidi frequenter & glaciati.

4. *Tempus nocturnum quietius, aptius orationi, &c.*

Quarta, Tempus nocturnum pacatius eſt, cùm quieſcunt voces hominum, canumque. & medium ſilentium tenent omnia; liberius ab occupationibus, & laboribus diurnis, ideoque aptius functionibus vitæ Theoricæ, Pſal. 41. *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam* (opera vitæ actuæ, inquit, Turrecremata) *& nocte canticum eius*, id eſt laudes & orationes perſonant. Hæc ille, licet alius ſit ſenſus literalis. Sic Iacob nocte luctatur cum Angelo, quæ lucta iuxta Gregorium Homil. 14. in Ezech. contemplationem ſignificat. Præclarè D. Bernardus Sermone vltimo in Cantica, Tempus, ait, obſeruare oportet, qui ſibi orare voluerit, tēpus feriatum, commodius, aptiuſque, „ maximè autem cùm profundum „ nocturnus ſopor indicit ſilentium; „ tunc planè liberior exit puriorque „ oratio. Conſurge in nocte, inquit, in „ principio vigiliarum tuarum. Quàm „ ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo „ arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui „ illam ſupremo altari ſuſcipit præſentandam! Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore! Quàm ſerena & placida nullo interturbata „ clamore vel ſtrepitu! Quàm denique „ munda atque ſyncera nullo reſperſa „ puluere terrenæ ſollicitudinis, nullâ „ aſpicientis laude ſeu adulatione tentata! Hactenus S. Bernardus.

Quinta, Nocte filij noctis Deum ſceleribus inhonorant & deſpectui habent, 1. ad Theſſal. 5. *Qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt, &c.* Ergo conuenit, vt filij diei, honorem Dei tunc inſtaurent, & reponant ad Coloſſ. 4 *Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione.*

5. *Nocte homines ſcelerati Deum peccatis inhonorant.*

Sexta, Tartarei tenebriones non ſolùm per diem, ſed multò magis, per noctem viros Religioſos impugnare ſolent. Sic Allegoricè accipe illa ex Pſalm. 103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtia ſiluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, &c.* S. Hieron. epiſt. 10. ad Furiam. *Ardentes diaboli ſagittæ ieiuniorum & vigiliarum rigore reſtinguendæ ſunt.*

6. *Dæmones per noctem homines religioſos impugnant acrius.*

Septima fax. Nocte libidinum incendia etiam ſanctos vltulant, quæ noctiuagi illi Lemures, & Rectores tenebrarum harum flabellis ſuis ventilant. Ad Roman. 13. *Abij, te opera tenebrarum, &c. Non in cubilibus, & impudicitijs*, &c. Tractat hoc argumentum S. Hilarius in illud Pſalm. 118 *Memor fui nocte nominis tui Domine; &c.* Scit Propheta „ præci-

7. *Libidinum faces per noctem diabolus ventilat.*

Ll

„ præcipuè nocturno tempore diuini „ eſſe nominis recordandum, cùm „ ſubrepunt animo impuræ cupidita„ tes, cùm vitiorum ſtimuli per recens „ ſumptum cibum corpus exagitant, „ tum cuſtodienda lex eius eſt, pudi„ citiam, continentiam, timorem Dei „ ſtatuens, &c. Similia habet S. Ambroſ. in illum verſum ſerm. 7. in Pſalm. 118. p. 7. *Hæc incendia extinguunt ſalutares excubiæ, & peruigilata in orationibus noctes.* Eccleſiaſtici 31. *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.* Quod ſi diuitiarum (de quibus ibi Sapiens) ſtudium & ſollicitudo humorem vitalem exhauriunt, cur non multò magis prauæ cupidinis ſentinam exinanient in Dei laudibus pernoctationes?

Nocte conſurgere meritorium maximè & ſatisfactorium.

8. Octaua, Nocte conſurgere ad confitendum Domino cùm permoleſtum ſit & laborioſum, multarum pœnarum apud Deum condonationem, & inſignem coronam promeretur. Vnde & Apoſt. 2. ad Corinth. 11. Gloriatur ſe tanquam probatum Chriſti militem verſatum fuiſſe *in labore & ærumna in vigilijs multis &c.*

Deus nocte animum cœleſtibus viſis illuſtrare & dulcedine ſpirituali afficere aſſolet.

6. Nona, Frequenter Deus in nocturnis vigilijs mentem viſis cœleſtibus, gratiæ ſuæ ſplendore, & ſpirituali dulcedine profundere ſolet, vt conſtat ex ſacris literis & ſanctorum geſtis. Affert ad hoc Turrecremata locum Iob cap. 35. Vbi Eliu de Deo loquens ait, *Qui dedit carmina in nocte*, id eſt, conſolationem. Nec infulsè, licet multiplex à commentantibus expoſitio adferatur à ſcopo noſtro non aberrans, & hîc ſtrictim inſinuanda.

Explicatur locus Iob 35. Qui dedit carmina in nocte.

10. Philippus presbyter, & S. Gregorius docent Deum dare Carmina in nocte afflictionis, & deſolationis, dum iubet è tenebris lucem conſolationis & gaudij ſplendeſcere, & fortè ſenſus hic eſt literalis. Sed ad inſtitutum noſtrum, locum interpretemur. Dicitur Deus carmina dare in nocte *Metonymikōs*, quia variam materiam carminis chariſtici ſuggerit. Primò. Dum diuina ipſius prouidentia, non dormiens neque dormitans, ſed excubans, animantibus noctu ſomnum capientibus pulcherrimam huius mundi fabricam, reſque omnes eâ contentas quaſque in ſuo ordine & ſtatu, tamquã in ſuis caſtris vigili & inſomni cura cuſtodit. Vt rectè Chryſoſtomus; vnde reddunt LXX. Seniores: *Qui ordinat & diſtribuit cuſtodias nocturnas.* Secundò, Argumentum nobis carminis ſunt luna & ſtellæ, dantes lumen in cuſtodijs ſuis, cœlorum choreæ, & nitentia aſtrorum agmina noctu voces noſtras in cantu prouocantia. Ita Magiſtri Hebræi. Tertiò, Angeli tutelares nobis aſſidui, & accubui, vicarium & amœbæum à nobis pſalmum depoſcunt: præueniunt enim principes coniuncti pſallentibus, & increpant identidem, Pſallite Deo noſtro, Pſallite. Vnde & Chaldæus Paraphraſtes exponit. Ante cuius conſpectum Angeli excelſi ordinant laudem in nocte, Ita Olympiodorus.

Nocte conſurgere corporibus nedum animis conducit.

Decima fax. Nocte ſurgere non ſolùm ſaluti animæ, ſed & corporis va- 11.
letudini conducit: quod, tum experientia, tum ratio demonſtrare videtur, ſiquidem legimus, audiuimus, vidimus multos Aſcetas, & Aſcetrias, & Cœnobitas aſſuetos nocturnis excubijs, imò ſolidas noctes in orationibus peruigilare conſuetos, vſque ad vltimam & prope capularem perueniſſe ſenectutem, quos ſuperuacuum eſt recenſere. Adſtipulatur ratio; quia cùm ad cœtus nocturnos olim, vt indicat D. Benedictus cap. 8. Regulæ. monachi magnã partẽ (vt ipſe loquitur) digeſti ſurgerent (quod ego interpretor, concoctione iam ferè perfectâ) reliquis ſuperfluentibus digerendis humoribus pſalmodia plurimùm proderat, & ſomno non neceſſario tempus detrahens

[illegible] corpus tenue, & gracile, ſed tamen [illegible]tium reddebat: ita vt religioſæ illæ [illegible]nentes fierent (vt cum Hieronymo loquar epiſt. 22.) cicadæ noctium. Dicit etiam Humbertus alibi nocturnis vigilijs naturam purgari. Verùm quia non medicum ago, ſed Theologum; huius vlteriorem probationem ad Archiatros, & Æſculapios refero.

11. *Auctores qui hoc argumentum explanant.* Hæc & plura Lector inueniet apud SS. Patres, præſertim Baſilium, tum epiſt. 1. ad Gregorium Nazianzenum, tum epiſt. 63. ad Clericos Neocæſarienſes ſub medium, S. Cyprianum tract. de Orat. Domin. prope finem, S. Hilarium ſuper illud, Pſal. 118. *Memor fui nocte nominis tui.* Ambroſium ſer. 7. in eundem Pſalmum p. 7. & ſer. 19. parte 3. in illud, *Præueni in maturitate.* D. Chryſoſtomum homil. 43. & 42. ad populum, & hom. 26. ſuper Acta Apoſtolorum, vbi & hanc rationem ſuggerit: Purior nocte eſt anima, leuior, ſubtiliorque tunc eſt; ſublimia videt, ac expedita eſt, tenebræ ipſæ ſilentiumque multum in compunctionem inducere ſufficiunt. Adiunge his & B. Petrum Chryſologum Serm. 24. Complura etiam de hoc argumento collegit Humbertus in expoſitione Regulæ D. Auguſtini cap. 37. & Opuſculo de Erudit. Religioſorum lib. 6. p. 4. c. 6. & Archidiaconus in c. *Imitare* 6. q. 1.

CAPVT III.

Amica inuitatio ad vtramque Matutinam Orationem magno animo aggrediendam & decurrendam.

1. *Duplex oratio Matutina, Laudes, & Prima.* SCitum eſt ex lib. 1. duplicem eſſe precationem Matutinam Canonicam vnam quæ peragitur apperente luce, quam Laudes κατ᾽ ἐξοχὴν vocamus, alteram quæ ſole hemiſphærium noſtrum ingreſſo, quam Primam communiter dicimus. Simul ad vtramque alacriter perorandam monita datum imus, prout in manum, mentemque incurrent.

Primo itaque, Diei prima face excitat nos ad Deum laudandum & precandum lucis criſtata auis Gallus excubitor & diei præco, qui quamuis etiam poſt mediam noctem cantet; *Noctu profunda peruigil, à nocte noctem ſegregans*, id eſt, priorem, & præcedentem noctis partem à ſubſequente ſuo cantu dirimens, vt eleganter D. Ambroſius in hymno Dominicæ ad Laudes, quem pro Ambroſij agnoſcit S. Auguſtinus lib. 1. Retractationum c. 21. Nihilominus ſecundò canit, idque crebriùs & citatiùs ſub auroram, vt rectè Rupertus lib. 1. de diuinis officijs cap. 10. Vnde & dicitur cantu diem prædicere. Certè Plinius lib. 10. Naturalis Hiſtoriæ cap. 21. loquens de Gallis Gallinaceis, ait, eos quartâ Caſtrenſi vigiliâ ad curas laboremque reuocare: nec ſolis ortum incautis pati obrepere, & diem venientem cantu nuntiare. Et canit Eccleſia feriâ tertiâ ad Laudes, ex Prudentio, Primo Kathemerinon, *Ales diei nuntius lucem propinquam præcinit.* Hæc ergo lucis ales iacentes excitat, & ſomnolentos increpat, ad Laudes Deo modulandas hominum mentes euibrat. Vide, ne qui Petrum negantem arguit, te quoque ſtertentem ſubſannet. Alitem præeuntem carmen hymniſonâ ſaltem voce proſequi non pudeat. 2. *Gallus mane ſub auroram nos excitat ad Dei laudem.*

Secundam in aciem ſuccenturiamus Patres in paucis diſertos ſuo inuitatu nos in idem ſtudij prouocantes. Anteſignanus ſit D. Ambroſius ſerm. 43. & lib. 2. Examerον cap. 12. & lib. 5. c. 24. *Quis,* inquit, *ſenſum hominis gerens non erubeſcat ſine pſalmorum celebritate diem claudere vel adoriri; cùm etiam minutiſſimæ aues ſolemni deuotione, & dulci carmine ortus* 3. *Patres toti ſunt vt idem nobis ſuadeant, vt Ambr. Baſilius Chryſ. alij.*

dierum ac noctium proſequantur?

4. Idem ſer. 19. p. 4. in Pſal. 118. ſuper illud: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Suprà ait, *præueni in maturitate*, hoc eſt, ante horas, ante tempus, hîc ait, mane; aliud ſignificans tempus orandi, atque pſallendi Domino, vt ſit illud prius, ſecundum quod ait, *Media nocte ſurgebam*. Hoc autem iuxta illud, *præueni*
„ *orientem ſolem*. Graue eſt enim ſi
„ te otioſum in ſtratis radius ſolis
„ orientis inuerecundo pudore conue-
„ niat, Et lux clara feriat oculos ſom-
„ nolento adhuc torpore depreſſos.
„ Arguit nos tanti temporis ſpatium
„ ſine vllius deuotionis munere, ac
„ ſpiritalis ſacrificij oblatione feriata
„ tranſmiſſum. An neſcis, ô homo, quod
„ primitias tui cordis ac vocis quoti-
„ die Deo debeas? Quotidiana tibi
„ meſſis, quotidianus eſt fructus. Oc-
„ curre ergo ad ſolis ortus, vt te oriens
„ inueniat iam paratum, ne lumina
„ tua madido adhuc ſopore mergen-
„ tia, primus diei fulgor exagitet. Videtur ad hæc Ambroſij loca reſpexiſſe Innocentius III. cap. *Dolentes*, de Celeb. Miſſarum, cùm ait: *Dolentes referimus, quòd non ſolùm minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa comeſſationes ſuperfluas, & confabulationes illicitas (vt de alijs taceam) ferè medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes vix ad diurnum auium cantum excitantur.* Vide eumdem inſuper Ambroſium lib. de Cain & Abel cap. 8. & lib. de Inſtit. Virg. quæ libens prætereo.

5. Succinit Ambroſio D. Chryſoſtomus lib. 1. de Orando Deum, in fine, vbi hæc habet: *dic mihi*, ait, *qua fronte ſolem intueberis, niſi priùs adoraueris eum, qui lumen illud dulciſſimũ oculis tuis mittit?* Idem ſcribens in Pſal. 5. ſuper illud, *Mane ex-*
„ *audies vocem meam.* Vides, ait, vehe-
„ mentes ſtudium, & contritum ani-
„ mum. A principio diei, hoc, inquit,
„ ago. Audiant, qui poſt innumerabi-
lia opera tandem veniunt ad oratio- „
nem. At non ipſe, ſed ab initio diei „
dabat Deo primitias. Oportet enim, „
inquit, ad gratias tibi agendas ſo- „
lem præuenire, & ante ortum lucis „
te interpellare. Tu autem, in Impe- „
ratore quidẽ minimè patiaris eum, „
qui eſt inferior, ante te adorare: Nunc „
autem ſole oriente ipſe dormis, & „
cedis primo loco creaturæ, nec om- „
nem creaturam præuenis, quæ pro- „
pter te facta eſt: nec ei gratias agis, „
ſed cùm ſurgis, manus & faciem la- „
uas, animam autem immundam ne- „
gligis. Conſonat his S. Baſilius in „
Regulis fuſiùs diſputatis Interroga- „
tione 37. Matutinum quidem tem- „
pus ad orationem delectum eſt, vt „
primi animi ac mentis noſtræ mo- „
tus conſecrentur Deo, neque vllius „
curæ ante aditum ad nos demus, „
quàm nos in cogitatione de Deo „
oblectauerimus, ſicut ſcriptum eſt, „
Memor fui Dei & delectatus ſum. Neque „
corpus priùs ad functionem mune- „
ris alicuius moueamus quàm illud „
fecerimus quod dictum eſt: *Orabo ad te Domine, mane exaudies vocem meam, mane aſtabo tibi, &c.*

Vrgent has Baſilij rationes Patres, vt ſcilicet Primæ Cauſæ dentur diei primitiæ. 6. Sanctus Dionyſius cap. 3. de Diuin. Nomin. Ante omnem actũ, ait, præcipuè pertinentem ad Deum, ab oratione nobis exordiendum eſt, non quidem vt poteſtatem illam vbique præſentem, & nuſquam ad dictam ad nos quandoque trahamus: Verùm vt diuinis commemorationibus inuocationibuſque nos ipſos illi dedamus, & vnione iungamus. Vrgent ad alteram, vt diurnæ functiones à Deo exordium capiant, dirigantur, perficiantur, & ad ipſius gloriam cedant: hoc ſignificat Oratio ad Primam, vt aduertit Humbertus cap. 38. in cap. 5. Regulæ D. Auguſtini. Idem indicat Hymnus feriæ

Deo mane primitias diei offerendas paſſim monent Patres.

Digitized by Google

feriæ ſecundæ ad Matutinum.

Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum ſequentium,
Tu Sancte, ſis exordium.

Sanctus Ephrem ſermone de Orando Deo tom. 2. *Si orationem*, inquit, *operi præmiſeris, & ſurgens e lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.*

7. *Scripturæ monita, exempla, figuræ ad idem inuitant.* Tertium Agmen tenent monita, exempla, & proluſiones literarum ſacrarum, quæ plurima ſunt. Florem tantùm delibabo 1. Paralip. 23. præcipitur, *Vt leuitæ ſtent mane ad confitendum & canendum Domino, ſimiliterque ad veſperam.* Exod. 29. & 2. Paral. 31. *Edicitur offerri holocauſtum mane ſemper et veſpere.* Pſaltes Pſal. 5. *Mane exaudies vocem meam, mane aſtabo tibi*; Pſal. 62. *In matutinis meditabor in te.* Pſal. 87. *Mane oratio mea præueniet te*, & alibi ſæpe, Iſaiæ 26. *Spiritu meo in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te.* Pro. 8. *Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me*, Eccli. 39. *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur.* Iob 8. *Si diluculo conſurrexeris ad Deum & omnipotentem fueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum Iuſtitiæ tuæ*; Et alia ſexcenta.

8. *Exempla Chriſtianorum veterum.* Adiungi poſſunt etiam exempla priſcorum Chriſtianorum. De Therapeutis, ſiue Eſſenis ſui temporis ſcribit Philo lib. de Vita contempl. illos mane & veſperi precari ſolitos. Idem habet Ioſeph. lib. 2. de Bello cap. 7. de primis Chriſtianis Tertullianus, Apolog. c. 2. de Matutinis Monachorum Canticis ſuo tempore ſcribit Chryſoſtomus homil. 14. in 1. ad Timoth.

9. *Maximè excellit locus Sapientiæ 16. O-* Quartum Excitamentum eminet tamquam margaritum inter alios ſcripturæ iocos illud Sapien. 16. ad quod frequenter alludunt Patres Antiqui Ambroſius, Chryſoſtomus & alij, vbi ſcriptura loquens de Angelorum eſca, ſic infit: *Quod ab igne non poterat exterminari ſtatim ab exiguo ſolis radio calefactum tabeſcebat, vt notum omnibus eſſet, quoniam oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuã, & ad ortum lucis te adorare.* Senſus eſt, *portet præuenire ſolem ad benedictionẽ tuam, qui exponitur.* collectum ab Hebræa gente ſub crepuſculum matutinum manna, documento erat poſt res diuinas omnia habenda, non indormiſcendum matutinæ gratiarum actioni, ſed orto recèns ſole Deo bene precandum, eumque adorandum, ne inſtar cœleſtis illius eſcæ calore ſolis eliquatæ, & euaneſcentis, fructus diuinæ gratiæ nobis cunctantibus depereat. Græcè habes δεῖ φθάνειν τὸν ἥλιον ἐπ' εὐχαριστίαν σοῦ. Quamuis autem Euchariſtia ſignificet bonam gratiam, quæ recipitur, rectius tamen videtur, hic accipiendum, pro grata animi ſignificatione erga Deũ. Quamquam quis ſupremo numini bene precatur, & gratias agit, qui non ſtatim à perenni bonorum fonte plura & maiora datis gratijs hauriat, & referat beneficia?

10. *Ethnici docent Chriſtianos Deũ mane venerari.* Quintum inuitamentum. Pro more habuêre gentes à fide vera alienæ ſacrificijs, & precationibus ſub tempus matutinum Deos ſuos venerari, horam primam illis nuntiare, ſalutationibus eos conciliare, capere, & demulcere, vt paſſim conſtat ex profanis auctoribus Apuleio, Seneca & alijs, ratæ tempus illud fauſtis precationibus & officijs eſſe opportunius: Ad quod putant aliqui reſpexiſſe ſanctiſſimum Iobum, cùm ſic ſcribit cap. 31. v. 26. *Si vidi ſolem cùm fulgeret*, &c. Qua de re vide Clementem Romanum lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 50. alios. Notum eſt illud Arati in Phænom. & Theocriti, Idil. 17. ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα; quod Virgilius reddit Ecloga 3. *A Ioue principium.* Hinc illud Platonis in Timæo. *Omnes*, inquit, *qui quomodocumque mentis compotes ſunt, in operis cuiuſlibet vel magni vel parui*

exordio Deum inuocare solent. Vnde & ex Demosthene ait Cicero lib. 2. de legibus, *A Deo immortali sunt nobis agendi capienda primordia.* Quod idem repetit Oratione in Vatinium. Plenius autem illud habet Plinius exordio Panegyrici ad Traianum. *Bene, ait, ac sapienter, maiores instituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere; Quod nihil ritè, nihilq; prouidenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicentur.* Commendat hoc institutum, & ordinem Nazianzenus Apolog. 1. Scribit verò Valer. Max. in Proœmio & lib. 1. cap. 1. id factitatum ab Oratoribus, Poëtis, & alijs. Scitum est Scipionem Africanum antelucanis horis in templum Iouis, cuius filius credebatur se contulisse, fruitumque Deorum colloquio in senatum ascendisse. Vide Gellium lib. 7. cap. 1. Alexander Seuerus à Mammæa matre educatus, quæ à Christiana religione non abhorrebat, matutinis horis in Larario suo rem diuinam faciebat teste Lampridio in Alexandro. Idem refert Sidonius Apollinaris lib. 1. epist. 2. ad Agricolam, de Theodorico Rege Gothorum, qui antelucanos suorum sacerdotum cœtus minimo comitatu expetebat quotidie, & grandi sedulitate venerabatur. Apollonius Thyanæus auctore Philostrato lib. 7. de vita eius cap. 12. licet impius, discipulis præcepta dans aiebat, adueniente aurorâ cum dijs esse versandum. Omitto reliqua.

11. *Rationibus ostenditur tempus matutinũ orationi aptissimum.*

Sextum, Ratio docet, eaque triplex, tempus illud orationi esse quàm aptissimum. Prima, Quia somno refectis viribus, animus, vt diuinis laudibus intendat, meliùs affectus esse solet. Audiamus Chrysostomum homil. 69. in Matth. loquentem de sui temporis Ascetis: *Ita, inquit, in exortu solis, imò verò multò etiam ante diem à lectulo surgentes integri, sobrij, vigilantes; Nam nec grauedo capitis, nec ventrum cura; nec aliud* [illegible] *tamquam Angelos in Cælo versantes perturbat.* Hæc ille, tum sensus viuaciores, potentiæ vegetiores, vires integriores.

Secunda, Quia die incalescente omnia etiam opera mentem aliorsum ab oratione distrahentia feruere solent: occurrit statim turba salutantium clientum, qui fores obsident, irruunt (velis nolis) importunæ muscæ, negotiorũ agmina quæ rapiunt, trahuntque studia in contraria mentem. Quis hæc perfringat retia? quis sese hisce laqueis expediat? fortis animus sit oportet, & constãs, adamantino nixus decreto, qui hæc implicamenta perfringat.

Tertia, Matutinæ orationis delitijs pastus animus easdem redolet, & quasi eructat, quod diei est reliquum; iuxta illud psaltæ Regij, Psalm. 75. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi:* quasi dicat: Laus primo mane Deo delata totum diem festum Deo lætumque homini reddit. Splendor enim Domini super nos opera manuum nostrarum dirigit. S. Gregorius Nyssenus lib. de Orat. ex professo docet, tunc prosperum diurnorum negotiorum procedere cursum, cùm ea antecedit oratio.

12. *In Parænesi ad lectorem matutinam orationem suadens.*

Agite ergo vos mecum in sortem Domini vocati, præueniamus solem in confessione diuina. An non videris vt flores omnes, eum, vt parentem suum croceo thalamo prodeuntem sublato capite officiosè salutent, & quasi adorent? Vt certatim expansis vaginis, calyculis, fastigijs, mucronibus, viso sole hient, oscitẽt, & quasi sternutant? Conuertite & vos ad solem Iustitiæ. Oriens nomen illi: Dicite orienti ex alto: *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Conformate vos anti-

antiquis illis Leuitis exemplaribus verorum, id eſt, veſtri ipſorum. Noſtis (ſcientibus ſcripturas loquor) præceptum Domini Leuit. 6. Num. 12. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna mane, per ſingulos dies.* Ignem diuini amoris foueant Dei miniſtri pijs commentationibus, hoc adoleant ſacrificium laudis matutinæ. Inſinuo & alterum iuſſum datum ſacerdotibus priſcis. Exod. 30. *vt adolerent incenſum ſuper altare thymiamatis ſuaue fragrans mane;* Quo myſticè ſignatur prima luce precationis thura Domino offerenda in odorem ſuauitatis. Accumulent cum Hebræis patribus, Exod. 16. *crepera adhuc luce manna deuotionis, quantum ſufficere poßit ad veſcendum per diei reſiduum.* Excitentur pſalterio & citharâ regali & fatidica, Pſal. 56. Audiant carmen paræneticum, audiant celeuſma. *Exurge*, inquit, *gloria mea.* Quæ verò eſt eius gloria? *Exurge*, inquit, *pſalterium & cithara.* Auditis, vt eneruem intendat chelim, & chordas adaptet ad pſallendum? Exurgam, inquit, diluculo ad Deum voce, carmine, citharâ celebrandum: vbi Paraphraſtes Chaldæus reddit: Expergiſcar ad orationem matutinam. Præit ille, ſequimini. Si tardatis, manum inijciet vobis Chriſtus, de quo S. Marcus cap 7. Et diluculo valde (Græcè *καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν*, id eſt, & mane, noctu, valde) ſurgens egreſſus abijt in deſertum locum, ibique orabat. Forma vobis datur: Exemplum proponitur. Surgite qui dormitis, & illuminabit vos Chriſtus, ſed manum moueo.

CAPVT IV.

Monita parænetica ſuper precatione ad Tertiam, Sextam, & Nonam horas.

1. NIHIL ferè peculiare occurrit hic, de quo monendus Lector in harum orationũ pronuntiatione, quod non explicatum lib. 1. vel non aliquo modo inſinuatum in præcedentibus monitis.

2. *Antiquatũ iſtarum horarum inſtitutio inuitat ad accuratam pſalmodiã.*

Primò, Inuitat nos ad iſtarum horarum celebrationem antiqua earumdem inſtitutio, & ſolennis publicaque etiam in lege veteri frequentatio. Qua de re cum productius alibi egerimus, non eſt quod cramben recoctam ingeramus.

3. *Myſteria itẽ iiſdem horis peracta.*

Excitant ſecundò, Myſteria illis horis peracta noſtræ ſalutis cauſâ, quibus tamquam ſideribus tria illa tempora illuſtrantur præ cæteris diei horis, de quibus etiam pleraque alibi pertractata ſunt.

4. Recolat ergo hiſce horis pius pſalmodus, vt ſe ipſum inflammet, & ſopitum deuotionis ignem exſuſcitet, grato animo acerbos Chriſti flagellis conciſi, vepribus compuncti, colaphis contuſi, opprobrijs ſaturati, cruce onuſti, in eamque ſuffixi, tandemque ſpiritum emittentis cruciatus eoſque horarum iſtarum proprijs precationibus, quaſi memoris & beneuolæ mentis ſignificationibus proſequatur. Dici vix poteſt quantum ſpiritus & vitæ, quantum vigoris & animi, quantum ardoris, & flammarum ſubiectura ſit attenta horum conſideratio. Iuuerit ad hanc rem Horas S. Crucis, quæ habentur in officio D. Virginis iuſſu Pij V. edito memoriæ commendaſſe, & ante ſingulas has Horas præmittere, quod exercitium valde probat Nauarrus Enchir. de Horis cap. 19. num. 199. Porrò myſteria iſta continentur Hymnis Horarum iſtarum, hoc qui ſequitur modo. Hymnus ad Tertiam ſic habet.

5. *Horæ S. Crucis ad hoc iuuant.*

Crucifige clamitant hora Tertiarum,
Illuſus induitur veſte purpurarum,
Caput eius pungitur corona ſpinarum,
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

Ad Sextam verò ita.

Hora

Hora Sexta Dominus eſt cruci conclauatus,
Et cum latronibus pendens deputatus,
Præ tormentis ſitiens felle ſaturatus,
Agnus crimen diluens ſic ludificatus.

Poſtremò ad Nonam.

Hora Nona Dominus IESVS *expirauit.*
Elvclamans animam Patri commendauit,
Latus eius lanceâ miles perforauit,
Terra tunc contremuit, & Sol obſcurauit.

6. *Rationes has orationes frequẽtandas docent, & Patr. Baſ. Ambr.*

Tertiò non ſolùm noctu, mane, & veſperi, ſed etiam interdiu frugifera eſt oratio, & fortè iuxta neceſſaria; Quamuis verò longiorem huic mortali vitæ coniuncta negotia non permittant; breuior tamen, qualem horæ illæ tres continent, interim interponenda. Oppreſſus enim pondere terrenarum curarum ſpiritus, & quaſi interclusus reſpiret nonnumquam & animam de cœlo ſæpius reciprocando trahat, neceſſe eſt. Quot per diem incurrunt pericula, quot mucrones, & ſicæ, ceruicibus noſtris impendet! Quis hæc extorqueat, & auertat? Deus oratione humili & fiduciæ plenâ propitiatus. Audi Pſalm. 90. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi Dominus, & ſub pennis eius ſperabis. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, &c.* Semper itaque ad Deum cum fiducia confugiendum. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino.* Hoc orationis condimentum magnus Baſilius ſuo calculo probat, epiſt. 1. ad Greg. Nazianzenum poſt initium.
„ Quid igitur beatius, ait, atque feli-
„ cius quàm Angelorum choros in
„ terris imitari? mox quidem erum-
„ pente luce ad orationis ſtudium oc-
„ currere, Hymniſque & Canticis ho-
„ norare creatorem? tum verò clariùs
„ ſole radiante conuerſum ad opera
„ vtrique oratione comitante, hymnis
„ quoque tamquam ſale condire mi-
„ niſteria? lætum quippe & ſerenum
„ animi ſtatum ſolatia hymnorum
„ largiuntur. Et paulò pòſt: Rurſum
„ ſi lectionem ſequantur precationes,
„ animum deſiderio in Deum reac-
„ cenſo renouatum & vegetiorem fa-
„ ctum accipiunt. Quid his verbis ad
„ inſtitutum noſtrum aptius dici queat?

Ad idem hortatur Ambroſius lib. 3. de Virginitate ſub exordium. Oratio nos quoque Deo crebra commendet. Si enim Propheta dicit: *Septies in die laudem dixi tibi*, qui regni erat neceſſitatibus occupatus, quid nos facere oportet, qui legimus: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem?* Certè ſolemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ, cùm è ſomno ſurgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus ſumere, cùm ſumpſerimus (en quatuor horas complectitur, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam) & hora incenſi, cum denique cubitum pergimus. 7.

8. *Aliud incitamentum ex præmeditatis Hymnis.*

Denique multum per omnem modum ad fructuoſam iſtarum precum recitationem confert, præmeditatum fuiſſe verba hymnorum, quæ in minoribus horis canuntur, v. g. ad Tertiam (quod ante nos obſeruauit S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis interrogatione 37.) Venerari nos Spiritum ſanctum, qui circiter hanc horam Apoſtolis datus eſt, & deprecari, vt ab illo in diurnis operibus dirigamur; & ſic de alijs.

9. *Aliud ex præmeditatis Pſalmi alicuius verſiculis.*

Poſtremò non exiguum etiam momenti ad hoc ſubminiſtrabit, ſi verſiculum quempiam, ex aliquo octonario Pſalmi 118. qui per partes legitur in Horis illis minoribus, diligenter ante expenderimus, v. g. ad Tertiam illud ex ſeptimo octonario. *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*, &c. Ex hoc illud commodi conſequemur quod mens tempore orationis pio exercitio occupata, & ſupernorum æſtuans deſiderio, iucundum affectui pabulum miniſtrabit.

CAP.

CAPVT V.

Iſagoge ad feruenti ſpiritu vtramque Veſpertinam orationem exigendam & perficiendam.

1. *Scriptura ad veſpertinas Dei laudes nos trait.*

PLuſcula hîc ſe offerunt memoriæ excitandæ & conſeruandæ Phylacteria & commonitoria, quæ nonnihil dilatanda & explicanda ſunt.

Principio, ex præludijs & typis priſcæ legis monentur aſcetæ & aſcetriæ noſtræ non ſolum mane, ſed & veſpere libare Deo ſacrificium laudis. Siquidem & Leuitis indicebatur pſalmodia, vt ſuprà dictum, non ſolum ſub ortum ſolis, ſed etiam ad eius occubitum: ſimiliter & ritu perpetuo immolabatur agnus die appetente, & nocte incumbente, quibus etiam temporibus thymiama adolebatur. Reſpexit ad holocauſti & ad odorum incenſionem Vates regius Pſal. 140. Vbi verſu 2. obſecrat, vt oratio eius ſit Deo accepta inſtar holocauſti & thymiamatis veſpertini, *Dirigatur*, inquit, *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo; eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Cur autem optarit Deo placere orationem ſuam inſtar ſacrificij veſpertini potiùs quàm matutini? cauſa reddi poteſt: tum quia pſalmum hunc concinnauit ſub veſperam, vt etiam ab Eccleſia in officio illius temporis recitatur: tum quia animo præceperat ſacrificiũ quod mundi vergente veſpere Chriſtus Deo patri in cruce eſſet oblaturus.

2. *Ducunt ad eandem Patr. Clemens Alexandrinus.*

Rurſus ad veſpertinam orationem multis, & magnis rationibus nos adhortantur Patres memoratiſſimi, inter quos Clemens Alexandrinus 1. occurrit, qui lib. 2. Pædagogi cap. 4. ad precem ſerotinam hortatur. Poſtremò, „ inquit, antequam ſomnus inuadat, „ pium & ſanctũ eſt Deo gratias agere, vt qui eius benignitatem & gratiam fuerimus conſecuti, ita cum diuino quodam afflatu nos ad ſomnum conferamus, & confiteri illi in canticis labiorum.

3. *S. Baſilius,*

S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis Interrog. 37. ſic inſtat, „ Completo, inquit, iam die pro ijs omnibus quæ in eo nobis data fuerint, feliciterque, quæ vel per conſenſum, aut ſecus contra animi ſententiam prætermiſſa ſunt, confeſſio, aut, ſicubi latens aliquod delictum admiſſum fuerit, verbis operit ſiue, aut etiam corde pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad ſimilia peccata iterum euitanda, valde vtilis eſt præteritorum conſideratio. Idcirco Dauid dicit; *Quæ dicitis in cordibus veſtris in cubilibus compungimini.* Tum autẽ primis ſe iam noctis intendentibus tenebris ſequetur petitio, vt quies, quã ſumus capturi, inoffenſa & ab omni perturbatione ac vitio libera ſit, quà horâ etiam neceſſariò 90. Pſalmus recitari debet. In quibus verbis aduertit Lector tria argumenta ſuadentia orationem veſpertinam. Primum vt Deo gratiæ perſoluantur pro die feliciter & inoffenſè decurſo: Alterum, vt coram Deo peccata noſtra confiteamur & deteſtemur: Poſtremò, vt ſomnum ſecurum, & omnis mali expertem capiamus. Aliud inſuper monitum ſuggerunt nobis D. Ambroſius & Chryſoſtomus cap. 3. à nobis producti: ille quidem ſerm. 43. vbi ſic ſcribit: „ Quis ſenſum hominis gerens non erubeſcat ſine pſalmorum celebritate diem claudere, vel adoriri, cum etiam minutiſſimæ aues ſolemni deuotione, & dulci carmine ortus dierum & noctium proſequantur? Hic verò lib. 1. de Orando Deo in fine, „ Dic, ait, mihi quã fronte ſolem intue-

4. *D. Ambroſius & Chryſoſtomus Cler. Roma.*

„ intueberis, niſi priùs adoraueris qui
„ lumen illud dulciſſimum oculis tuis
„ mittit? Et paulò pòſt. Qua ſpe te ip-
„ ſum nocturno tempori trades? qua-
„ libus cum inſomnijs putas tibi rem
„ fore, niſi te ipſum præmunieris
„ orando, ſed incuſtoditus ad ſomnum
„ acceſſeris?

S. Clemens Rom. lib. 8. Conſtitut. Apoſt. cap. 40. vult Deo veſperi gratias agendas, quòd dederit nobis noctem diurnorum laborum requietem.

5. *Rationes eandem orationem adhibendã inſinuant.* In tertiam claſſem multa argumenta Veſpertinam laudem ſuadentia cõglobatim ſine delectu conijcio. Manifeſtum eſt præcepiſſe Deum Leuit. 3. Nũ. 9. in Hoſtia Pacifica agni vel ouis ſibi offerri præter alia, etiam caudam totam, quo myſticè ſignificari putat S Gregorius homil. 25. in Euangel. & lib. 1. Moral cap. vltimo & alij, boni operis perſeuerantiam, quod etiam aiunt notari veſte talari Ioſephi Patriarchæ, Geneſ. 37. & calcaneo bonæ operationis, cui ſerpens inſidiatur, Geneſ. 3. cuius etiam iniquitas nos circumdat, Pſal. 48. priori loco ſic ſcribit Gregorius:
„ Præcepto legis cauda
„ hoſtiæ in ſacrificio iubetur offerri;
„ In cauda quippe finis eſt corporis, &
„ ille bene immolat, qui ſacrificium
„ boni operis vſque ad finem debitæ
„ perducit operationis. Hinc Ioſeph
„ inter reliquos fratres talarem tuni-
„ cam habuiſſe deſcribitur. Tunica
„ quippe vſque ad talum eſt opus bo-
„ num vſque ad conſummationem.
Hæc Gregorius.

6. Age ergo, quiſquis es, qui ſacrificium laudis & vitulos labiorum, quot diebus immolas Domino; Vide etiam atque etiam vt ſacrificium tuum perfectum ſit, ne victimam truncam offeras, pertexe telam, quam orſus es, ad extimam vſque laciniam. Noſti veteroſum & callidum ſerpentem calci penſi tui Cathemerini pedicas ſtruere; contere illi caput, inuigila ne iniquitas calcanei tui te circumdet. Memineris illius quod ſumptum eſt ex titulo Pſal. 74. In fine ne corrumpas; Ne extremum occupet ſcabies.

Accipe & aliud Apoc. 1. num. 8. *Ego ſum A & Ω principium & finis, dicit Dominus Deus.* Ipſe enim eſt à quo omnia, in quem omnia, rerum, inquam, omnium auctor & conſummator, qui omnia exorſus, omnia ad perfectum deducit. Qui ergo illi feliciter pſallere exoriente die cœpiſti, vide vt eodem deficiente nõ deficias. Rectè S. Gregorius Nazianzenus in Exordio ſui Apologetici *Quiſquis vel orationem aliquam vel negotium auſpicatur, non alium meliorem commodioremq; ordinem tenere poteſt, quàm vt à Deo incipiat, & in Deo conquieſcat.* Fixum animo hæreat id quod toties in Epigraphe pſalmorum legitur, *In fine;* quo indicatur diuina laus perpetuanda, quod idem indicat clauſula Eccleſiaſtica pſalmis ſubiungi ſolita in horis canonicis, *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Vtinam ex animo & verè cùm hymnodiam diariam complens, canas Deo, *A te principium, tibi deſinet &c.* Denique multa diuinæ laudis argumenta præbebunt tibi cuiuſque diei hymni, qui in verſperis canuntur, cùm in ijs deſcribatur Coſmopœa, opuſque Hexemeron. Datur tibi ex hoc aſſurgere in elegantiſſimæ architecturæ præconium, & opificem in mundi opere dilaudare. En, quanta tibi ad veſperam conſurgit cantandi, orandique materies!

8. *Rationes decem Cardin. à Turrecremata quibus oſtẽdit fructuoſum eſſe Completorio attentè intereſſe.*

Poſtremò, coronidis loco ſubſcribam, quæ habet Cardin. à Turrecremata tract. 107. in Reg. D. Benedicti, qui eſt in cap. 42. Vbi adfert decem rationes cur fructuoſum ſit Completorio intereſſe, quas hîc tibi, ornaudis tamen & diffuſiùs admetior.

9. Prima eſt, quia tunc temporis transgreſſio

greſſio ſit à labore vitæ actuoſæ ad quietem contemplatricis. Scriptum eſt enim Pſal. 103. *Exibit homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Hinc Pſalmus 4. iure hoc tempore canitur; Cuius finis eſt: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam: Quoniam tu Domine, &c.* Item Canticum Simeonis: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*, &c.

10. Secunda, Quia cùm ſit *tempus loquendi, & tempus tacendi*, Eccleſ. 3. hora Completorij terminum ponit ſermocinationi, & initium dat arctiori ſilentio, quod viris pijs in votis eſſe debet. Rectè enim dicit Auguſtinus in Pſal. 139 *Loquela ſit in neceſſitate, taciturnitas in iucunditate.* Quando bellum ciuitati imminet, & hoſtes adeſſe ſignificantur, die adhuc lucente portæ clauduntur. Bellum nobis aſſiduè geritur; & hoſtes qui non videntur lateribus noſtris inſident; oſtium ergo oris tempeſtiuè obſerandum. Dicitur enim Iob 40. *Memento belli, nec vltra addas loqui* Vnde & Pſal. 140. quem ſub veſperam à Dauide compoſitum veriſimile eſt, vt ſuprà diximus, Iure optimo Deo dicitur: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis*; Qui Pſalmus eadem de cauſâ ad Veſperas ab Eccleſia canitur. Denique notiſſimum eſt in Religioſis Ordinibus abſoluto Completorio examuſſim ſeruandam legem Silentij. Sic enim habes in Regula D. Benedicti cap. 42. *Omni tempore*, inquit, *ſilentio debent ſtudere monachi, maxime tamen nocturnis horis*. Et poſtea. *Omnes*, inquit, *in vnum poſiti compleant* (id eſt, Completorium canant) *& exeuntes à Completorio nulla ſit licentia denuò cuiquam loqui aliquid.* Hoc etiam ſignificat, exordium officij nocturni. *Domine labia mea aperies*; quo petimus labia ſilentio aliquandiu preſſa in diuinas laudes reſolui.

11. Tertia, Solent greges manſueti pecoris, & animantia cicurata ſub noctem ad caulas cogi, & redire: ſic & diſtractus multis occupationibus & curis animus, ad interiorem domum, hoc eſt, intra ſe ipſum, & ſui ipſius altam conſiderationem cogendus; vbi ſecum habitet, & diſſipatum cogitationum gregem colligat, legatque in mentis ſuæ ſecreto cubili libros de conſideratione. Huc ſpectat quod initio officij Completorij præfamur: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter*, ab exterioribus ſcilicet ad interiora, & in Veſperis canitur ex Pſalmo 130. *Surge Domine in requiem tuam, &c.* Et rurſus: *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi.*

12. Quarta. Quia thalamus tunc præparandus, in quo ſpiritus cum Deo ſuauiter conquieſcat, qui eſt Pax & Tranquillitas animi; ſiquidem ſcriptum eſt, Pſalm. 75. *In pace factus eſt locus eius*; vnde etiam in Veſpertinis precibus dicitur ex Pſal. 131. *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, &c.*

13. Quinta, Quia iuxta morem multorum Religioſorum officio Completorij annecti ſolent ſecretæ precationes, v.g. Litaniæ, & Sanctorum ſuffragia, quæ in choro recitari ſolent, & ex Regula D. Benedicti cap. 42. Eidem præmittebatur lectio aliqua ex collationibus vel vitis Patrum. Horum fructu priuantur, qui publico Completorij officio ſe ſubtrahunt, & vix ante ſomnum quietam nanciſcuntur conſcientiam. Vnde carent inter orandum illâ fiduciâ, quam habuiſſent ſi Completorio interfuiſſent.

14. Sexta, Quia veſpertino ingruente crepuſculo obarmandus eſt therapeutes noſter Panopliâ ſpirituali, & cæleſtibus armis contra ſpiritualia nequitiæ, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum: quæ armatura deſcribitur ab Apoſtolo ad Epheſ. 6. Vnde & tunc temporis præmunimur verbis Apoſtolicis, *Sobrij eſtote, & vigilate, quia*

Digitized by Google

aduerſarius veſter diabolus, &c. Item Dei promiſſione, Pſal. 90. *Scuto circumdabit te veritas, eius non timebis à timore nocturno*, &c. Oratione præterea Eccleſiæ, *Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam*, &c.

15. Septima, Habet orationum canonicarum Complementum, quaſdam peculiares cerimonias & ritus, quales aliæ Horæ non habent. Conſueuit enim tunc temporis circumferri aqua luſtralis ſiue benedicta, cuius aſperſio arcet dæmones, confert aliquem effectum gratiæ, ſaltem mediatè. Accedit Prælati bona precatio ſeu Benedictio, de qua intelligi poteſt illud Eccleſiaſtici 3. num. 11. *Benedictio patris firmat domos filiorum*.

16. Octaua, Solent ij, qui ſe ſubtrahunt à publico Completorij officio malè collocare tempus illud, & horam illam perdere faciliùs quàm alij, qui ex cauſa aliqua legitima ab alijs per diem abſunt, quo tempore vel confeſſionibus audiendis vel ſtudijs dant operam, vel pio alteri operi incumbunt. Putent ſibi deſides illi dictum illud Sapientis Eccleſiaſtici 4 *Fili conſerua tempus, & deuita à malo*.

17. Nona, Accidit non rarò eos qui publicas Completorij preces negligunt blicas Completorij preces negligunt, alios ſuis concurſationibus & rumuſculis infeſtare, turbare & offendere: ſiquidem ſimiles ſunt irrequietis animalculis, muſcis, vel culicibus, quæ præterquam quod moleſta ſint ſuo murmure, perdunt etiam ſuauitatem vnguenti. Eccleſ. 10.

18. Vltima ratio eſt, Mos eſt ſub noctem Completorio abſoluto ſolemnem precem deferre Virgini Matri, humanæ ſalutis Soſpitatrici, & publicæ mundi Spei, quæ precatio maximi momenti eſt. Ipſa etenim cœli Regina facilis eſt, benigna, & prona aure vota ſuorum clientum excipit. Solebat ad hoc propoſitum Iordanus Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter referre, audiuiſſe à viro quodam religioſo, quòd quando Prædicatores poſt Completorium decantarent Antiphonam illam ſuauiſſimam (*Salue Regina Mater* &c.) modularentur, Et verba illa; *Eia ergo aduocata noſtra* &c. perſonarent, viderit Deiparam humana ſpecie auguſtiorem flexis genibus benedicto filio ſuo illum ordinem ſuppliciter commendantem.

19. Eodem ſpectans narrat & aliud D. Antoninus 3. p. Sum. hiſt. tit. 2. cap. 3. in fine, & Anton. Senenſis in Chronico Prædicat. decade 5. in fine. Pia quædam honeſtaque matrona, ſoror Clementis quarti Pontificis dum aliquando ijdem religioſi eamdem Antiphonam decantarent, & ad illud pertigiſſent; *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui, &c.* conſpexit ſublimem virginem matrem in fronte ipſius proceſſionis filium paruulum, quem ſinu geſtabat, fratribus blandè offerentem: Cùm item in clauſula eiuſdem, ad vocem, *Maria*, humili geſtu ceruicem flecterent, vidit etiam eamdem Dei matrem nutu capitis eoſdem reſalutantem. *B. Virgo ſe oſtendit ad Antiphonā, Salue Regina, in fine Complet.*

20. Addit Humbertus opuſc. de Erudit. Religioſ. lib. 6 p. 4. cap 8. & aliam rationem: quia debet, inquit, vir religioſus in fine diei cogitare de fine vitæ, qui incertus eſt, & ideo conſiderare, an ad illum ſit paratus. Lucæ 12. *Eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, &c.* Videat ne in ſe quadret illud, Ieremiæ 17. *In nouiſſimo ſuo erit inſipiens.* *Completorium admonet nos finis vitæ.*

CAPVT VI.

Qua præparatione mentis ad ſtatas Eccleſiæ preces pſallendum accedere oporteat.

1. *Ante orationem Canon. animus præparandus.*

MAGNVS hic apparatus extruendus eſſet, niſi Auctores, qui ſpiri-

tuales

tuales tractatus ediderunt, pleniùs hæc perſecuti eſſent. Succinctè ergo præparamenta communia perſtringemus; propria verò paulò diductiùs explicabimus. Plura habet Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. operum, qui eſt de ſtudio orationis lib. 1. de orat. vocali p. 2. cap. 8.

2. *Docet hoc Scriptura.* Siracides *Eccli.* 18. ſapienter præmonet: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum*; auſu temerario præſumens, te abſque vlla præparatione poſſe vel debere orare, vel exaudiri à Deo. Idem ante eum inſtillauerat ſæpius Salomon, vt Eccleſiaſtæ cap. 5. *Ne temere quid loquaris, neq; cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram.* Quòd ſi vbique locorum & temporum noſtræ infirmitatis & vilitatis memoria excitanda eſt, & diuinæ majeſtatis, & omnipotentiæ cogitatio inſerenda, in cuius conſpectu omnia aguntur; quantò magis cùm ad illam accedimus, benignam eius in nos mentem & faciles aditus poſtulaturi. Idem Rex paulò antè, ſub extremum Capitis quarti præmiſerat: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Nulla pedibus corporis cura adhibenda, ne impingant, ſed affectiones animi ab omni impuritate, temeritate, & irreuerentia exoluendæ.

3. *Duplices ſunt præparationes ante orationem, remota & proxima.* Auctores rerum ſpiritualium gnari præuias orationi diſpoſitiones dupliciS generis aſſignant, vnas vocant remotas, alteras proximas. Inter illas,

4. *Animus purgandus per contritionem.* 1. (Quod etiam aduertit Nauar. Enchiridio de Horis cap. 14 n. 2.) præpurgandus ab omni læthiferâ culpâ animus, ſaltem per contritionem. Quãuis enim peccatõr impleat Eccleſiæ præceptum Horas recitando, vt alibi dictum; non eſt tamen oratio eius coram Deo meritoria, vti notum eſt. Prouerb. 28. *Qui obturat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*; & alibi ſæpe. Vide D. Baſilium in illud Iſaiæ 1. v. 15. *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis*; vbi peccatorem in malitia ſua obſtinatum, qui ad Deum manus extendit, ſimilem dicit ei, qui cùm filium vnicè dilectum neci tradidiſſet, cruentas adhuc filij ſanguine manus ad patrem vehementer ſibi offenſum exporrigit, magis vtique illum exaſperaturus. Sic Baſilius. Et certè cum Clericus precibus Horarijs intendens Eccleſiæ ſanctiſſimæ Legatum agat, decentiſſimum etiam eſt, vt ſe illi ſanctitate, & integritate conformem reddat.

2. Valde conſulendum eſt ijs qui Horis Canonicis aſtricti recitandis ſunt, vt prauas animi cupidines, motuſque rationi aduerſantes, & vitia comprimant, vt emaculato mentis oculo in puriſſimum diuinitatis ſpeculum poſſint intendere. Vide de his S. Bernardum Sermone 5. de Aſſumptione D. Virginis ſub medium. 5. *Motus animi inordinati comprimendi.*

3. Propinquius præparatur Officium Diuinum lecturus, ſi animum expeditum extraneis curis & cogitationibus ad orationem conferat. Rectè ſiquidem Abbas Iſaac apud Caſſianum Collatione 9. cap. 3. Poſt ſex quæ ante orationem radicitus euellenda inſinuauerat, hæc ſubijcit, Quod ante orationis horam anima noſtra „ conceperit, orantibus nobis per in- „ geſtionem recordationis occurrere „ ſolet. Quamobrem quales orantes „ volumus inueniri, tales nos ante ora- „ tionis tempus præſtare debemus. Et „ idcirco quidquid orantibus nobis „ nolumus vt irrepat, ante orationem „ de abditis noſtri pectoris extrudere „ feſtinemus. Hæc ille. S. Bernardus „ libro Meditationum cap. 6. in principio: Cùm, inquit, ad orandum ſiue „ pſallendum in Eccleſiam intraueris, „ fluctuantium cogitationum tumultum exteriùs relinque, curamque „ 6. *Cogitationes alienæ abijciendæ.*

Digitized by Google

„ omnium exteriorum penitus obli-
„ uiſcere, vt ſoli Deo loquatur, qui
„ cum toto mundo etiam tacens fa-
„ bulatur. Intende ergo illi, qui inten-
„ dit tibi. Audi illum loquentem tibi,
„ vt ipſe exaudiat te loquentem ſibi.
Hæc ille. Hoc autem conſequemur, ſi conſilio Regij Vatis inſiſtentes effundamus coram Deo corda noſtra. *Effundite*, inquit, Pſal. 61. *coram illo corda veſtra*: In quem locum Magnus Baſilius inprimis eleganter: Impoſſibile
„ eſt, ait, vt capaces diuinæ gratiæ, red-
„ damur, niſi perturbationes & vitia
„ noſtras animas poſſidentia priùs eij-
„ ciamus. Vidi ego medicos non prius
„ medicinas ſalutares dare, quàm vo-
„ mitu materiam illam morbi cau-
„ ſam euacuaſſent, quam ex malo
„ diætæ genere homines intemperan-
„ tes ſibi ipſis creauerant. Sed & vas,
„ quod humore quopiam odoris te-
„ tri & graueolentis præoccupatum
„ fuerit atque imbutum, ni id elueris
„ diligenter, odorari cuiuſpiam vn-
„ guenti influxum neutiquam pote-
„ rit recipere. Opus itaque ea, quæ
„ priùs inſunt, effundere, vt eorum
„ fiat capax, quæ immittere conſti-
„ tuiſti. Hæc Baſilius. Cogitationes itaque & affectus noſtri in Deum ſunt effundendi, quod ſignificat illa Scripturæ circumlocutio ſæpiuſculè, vt Thren. 2. *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*. Sic ſanctiſſima magni Samuelis mater orauit 1. Reg. 1. *Effudi*, ait, *animam meam in conſpectu Domini*. Sic ipſe Pſaltes Pſal. 141. *Effundo in conſpectu eius orationem meam*. Audiamus Auguſtinum in eundem Pſalmum 61. commentantem. *Effundite*
„ *coram illo corda veſtra*: Non perit, quod
„ effunditis. Nolite corda veſtra reti-
„ nere intra corda veſtra, ſed effundite,
7. „ tranſilientes ad eum leuantes ani-
Oratio mẽ- „ mas veſtras.
talis præpa-
4. Commendanda omnibus Cle-
ricis oratio mentalis, & meditatio re- *rat ad vo-*
rum cæleſtium tempore aliquo ſuc- *calem &*
ciſiuo ad communicationem cum Deo *Canon.*
ſepoſito, & ab alijs negotijs vacuo. Ex-
ercitium enim illud pſalmodiam ſapi-
dam, feruentemque reddet, excutiet
torporem, conciliabit reuerentiam &
attentionem. Tempus autem maximè
opportunum eſt matutinum, quo de-
ſideriorum inflammatorum ignis ac-
cendi debet. Cæleſtium rerũ contem-
platio eſt ſpirualis quædam ξυλοφορία,
quod olim teſte Ioſepho lib. 2. de Bel-
lo Iudaico cap. 17. feſtum erat, quo He-
bræi materiam ad templum conue-
hebant, quâ ſacer ignis foueretur, in-
extinctuſque perduraret.

5. Præparationis vicem etiam te-
net firmum animi decretum vel ex- 8.
preſſum, vel ſaltem tacitum per *Voluntas*
pſalmodiam laudandi & Deum *per Deum lau-*
quod ſuprà lib. 2. latiùs explicui: *dandi ex-*
ſaltem de conſilio adiungi poterit vo- *preſſa ani-*
luntas præcepto Eccleſiæ tali oratio- *mum ad*
ne ſatisfaciendi. *idem diſpo-*
nit officiũ.

6. Præparatio, quam Nauarrus in
Enchiridio de Horis cap. 7. num. 11. 9.
commendat longè optima eſt, conci- *Proponere*
pere videlicet mente, non modò An- *innatis ſibi*
gelos ſibi pſallenti aſtare, ſed Deum *Deum tem-*
ipſum ſibi præſentem proponere, qui *pore oratio-*
ſingula verba, imò ſyllabas notet, con- *nis præſen-*
templetur ſingulos non corporis mo- *tem.*
dò, ſed & animi motus, vt omnia quæ
tempore pſalmodiæ præclarè acta
ſunt remuneret, quæ verò irreuerenter
commiſſa caſtiget. Næ ille qui chalybe
meditationis latentem in venis Pſal-
morum, & ceterarum diuini officij par-
tium ignem rimaretur, & excuteret, in-
gentem cœleſtium deſideriorum flam-
mam in imis mentis ſuæ penetralibus
excitaret: præſertim cum faſtidio tol-
lendo tanta accedat in ipſa compoſi-
tione Horarum Canonicarum varie-
tas Antiphonarum, Lectionum &c. vt
etiam homines in ſpiritualibus rebus

non

non admodum prouectos mirum in modum in Deum transferat & inflammet.

10. *Oratio noſtra qualis coniungenda cum ardētiſſ. precibus Christi* IESV.

7. Suadendum vel maximè eſt optanti piè Horarium penſum perſoluere, vt orationem ſuam qualemcunque coniungat cum ardentiſſimis ſuſpirijs, votis, affectibus Chriſti IESV Seruatoris noſtri, quibus cum in hac mortali vita ageret, Hymnos, Pſalmos, & Supplicationes Deo Patri obtulit, quod illum ſæpius feciſſe ex literis ſacris conſtat.

11. *Precatiuncula ad hoc opportuna.*

Sic ergo religioſus Pſaltes ſecum oret: *Domine* IESV *has Horarias preces, quas aggredior, tibi offero quantumuis impares, deſiderans quàm intimè illas coniungi inflammatiſſimæ tuæ deuotioni, quâ in terris cum hominibus conuerſatus laudes Deo Patri dixiſti.*

12. Refert Ludouicus Bloſius Monilis ſpiritualis cap. 3. reuelatum B. Mechtildi gratiſſimum Deo eſſe, vt Canonicum officium exſoluturus vniat illud orationibus Chriſti. Sic enim, inquit Bloſius: Reputabitur quaſi vnum cum Chriſti exercitijs, ſicut modica aquâ vino permixta vinum reputatur. Sic ergo dicere poterit: *Domine, in vnione perfectiſſimæ attentionis, quâ Deo Patri laudes obtuliſti, has Horas tibi perſoluo.*

13. Magnopere etiam ad hoc conferet animo dilatato dicere ſecretò Orationem Dominicam, tum quia oratio illa ex ſpiritu fuſa, ad ſequentes nos præparabit, tum quia in Horis Canonicis illa petenda ſunt, quæ in eadem continentur.

14. *Oratio aliqua horis Canon. præmittenda.*

Poſtremò proderit orationem aliquam vocalem præmittere, v.g. Hymnum: *Veni creator Spiritus*, &c. vt pro more habebat S. Franciſcus Xauerius, vel aliam, quâ opem à Deo poſtulemus, ad ipſius gloriam officium dirigendi:

15. qualis eſt hæc: *Tua me Domine, gratia ſemper præueniat, & ſequatur, & huic orationi tuea præſtet eſſe intentum.* Vel iſta: *Aperi Domine os meum, vt benedicam nomini ſancto tuo; Purga cor meum à noxijs cogitationibus, intellectum illuſtra, affectum accende, vt attentè & deuotè hanc orationem compleam.* Vel certè collecta Eccleſiæ recitetur, *Actiones noſtras* &c.

Poterit etiam oratione breuicula alicuius Horæ officium offerri ad gloriam diuinæ majeſtatis, laudes noſtras iungendo laudibus, quas iugiter beati in cælo eidem concinunt, ſimulque ad aliquid particulare à Deo obtinendum, hoc pacto: *Suſcipe ſancte Pater hoc ſacrificium laudis, quod nomini tuo offerre intendo ad vtilitatem meam, totiuſq; Eccleſiæ tuæ ſanctæ.* Vel ſic: *Suſcipe ſancta Trinitas preces, quas tuæ majeſtati offerre propono ad laudem magni nominis tui, in memoriam paſſionis, & reſurrectionis Domini noſtri* IESV *Chriſti, ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, vt illis proſit ad gloriam, mihi autem ad ſalutem, &c.* 16.

Denique præcedere etiam non incongruè jaculatoria poterit oratio per modum optantis, vel vouentis ad tres 17.

Deitatis perſonas hac vel ſimili formulâ: *Da Pater ſancte orationem, quam tibi hac horâ fundo, tibi placere, mihiq; ad ſalutem prodeſſe. Fili redemptor mundi Deus, da mihi hac horâ ſupplicationes majeſtati tuæ deuotè offerre, vt in hac vita oraſti, & etiam nunc in cælis oras. Spiritus ſancte Deus, fac vt orem gemitibus inenarrabilibus, vt pro ſanctis poſtulas.*

Non erit etiam alienum agminibus cæleſtium ciuium ſe animo affectuque immiſcendo, hæc vel paria in cælum ſpicula emittere. *Dignus es Domine Deus noſter accipere laudem, gloriam, honorem, & benedictionem, in ſecula ſeculorum. Amen,* Apoc. 4. Quin imò interdum iuuabit, vt publicum Eccleſiæ miniſtrum in concilio iuſtorum, & congregatione, alios ad Deum laudandum inuitare: dicendo cum Propheta Pſal. 33. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum* &c. 18.

CAP.

CAPVT VII.

Exempla quorundam, qui inſigni Religione & Reuerentiâ Diuinum officiũ peregerunt.

1\. DELECTVS hîc mihi habendus eſt in recenſendis viris, & fæminis ſanctimoniâ claris veteris, & recentis memoriæ, qui ſumma animi præparatione, exactaque curâ, & deuotione preces Horarias celebrarunt. Dico habendum delectum perſonarum, non verò temporum: quia hiſtoriam non ſcribo, ſed exempla, prout ſe menti offerunt, Lectori inflammando congero.

2\. Scribit itaque Franciſcus Tolenſis canonicus Regularis, in Vita Thomæ Malleoli à Kempis viri pietate præſtantiſſimi numer. 11. ex editione P. Henrici Sommalij, prout eiuſdem operibus præmittitur. Difficile dictu eſt (inquit) Auctor, quàm diuinè præſentique animò omnia Eccleſiaſtica munia in oratorio obierit: dum pſalleret, vultu ſemper in cælum ſublato, ſacro enthuſiaſmo afflatus, dulcedine nimirum pſalmorum incredibili captus, & extra ſe raptus aduertebatur; Sic vt nonnunquam calcibus non terræ hæreret infixus, ſcilicet, ſummis duntaxat pedum digitis ſolum contingens, reliquo corpore in cælum ſubuolare, vbi animo & deſiderio agebat, meditaretur. In pſallendo erecto corpore conſiſtebat perpetuò, nunquam ſedili vel brachio, vel tergo innitens. Ingredientium oratorium nocte dieque primus, egredientium ſemper poſtremus. Diuinus cultus, & Eccleſiaſticum decus incredibiliter cordi, & ſtudio illi erat: adeò vt ſemel cuidam dicenti, videri ſibi felicem Thomam nec admiratiòne dignum magnopere, tanta vocis alacritate, animi promptitudine, & pietate quòd Pſalmos decantaret, vt cui pſalmi Dauidici, Salmones (genus eſt piſcium delicatiſſimorum) ſaperent (egregia eſt, in Flandrico idiomate paronomaſia, Pſalm: & Salm.) extemplò reſponderet: Ita eſt, vt ais, Deo gratiæ; Pſalmi mihi Salmones, qui tamen non rarò in nauſeam, & mortem, quoties ignauos, & rei præſenti non intentos, & voci parcentes conſpicio, conuertuntur. Hæc de Thoma Kempenſi.

Incredibilis Thomæ à Kempis in pſallendo pietas & ardor.

P. Petrus Faber, vnus è decem B.P. Ignatij, qui Societatis IESV parens & auctor fuit, ſocijs, vir religione in Deum ſingulari, ſub tempus, quo attentiùs pſalmodiæ inſiſteret, præclara ſibi adiumenta quæſiuit, de quibus hæc ſcribit Nicolaus Orlandinus prima parte Hiſtoriæ Societatis IESV lib. 3. Inter pſalmum & pſalmum, breuem quandam precationem raptim iaculabatur ad Deum; cuius generis erat illa ſolemnis & frequens: Pater cæleſtis, dà mihi ſpiritum bonum; quâ in prece, totis ſcilicet miſſa præcordijs, ſenſit ad reuocandam & colligendam mentem multum latere præſidij. Interdum decies auguſtiſſima IESV, & eius Matris nomina piè ad Horas ſingulas orandi Canonicas appellabat, vt ad memoriam decem illa ſibi redigeret, & in pſalmis ſpectanda proponeret: Primum vnam Dei gloriam, deinde Sanctorum Honorem, tum Incrementa iuſtorum, poſtea Liberationem eorum qui noxis eſſent implicati mortiferis, ad hæc Rei Catholicæ Progreſſionem, Mutuam etiam inter Chriſtianos Principes Pacem, atque Concordiam, denique Leuationem eorum, quos ea ipſa hora, vel dolor aliquis corporis, vel animi ſolicitudo perfoderet, vel aduentantis mortis horror inuaderet, vel Purgans apud inferos Ignis exureret. Hæc ille decem ad Horæ cuiuſque Canonicæ carmen

P. Petrus Faber plura ſibi adiumenta ſuggerebat, vt attentè, deuotéque pſalleret.

diè,

pie, ſanctéque recolebat: his mentem lubricam, ne qua efflueret, cohibebat. Nec verò illa ad comparandam attentionem minùs efficax ratio erat, quod in inchoandis iiſdem Canonicis Horis in acerbiſſimos Chriſti cruciatus, indignamque necem ſuæ mentis figebat aſpectum, &, vt pſallendo, canendoque progrediebatur, ita in reputandis acrioribus eius pœnis, atque doloribus procedebat. Intendebantur quippe Chriſti dolores hoc magis, quo ille propiùs ad vitæ vergebat occaſum: Et eadem proportione Faber ſenſerat ſibi eſſe in Horarum attentione creſcendum, intendendamque vim animi ad intentionem, & incrementa dolorum; vt cùm perueniſſet ad Nonam ſentire quodammodo, & ipſe poſſet dira illa tormenta, & ſupremos angores, quibus eâ Chriſtus horâ paternos in amplexus extremum ſpiritum edidit. Exiſtimabat etiam, præſertim nouis ac tyronibus, ſalutare, ſi, cùm ſe conferunt ad pſallendum, continuò ſibi quatuor illos veluti fines, quos vltra non prodeant, terminoſque præſcribant. Primum loci opportunitatem, vbi pſallendi fungantur officio: Magni enim intereſt, non illuc egredi, cùm mens orat, vnde ſenſus hauriant, quæ cogitationem auocent, alioque traducant. Deinde perſonas ac Sanctos, qui vel in orandi formulis, atque collectis, vel in Sacris nocturniſque lectionibus memorantur, Poſtea verba, quibus ſacrum carmen, & precatio tota contexitur. Denique res, quæ geruntur, actionumque varietatem, quam quotidianæ pſalmodiæ viciſſitudo ſuppeditat. Hos intra fines, atque cancellos, qui ſe tenuerit, is auctore Fabro mentis aberrationibus obuiam ierit. Conſueuerat aduentante pſalmodia cæteris ab negotijs pauliſper abduci, ad eamque prius cogitatione, quàm pronunciatione conuerti: ne, ſi repentè à negotio traduceretur ad pſalmum, veſtigia rei geſtæ reſiderent in animo perpetui ſemen erroris. Interdum etiam mentem ſuam blandè fallebat, ne qua liberè volitaret, cum eaque tanquam fœdus inibat, vt immota ſilenſque, hoc vel illo ſaltem in pſalmo, pſalmodiæve parte conſiſteret: quam cùm in ea conſtantem, vt pepigerat, habuiſſet; pacta ſua renouabat, & ad inſequentem Pſalmum ſe rurſus admonens, ita dicebat, fac & huc animo ſis præſenti, fac attento. Cui cùm item feciſſet ſatis, eadem admonitione deinceps progrediebatur ad reliquos; dum ad extremum in omni ſui muneris parte conſtantiam, quam quærebat, eſſet adeptus. Et quod olim ſuos Monachos Baſilius monuit, idcirco mentis gigni in oratione deſidiam, quia non ſatis præſens Dei numen agnoſcitur; id Faber etiã ſuo vſu didicit, & ſcriptis monuit, ad coercendam in orationibus mentem valere plurimum: Si quis Deum, Deique Angelum, præſentem agnoſcat, qui quemadmodum in precatione ſe gerat, animaduertant: Itemque ſtantem ex aduerſo malum Angelum, qui quo plures habeat ad accuſandum anſas, inuido, curioſoque oculo cuncta eius obſeruet, & rimetur errata. Præcipiebat inprimis abijciendam oranti ſolicitudinem lucis craſtinæ, rerumque gerendarum vel optimarum, quæ omnino perderet attentionem, nec fineret animum in inchoata prece conquieſcere. Quippe animum ipſum in multa & longinqua diuiſum, minùs poſſe ei, quod eſt præ manibus ſeriò, & conſtanter adeſſe. Quocirca faciendum ei, qui orare ſpiritu velit, vt omnem diei curſum ſic inſtituat, ac dirigat, omnes actiones ita diſpenſet, vt ad eas poſtea euentuum expectatione ſuſpenſus orantis animus non recurrat: perſuaſeratque ſibi hoc Deo res gerendas curæ magis fore, quò ma-

4. Quatuor ſeruanda volenti attentè pſallere.

Regul. breuior. 6. quæſt. 21. §.

Alia adiumenta.

gis ab ijs ad Deum curam inter orandum ipſe traduceret. Precandi, pſallendique functus officio ſtudebat inde ſpiritu non excedere. Ac ne ſe continuò foras proijceret, totumque profunderet, ad ea quæ orauerat, atque cecinerat, animum reuocabat. Id quod ei, & in quotidiano Miſſæ Sacrificio, & in quouis alio pietatis genere ſolenne ſemper, & viſitatum fuit; vt ijs peractis ad ea animum attenta cogitatione reflecteret, ſingulaſque velut operis partes recognoſceret ipſe ſecum, & tanquam prudens ac peritus opifex retractaret. Tanti autem faciebat accuratam in Canonicis præſertim precibus attentionem, vt diceret, ſæpius eſſe in memoriam reuocandum orandi tempus, concipiendumque tanto ante, cum flagrans ſtudium pſallendi ſapienter, tum metum, ſolicitudinemque, ne quid in pſallendo, canendóque peccetur. Perſoluto verò pſalmodiæ munere, niſi ex ſententia, votóque ſucceſſerit, ſuſcipiendum eſſe dolorem, qui perpetuus ſit, & ad nouum vſque pſalmodiæ tempus conſcientiæ pectus vrat. Sed hunc non tam volebat ex importunis cogitationibus ſuſcipi, quibus mens aliò rapitur, quàm ex amore & caritate Dei, quòd abfuerit ſenſus orandi inter ſuauiſſima Dei verba, & argumenta pſalmorum. Multos enim ſæpenumerò angi in precationis penſo reddendo, non tam, quòd eius fructu priuantur, quàm quòd id temporis, quo adſtant ante Deum, alienæ cogitationes obturbant, minimè reueritæ tanti Numinis Majeſtatem: tametſi meritò timorem hunc, aiebat; fugamque cogitationum ad amorem munire viam; quippe eo comparato, & in animum ſemel infuſo, tum demum in ipſis rebus ſubſequatur attentio, ex amore ſcilicet diuinæ vocis, atque verborum & ex earum iucunditate rerum atque factorum, quæ ſacro carmine continentur. Hæc de Fabro Orlandinus.

Laurentius Surius in Chronico ad annum Chriſti 1558. ſcribit Carolum V. Imperatorem inuictiſſimum quotidie mane ſuas Horas Canonicas legiſſe, quas ita extendebat, vt bis tantum ferè quantum presbyteri ſemper mane legeret. A cæna ſemper redibat ad longiſſimas preces ſuas, quæ duarum plerumque erant horarum, ſicut matutinæ. 6. *Caroli Imperatoris V. in officio diuino recitando aſſiduitas.*

S. Bonauentura ſcriptor geſtorum S. Franciſci c. 10. de religioſa eius pſalmodia hæc habet. Solitus erat vir ſanctus Horas Canonicas non minùs timoratè perſoluere, quàm deuotè. Nam licet oculorum, ſtomachi, ſplenis, & hepatis ægritudine laboraret; nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum pſalleret, ſed Horas ſemper erectus, & ſine caputio, non gyrouagis oculis, nec cum aliqua ſyncopá perſoluebat. Si quando eſſet in itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum, huiuſmodi conſuetudinem reuerentem & ſacram propter pluuiarum inundantiam non omittens: Dicebat enim; ſi quietè ſumit corpus cibum ſuum futurum cum ipſo vermiũ eſca, cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ. Grauiter ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus varijs phantaſmatibus interiùs vagaretur. Cùm aliquid tale accideret non parcebat confeſſioni, quin illud protinus expiaret. Hoc ſtudium ſic in vſum conuerterat, vt rariſſimè muſcas huiuſmodi pateretur. Pſalmos cum tanta mentis attentione recitabat, quaſi Deum præſentem haberet, & cùm nomen Domini in eis occurreret, præ ſuauitatis dulcedine labia ſua lingere videbatur. Nomen Iesv cùm exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac ſi melli- 7. *Reuerentia in pſallendo D. Franciſci Seraphici.*

mellifluus ſapor guſtum, vel harmonia mutaſſet auditum.

8. *Deuotio in iiſdem perſoluendis D. Dominici.*

Coniungamus B. Dominicum Prædicatorum ordinis Patriarcham S. Franciſco coæuum. S. Dominici, ait Theodoricus de Apoldia, lib. 4. cap. 11. Vitæ eius, in precibus Horarijs & pſalmodijs, quas inprimis reuerenter abſoluere ſolebat, facies crebrò viſa eſt lachrymis irrigari. Quando extra monaſterium erat, audito primo ſigno nocturnarum precum ſurgebat, & Fratres excitans cum multa deuotione totum diuinum officium abſoluebat horis & temporibus ſuis tum nocturnis, tum diurnis, nihil penitus omittens: & perſoluto Completorio etiam in itinere cum ſocijs ſilentium non minùs ſeruabat, quàm ſi fuiſſet in monaſterio. Rurſus lib. 6 cap. 4. poſt perſolutas eâ, quâ par eſt, obſeruantiâ & religione, preces Canonicas diurnas, Fratres, ceu rem valde optatam, Completorium expectabant, atque ad illud haud ſecus atque ad ſolenne quoddam feſtum ſeſe præparantes, mutuis ſe precibus commendabant: Dato autem campanæ ſigno, ex omnibus monaſterij locis ad Eccleſiam properabant, &c.

Item lib. 4. cap. 3.

Coniungam etiam viris fæminas: in quibus excellit inter alias eximia religio felicis memoriæ Coletæ, quæ ordinem Sanctæ Claræ reformauit. Hoc ergo de illa ſcribit Stephanus Iuliacus in Vita eius apud Surium cap. 23. Martij 6. Peſtilitas in quodam graſſabatur Monaſterio, in quo S. Coleta degebat, multaſque è medio auferebat ſanctimoniales; quaſdam verò longa ægritudine conficiebat: cumque ipſa eadem ex lue laboraret, non tamen à diuinis ſe voluit laudibus ſubducere, nec propter religioſarum paucitatem aliquid de illis diminui: ſed cum duabus vel tribus ſororibus preces omnes Canonicas ipſa perſoluebat integrè, ſolemniter, & deuotè. Vbi tamen veriſimilis non deerat coniectura, Angelicos ſpiritus ei veniſſe ſubſidio, vt audientium deuotio, & admiratio augeretur. Nunquam illa, quod ſanè admirabile eſt, in diuinis perſoluendis officijs vllum vel tædium, vel laborem ſenſit: imò quantò ea prolixiora eſſent, tantò gratiora quoque erant. Quòd ſi interdum aliquâ animi triſtitiâ afficeretur, mox inchoato officio hilareſcebat, & mente tranquillabatur, pſallens ſuauiter in feruore ſpiritus, perinde atque faciem cæleſtis Regis clarè intueretur. Viſa eſt tum plerumque facies eius luce mira ſplendeſcere, ita vt non rarò monialium oculi ſic perſtringerentur, vt in eam intendere non poſſent. Cùm autem immodicis corporis doloribus adeo torqueretur, vt diuinis haudquaquam valeret adeſſe miniſterijs, ſuſpirans ſuauiter exclamabat. O beatas illas, quæ poſſunt iugiter diuinis intereſſe laudibus! ampliuſque dolebat, quòd ab illis cogeretur abeſſe, quàm quòd grauiſſima vreretur ægritudine. Progreditur auctor c. 24. Cùm aliquando cœnobium quoddam inuiſeret, offendit ibidem ſanctimonialem, quæ propter grauem morbum annis octo à diuinis officijs abſuerat magno animi ſui dolore: Et ad ſe accitæ comiter ait: Quid eſt, dulciſſima filia, quòd tam longo tempore abes à Dei laudibus? Reſpondit illa: Nihil, mea mater, illic vel dicere, vel facere poſſum morbo impedita. Tum Coleta. Abi, inquit, hac nocte in Chriſti nomine ad preces nocturnas, & ibi pro viribus pſallito; Paret illa, & mirum dictu! percipit ſibi vocem reſtitutam, meliorem quàm vnquam ante habuerat, clariuſque modulabatur ſacra carmina, quàm aliæ incolumes. Rurſus cap. 21. Penitus inſederat animo eius ea cura, vt ea, quæ ad Dei

9. *Indefeſſum ſtudium S. Coletæ in horis ſoluendis &c.*

10. *Splendeſcit S. Coletæ facies inſtar Moſis, inter pſallendum.*

11. *Miraculum aliud, quo vox reſtituitur diminutæ ad pſallendum.*

cultum & Canonica officia pertinent puritate & reuerentiâ ſummâ peragerentur. Nec ſinebat vllam Aſcetriam illis deeſſe: imò etiam priuſquam illa inchoarentur, præſentes omnes eſſe volebat, vt animis præparatis Deo gratius præſtarent obſequium. Quòd ſi aliqua in aliam animo eſſet commotiore, veniâ petitâ prius ei reconciliari volebat. Ipſa verò, etſi aſſiduis premeretur corporis afflictionibus, quæ illam facilè eximerent, nihilominus nocte & die ſemper, & prima aderat, & poſtrema recedebat, donec cruciatus penè intolerabiles illam lectulo affigerent, qui ſi paulùlum remitterent, rurſus quaſi liberrima ad conſuetum reddendum penſum properabat. Viſus eſt

12. *Rurſus aliud.*

crebrò à ſororibus Agnellus quidam pulchellus ſubſellio inſidere eius in choro quaſi illam ad nocturnas preces venturam opperiens. Studebat verò ipſa animi & corporis viribus Deo gratum deferre ſeruitium; ita vocem efferens, vt præ alijs ſuauiter cantillare audiretur. Hæc ibi.

13. *Ardor S. Lutgardis in Pſalmodia declaratus miraculis.*

Sancta Lutgardis, vt narrat Thomas Cantipratanus in Hiſtoria Vitæ eius apud Surium Iunij 16. lib. 2. cap. 13. cum nec pſalmos, nec aliquid Scripturarum intelligeret; quando tamen verſum *Deus in adiutorium* &c. & alios quoſdam à Pſalmis ruminaret, videbat dæmones territos diffugere, & à malis ſuggerendis abſtentos ceſſare. Cùm verò auctor de nimia eius & ſcrupuloſa diligentia in Horis repetendis quædam narraſſet, poſtea hæc ſubijcit cap. 15. de eius ſpirituali alacritate in Horarijs precibus decantandis. Cùm die quodam Veſpertinum officium cum alijs Virginibus in choro decantaret, ſanctimonialis quædam è regione aſtans, clarè vidit flammam ex eius ore erumpentem ſurſum ferri, & aërem penetrare, quo ſpectaculo ita obſtupuit, vt penè exanimaretur. Finitis verò Veſperis, Lutgardis verbis blandis eam demulcens trepidanti declarauit, hoc viſum diuinitus ei contigiſſe.

Redeo ad viros: ſcribit Petrus Ribadeneira de Societatis IESV Inſtitutore Ignatio lib. 5. Vitæ eius cap. 1. 14.

S. Ignatij Loiolæ in Horis legendis conſolatio & lacrymæ.

illum ſacris initiatum, cùm recitandis Horarijs precibus diuinoque officio perſoluendo occuparetur, tantâ diuinæ conſolationis copiâ perfuſum, tantâ lachrymarum affluentiâ, vt in ſingulis penè verbis hærere, ac preces interrumpere, & in Pſalmis legendis multum diei tempus ponere cogeretur. Ergo præ lacrymis ex cæcatus ferme eſt, qua de cauſa ſocij, vt omittere diuinum officium Ignatio liceret à Summo Pontifice impetrarunt.

Adiungam illi glorioſi laboris comitem S. Franciſcum Xauerium, il- 15.

S. Franciſci Xauerij pietatis ſenſus in diuino officio recitando.

lum, qui Euangelij lumen Iaponiæ primus intulit, de cuius pietatis ſenſu & ſedulitate in pſalmis hymniſque recitandis pluſcula habet Horatius Turſellinus facta eius egregio ſtylo proſecutus, lib. 6. cap. 5. Antiquiſſimum is habebat diuinum officium Horaſque Canonicas diligenter ſimul ac piè recitare. Initio igitur Eccleſiaſticum audiens monentem; *Ante orationem præpara animam tuam*, Interiore curâ comparabat ſeſe. Cap. 18.

Namque ad mentis attentionem & pietatem vehementiùs accendendam, Hymno *Veni creator* ante ſingulas Horas pronunciato, haud ſegniter ſancti Spiritus expoſcebat opem, quem quidem ille Hymnum tanto ſemper pronunciabat ardore, vt ei cor è pectore exilire, animuſque deficere videretur: Et ſatis conſtat perſæpe eum hominum interuentu alloquioque, vt fit, interpellatum eundem illum à principio iteraſſe Hymnum tam intento animo, quàm ſi nemo interueniſſet. Inſignem verò eius in hoc genere religionem fecit illorum licentia tem-

Digitized by Google

tia temporum. Nuper nouum ternarum lectionum Breuiarium (ſanctæ Crucis dicebatur) occupatorum hominum leuamen editum erat, eiuſque vſus Franciſco propter occupationes ab initio conceſſus: Ille tamen, quamuis ingentibus curis, negotijſque diſtentus, nunquam permiſsâ vti voluit licentiâ, vetuſque Breuiarium nouenarum lectionum haud paulò longiùs perpetuò recitauit, vt qui iucundiſſimè cum Deo ageret, cum eodem quàm diutiſſimè colloqueretur.

16. *Pertinax ſedulitas in pſallendo S. Germani Pariſienſis Epiſcopi.*

Fortunatus Pictauorum Epiſcopus relegens facta S. Germani Pariſienſis Antiſtitis, mira refert de eiuſdem in officio pſallendo ſedulitate, cap. 78. ſcribit de eo. Curſum (Horas Canonicas) nudo capite perorabat, etiam ſi nix aut imber per viam vrgeret. Perſtabat in pſallendo hyeme aſperrimâ, cum omnia gelu indurata rigeſcerent. Nam ſe mutantibus clericis (videntur ex hoc loco circa annum Domini 530. quo viuebat S. Germanus, clerici ſibi mutuo per diuerſas noctis vigilias viciſſim in cantandis nocturnis ſucceſſiſſe) ſine viciſſitudine ipſe officium ad finem vſque perurgebat. Tertiâ noctis horâ ingrediebatur Eccleſiam, nec ab illa egrediebatur, ſemper in pſallendo perſiſtens, donec die luceſcente ſolenniter Curſus ex ritu Canonum abſolueretur.

17. *Nauarri in iiſdem horis perſoluendis pietas.*

Nauarrus non ſolùm eruditione Canonum, ſed etiam rarâ in Deum pietate præſtans, vt ipſe de ſe teſtatur cap. 25. Enchiridij Confeſſariorum n. 100. Non eſt auſus ſe excuſare ob ægritudinem à pronuntiandis Horis, niſi vno vel altero die, ſpatio ſeptuaginta circiter annorum, quibus recitauit, licet quinquies à Medicis de eius vita fuerit conclamatum. Quantâ autem vigilantiâ, attentione & religione eas dixerit, facilè perſpiciet is, qui Enchiridion ipſius, de oratione & Horis Canonicis accuratè peruolutarit. Teſtatur autem in eodem cap. 11. num. 35. ſe nunquam ob occupationes omiſiſſe, cùm tamen bis in die, aliquando etiam quater ei eſſet prælegendum.

Scribenti hæc occurrit quod retulit Gregorius Turonicus lib. de Vitis Patrum c. 6. & habetur apud Surium Iulij 1. de S. Gallo Aruernorum Epiſcopo, qui etiam moribundus Horas Eccleſiaſticas pronuntiauit. Hæc itaque ſcribit Turonicus: Moribundus S. Gallus interrogauit, quid in Eccleſia pſallerent, dixerunt autem aſtantes, benedictionem pſalli. At ille Pſal. 50. Et benedictione decantatâ, & Alleluiatico cum capitello expreſſo, conſummauit officium totum temporis matutini; quo iam extremo perfunctus officio extenſis manibus, ſpiritum præmiſit ad Dominum. Hæc ille. 18. *S. Gallus etiam moribundus pſallere non deſtitit.*

Idem refert pius ſcriptor Thomas à Kempis in vita Henrici Brune, ipſum videlicet Horas Canonicas vſque ad vltimum ſpiritum legiſſe. 19. *Eadem diligentia etiam in aliis quibus aliqs apparuit.*

Eadem quoque diligentia apparuit in P. Ioanne De la Plata Societatis noſtræ, viro immortalitate digniſſimo, de quo hæc referuntur in Annalibus Collegij Mexicani anno Domini 1602. Perſoluens Horarium penſum internum animi ardorem lachrymis teſtabatur. Annis ſexdecim ante mortem grauiter laborabat articulari morbo (mortuus eſt autem anno ætatis 75.) Non tamen propterea Horas Canonicas intermiſit, ſed Horariæ precationis penſum, etiamſi ad vertenda folia alienis manibus indigeret, ita perſeueranter abſoluit, vt ex minoribus Horis quædam memoriter recitare auditus fuerit, die qua ſacro vnctus eſt oleo.

S. Ludouicus, vt refertur in eius Vitæ Hiſtoria, quotidie ſub matutinum tempus pſalterium recitabat. Cùm autem in templo diuina peragerentur officia, nullius admittebat colloquium, 20. *S. Ludouicus pſalterium quotidie legebat.*

niſi aut neceſſitas cogeret, aut euidens vtilitas poſceret, ſed ne tunc quidem niſi breuiter & ſuccinctè.

21. *Attentio S. Adelhardi in diuinis laudibus.*

S. Adelhardus vel Allardus Flander, natus ad primum lapidem ab Aldenarda, Pipini Magni nepos, & cognatus Caroli Magni, vir admirandæ ſanctitatis, Abbas Corbeienſis in Gallia, (vt ſcribit Paſchaſius Ratberdus in Vita eius cap. 19. apud Surium Ianuarij 2.) cùm ad officium diuinū dicendum intraret, vt ipſe de ſe lepidè narrare ſolebat, mox omnes cogitationes, & cauſas rerum temporalium ante oſtium reponebat & ſecum totus ingrediebatur, vt totus Deo ac ſibi adeſſet. Quem ſi conſpexiſſes, ſubitò videres eum introire ſuæ ſecretiora mentis, & neſcio quid verenti mente reſpicere: atque inter ipſas laudes, neſcio quid muſicum percipiens, aliquando abundantiſſimè flebat. Dictum illud S. Adelhardi de relinquendis ante oſtiū templi alienis ab oratione cogitationibus ſolet tribui D. Bernardo. Ita Nauarrus Enchiridio de Horis cap. 17. n. 4. vbi ea de cauſa ad fores templi poni ait, vas aquæ benedictæ ex ritu Eccleſiæ; quod tamen in vita eius legiſſe non memini, licet illud ſuadeat, lib. Meditat. cap. 6. hiſce verbis initio capitis. Cùm ad orandum, ſiue pſallendum Eccleſiam intraueris, fluctuantium cogitationum tumultus, exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliuiſcere, vt ſoli Deo poſſis vacare, &c. Clarius idem cōſulit libello qui inſcribitur Doctrina D. Bernardi, & inuenitur Tomo 2. operum eius, hiſce verbis: Veniens ad Eccleſiam pone manum ſuper oſtium, & dic: Expectate hic cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis & appetitus carnis: Tu autem anima mea, intra in gaudium Domini Dei tui, vt videas voluntatem Domini & viſites templum eius.

22. *Ante templi fores relinquendæ alienæ cogitationes cùm pſallendum eſt, vt dicebat S. Adelhard. & ſuadebat S. Bernardus.*

23. *S. Ludgerus nihil aliud agendum monebat, dum penſum Canon. redderetur.*

Quantâ reuerentiâ & attentione ſtatas & ſolennes Eccleſiæ orationes dixerit, dicique voluerit S. Ludgerus, tum ex alijs ſuo loco à me commemorandis, tum ex eo quod ſubijciam colligitur. S. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis (vt habet auctor Vitæ eius, quam ex Bibliotheca Fuldenſi eruderauit Chriſtophorus Brovverus Societatis Iesv Sacerdos lib. 1. cap. 33. editionis poſtremæ Surij Martij 26.) Ludgerus, inquam, quadam tempeſtate dum domo abeſſet, noctu ſtans iuxta lectum, qui illi iuxta vicinum focum conſtructus erat, Matutinas laudes cum Clericis pſallebat. Contigit autem prunas cineri ſuppoſitas retegi, & fumum vultui S. Ludgeri oculiſque inhalari, non ſine moleſtia. Ipſe verò quaſi nihil perciperet, fixus mente & corpore permanebat. At Clericorum aliquis incommodum hoc amoliri volens curuatis genibus carbones colligit, & ſopitos ignes exſuſcitat. Ludgerus mane aduocans Clericum, ſeriò illum interrogat, quid tandem illum permouerit, vt ſacrâ intermiſſâ pſalmodiâ animum corpuſque applicauerit ad focum conſtruendum? Deinde aliquot dierum pœnitentiam illi iniungens, docuit Clericos, dum diuinis vacant officijs, eſſe alienas omnes occurrentes mentis agitationes penitus reijciendas, & quantum cordis humani inconſtantia patitur, aliud nihil præter Deum & diuina cogitandum.

24. *Indefeſſum ſtudium quorundam in pſallendo.*

Thomas à Kempis ſermone 6. ad Nouitios, qui eſt de Vigilijs nocturnis contra grauitatem ſoporis, ſcribit de Canonico quodā Regulari, quod nullo vnquam tædio afficeretur in pſalmodia, quantumuis in longum protenderetur, imò paratum fuiſſe à capite rurſum inchoare, ſi ſocium inueniſſet, qui cum eo alternis canere voluiſſet. Adiungit de altero eiuſdem ordinis, qui Dei amore flagrans contra ſomnolen-

Digitized by Google

nolentiam, tanquam contra capitalem hoſtem decertabat, inferens ſibi vim vt palmam obtineret. Namque ſopo- re grauatus in choro, capillos capitis vellebat, barbam rigidiùs tractabat, naſum ſtylo pungebat, oculos ſaliuâ defricabat, ſubijciebat mento bacillum præacutum, vt torporem ſomnumque excuteret. Hæ fuere ſanctorum viro- rum gymnades, & ad maiora prolu- ſiones.

25. Robertus Cardinalis Bellarminus recentis, ſed beatæ memoriæ, quem æternitati ſcriptorum relicta monu- menta conſecrarunt, dum vita ſuper- fuit, Canonicorum temporum in penſo Horarum reddendo fuit obſer- uantiſſimus. Solùm recenſebo id, quod in morbo, qui ei poſtremus fuit, eue- niſſe narratur. Iacebat prope depoſi- tus in lectulo, nihilominus primo ma- ne cura potior ei erat, ad ſtatas eccle- ſiaſticorum precationes ſe accingere; quod cùm ſe poſſe putaret, impenſiùs rogare aſſidentes, vt ſe in ſua poteſta- te relinquerent: cùm verò illi ſeueriùs obnunciarent & intercederent, medi- corum auctoritate: id prohibentium ſe defendentes, acquieſcebat ille tunc quidem; cæterùm cùm corporis cu- randi ijdem medici ipſum inuiſerent, pluribus eos vrgere, dies complures vehementiùs inſtare, vt ſibi per eos penſum ſoluere liceret, inſuper moue- re ijſdem religionem ſcrupuliſque in- iectis ipſorum conſcientiam petere: cùm autem illi animum penitus obſti- naſſent, conabatur ſaltem obtinere, vt Deiparæ Virgini Roſarium permitte- retur offerre. Cùm verò & illud dene- garetur, ne videlicet grauiùs caput of- fenderet, ob nimiam, quâ precari con- ſueuerat, animi viriúmque contentio- nem, piè querebatur ſe religioſum exuiſſe, factúmque aliquem è vulgo: quippe cui nec officium, nec ſa- crum, nec alias precatiunculas fas

Robertus Cardin. Bellar. ingens cura Can. officij persoluendi.

Ex Narr[illegible] [illegible] rebus me[illegible] morabili[illegible] quæ in [illegible] te Illu[illegible] Bella[illegible] cider[illegible]nt.

eſſet recitare. Adeo plus moleſtiarum illi adferebat piarum functionum in- termiſſio, quam deſperata corporis valetudo.

Refertur in libro M.S. Monaſterij S. Bernardi prope Schaldim de initio Ordinis Ciſtertienſis narratio venera- bilis viri Richardi Abbatis quondam Sagniniaci, de quodam Religioſo or- dinis ſui Cœnobiarcha, cui Deus ob ſingularem tempore Eccleſiaſtici offi- cij pietatem inuſitatam gratiam con- tulit. Nam cùm non ſolùm fœdos quoſcunque ſenſus motúſque, ſed etiã inutiles animi agitationes penitus ex- pelleret, ſummâ attentione, & reueren- tiâ pſalmodiæ incumberet; Eximio Dei munere hoc conſecutus eſt, vt eo- dem tempore perciperet naribus ſuis afflari exotici cuiuſdam, vel potiùs di- uini odoris fragrantiam, cynnamomi, thuris, & balſami, omniúmque odora- mentorum ſuaueolentiam, pluſquam credi poteſt, excedentem: ori inſuper ſuo, quaſi cæleſtis ambroſiæ & necta- ris dulcedinem infundi, omnes epula- rum delicias in ſe continentem, quæ inſtar viui fontis in ore illius ſubſiliens, inde ad intima corporis & animi pro- manabat, ipſum tantuã, tamque in- credibili ſuauitate perfundens & affi- ciens; ita vt dicere poſſet: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!* 26.

Vir quidã religioſus attenta ſemper cura pſalmodiæ incumbens à Deo conſecutus eſt miram odorum fragrantiam, & in ore miram dulcedinem.

In vita S. Homoboni ciuis Cremo- nenſis ſcripta à Canonicis Cathedra- lis Eccleſiæ eiuſdem vrbis, & dicata Nicolao Sfondrato Cremonenſis Ec- cleſiæ Epiſcopo, poſtea Gregorio XIV. Rom. Pont. habetur hoc mira- culum, vt videre eſt in Surio Nouemb. 13. Frequentabat Homobonus do- mum Dei, non die ſolùm, ſed etiam nocte, aſſiduè nocturnis, matutinſque precibus intererat. Quocirca Obertus ſacerdos, qui tunc temporis ædi diui Ægidij præerat (eſt illa Cremonæ) vir egregiè pius cognitâ Homoboni reli- gione 27.

Religio S. Homoboni Canonicas preces frequentantis miraculo commendatur.

Digitized by Google

gione ſingulis ei noctibus ad matutinas preces ianuam templi aperiebat, dato prius, vt ſit, campanæ ſigno. Sed cùm aliquando tempeſtiuius ſolito Homobonus acceſſiſſet, & pauliſper ante ianuam moratus eſſet, valuæ templi ſpōte ſua patuêre. Cùm verò Oberpli ſpōte ſua patuêre. Cùm verò Obertus properaret, vt de more Homobonum introduceret, vidit eum in oratione ante aram procumbentem, & mirum in modum obſtupuit, cùm ſciret, ſe veſperi fores diligenter clauſiſſe. Cùm autem paucis pòſt diebus idem accidiſſet, ſacerdos demum pro comperto habuit, id ope diuina fieri; quod ſex & viginti annis, quibus ædem illam ſacram rexit, viro ſancto ſæpius contigiſſe teſtatus eſt. Sic Deus Horarias precationes ſedulò frequentantes honorat.

28\. Ioannes Mariana Societatis IESV Hiſtoriarum de Rebus Hiſpaniæ lib. 6. cap. 10. vitam D. Illefonſi recenſens, hoc quod ſequitur, interſerit prodigium. Cùm S. Illefonſus ad Nocturnas preces perſoluendas contenderet menſe Decembri, ipſa nocte quæ feſtum Annuntiationis diem nuper à Patribus in Concilio Toletano X. inſtitutum præcedebat (quod vulgus Expectationis partus feſtum dicere conſueuit) templum maximum viſum eſt maiori fulgore micare, quàm vt oculi mortales ferrent. Tunc ceteris aliò atque aliò dilapſis præ terrore, ad aram ipſe progreſſus, cùm nixus de more genibus preces funderet, in cathedra, vnde is ad populum concionari erat ſolitus, aſtantem B. Virginem in auguſtiori, quàm pro humano habitu, ſpecie vidit, his eum verbis compellantem. Cultæ in tuo corpore virginitatis cum mentis puritate, fideique ardore coniunctæ, noſtræque virginitatis defenſæ præmium erit ex cæleſti theſauro munus allatum. Inter hæc verba, veſtem ſuis manibus, capiti inſeruit: Hac, inquiens, filij mei, meſque quæ toto anno recurrunt feſta, celebrato. Comites receptis à pauore animis, cùm ad præſulem accurriſſent, toto iam ſpectaculo ex oculis ſublato ferme exanimatum inuenerunt; tum metus, tum admiratio vocem intercluſerat, oculi tantùm in lacrymas ſoluebantur, quod neq; pares beneficio gratias agere poſſet, neque Virginem alloquio morari. Hæc ibi.

S. Ilefonſum Toletanum Epiſcopum ad matutinas precationes ſe accingentem Dei mater cæleſti veſte honorat.

CAPVT VIII.

Mira quædam quæ circa precationes Canonicas diuinitus acciderunt.

REFERT antiquus Hiſtoricus, vt 1.
putatur Hucbaldus Elnonenſis, qui floruit circa annum 920. in vita S. Aldegundis apud Surium c. 21. Ianuarij 30. Dum Waldetrudis, & Aldegundis germanæ veniſſent ad Baſilicam S. Petri ad horam orationis ſextam, pulſauerunt oſtium, aberat verò ianitor templi, ſed non aberat cæli ianitor, qui ſtatim famulabus ſuis foras Eccleſiæ clauſas reſerauit, ne gratiâ fraudarentur orationis: tunc intrantes domum orationis ſolito deuotiùs debitum perſoluerunt officium.

SS. VValdetrudi & Aldegundi fores templi à S. Petro panduntur, vt Horas recitent.

Narrat probatus auctor in vita S. 2.
Annonis Archiepiſcopi Colonienſis, qui floruit anno Domini 1040. apud Sur. 4. Decembr. lib. 2. Vitæ c. 19. Solebat S. Anno penſum orationis publicæ alternis cum Diacono ſuo pſallere, qui defectu humanæ infirmitatis, & tædio victus, in eum morem deciderat, vt in doxologia ſanctiſſimæ Trinitatis in extremo pſalmorum decantari ſolita perſonam filij vitioſa ſyncopa & abſorptione tranſiliret. Cùm autem negligentiam illam fidei contrariam nemo aduerteret, & ideo non corrigeret, huiuſmodi viſum per quietem

Diuino miraculo corrigitur Clericus per vitioſam ſyncopam perſonam Filij in Doxologia prateriens dum horas cum S. Annone recitat.

Digitized by Google

rem Annoni oblatum eſt. Cùm in le-
cto ſemiſopitus iaceret, audit ſemel &
iterum vocem corruptè & mutilatè
verſum doxologiæ efferentis, Gloria
Patri & Spiritui ſancto, perſonâ Filij
vitioſè eliſâ & intermiſſa, raptuſque
repente in Exſtaſin, vidit quendam, cu-
ius habitus & claritas humanam ſpe-
ciem excedebat eâ maieſtate, quâ fi-
lium Dei decebat, qui ſcintillantibus
oculis eum intuitus, protenſis coram
eo tribus ſiniſtræ manus digitis, pri-
mum eorum dextro tetigit indice ad-
dens; Ecce Pater, moxque ſecundum,
ecce Filius, poſt hæc & tertium, ecce
Spiritus ſanctus; & vocem inter hæc
paululum cohibens; ecce tres, ait, in
vna deitate, ſimiliter adorandæ perſo-
næ, quibus gloria par dicitur ab vni-
uerſali ſemper Eccleſia: Mediam inter Patris & Spiritus ſancti perſonam Filius habet, nec vllam recipit diuiſionem à duobus in vlla diminutione maieſtatis eiuſdem & gloriæ. His ita Catholica veritate ſe habentibus, vt quid clerici tui blaſphemias ſine correptione præteris? qui communem quam cum Patre & Spiritu ſancto poſſideo gloriam, mihi ſubtrahit in duarum vocabulis perſonarum, me, qui media Trinitatis perſona ſum, ad omnem gloriæ decantationem tranſiliens His dictis imago euanuit, & Epiſcopus excitatur admirans quod audierat, menteque perceperat, auens huius rei in pſalmodia auribus etiam corporis experimentum capere. Obſeruat itaque quàm diligentiſſimè Diaconi pſallentis labia, & ob id ſolitò feſtinantius ipſe vltimum Pſalmi verſum terminat; mox doxologiam Diaconus addens mediam ſolita acceleratione intercepit perſonam: ſubitò progredi vetat Epiſcopus, ſed ordine nocturnum viſum referens errorem reprehendit: reſipuit Diaconus prauamque conſuetudinem ſalubriter correxit.

3\. *Chriſtus cũ S. Catharina Senenſi horas legit.*

Refert S. Raymundus ordinis Prædicatorum Magiſter generalis, in vita S. Catharinæ Senenſis apud Surium Aprilis 29. Chriſtum Dominum ita amicè & familiariter cum hac virgine conuerſatum, vt non rarò cum illa pariter pſalmos diceret in cellula.

4\. *Idem accidit S. Cæleſtino.*

Idem accidit Petro de Morono Anachoretæ, poſtea Cæleſtino V. Pontifici, cum quo Chriſtus viſus eſt pſalmos dulciſſimè decantare. Vide Sur. in vita eiuſdem Maij 19. Quia verò huius viri incidit mentio, mira quædam, quæ contigerunt inter diuinum officium recitandum adferam, prout in rebus eius geſtis producuntur.

Habetur cap. 13.

5\. *Mira alia contigerunt dum ipſe cũ fratribus diuinũ officium ſolueret.*

Dicentibus quodam tempore in oratorio fratribus cum ipſo diuinum officium ſubitò reſonuit in eorum auribus ſuauiſſimarum, earumque magnarum & multarum campanarum tinnitus; mirantur omnes, præcipuè cùm oratorium illud procul ab omni hominum habitatione ita eſſet remotum, vt nullus eò campanarum ſonus deferri poſſet: nec ſemel modo hoc euenit, ſed ſæpenumero noctu diuque præcipuè horis diuino officio decretis, & quidem diebus ſolennioribus pulſus maior edebatur: ſonum verò illum fuiſſe cæleſtem, & diuina virtute excitatum, illud probat, quod aliqui audito hoc ſono à varijs animi ac corporis infirmitatibus & dæmonis infeſtationibus fuerint liberati.

6\. Addit auctor ibid. c. 14. Audiebantur etiam ibi ſæpius dulciſſimæ voces, ſuauiſſimique concentus Angelorum quandoque in cella vna, quandoque in oratorio fratrum ipſis diuinum officium cantantibus, quandoque verò ceſſantibus ipſis atque pauſantibus quaſi eis ferentes auxilium fortiùs reſonabant.

7\. *Auicula D. Frãciſco cũ ſocio horas*

S. Bonauentura deſcribens res geſtas D. Franciſci ordinis Seraphici Patriarchæ hæc habet ad noſtrum inſti-

ſeg[illegible]te à garritu iuſſa ceſſant.

turum pertinentia cap.8. Diuus Franciſcus iter habens cum ſocio per paludes Venetiarum incidit in gregem auium virgulta inſidentium, & illic cantillantium. Dixit verò ſocio Sorores aues conditorem ſuum cantu laudant,nos ad earum exemplum laudes & horas Canonicas Deo itidem perſoluamus;cumque per medium earum proceſſiſſent, manſerunt illæ immobiles, quia verò ipſarum garritus eos pſallentes obturbabat vt ſe mutuò intelligere nequirent, conuerſus ad eas vir ſanctus,Ceſſate, ait, à cantillatione tantiſper,dum Deo Canonicum carmen depangimus. Obmutuerunt illæ continuò,dum à B.Franciſco precatione Canonicâ abſolutâ cantillandi facultatem accepiſſent,quâ indultâ cantum alacriter reſumpſerunt.

S. Coleta Angelicâ melodiâ diſcit quomodo diuinum peragendum officium.

8. Auctor vitæ felicis recordationis Coletæ virginis cap.23. apud Surium ſic tradit. Cùm Coleta aggrederetur ordinem S. Claræ in priſtinum nitorem reſtituere,animi pendebat quâ ratione,& modo diuinum perſoluendum eſſet officium. Continebat enim regula à ſororibus non cantando, ſed legendo id peragi debere.Conſuluit igitur ea de re Confeſſarium ſuum, cum quo, cùm diu multa contuliſſet, communi conſilio ſtatuerunt ad orationem recurrendum. Illis igitur deprecantibus ſubitò audita eſt in medio ſymphonia quædam modulatiſſima, & auribus gratiſſima,& vt videbatur, Angelica. Quâ modulatione perceptâ modum conſtituerunt, quo ſorores tractim, & ſuauiter in diuino miniſterio vterentur.

Suſpenſi & mortui monachi pſalmodiam integrant.

9. Non alienum videtur ab inſtituto, quod refert S.Gregorius lib.4.Dialogorum cap. 21. Venerabilis Valentius, inquit,in Valeriæ prouinciâ ſuum rexit monaſterium,ad quod dum Longobardi ſæuientes veniſſent,duos eius Monachos in ramis vnius arboris ſuſpenderunt,qui ſuſpenſi eodem die defuncti ſunt; facto autem veſpere vtrorumque eorum ſpiritus claris illic apertiſque vocibus pſallere cœperunt, ita vt ipſi quoque qui eos occiderant, cum voces pſallentium audirent, nimiùm mirati terrerentur; quas videlicet voces captiui quoque omnes,qui illic aderant,audierunt, atque eorum pſalmodiæ poſtmodum teſtes extiterunt.

Duo ſancti Presbyteri ſepulti Clericis in choro pſallentibus, voces ſuas ſuauiſſimas adiungere audit i ſunt.

Mirabilius eſt, & propoſito noſtro magis commodum, quòd refert alter Gregorius, Turonenſis ſcil. lib.de gloria Confeſſorum cap. 47. de duobus presbyteris, egregiæ ſanctitatis viris ſepultis in quodã vico territorij Burdegalenſis: Hi, inquit, in eadem baſilica ſunt inhumati, ſed iuxta diuerſos parietes.Nam vnius eorum ſepulchrũ eſt ad Auſtrum,alterius verò ad Aquilonem. Igitur cùm clerici ſacram cœperunt pſalmodiam perſoluere, & alternis choris concinere, miſcetur vtriuſque vox publicæ clericorum pſalmodiæ,& vnus quidẽ chorus vnius vocis auxilio roboratur, alius verò alterius vocis modulatione conualeſcit. Tantæ verò eſt ſuauitatis huius concentus, vt audientium aures menteſque demulceat, & beneficia audientibus tribuantur, ſi oratio fidelis præmittatur. 10.

S. Hermannus Angelos in choro tempore pſalmodia fratribus thus videt miniſtrantes.

Scribitur in Rebus geſtis beatæ memoriæ Hermanni Canonici Steinuelđenſis cap. 16. apud Surium April.7. Quòd ipſe ſub Canticum Zachariæ in matutinis laudibus quotidie incredibilem percipiebat odorem, cùm non niſi quater in anno in Eccleſia eius, thus circumferretur. Solebat idem de ſe, tamquam de alio, commemorare eodem tẽpore,quo mirifico hoc fruebatur odore, vidiſſe ſe duos Angelos ab vtraque templi parte fratribus thus miniſtrantes, & quibuſdam quidem iucundè id officij præſtare, & reuerenter 11.

renter illis ſe inclinare;quoſdam verò præterire negligenter, à nonnullis etiam non ſine horrore quodam reſilire. E quibus primi, vt ex illorum moribus colligi facilè potuit, quorum & Hermannus nomina exprimebat, eos ſignificabant, qui Deum & animo, & voce laudarent. Secundi verò illos, qui vel non canerent, vel minùs præſenti animo eſſent ad id quod canebant. Tertij verò eos, quorum vita mors erat, inquit auctor.

Memorabile eſt, quod ſcriptor Anonymus tradit apud Surium in Vita S. Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis cap. 22. Nouemb. 17. S. Hugo preces canonicas ſtatuto exſoluebat tempore, nec induci poterat, vt aut præueniret, aut differret. Itaque cùm etiam de rebus grauiſſimis conſultatio inſtitueretur, ſolebat ipſe (vt interdum aliqui è cœtu & concilio ad deliberandum egredi pro more habent) Regi Immortali debitum laudis oblaturus ſimulatque ſonuiſſet hora, mox ſe ſubducere: didicerat enim more Carthuſiano nihil diuino officio anteponendum; quod etiam mordicus vſque dum vitæ periodum clauderet, ſeruauit. Contigit illum aliquando in comitatu multorum Eccleſiæ Antiſtitum, & Sacerdotũ per loca à latronibus obſeſſa, & infeſta equitare: Conſultantibus itaque illis, quo pacto imminens periculum euaderent, omnium vna fuit ſententia vt tempore antelucano ſurgerent, & iter plenum periculis in tenebris conficerent. Surgunt ante lucem, vrgent Epiſcopum, non cunctandum aiunt, ne in prædonum manus incidat. Quibus ille, & quò ibimus, inquit, Matutinis precibus nondum exſolutis? differendas, inquiunt, iam verò properandum ne mora in diſcrimen omnium capita adducat. Tum Epiſcopus, Qui capit, ait, capiat, & qui timet, timeat: Ego hinc non exibo, donec ſolito more preces Matutinas perſoluero. Res dictu mira! Solus Sanctus Epiſcopus poſtquam ſacerdotale officium tractim, & moderatè peregiſſet, licet eadem cum ſuis via equitaret incolumis euaſit, alij autem qui prudentiſſimè ſe agere arbitrabantur, nec viro Sancto audientes eſſe volebant, in periculum, quod metuebant, & omni ratione effugere moliebantur, inciderunt.

12. *S. Hugo Lincolnienſis ſemper horis ſtatutis pſalmodiam ſoluit.*

13. *Miraculo Deus com-* [...] *probat ſuae placere pſalmodiam opportuno tẽpore perſolutam.*

14. *Cum S. Guduualo alternis Angeli officium dicunt.*

S. Guduualus Archiepiſcopus (vt apud Surium 6. Iunij habes) horis Chriſti, & Apoſtolorum eius auctoritate inſtitutis preces oblaturus, cùm dicere aggrederetur *Deus in adiutorium meũ intende.* Subiunxerunt Angeli, *Domine ad adiuuandũ me feſtina,* & ita totũ officium alternatim cum Sãcto Epiſcopo expleuerunt. Refertur cap. 7. vitæ eius.

15. *Roberto Francorum Rege piiſſimo hor. can. legente hoſtium mœnia diuinitus proſternuntur.*

Robertus Francorum Rex, vt ſcribit Platina in Ioanne XX. quoties per occupationes bellicas licebat, Horas canonicas cum ſacerdotibus decantabat: qua religione hoc meritum ferunt, vt cùm quoddam hoſtium oppidum obſidione cingeret, neque preces ſuas Horarias intermitteret, mœnia hoſtium diuinitus corruerent; ſtatimque ſuis irrumpentibus oppidum caperetur.

16. *Flamma ex ore duorum monachorũ pſallentium erumpunt.*

Refertur in Vitis Patrum lib. de Exemplis & documentis vitæ ſpiritualis num. 3. vidiſſe S. Macarium, quaſi diuinam lucem penetrare cellam, in qua duo Anachoretæ noctu precabantur expanſis manibus: & vnum quidem inſtar muſcarum circumuolitabant dæmones, & ab Angelo abigebantur; ad alium verò propius accedere non audebant. Cùm autem mane vna Pſalmos 12. (ait Ruffinus, eandem enarrans hiſtoriam, vnde videntur decantaſſe matutinum, vt colligitur ex Ruffino de Vitis Patrum lib. 3. num. 195. apud Roſweydum, qui eos expleuiſſe Matutinas deſcribit) concinerent, vidit idem S. Macarius ex ore Minoris

ad quemque verſum faculam accenſam erumpere, & ſurſum ferri; cùm verò Maior ad pſallendum labra diduceret, funiculus flammeus ex ore eius abſcedebat, qui in cœlum vſque tendebat.

17. *Ioſepho Anchietæ miraculo redditur breuiarium.* Addam ex Hiſtoria Ioſephi Anchietæ Societatis IESV ſacerdotis temporum noſtrorum Thaumaturgi aliquod fruſtillum: Scribit Sebaſtianus Beretarius libro ſecundo Vitæ eius hoc quod ſequitur. Cùm Ioſephus Anchieta per Itamniam (regio eſt in Braſilia) cum fratre vno comite proficiſcitur, & Luſitano puero Damiano à Coſta, cognomento Fabella, & iam octo circiter leucas confeciſſent, petit Pater Ioſephus à fratre comite breuiarium ad Horarias preces percurrendas; tum frater ſuam ſocordiam reprehendens fatetur ſe illud S. Vincentij (oppido eſt nomen) reliquiſſe. Hoc loco Fabella ſe rediturum ad illud afferendum profitetur. Pater certus ſuâ in Deum fiduciâ eius ſibi auxilium non defuturum, puerum redire non permiſit, compendio ſuæ ſpei, tantum rediniens incommodum; confecto itinere Eccleſiam ingreſſi, perſolutaque de more pia numinis, & ſanctorum cælitum ſalutatione, Patrem vident ex altari breuiarium accipere, ex eoque debitas exſoluere precationes. Quibus abſolutis, breuiarium comiti reddidit, adiecto monito: Poſthac ne ſis obliuioſus. Quod acceptum frater, agnouit illud ipſum eſſe, quod ipſe S. Vincentij reliquiſſet.

18. *Dauid latro poſtea monachus extra pſalmodiam mutus.* Rem pæne incredibilem memorat Ioannes Moſchus, in Prato ſuo Spirituali, de Dauide Latronum Principe poſtea Monacho, qui fidem non adhibens Angelo, peccata ſibi à Deo remiſſa teſtanti, repente denegato linguæ officio punitus fuit. Cùm verò pœnam hiſce verbis deprecaretur: cùm in ſeculo vitam nefandam agerem, linguâ vtebar, nunc verò cùm Deum laudare meditor, illi vincula inijcis; ſubiecit Angelus: Cùm canonicam pſalmodiam perages, facultas loquendi dabitur, extra illam obmuteſces. Dictum, factum. Deinceps Dauid Pſalmos canebat, cetera omnino mutus. Vide Prati caput 143.

19. *Chriſtus S. Catharinam Senenſem docet horas legere.* Raymundus S. Catharinæ Senenſi à confeſſionibus in Vita eius cap. 26. refert Chriſtum Dominum momento docuiſſe eam legere linguâ Latinâ Horas Canonicas, cum antea ne quidem ſyllabas colligere poſſet. Imò vix literas noſſet. Impetrauit autem hoc ſua oratione.

20. *B. Virgo Maria oſtendit ſe tempore pſalmodiæ.* Leander Albertus Bononienſis apud Surium Februarij 13. Scribit in Vita Iordani Saxonis Prædicatorum ſecundi Generalis, quod in nocte Circumciſionis Domini noſtri IESV Chriſti, dum pro more in Matutinis nonâ legeret lectionem, viſa eſt cuidam fratriparum per obdormienti ſtare ſuper ſuggeſtum matrona ingens, capite coronâ ornato, inſigni amicta pallio, in ipſum venerandum patrem intendens, & lecta lectione de manu ipſius accipiens librum. Quo accepto, ante ipſum, per gradus cœpit maturè incedere hinc inde aſſiſtentibus cœleſtis curiæ ciuibus; inter quos vnus aliquantum caluus præſtantior cæteris præcedebat ſcipionem tenens, veluti viam inter multitudinem præparans ante ipſam venerandam matronam. Frater, qui hæc viderat, matronam illam Mariam Cœli Reginam autumauit; illum ceteros præcedentem virum, vel D. Paulum Apoſtolum, vel Parentem Dominicum, qui ad extremum vitæ ſuæ aliquantulum caluus fuerat. Frater verò ad venerandum Patrem Iordanum accedens, rem detulit, quam viderat. Porro vir ſanctus ad eius verba ſubridens, nihil prolocutus eſt.

21. Retulit aliquando P. Iordanus in

conuentu

Digitized by Google

conuentu Fratrum, quod capitulum dicunt, de quodam fratre (licet Patres de ſe loqui ipſum putarent) qui in Cœnobio Pariſienſi exiſtens, in feſto Purificationis B. Virginis Mariæ, dum in nocte ad Matutinas Inuitatorium à patribus inciperetur, *Ecce venit, &c.* viderat ſanctiſſimam matrem procedentem cum filiolo ad maiorem aram ſupra quam paratus thronus erat, in quo reſedit cum filio, in fratres dulciter ad aram pro more conuerſos intuens. Cùm verò ad *Gloria Patri, &c.* Fratres inclinarent ipsâ filij dexterâ apprehensâ, eos cum toto choro ſignauit.

22. Thomas Cantipratanus lib. 1. Miraculorum memorabilium cap. 11. nu. 3. narrat ſe accepiſſe à quodam Canonico Regulari eximiæ ſanctitatis viro, quòd cùm morbo iuxta ac mœrore confectus in Sanctorum Martyrum Mauritij, eiuſque ſodalium æde eorum opem implorâſſet, audierit leuiſſimo ſopore captus choros Angelorum in ſublimi canentium Antiphonam illam peruulgatam; *Gaudent in cœlis animæ ſanctorum, &c.* Tantam autem fuiſſe cantus cœleſtis dulcedinem, vt non ſolùm omnem ex animo dolorem deleuerit, & optatam valetudinem poſt grauiſſimum morbum attulerit, ſed penè animam è corpore elicuerit.

Angeli ſuauiſſimè canunt Antiphonam Gaudent in cœlis, *&c.*

23. Idem rurſus lib. 2. cap. 11. num. 7. commemorat nocte Aſſumptæ in Cœlos Virginis, cùm Regulares Canonici officium nocturnum, vſque ad nonum reſponſorium percantaſſent, ſubitò mirificum Angelorum concentum inſonuiſſe ſuauiſſimis vocibus modulantium reſponſorium: *Felix namque es ſacra Virgo Maria, &c.* Sic tamen vt verſum, & *Gloria Patri &c.* quatuor tantùm Angeli decantarent, ceteris excipientibus & reliqua ſuccinentibus, Canonici verò, ſuprà quàm credi poteſt, reſtitere gaudio perfuſi.

Similiter & Reſponſor. concinunt, Felix es ſacra Virgo Maria, *&c.*

24. Auctor eſt Caſſianus lib. 2. de Inſtitut. Renunciant. cap. 5. Cùm probatiſſimi monachi, & Apoſtolorum proximi temporibus conueniſſent, vt certum pſalmorum numerum nocturnis, veſpertiniſque vigilijs definirent, eſſetque pro religionis gloria inter eos pia contentio, vnoquoque pro ſuo feruore plures, vel pauciores pſalmos inſtituente; repente vnum in medio eorum (erat is cœleſtium è numero ſpiritus) pſalmos cantaturum exſurrexiſſe, cumque ijs admirantibus 12. Pſalmos ceciniſſet ab vniuerſorum oculis ſubtractum quæſtioni finem impoſuiſſe. Ex hinc ſancti, qui aderant ſeniores intelligentes Angelico magiſterio cœtui religioſorum pſalmodiæ regulam non ſine diuino nutu conſtitutam, decreuerunt hunc numerũ tam in veſpertinis quàm in nocturnis vigilijs cuſtodiri.

Angeli 12. Pſalmos canendos in vigilijs nocturnis ſuo magiſterio docent.

25. Sed nihil in hoc genere præclarius occurrit, quàm quod ſcribit Auctor libri de Viris Illuſt. Ordinis Ciſtertienſis quomodo D. Bernardus, cùm nocturnæ pſalmodiæ intereſſet, per viſum cõſpexerit Angelos ſingulorum religioſorum, verſus, quos modulabantur, tabellionum inſtar ſcripto excipientes, tam ſedulò, vt ne quidem apex eos præteriret. Erat tamen hoc diſcriminis, quod quidam characteribus aureis, alij argenteis ſcribebant, pars atramento, alteri aqua, alij tandem nec literulam quidem exprimebãt. Spiritus autem Sanctus, qui hoc viſum D. Bernardo obtulit, myſterium quoque eidem patefecit. Intellexit itaque aureis literis indicari ardens ſtudium Deo pſallendi in quorundam præcordijs æſtuans; argenteis, minorem quidem in alijs feruorem, auream tamen Domino placendi mentem, & intentionem; Nigris verò laudabilem conſuetudinem prompta voluntate pſalmodiam frequentandi; aqua denique labilitatem illorum conditionem, qui vel ignauia de-

S. Bernard. Angelos religioſorum verſus quos pſallebant, ſcribentes vidit tempore pſalmodiæ.

uiâ deſinentes, vel inanium phantaſmatum volubilitate abrepti, labijs quidem Deum honorant, ſed corde, pluſquàm toto cœlo ab eo diſtant. Poſtremò, quorum nulla literula notabatur, ij erant, qui Dei timorem exuerant, quibus pectus ſaxeum, qui veterno ſcelerum obtorpuerant. Hoc viſo vir ſanctiſſimus edoctus, ſicut ferventium gratulabatur profectui, ita tepidorum compatiebatur infirmitati. Poſt hoc viſum ſupicantur aliqui viri pij habitum ab eodem ſermonem ſeptimum in Cantica, in quo Angelos pſallentibus adeſſe demonſtrat.

26. *Pſalmodia cœleſtis audita eſt eo loco, quo Sancti Dei martyres Dei laudib. ante martyrium vacare ſolebant, horis Eccleſiaſticis Tertia, Sexta, &c.*

Scribit Ado Treuirenſis Epiſcopus in ſuo Martyrologio 9. Ianuarij in Vita SS Iuliani & Baſiliſſæ Martyrum, quod etiam refert Surius tom. 1. in additione ad eorumdem ſanctorum geſta: quòd, cùm Antiochiæ multitudo Sacerdotum, Epiſcoporum, & Clericorum, in loco, in quo Dei laudibus vacabant, ſub præſide Martiano, tempore Diocletiani & Maximiani igne conſumpta eſſet; ad commendandam ſanctorum mortem, definitis ab Eccleſiæ temporibus, hora ſcilicet Tertia, Sexta, & Nona, Itemque noctu, & ſub veſperam, pſalmodiam diu fuiſſe auditam, & cœleſtes hymnos perſonuiſſe: quodque amplius eſt, eos qui his temporibus eò acceſſiſſent, quacumque infirmitate detinebantur, ſanos & incolumes inde receſſiſſe. Nec mirum hoc. Si quidem ſanctos homines poſt reſurrectionē laudaturos linguâ Deum in corpore glorioſo dubitari non poteſt, de quo vide Suarez tom. 2. in 3 partem diſput. 47 ſect. 6. §. 6. Quamuis veriſimile ſit cœleſtes ſpiritus circa veneranda Martyrum Lipſana, horis, quibus Deum laudare conſueuerant, vt ipſorum vices ſubirent, apparuiſſe, & hymnodiam integraſſe. Vnde etiam minus mirum videri cui debet, quod recenſent Ludouicus Bloſius in Scriniolo Spirituali, & Franciſcus Arias Tract. de Roſario, & alij: Priorem quēdam Carthuſiæ Treuirenſis magnæ ſanctitatis virum, ſæpius tempore, quo ſeptem Canonicæ precationes in Eccleſia haberi ſolent in cœlum alienato à ſenſibus animo raptum fuiſſe.

27. *Rapitur quidam ſanctus in cœlum tempore horarum canon.*

28. *Angelus ſignat in choro pſallentes.*

Tradit B. Dorotheus doctrinâ 11. de Sanctiſſimo viro Dioratico, quòd nocte viderit in principio pſalmodiæ è ſacrario Eccleſiam ingredientem Angelum veſte ſplendida, qui omnes religioſos præſentes obambulando ſignaret: ſubſellia item eorum, qui neceſſitate aliqua impediti, vel imperio Antiſtitis aberant; aliorum verò, qui torpore, & negligentiâ obdormierant, pertranſiſſe.

29. *S. Bernardus Angelum in choro thymiama circumferētem conſpexit ſub pſalmodiâ.*

Habet liber M.S. Monaſterij S. Bernardi iuxta Schaldim, qui inſcribitur de initio Ordinis Ciſtertienſis hoc oſtentum. Seniores Patres Claræ Vallis crebris vſurpabant ſermonibus S. Bernardum vidiſſe aliquando, dum nocturnis vigilijs adeſſet, Angelum thuribulo cæleſti thymiamate referto vtrumque chorum luſtrantē, & eorum, quos ſummâ curâ pſalmodiæ inuigilantes inueniſſet, gratiſſimum ſuffitum præcordijs aſpirantem, quo faſtidium omne remouebat, & feruorem incredibilem exacuebat; quos verò ſomnolentos & deſides cernebat, quaſi cum ſtomacho prætereuntem, vtpote quos diuina thymiamaſi indignos iudicabat. Videat interim Lector Cæſarium Heiſterbachenſem libr. 8. Hiſtor. Memorabil. capit. 90. Item libro 7. capit. 16. & 21.

Plura etiam prodigia occurrebant, quibus Deus Horarias precationes illuſtrauit; ſed quia pleraque ſcriptis noſtris ſparſim permixta ſunt, ſuperuacaneum viſum fuit, hîc eadem repetere. 30.

CAP.

CAPVT IX.

Animaduerſio, in aliquos, qui penſum Canonicum perfunctoriè reddiderunt.

1. GRAVIS Auctor Thomas Cantipratanus ſcribit in rebus geſtis ſanctæ Lutgardis Virginis lib. 3. cap. 10. vt videre eſt apud Surium Iunij 16. Sanctam Lutgardem ſæpe verbis caſtigaſſe Sanctimoniales, & Aſcetrias ſuas in valetudinario parum attentè penſum canonicum perſoluentes. Cùm autem ſemeſtri ante obitum ſuum animaduerteret illas nondum negligentiam exuiſſe, ſed in priſtinæ adhuc ſocordiæ luto hærere; Noui, ait, Deum poſt mortem meam culpam hanc grauiter vindicaturum, & tunc memores verborum meorum virgines caſtigatæ errorem ſuum corrigent, propitiatumque numen pœnam ſubtrahet. Diuino autem afflatu editum hoc à B. Lutgarde fuiſſe oraculum res ipſa mox declarauit. Nam vbi illa è viuis exceſſerat, confeſtim dira peſtis monaſterium peruaſit, & breui temporis interuallo proſerpens, quatuordecim notæ probitatis moniales extinxit. Ego vero, inquit, Thomas Cantipratanus ſub idem tempus illuc appuli, & duas corpore & ſpiritu germanas eodem momento animam efflantes oblato pro eis ſalutari ſacrificio, eodem in tumulo ſepeliui. Cùm verò in valetudinario degentes virgines ſocordiam, in precibus canonicis dicendis emendaſſent, protinus lues remiſit & reſedit peſtis.

Deus negligenter offic. can. perſoluentes peſte immiſſa punimit.

2. Quod ſequitur à Religioſo & fide digno viro accepi, & quia rarum eſt, & certum, hîc commemorare volui. In Monaſterio Superato Ordinis Ciſtertienſis Compoſtellanæ Diœceſis, memorabile quiddam accidit ante annos viginti. Erat ibi Cœnobita quidã œconomus domus (Cellerarium vulgò vocant) qui plerumque importunè, perfunctoriè, & irreuerenter Horarium penſum abſoluebat. Contigit aliquando, vt cum plerumque noctis proceſſiſſet, ad cubiculum rediret, viſo verò in loco, quem Capitulum dicunt, lumine, ingreſſus eſt, vt illud extingueret. Conſpexit autem ibidem, vt quidem exiſtimabat, monaſterij Cœnobiarcham ſuo loco reſidentem, & religioſos quoſque ſuo ordine. Cùm autem, ſupra quam dici poteſt, obſtupuiſſet, cœpit Antiſtes acriter in illum inuehi deſidiæ tarditatiſque arguens, in Diuino Officio recitando, cùm tamen ſæpius Spiritus ſancti lumine inſtinctus negligentiam illã ſummopere Deo diſplicere agnouiſſet, & ſpiritualibus temporalia poſthabenda probè ſciret: Nec pluribus verbis opus eſſe in præſentiarum dicebat, nudaret, ex templo tergum ad flagra excipienda, & in medium quantocyus cellæ penariæ claues poneret: duobus igitur ſuo nomine vocatis fratribus iuſſit peracerbè illum cædi, ita vt clamorem ingentem & eiulatus ederet, & numquam per id noctis, in quemquam monachum tam acriter à præſule ſæuitum quereretur. Nec ibi finis, ſed plagas plagis addiderunt, ſic vt oſſa carne nudata perlucerent. Ita exceptus ad cellam ſuam redijt, multa muſſitans de iniuria ſibi facta. Mane, cùm nec in templo, nec vſquam alibi conſpiceretur, Abbati ſignificatum eſt, qui putans labore pridiano fatigatum, quieſcere illum permiſit. Cùm iam horâ vnâ & alterâ prętęrlapsâ nondum ſurgeret, res iterum delata eſt ad Abbatem. Nec mora, miſſi qui vocarent: tum verò ille vocatus vociferari, grauiſſimas præter meritum ſuum, contraque ordinis morem noctu ſibi plagas impoſitas lamentari, & quidem ob culpam non adeo grauem: Non valere præ nimio dolore è lectulo ſurgere.

Horribilis punitio cuiuſdam perfunctoriè horas legentis.

gere. Exiſtimans is, qui vocauerat, hominem febrire, & ideo non ſatis ſano eſſe cerebro, renuntiat Abbati, qui idem ſecum reputans aliquantulum quietis capere ſiuit. Cùm verò iam multum diei eſſet, & operam eius familia requireret, ſecundò vocatus eſt. Ille præter ſuſpiria & querelas nihil ingeminare. Mox itaque Abbas ipſe volens experiri, quid rei eſſet, acceſſit: tunc verò homo clamores immenſos tollere, & vociferari, Dei hominumque fidem obteſtari, præter ius faſque indigniſſimè ſecum actum conqueri: cum verò Abbas ſæpe ſæpius ſe totius rei geſtæ ignarum inſontemque aſſereret, ille luculenta vulnera, detecta oſſa, & tergum lacerum, ac cruentatum oſtentare, quod vt vidit Abbas obſtupuit, & Dei iudicis ac vindicis horrendam manum admiratus eſt; iuxta quoque qui aderant: tanta autem fuit plagarum acerbitas, vt numquam perſanari potuerit, vulnerarij curam malo ſuperante. Vnde etiam paulò pòſt è vita exceſſit. Claues verò huius tragœdiæ indices in capitulo repertæ.

3. Scribitur in libro M. S. Monaſterij S. Bernardi iuxta Schaldim de Initio Ordinis Ciſtertienſis quod iam ſubjcio. Erat in monaſterio Grandis Syluæ prope Toloſam ordinis Ciſtertienſis monachus quidam in primis religioſus, qui licet aſſiduè cum ſomnolentia depugnaret adnitens integram & attentam pſalmodiæ mentem adhibere, naturæ tamen interdum ſuccumbebat infirmitati. Dum igitur aliquando ſtaret in choro ordine ſuo, & quaſi dormitans pſalleret, aſtitit ei quidam formâ ſupra humanam, cuius vultum non agnoſcebat, qui eum excitans, veſte apprehendit circa pectus, & veluti è choro extrahere nitebatur: dum verò ita raperetur in eum intuens, Quis es, inquit, Domine, & cur ita me rapis? Subiecit alter. Et tu cur ita dormis? Quaſi diceret, numquid propterea chorum intraſti, vt dormitando, & capite nictando, ludibrium te inimicis tuis faceres, & non magis, vt Deo creatori, in conſpectu Angelorum alacriter pſalleres? Quo dicto, ſtatim euanuit. Is verò qui tam benignè à Domino, vt ſomnolentiæ vitium corrigeret, caſtigatus fuerat, excutiens à ſe omnem torporem, deinceps ad vigilandum tempore pſalmodiæ diligentior extitit.

Somnolentia tempore pſalmodiæ corrigitur.

4. Alius in eodem monaſterio Cœnobita vixit, Bernardus nomine, qui quãuis toroſo, ac vegeto corpore iuuenis eſſet; remiſſiùs tamen ceteris agebat, in ſacris vigilijs obdormiens & obtorpeſcens: vnde & contubernalibus ſuis non parum moleſtus erat, & vbique de inertia notabatur, maximè in Eccleſia. Quadam itaque nocte, cùm eum dormientem in ſolemnibus pernoctationibus chori præceptor pertæſus, nimirum eius ſocordiam ſolitò aſperiùs excitaſſet; abijt ille ſtomachabundus, & ad cubile perrexit: cùm ſubitò turba ſpectrorum infernalium, ingenti cum ſtrepitu & fragore adfuit, miſero inſultans, & elato clamore vociferans: Apprehendite, Capite. Quo audito, inhorruit ſcilicet, fugamque celeriter accipiens ad Eccleſiam properauit; cumque veniſſet ad locum ſuum tremebundus & anhelus, animo deficere cœpit humique concidens aliquamdiu quaſi exanimis iacuit. Delatus inde in valetudinarium cùm ab illo terrore aliquantulum reſpiraſſet, & ſibi redditus fuiſſet percunctantibus fratribus, quidnam illi eueniſſet ordine pandens, contumaciæ, & ſomnolentiæ pœnas ſe luiſſe teſtatus eſt. Porrò nouitius quidam, dum ipſâ horâ in oratorio eſſet, eumdem dæmonum ſtrepitum, & clamores ſe audiuiſſe retulit.

Dormitabundus monachus à dæmonibus terretur.

5. Cæſarius lib. 4. Hiſtoriarũ Memorabilium

rabilium cap. 38. Rem ſtupendam narrat. Vix, inquit, ſunt duo elapſi menſes, ex quo nobis retulit Abbas Campenſis terribile portentum & ſupplicium, quod diuinitus illatum eſt cuidam monacho, qui dormire in choro pro more habebat. Nocte quadam dum ex conſuetudine alijs pſallentibus dormiret imago Chriſti Cruci affixi ex altari deſcendit, dormitantem excitauit, & tanta vi alapam illi incuſſit, vt infra diem tertium moreretur.

[illegible] [illegible] puni- uit mona- chum ſub tempus pſalmodiæ dormire ſolitum.

Non abſimile refert Thomas Cantipratanus lib. 2. Miraculorum Memorabilium capit. 4. § 11. ad quem lectorem remitto.

6. Sed minimè hîc ſilentio prætereundum eſt toto orbe decantatum prodigium, quod tradit Cardinal. S. Petrus Damiani epiſt. 14. ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem cap. 7. vbi ſe illud accepiſſe dicit ab Allardo Bremenſi Cœnobiarcha viro religioſo & prudente. Clericus, inquit, Colo-

7. *B. Seuerinus purgatorij pœnas ſuſtinet, quia horas canon. ſuis temporibus non perſoluet.*

nienſis Eccleſiæ flumen quoddam vado tranſibat, & ecce B. Seuerinus eiuſdem Eccleſiæ nuper Epiſcopus, equi, cui inſidebat habenas apprehendit, eũque ſiſtere iubet; obſtupuit illico Clericus, & quidnam rerum ibi ageret, vir meritis, & virtutibus clariſſimus inquirit. Præbe mihi manum, ſubdit Epiſcopus, & quæ circa me ſunt, non auribus diſce, ſed re ipſa experire. Cùm verò porrectam manum aquis immerſiſſet, tanto ardore ea flagrare, & aduri cœpit, vt carnes liquefactæ tabeſcerent, & diffluerent, quodque maius eſt, vix oſſa ſua compage hærerent. Tum Clericus: Cùm, ait, nomen tuum apud nos ob ſanctitatem ſit celebratiſſimum, & fama per totam Eccleſiam latè volitet; cur tanto incendio cruciaris? cui tantum de te licuit, vt flammea hac voragine conſtringaris. Ad quem ſanctus Epiſcopus, Nihil, inquit, aliud flammis vltricibus expiandum poſt hanc vitam remanſerat præter hoc tantum; nimirum, pro dolor! dum turbulentis aulæ regiæ negotijs me nimium inuoluo Canonicam precem debitis & diſtinctis horis non perſolui, ſed matutino tempore totum ſimul diuinum officium coniungens ſolidum inde diem curis profanis impediebar. Hanc iam in precationum Horariarum recitatione commiſſam culpam igne cruciabili luo, & expio. Tu verò clementiſſimum Dominum precare, vt manum tuam priſtinæ incolumitati reſtituat. Quod cum factum fuiſſet, perge ocyus ſubijcit, ſignifica Eccleſiæ noſtræ miniſtris, Clericis, & viris religioſis, vt mihi opis indigo, ſalutari ſacrificio, alijſque votis, & precibus apud communem Dominum ſuccurrant. His enim peractis propitiabitur mihi Deus, & purgatorijs pœnis exſoluet, beatorum ſedibus expectatus ciuis adſcribar. Subdit, S. Cardinalis, Oſtentum hoc magno ſalubrique terrore percellere nos debet peccatis onuſtos, cùm cernimus virum ſanctitate celebrem vnicam ob noxam tantis ſupplicijs ſubiacuiſſe. Suis ergo interuallis diſtinguenda ſunt Eccleſiaſtica officia, & non coaceruatim recitanda; Quin potiùs humili animi demiſſione, & præſenti animo tanquam Domino & non hominibus offerenda.

Notet hîc Lector Cardinalem Baronium Annali 11. ſub annum Chriſti 1062 numer. 83. putare mendum irrepſiſſe in Codicem Petri Damiani, & loco Seuerini legendum eſſe Peregrinum, vel Pilegrinum, qui creatus Epiſcopus Colonienſis anno Domini 1021. & præfuit Eccleſiæ annis ſexdecim. 8.

Digitized by Google

CAPVT X.

Quis locus ſacræ pſalmodiæ habendæ imprimis habilis & conueniens.

1\. QVÆ libro præcedente de loco pſalmodiæ contractiùs propoſita ſunt, iam explicatiùs diducenda. Et quidem de loco Officij publici, nihil eſt quod addam ijs, quæ dicta ſunt. Quantum verò ad priuatam Horariarum precum lectionem, ſtatuendum videtur, primo, ceteris paribus magis illi conuenire locum ſacrum, & religioſum, vt puta templum, vel oratorium, quàm profanum. Tractat hoc argumentum luculenter Humbertus Opuſculo de Eruditione Religioſorum lib. 4. p. 3. cap. 2. Stephanus Durantus lib. 1. de Ritibus Eccleſiæ cap. 26. & lib. 3. cap. 24. Iacobus Aluarez de Paz tomo 3. de Studio Orationis lib. 1. p. 2. cap. 5. Gisbertus Scheuichauius lib. 1. de Eccleſiaſtica vita & moribus, cap. 26 & ſequent. & complures alij. Nos huius rei aliquot breues rationes producemus.

Pſalmodiæ ſoluendæ conuenientior locus ſacer quàm profanus cæteris paribus.

2\. *Prima huius dicti ratio.* Prima eſt, Quia peculiari quodam modo Deus in locis religioſis præſentior eſt, quàm alibi. Pſal. 10. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius*; vbi Propheta inſinuat Deum præeſſe templo ſimili quadam ratione, quâ ipſi cœlo, vnde & vocatur domus Dei Matth. 15. *Domus mea, domus orationis vocabitur*, & alibi ſæpe. Quod etiam ex eo colligitur, quòd Apoſtolus pluribus locis, nominatim prioris ad Corinth. 3. probat Deum in nobis habitare, quia ſumus templum eius. Huc pertinet ſolemnis illa Dei promiſſio facta Salomoni 2. Paralip. 7. (Quæ potiori iure ad templa noſtra extenditur.) *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit. Elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Quemadmodum ergo rex in palatio ſuo maximè coli, & honoribus ſe dignis affici optat, ibique ſibi libellos ſupplices porrigi; Ita & Deus in Baſilicis ſuo nomini præcipuè dicatis.

3\. *Altera ratio.* Secunda Ratio, Quia Chriſtus Dominus ibi in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ ferculo ſe nobis admirabili modo præſentem offert, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, qui etiam ibidem orantes quâ decet reuerentiâ, benigniore ſignat oculo, & theſauros ſuæ gratiæ diſtribuit: vnde ſanctiſſimis quibuſque acceptiſſimum ſemper fuit cum illo in templo præſente familiariter conuerſari.

4\. *Tertia ratio.* Tertia ratio; Quia cœleſtis ſpiritus locis ſacris præſident, quod argumentum paſſim inculcant Patres. Sufficiat vnius & alterius teſtimonium. S. Ambroſius in 1. Lucæ, *Non dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit.* Origenes homil. 3. in Lucam; *Quia præſentes ſunt Angeli in Eccleſia, propterea orantibus faminis præcipitur, vt habeant velamen ſuper caput propter Angelos.* Chryſoſtomus hom. 15. in epiſt. ad Hebræos: *Plenæ ſunt Eccleſiæ incorporeis virtutibus.* Ex quo ſequitur minus aduerſarijs poteſtatibus in nos ibi licere.

5\. *Quarta ratio.* Quarta, Quia ibidem condita ſunt Sanctorum corpora, vel aliqua Diuorum ſacra pignora, quæ vulgò Reliquias appellamus, in quibus ipſos ſanctos, tamquam adhuc ſpirantes, quodammodo cernimus, & amplectimur; cùm conſtet, ex antiquis Eccleſiæ monimentis, ipſos frequentiſſimè adeſſe ſuis oſſibus & cineribus, illiſque quaſi præſidere; vt rectè cecinit ſanctus Paulinus in Natali 6. S. Felicis Nolani Martyris.

Præſidet ipſe ſuis ſacer oſſibus, oſſaque ſancti

Corpo-

Corporis in tumulo, non obſita puluere mortis,
Arcano æternæ, ſed prædita ſemine vitæ,
Viuificum ſpirant animæ victricis odorem.

6. *Ratio quinta.* Quinta, Quia ſeruantur & colun-
tur illic cæleſtium icones, ſtatuæ, pictæ-
que tabellæ, quarum conſpectus dum
prototypa nobis in memoriam reuo-
cat, pias etiam cogitationes ingene-
rat, excitat ſalutares affectus, nec pa-
titur mentem ad terrenas curas dila-
bi. Secunda Nicæna Synodus Act. 4. ita
S. Gregorium Nyſſenum de ſe ipſo
loquentem inducit ex oratione 1. de
Pauper. Amand. *Vidi ſæpius imaginum in-
ſcriptiones, & ſine lachrymis tranſire ne-
quiui, cùm tam efficaciter picta obtutibus
meis proponeretur hiſtoria Abrahæ & Iſaac,
&c.*

7. *Sexta ratio.* Sexta, Sanctitas loci neſcio quo ſa-
cro horrore orantes perfundit, neſcio,
quàm præter ſolitum in animis reli-
gionem commouet, quantumuis ſo-
lùm ſit moralis, ex eo quòd templum
Deo religioſâ cærimoniâ ſit dicatum;
iuxta illud Leuit. 27. verſ. 28. *Quidquid
ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum
erit Domino.* Audiamus D. Chryſoſto-
mum homil. 66. ad Populum Antio-
chenum loquentem de templo Apo-
ſtolorum: *Simul,* inquit, *ac pauimenta cal-
caueris, ad cœlum mentem locus tranſmiſerit,
& ad ſupremum Regem, & illum Angelo-
rum exercitum & ſublimem thronum, & inac-
ceſſibilem gloriam, &c.*

8. *Septima ratio.* Septima, Quia in locis ſacris preces
fuſæ valorem & dignitatem accipiunt
ex cœtu aliorum ibidem precantium.
Si quidem, vt dici ſolet, vis vnita for-
tior. Hinc oratio ex mutua conſpira-
tione, & alacritate, excitatur, accendi-
tur, Deo fit gratior, eumque faciliùs
nobis reddit propitium. Suadet hoc
idem Chryſoſtomus homil. 5. de In-
comprehenſibili Dei natura contra
„ Anomæos. *Orare* domi poſſumus,
„ inquiunt, te homo decipis, & magno
„ in errore verſaris. Nam etſi domi
datur orandi facultas, tamen fieri „
non poteſt, vt domi tam bene ores, „
quàm in Eccleſia; vbi tot patres, „
vbi clamor felici ſocietate excitatus „
ad Deum immortalem refertur. Eſt „
enim in hoc plus aliquid, videlicet, „
concordia, cõſpiratio, copula amoris „
& caritatis, ſacerdotum clamores, „
plus neruorum in ea eſt, & multò „
audientia maior, quàm in illa do- „
meſtica & priuata. His germana „
habet hom. 79. ad Populum Antio-
chenum.

Poſtrema ratio, quia templum pro- 9. *Ratio poſtrema.*
prius eſt orationis locus. Hinc dici-
tur Iſaiæ 56. *Lætificabo eos in domo ora-
tionis meæ,* & rurſus, *domus mea, domus
orationis vocabitur cunctis populis;* quæ ver-
ba repetit Chriſtus Matth. 21. Vnde &
nomen inuenit vt diceretur Orato-
rium. Hac de cauſa, vtriuſque legis ſan-
ctiſſimi, & etiam ipſe Dominus tem-
plum frequentarunt, vt docent ſcri-
pturæ. Certè Salomon 2. Paralip. 6.
dicit ad hoc templum factum eſſe, *vt
reſpiciat Dominus orationem ſerui ſui, & au-
diat preces quas funderet famulus eius co-
ram ſe.*

Cùm ergo pleræque humanæ vitæ 10. *Concluſio dictorum.*
functiones & negotia, proprijs ſuis lo-
cis exercenda ſint, vt rectè oſtendit S.
Baſilius Ser. 2. de Baptiſmo, cap. 8. &
alibi, quis non videt magis conuenire,
vt etiam priuata pſalmodia in locis
Deo dicatis fiat quàm profanis, cete-
ris paribus, cùm Deus ibi præſentior,
orationes noſtras benigniùs excipiat,
& citiùs faciliuſque exaudiat.

Nihilominus vlteriùs aſſerendum eſt, 11. *Pſalmodia dum priuatim perſoluitur etiam rectè in cubiculo, &c. peragitur.*
Rectè pſalmodiam, dum priuatim
præſtatur, domi in cubiculo, conclaui,
aut domeſtico oratorio perſolui, vt
demoſtrare in promptu eſt. Imprimis
enim fieri non rarò poteſt, vt ſecuriùs,
quietiùs, deuotiùs peragatur in cubicu-
lo, quàm in templo: vnde non ſine ra-
tione dictum eſt ſuprà, ceteris paribus

Digitized by Google

orationem fructuoſiùs exhiberi in loco ſacro quàm profano; quia plerumque cetera non ſunt paria.

12. *Rationes pro hoc adferuntur.*

Accedit cuilibet nō vacare, vel commodum eſſe adire templum, vt ibi Horas exſoluat. Deinde pſalmodia præcepta non talis eſt actio, vt neceſſariò aſtringatur loco conſecrato, cùm Deum laudare & exorare liceat quolibet loco, dicente Apoſtolo prioris ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco*, & Pſalte Regio Pſalm. 102. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* In quem locum vide Auguſtinum. Poſtremò nullum extat præceptum, quo obligentur Clerici dum priuatim Horas recitant, eas in templo perſoluere. Cùm itaque hoc ampliſſimum & pulcherrimum vniuerſum, Dei omnia ſe ipſo implentis templum ſit, & homo, in hoc maximo templo Auguſtiſſimū ſupremi numinis ſit ſacellum, vbicumque tandem terrarum fuerit, puras ad cœlum leuare manus poterit. Conſule Baſilium in Exhortatione ad Baptiſmum, quæ eſt homil. 13. & Chryſoſtomum homil. 79. ad Populum Antiochenum, vbi inter cetera. „ Vbicumque ſis, inquit, ora, templum es, ne locum quæras; cùm ingruerit tentatio, ad Deum confuge, Deum inuoca: Numquid eſt homo, vt locum petas? Deus ſemper prope eſt, &c. Auguſtinus tract. 10. in Ioannem: Munda tantùm cubiculum cordis. Vbi fueris, vbicumque oraueris, intus eſt qui exaudit. Bernardus cap. 6. Meditat. Vbicumque fueris intra temetipſum ora: ſi longè fueris ab oratorio, non quæras locum, quoniam ipſe locus es.

13. *Priuatæ pſalmodiæ conuenit locus à ſtrepitu & attentionis impedimētis remotus.*

Obſeruandum hîc locum commodum priuatæ pſalmodiæ eſſe eum, qui remotus eſt ab omni tumultu, confabulationibus, & ceteris attentionis, & deuotionis impedimentis, qualis eſt in ſuperioribus domus cœnaculum, adytum quoddam in ædium penetralibus, ſeceſſus in horto vmbroſo & ſolitario, vel quis ſimilis.

14. *Oſtenditur hoc ſanctorum exemplis.*

Exemplum huius præbuit nobis Chriſtus, qui oraturus ſecedebat, vel in montes, vel in deſertum, vt habes, de montibus quidem Lucæ 6. & 9. De ſolitudine Marci 1. & Lucæ 5. Quinimò in horto Gethſemani productiùs oraturus patrem: *Auulſus eſt à diſcipulis quantum iactus eſt lapidis*, Lucæ 22. Sic fecêre complures alij præſtanti religione viri & mulieres, inter quos Iſaacus Geneſ. 24. Egrediebatur ad meditandum in agro, idque auctore D. Hieronymo, vt meliùs ibi oraret: Huius veſtigia inſtiterunt Moſes, Elias, Heliſæus, filij Prophetarum. Deinde Ioannes Chriſti prodromus. Hac ratione à monachis & anachoretis frequentatæ fuerunt Thebaidis ſolitudines, & in ijs crebra excitata aſceteria. Et certè ſolitudo ab omnibus interpellationibus vacat, altum præbet ſilentium, & montium, vallium, camporum, patentiſſimique cœli conſpectus mirè erigit mentem ad rerum cœleſtium contemplationem.

15. *Suadent idē Patres.*

Audi S. Hieronymum epiſt. ad Heliodorum & Ruſticum ſolitudinem deprædicantem. O deſertum, ait, „ Chriſti floribus vernans! o ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi Ciuitas magni Regis extruitur! ô eremus familiarius Deo gaudens! Crede mihi, neſcio quid hic plus lucis aſpicio. Libet ſarcinâ corporis abiectâ, ad purum ætheris euolare fulgorem. His ille honorum titulis inſignit eremum quam & alibi paradiſum appellat. Vide Bernardum ſerm. 40 in Cantica, vbi agens de ſolitudine turturis, hæc inter cetera ſcribit. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, etiam ab illo, qui tibi miniſtrat. An neſcis vere-

recun-

recundum habere te ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiã præſentibus ceteris? Lege ſequentia. Quis verò ambigat orationem ibi placidiorem, ſecuriorem, puriorem, quietiorem in altum ſurrigi? Aſcendit profectò quaſi virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Nullus ibi metus à falſæ gloriæ flabellis dum ſoli dilecto mens recti ſibi conſcia placere geſtit. Procul importunæ muſcæ turbarum, & tumultuum, quia non hominum ibi ſuſurri obſtrepunt, ſed Deus ad cor loquitur Oſeæ 2. Ibi liberiùs erumpunt remotis arbitris gemitus, vberiùs eunt, & fluunt lachrymæ, fiunt geniculationes, & proſtrationes, accedunt pectoris tunſiones, terræ impreſſa oſcula, brachiorum extenſiones, manuum ante pectus decuſſatio, & aliæ poſituræ orationis ardorem ventilantes.

16. *Etiam in vrbibus loca quieta inueniuntur.*

Nec modò ruri, aut in ſuburbano talis ſeceſſus reperitur, ſed etiam in ipſis vrbibus ſemota à ſtrepitu loca inueniri poſſunt. Sic Sara vxor Tobiæ iunioris oratura pergit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, Tobiæ 3. Et lectiſſima Herois Iudith. *In ſuperioribus domus ſuæ ſecretum ſibi fabricat cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Iudith cap. 8. & cap. 9. *Ingreſſa eſt oratorium ſuum Dominum deprecatura.* Ita Apoſtolorum princeps Actor. 10. *Aſcendit in ſuperiora vt oraret;* Adde cœleſtem paranymphum in conclaui reperiſſe B. Mariam Virginem ſolam, vel orantem, vel meditantem, vel Prophetas peruoluentem: Ambroſius lib. 2. de Virginibus, inuenta domi in penetralibus ſine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obſtreperet. Huiuſmodi locum eligendum ſuadet nobis Magni Conſilij Angelus, Matth. 6. verſ. 6. *Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.* Quæ verba ad litteram accipienda ſunt de cubiculo propriè dicto; quamuis hoc ingrediendum ſuadeat orationis tempore, non tam, vt interpellationem & tumultum vitemus, quàm oſtentationem & laudes humanas: & certè in ſenſu proprio intellexit Theophylactus ibi, & Chryſoſtomus homil. 8. in priorem ad Timotheum. Per cubiculum verò cape quemlibet locum ſecretum pro oratione priuata: non enim Chriſti mens fuit excludere orationem publicam in templis fieri ſolitam, quæ cùm exhibetur animo ſoli Deo placendi, perinde agitur atque ſi in cubiculo clauſo præſtaretur. Nolim tamen reprehendere multorum patrum expoſitionem myſticam, qui per cubiculum intelligunt cor, quod quis ingredi cenſetur & claudere, dum omnes alienas cogitationes eliminat, vel oſtium dicitur claudere cum ſancto Hieronymo in illum locum, dum obſerat labia, & cum Anna mente precatur. Vide Chryſoſtomum homil. 19. in Matthæum, ibidem Hilarium Canone 5. præſertim verò Auguſtinum libr. 2. de Sermone Domini in monte capit. 6. Procurandum ergo illi volunt ſolitudinem cordis iuxta ſententiam S. Cypriani lib. de Oratione Dominica: *Claudatur*, ait, *contra aduerſarium pectus & ſoli Deo pateat.*

17. *Explicantur verba Chriſti Matth. 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum.*

18. *Precationes canonicæ legendæ loco honeſto non verò ſordido &c.*

Poſtremò concludẽdum eſt, Precationes canonicas, etiam dum priuatim dicuntur, recitandas loco honeſto & decente, non verò abiecto & ſordido, de quo plura habet Nauarrus in Enchir. de Horis c. 5. n. 5. & ſequent. Aluarez de Paz tom. 3. de ſtudio orationis lib. 1. parte 2. cap. 5. & Franciſ. Suarez tum lib. 2. de orat. cap. 5. num. 9. tum 3. cap. 7. num. 9. & ſequent. Nec ambigendum eſt quin Horas legere dedita opera nulla neceſſitate vrgente vel rationabili cauſa ſuadente, in loco immundo & ſordido, fit ex ijs quæ Theologi

Digitized by Google

logi vocant Malè Sonantia, tum quia quemdam ſignificat animi neglectum, & rerum diuinarum deſpicientiam, tum quia offenſionem & ſcandalum, ſi ab alijs obſeruetur, generat.

19. Vnde dicendum, Licet per ſe oratio etiam vocalis priuata non pendeat à loci qualitate, per accidens tamen illam requirere. Vnde poſſe etiam huius omiſſione nonnullum interuenire peccatum. Adferuntur ab auctoribus ad probandum hæc ex ſanctis Patribus; Baſilius lib. de Baptiſmo quæſt. 8. explicando illud Apoſtoli prioris ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco*, „ ſcribit. Dicendum eſt quòd illud „ (in omni loco) non comprehendit „ eos locos, qui humanis vſibus, rebuſ„ que immundis & profanis deputa„ ti ſunt: ſed dilatat ac diducit ora„ tionem Dei, ab arcto Hieroſolymæ „ ambitu in omnem totius orbis lo„ cum. Ambroſius etiam in eadem verba, Sic in omni loco orandum præcipit, vt competens locus intelligatur: non itaque importuno ac ſordido loco, quippe cùm prohibeat Dominus vulgo orare (vbi eſt vulgi concurſus:) ſed hoc monet ne in ſola Eccleſia putarent orandum. Addit Nauarrus ſuprà, etiam S. Thomam in eadem verba commentantem. Verùm S. Thomas hoc non habet, ſed ſolùm dicit, exteriora ſigna orationis non debere fieri in omni loco, quia homo non debet ſingularis apparere in exterioribus, quia propter hoc haberi poſſet inanis gloria.

Oratio priuata etiam pendet à loci qualitate, ſaltem per accidens.

20. Quòd ſi ratio ſuadeat, vel neceſſitas cogat, non dabitur vitio, etiamſi ſordidis & vilibus locis oratio fiat. Sic enim S. Agnes orauit in lupanari, Iob in ſterquilinio, Hieremias in luto, Ezechias in lecto, Daniel in lacu leonum, Ionas in ventre cœti, Petrus & Paulus in carcere, &c. De quibus plura habent Baſilius & Chryſoſtomus &c.

In neceßitate vitioſum non erit etiam orare loco non ſatis decente.

Ante omnia hoc curandum eſt, quod admonuit Concilium Baſilienſe ſeſſ. 21. Tali in loco, inquit, Horas dicant, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam ſe diſponere & præparare debent. Cæterùm ſi præceptum obliget ad Horas recitandas, & locus alius haberi non poſſit, niſi hominum concurſu, & tumultu perſonans, tunc, vt DD. tradunt, è duobus malis minus eligendum erit, & præceptum ſeruandum, etiamſi ſæpius orationis quietem interturbari contingat, & inuocato Spiritus ſancti auxilio cum propoſito attendendi quantum fieri poterit, Horaria precatio abſoluenda: tunc enim euagationes non erunt voluntariæ & habebitur attentio ſaltem virtualis. 21

Si locus haberi non poßit à ſtrepitu remotus, tunc pſalmodia, prout poterit, ibidem perſoluenda.

CAPVT XI.

Protrepticon ſiue Exhortatorium ſuper prece Canonica opportuno tempore & plenè fundenda.

QVIA pluſcula de hoc argumento lib. 1. & 2. tractata ſunt, ideo paucula ſolùm de precibus Horarijs maturè & plenè cantandis, aut legendis documenta datum imus. 1.

Primum ſuccurrit. Videri Orationes Canonicas opportuno tempore fuſas, ceteris paribus Deo gratiores, quia ſolutæ horis, quas Spiritus ſancti afflatu Eccleſia inſtituit ad orandum: Ita vt quis illas exactè obſeruans impleat illud Apoſtoli, prioris ad Theſſalon. 5. *Sine intermiſſione orate*; Quod Auguſtinus epiſt. 109. dicit ſaniſſimè ſic accipi, vt nullatenus intermittantur, certa tempora orandi. Quamuis enim nullum tempus orationi ſit importunum, cùm aures Dei ſemper apertæ ſint in preces noſtras, placent tamen illi mirum in modum (ſi maioris momenti impe-

Oratio Canonica ſuo tempore fuſa eſt Deo gratior.

Digitized by Google

impedimenta non obſtent) tempeſtiuæ precationes, vt Eccleſiaſtici dent fructum labiorum confitentium nomini eius tempore ſuo.

2. *Rationes huius loci mouent proferuntur.* Rationes huius rei tres modò ſe offerunt. Prima, quia rerum diuinarum neglectum ſapit præpoſtera & intempeſtiua Horarum recitatio nulla ex cauſa facta. Si enim paterfamilias Matth. 20. *Egreſſus conducere operarios in vineam ſummo mane hora Tertia, Sexta, Nona, & Vndecima*, arguit ſtantes in foro otioſos; cur non meritò excandeſcat, & inuehatur in Clericum hiſce horis dormitantem, otiantem, inutilibus negotijs occupatum? In mentem veniat, quod Daniel cap. 6. etiam cum capitis ſui periculo tribus conſtitutis per diem tẽporibus conſtanter Deum obſecrare in animum induxerit: quod D. Chryſoſtomus egregiè pro ſuo more, tum homil. 79. ad populum, tum lib. 1. de orando Deum Eccleſiaſticis proponit. Altera eſt, quòd ſic audientes ſumus Eccleſiæ vniuerſali, quæ certa aſſignauit orandi tempora. Poſtrema, quia hac ratione coniungimus preces cum alijs viris religioſis, qui vt plurimùm eo tempore, vel in templis, vel in ædium ſuarum penetralibus tributum orationis Deo pendunt. Vſque adeò verum eſt illud Salomonis Prouerb. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo*, vel, verbum dictum tempore opportuno.

3. *Debent Clerici horis can. tribuere ſufficiens tempus & plenum.* Alterum monitum ſubijcio. Danda eſt opera Clericis, vt cuique precationi canonicæ non ſolùm tempus commodum tribuant, ſed etiam ſufficiens, & plenum. Si enim breuius impendatur & arctius, quàm vt diuinum officium pro dignitate recitari poſſit, Reuerentia, Attentio, & Deuotio magna ex parte tolletur: & in eorum locum ſuccedit præcipitatio, ſyllabarum & verborum eliſio, & recurſabit frequẽter anxia cura, officium quo tandem cumque modo abſoluendi. Et certè mirum eſt Clericos, non ſufficiens modò, ſed amplum ſpatium admetiri cibo, potui, ſomno capiendo, ceterisque corporis & animi relaxationibus; operi verò omnium diuiniſſimo adeò anguſtos circumſcribere cancellos, vt iniquis temporis interuallis orationis religioſa decentia excludatur. Perſuadeant ſibi, qui temporis auari ſunt in Dei laudibus, ſimilẽ quoque ſe Deum experturos, hoc eſt, manu contractâ dona cœleſtia illis communicaturum, vt in eos quadret illud Apoſtoli, de Beneficentia in pauperes agentis, 2. ad Corinth. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus* (id eſt abundanter & coploſè) *de benedictionibus & metet*, & quæ ſequuntur. Poteſtne tempus fructuoſiùs collocari, quàm in diuinis laudibus? An non optabat ſanâ mente Pſaltes Regius cùm diceret. Pſalm. 70. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam?* Verùm ardenti Deum, & ad cœleſte domicilium, in quo perpetua laus reſonat anhelanti, vt Dauidi, Antonio, Arſenio, & huiuſmodi diuinis hominibus nox & dies conſumpta in cœleſtibus commentationibus breuia ſunt; animis verò in terram curuis & cæleſtium inanibus hora dimidia annus eſt. Tu verò pſalmodiæ addicte Eccleſiæ miniſter ſequere conſilium Siracidæ monentis Eccleſiaſtici 4. *Fili conſerua* (vel vt alij vertunt, obſerua) *tempus, & deuita à malo.*

Tertio loco, Auctor ſum omnibus choro addictis pſalmodis vt maturè ſe ſiſtãt Diuino Officio vltimo audito ſigno, ſecum ruminantes illud quod profeſto Theophaniæ canit Eccleſia: *Hoc ſignum magni regis eſt, Eamus, inquiramus eum, &c.* Rumpant moras omnes ſibi perſuadentes Dominum eſſe qui vocet. Admonet hoc S. Bonauentura parte 2. Speculi diſciplinæ ad Nouitios 4. *Audito ſigno ad horas cãtandas ſtatim ſe conferant Eccleſiæ miniſtri.*

uitios capite 7. *Ad diuinum*, inquit, *officiũ audito ſigno ſtatim omnibus occupationibus omiſſis accelerent.* Quàm promptè & cito ſurrexit de loco Maria, ſuggerente Martha, Ioan. 11. *Magiſter adeſt, & vocat te?* quàm expeditè ibidem cap. 21. *Simon Petrus cum ex Ioanne accepiſſet, Dominus eſt, miſit ſe in mare?* quàm celeriter & abſque vlla tergiuerſatione quondam antiqui illi Aſcetæ ad orationem, & alia quæ iubebantur, conuolarunt? Inſpiciat ſi ad manum eſt Lector lib. 5. de Vitis Patrum libel. 14. qui eſt de Obedientia, & mirabitur. Quid ſi imitabitur? Audiat Caſſianum lib. 4. de Inſtitut. Renunt. cap. 12.

7. ... entia ... m ... horũ.

,, Cùm Monachi ſonitum pulſantis oſtium, ac diuerſorum cellulas percutientis audierint, ad orationem ſcilicet eos, ſeu ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus ſuis vnuſquiſque prorumpat, ita vt is qui opus ſcriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoaſſe literam, ſinire non audeat; ſed in eodem puncto, quo ad aures eius ſonitus pulſantis aduenerit, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis conſummet effigiem; ſed imperfectas literæ lineas relinquens, non tam operis compendia lucrâue ſectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio feſtinet. Hæc Caſſianus.

6. ... moda quun- dila- bora-

Non fabrorum trutina, ſed aurificis ſtatera penſitet, vt dici ſolet, incommoda quæ ex huiuſmodi dilatione & cunctatione obueniunt, tum Dei miniſterio, tum ſibi, tum toti Choro. Qua de re vide Nauarrum in Enchir. de Horis cap. 10. & 16. Non ita preces ſacerdotales obire ſolitì viri priſcæ religionis & ſanctitatis, qui ingredientium oratorium ſemper primi, egredientium ſemper poſtremi. Talis præter alios fuit S. Nicolaus Tolentinas, talis Thomas à Kempis, & alij ſexcenti.

Scimus antiquâ Patrum memoriâ acres ſumptas pœnas de illis, qui tardiùs ad Dei opus ſe conferebant. Teſtis eſt Caſſianus lib. 3. de Inſtitut. Renunt. cap. 7. Is, inquit, qui in Tertia, Sexta, vel Nona, priuſquam pſalmus cœptus finiatur ad orationem non occurrerit, vlterius oratorium introire non audet. Nec ſemetipſum admiſcere pſallentibus, ſed congregationis miſſam pro foribus ſtans præſtolatur, donec egredientibus cunctis ſubmiſſa in terram pœnitentia negligentiæ ſuæ vel tarditatis impetret veniam, ſciens nequaquam ſe poſſe deſidiæ ſuæ noxam aliter expiare; ſed ne in ea quidem, quæ poſt tres horas erit ſecutura ſolemnitas admittendum, niſi pro negligentia præſenti, confeſtim vera humilitate ſubnixus ſatisfacere feſtinauerit. In nocturnis verò conuenticulis, vſque ad ſecundum Pſalmum præbetur tardanti dilatio. Ita dumtaxat, vt antequam finito eodem Pſalmo fratres in oratione procumbant, ſemetipſum congregationi inſerere atque admiſcere feſtinet, eidem proculdubio increpationi ac pœnitentiæ, quam prædiximus, ſubijciendus, ſi vltra præſtitutam dilationis horam vel modicum tardauerit. Hæc ibi.

7. Olim qui tardius ad preces canõ. veniebant, pœnam ſubibant.

Prudentius in diſcretione præcipua regula hac de re ſtatuit Magnus Pater Benedictus cap. 44. Ad horam, inquit, Diuini Officij, mox vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non ſcurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis ad nocturnas vigilias poſt Gloriã Pſalmi 94. (quem propter hoc omnino protra-

8. S. Benedictus in regula iubet plecti eos qui tardiùs ad preces Canon. veniebant.

„ protrahēdo & moroſè volumus di-
„ ci, occurrerit, nō ſtet in ordine ſuo in
„ choro, ſed vltimus omniū ſtet, aut in
„ loco, quē talibus negligentibus ſeor-
„ ſum conſtituerit Abbas, vt videatur
„ ab ipſo, vel ab omnibus, vſque dum
„ completo opere Dei publica ſatis-
„ factione pœniteat. Ideo autem eos
„ in vltimo, aut ſeorſum iudicauimus
„ debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel
„ pro ipſa verecundia ſua emenden-
„ tur. Nam ſi foras oratorium rema-
„ neant, erit fortè talis, qui ſe aut re-
„ collocet, aut dormiat, aut certe ſe-
„ deat foris, vel fabulis vacet, & de-
„ tur occaſio maligno. Sed ingrediatur
„ intro, vt nec totum perdat, & de re-
„ liquo emendetur. Diurnis autem
„ horis, qui ad opus Dei, poſt verſum
„ & Gloriam primi Pſalmi, qui poſt
„ verſum dicitur, occurrerit, lege, quā
„ ſupra diximus, vltimus ſtet, nec præ-
„ ſumat ſociari choro pſallentium vſ-
„ que ad ſatisfactionem, niſi fortè Ab-
„ bas licentiam dederit permiſſione ſua,
„ ita tamen, vt ſatisfaciat reus ex hoc.
„ Vide Cardinalem de Turrecremata tract. 108. in Regulam D. Benedicti.

9. *Non egrediendum choro ante finem officij.*

Quartum, Tibi lector annumero. Conuenit eoſdem pſalmodiæ publicæ adſcriptos perſtare in gradu & ordine ſuo, ad finem vſque officij, nec inanes fingere egrediendi occaſiunculas, cum aliorum admiratione, diſtractione & offenſione. Rectè proinde obſeruat Nauarrus in Enchir. de Horis cap. 10. num. 11. Sine cauſa ante finem officij choro egredientes aduerſario ſuo victos manum dediſſe. Quod confirmat allato exemplo ex S. Gregorio lib. 2. Dialog. capit. 4. in Vita S. Benedicti. Quod ſic ſe habet.

10. *Exemplis demonſtratur dæmonem Eccleſiæ miniſtros ab officio diuino abſtrahere.*

„ Monachus quidam erat, qui ad
„ orationem ſtare non poterat, ſed
„ mox vt ſe fratres ad ſtudium ora-
„ tionis inclinabant, ipſe egrediebatur
„ foras, & mente vaga, terrena aliqua
„ & tranſitoria agebat, cumque ab
„ Abbate ſuo ſæpius eſſet admonitus,
„ ad virum Dei Benedictum deductus
„ eſt; qui ipſe quoque ſtultitiam
„ eius vehementer increpauit, ſed parum
„ profecit. Cùm ergo vir Dei ad
„ idem monaſterium veniſſet, & conſtitutâ
„ horâ expletâ pſalmodiâ ſeſe
„ fratres in orationem dediſſent: aſpexit
„ quòd eumdem monachum, qui
„ in oratione manere non potuit, quidam
„ niger puerulus per veſtimenti
„ fimbriam foras traheret. Die igitur
„ aliâ, expletâ oratione vir Dei oratorium
„ egreſſus, ſtantem foris monachum
„ reperit, quem pro cæcitate
„ cordis ſui virgâ percuſſit, qui ex illo
„ die nihil perſuaſionis vlteriùs à nigro
„ illo puerulo pertulit, ſed ad orationis
„ ſtudium immobilis permanſit,
„ ſicque antiquus hoſtis dominari
„ auſus non eſt in eius cogitatione, ac
„ ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere.
Hactenus Gregorius. Tartareus ergo tenebrio eſt, qui ab oratione abſtrahit, quod pluribus exemplis manifeſtum do.

11. *Aliud exemplum.*

Narrat Ioānes Moſchus in ſuo Prato c. 160. de quodam multarum palmarum nobili Anachoreta. Cùm quadam die, inquit is, ſederem in cel-
„ lula mea, operarerque manibus
„ meis (tenebam autem caniſtrum, &
„ pſalmos repetebam) ecce per feneſtram
„ ingreſſus eſt quaſi puer Æthiops,
„ & ſtans coram me ſaltare
„ cœpit, pſallentique mihi dixit, ſenex
„ nónne bene ſalto? Ego autem nihil
„ reſpondi. Rurſus ait mihi: Non tibi
„ placet hæc ſaltatio mea? Nihil autem
„ mihi reſpondenti ait: Ecce, putas
„ te, male ſenex, magnum aliquid
„ agere: dico tibi, quòd & in ſexageſimo
„ quinto & ſexageſimo ſexto
„ Pſalmo erraſti. Tunc ſurgens ego
„ procubui, & ille euanuit. En felle in-
„ uidiæ liuidum, atratum odio pſal-
modiæ

Digitized by Google

interturbatorem!

ipe & aliud ex lib. Sententia- Patrum §. 39. Dæmon ſpecie nachi (en Prothea, & Chamæ- ntem verſipellem) S. Macario idendum præbuit, affirmauitque am monachorum congregatio- ſine illis celebrari. Itaque vir ctus Eccleſiam ingreſſus con- xit vndique per eam paruulos iiopes, quaſi volitando, diſcurre- & precantibus fratribus atque lentibus illudere: oculos quibuſ- duobus digitis comprimere, mox dormitabant: alijs digitos os inſerere, qui oſcitabant: mu is ſpeciem, ædificij ſtructuram, alios labores obijcere, circa quo- ndam ceruices & dorſa ludere; omnia S. Macario examinan- e animis verſaſſe confeſſi ſunt. ilia tamen viſa, & ludibria cùm nnullis repræſentarent, ſtatim lenter repulſi ſunt, & præcipites iecti, vt nec ante eos conſiſtere pertranſire auderent. Sic quie- orationis ſollicitantes noctiuagi res conſtantiæ dexterâ repul-

uartum ſuppeditat Vita S. Domi- ci lib. 3. c. 12. Nocte quadam B. ominicus vigilans vidit eum, qui rcuit tamquam leo rugiens, quæ- ns quem deuoret, omnia loca mo- aſterij peruagantem; petijt cur id ceret, reſpondit ille ſe lucri gra- â hoc agere. Cumque inſtaret vir nctus quidnam lucraretur in dor- itorio, ſubiecit Dæmon, Inter ce- era ſe efficere, vt cunctabundi ſur- erent pigritiâ eos detinente, & ſua- ere vt à diuinis officijs ſe ſubdu- ant. Inde vir Dei de templo ro- auit, quidnam lucraretur in tam ancto loco; ſubdidit mox dæmon: d ago vt tardè huc veniant, citò inc recedant, ſuique immemores ſint. Hæc ibi. Si ergo ſapitis, ô religioſi, nolite locum dare diabolo tardiùs chorum ingrediendo, citiùs recedendo, quin potiùs per ſtate alacres, etiam atque etiam recogitantes, quod quidam dicere ſolebat. Longas vigilias breue facere purgatorium.

Quinto loco intelligant, ſe etiam dum priuatim canonicas preces percurrunt peccare venialiter, dum abſque cauſa legitima recitant tempore valde remoto ab hora debita & competente. Cenſent verò DD. tunc longè recedi à tempore legitimo, cùm ea quæ in officio leguntur tempori non congruunt, vt ſi quis ſub veſperam dicat *Iam lucis orto ſidere* Primam legens, vel quid ſimile. Vnde fructuoſius etiam eſt, imò & facilius ſingulas preces Horarias proprijs temporibus ſeruatis interuallis perlegere, quàm multa ſimul ſine vlla temporum diſtinctione coniunctim recitare: tum quia antiquæ Eccleſiæ inſtitutioni hoc modo audientes ſumus, & ſæpius ad internam animi quietem redimus, ſuauiſſimeque cum Deo colloquimur: tum quia labor diuiſus hoc modo fit leuior, ita vt vix ſentiatur. Deinde ſanctiſſimum conſilium fuerit precibus Deo offerendis horas ſeligere maximè vacuas à negotijs, quales ſunt temporis antelucani, Matutini & Veſpertini.

14. *Etiam priuatim horas legere indebitis temporibus non nullum peccatum eſt.*

CAPVT XII.

Quæ corporis compoſitio in officio canonico publicè vel priuatim præſtando maximè commoda, & commendabilis.

GENERATIM hoc dici poteſt. Primò in publica pſalmodia eum corporis ſitum & conformationem eam obſeruandam, quam Regulę Breuiarij

1. *Situs is obſeruandus in choro*

quem præſcribit Breuiarium, & tenet cuiuſque Eccleſiæ mos.

uiarij recepti præſcribunt, & retinet laudabilis cuiuſque Eccleſiæ conſuetudo. Verè rectè Nauarrus in Enchir. de Horis c.4 num.6 qui etiam ibidem docet cap.16. num.7. peccare venialiter Beneficiarios, qui in choro ſine iuſta cauſa aduertentes ſtant, cùm ſedere deberent, vel ſedent cùm deberent ſtare, licet peccatum hoc innuat potius eſſe ratione offenſionis, & turbationis aliorum, quamuis etiam per ſe veniale eſſe poſſit.

2. *Idem locum habet in priuata pſalmodia.*

Addendum eſt ſecundò, Etiam in priuata pſalmodia rectè conſtitutionem corporis retineri, quam Rubricæ Breuiarij notant, licet nullum peccatum videatur, ſi aliqua ſubinde omittantur.

3. *Nihil de ſitu præceptum in diuino* [illegible]

Præterea ſtatuendum eſt cum Nauarro ſuprà cap. 4. num. 2. & 4. Nihil præceptũ eſſe de hac vel illa poſitura corporis, dum oratur, Iure Diuino, pauca verò Iure Pontificio in officio chori. Tale autem eſt in Dominicis, & intra Paſcha & Pentecoſten non geniculari C. *Quo*[illegible] habendum etiam [illegible] de ferijs & C. *Quoniam*, de conſecratione diſt. 3. etſi multa inuexerit conſuetudo. Vnde vniuerſim affirmandum eſt, quemlibet, dum priuatim preces ſacerdotales orat, poſſe admittere illam corporis conformationem, & ſitum, qui ei habilior & conuenientior videatur ad maiorem attentionem & deuotionem conciliandam, & vberiores ex oratione ſpirituales fructus colligendos. Cùm verò plures ſint corporis conſtitutiones, v. g. ſeſſio, ſtatio, deambulatio, geniculatio, in terram proſtratio, cubatio, &c. quidam DD. vnam, alij aliam conſulunt.

4. *Quilibet priuatim ſitum vſurpare poteſt, qui aptior ei eſt ad deuotionem conciliandam.*

5. *Quam compoſitionem corporis Nauar. probet tempore orationis.*

Nauarrus ſuprà num. 12. ex Guil. Pariſienſi in Rhetorica Diuina docet optimum corporis habitum eſſe dum priuatim orationi inſiſtitur, ſedere, & inniti alicui tabulæ latere ſiniſtro vt cor in eo reſidens quiete fruatur, poſtea tamen probat ſitus viciſſitudinem, vt modò genua curuentur, modò erecto corpore ſtetur, modò ſedeatur, imò, & deambulationem non reijcit præſertim ſomno prægrauante, ſi fiat in forma hemicycli præformando ſibi in pariete effigiem Chriſti in cruce fixi, dummodo in his omnibus poſitionibus, geſtibus, motibus euitetur aliorum ſcandalum, offenſio, vanæ gloriæ ſuſpicio, & ſingularitatis oſtentatio. Poſtremò, valde commendat etiam in priuata recitatione ſeruari ſitum & cerimonias quæ in publica pſalmodia cuſtodiuntur in Cathedralibus Eccleſijs bene temperatis.

Ceterùm animaduertere eſt in ſitu tempore orationis vſurpando fuiſſe varios omnium hominum memoria ſanctitate præluſtres viros & feminas. Cùm enim huiuſmodi corporis conformationes aſſumantur à nobis, vt animus illis tamquam ſenſilibus ſignis excitetur ad interiorem erga Deum ſubmiſſionem, ad cæleſtium rerum deſiderium, ad firmam mentis circa ſpiritualia applicationẽ; hinc factum eſt, vt quiſque pro animi ſui affectione illum geſtum, & poſitum aſſumeret, quem ſibi maximè putaret ad hos propoſitos fines accomodatum. Sic ſentit D. Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis cap. 5. Orantes, inquit, de „ membris ſui corporis faciunt, quod „ ſupplicantibus congruit. Cùm ge- „ nua figunt, cùm extendunt manus, „ vel etiam proſternitur ſolo, & ſi quid „ aliud viſibiliter faciunt: quamuis „ eorum inuiſibilis voluntas & cordis „ intentio Deo nota ſit, nec ille indi- „ geat his indicijs, vt humanus ei „ pandatur animus; ſed his magis ſe- „ ipſum excitat homo ad orandum, „ gemendumque humiliùs atque fer- „ uentiùs. Et neſcio quomodo, cùm „ hi motus corporis fieri niſi motu „ animi præcedente non poſſint, iiſ- „

6. *Diuerſi diuerſos ſitus in oratione vſurparunt prout ſibi ad deuotionem comparandam expedire putarunt.*

„ dem rurſus exteriùs viſibiliter fa-
„ ctis, ille interior inuiſibilis, qui eos
„ fecit, augetur, ac per hoc cordis affe-
„ ctus, qui vt fierent iſta, præceſſit,
„ quia facta ſunt, creſcit. Ita S. Au-
guſtinus vide D. Thomam 2.2. quæſt. 84. art. 2.

Aliqui ergo ſunt, qui in priuata recitatione in omnibus, quantum commodè fieri poteſt, ſe choro accommodant quoad ſitum corporis, ſecuti monitum S. Bonauenturæ in Speculo diſciplinæ ad Nouitios p. 1. cap. 16. & hi laude digniſſimi ſunt, vt conſtat.

Alij ſunt qui ſtantes Officium Canonicum peragunt, & hic ſitus eſt decorus, & in publica pſalmodia ordinarius, demonſtratque piam ſolicitudinem, & promptitudinem in Dei obſequio. Vnde ait Chryſoſtomus homil. 13. in epiſt. ad Hebræos non eſſe miniſtri ſedere, ſed ſtare, & Tertullianus lib. de Oratione cap. 12. ſcribit irreuerens eſſe aſſidere ſub conſpectum Dei, Angelo adhuc orationi adſtante; quique hoc faciat exprobrare Deo, quod oratio nos fatiget. Sic S. Franciſcus apud Bonauenturam cap. 10. nolebat muro, vel parieti inhærere, dum pſalleret, ſed Horas ſemper erectus, & ſine caputio perſoluebat. Sic Thomas à Kempis, vt alibi dictum, in pſallendo corpore erecto ſemper conſiſtebat, numquam ſedili vel brachio, vel tergo innitens; Sic S. Petrus Damiani apud Surium Februarij 22. Inter diuina officia nocturna & diurna pſallens nulli podio inhærebat. Et vt vniuerſim de hac habitudine dicam, videtur à S. Benedicto hæc indicta tempore, quo pſalmi canerentur, quandoquidem cap. 9. Regulæ præſcribit ſuis, vt dum in Nocturnis Vigilijs Lectiones leguntur, in ſcamnis omnes ſedeant; ſurgant verò de ſedilibus ſuis, dum in tertio Reſpõſorio Cantor dicit *Gloria*, ob honorem & reuerentiam Sanctiſſimæ Trinitatis. Verùm
expreſſius hoc docet, Amalarius Tre-
uirenſis lib. 4. de Eccleſiaſticis Officijs
cap. 3. Quando cantamus pſalmos, in-
quit, ſolemus ſtare, vt ex ſtatu corpo-
ris demonſtremus effectum noſtræ
mentis, hoc eſt paratos nos eſſe ad ope-
ra bona. Quamuis verò aliqui putent
eumdem ſtandi morem pſalmodiæ
tempore, percrebuiſſe apud Ægypti
monachos ætate Caſſiani, quod colli-
gere ſe exiſtimant ex cap. 5. & 7. lib.
2. de Inſtitut. Cœnobiorum, manife-
ſtè tamen contrarium oſtenditur ex
cap. 12. eiuſdem libri, vbi ita ſcribit.
Hunc ſanè canonicum duodecim „
pſalmorum numerum, tali corporis „
quiete releuant, vt ab ſqueeo, qui „
dicturus in medium pſalmos ſur- „
rexerit, cuncti ſedilibus humillimis „
inſidentes ad pſallentis vocem omni „
cordis intentione dependeant. Cete- „
rum poſterioribus temporibus fre-
quens fuit ſtatus ſub diuinũ officium.
S. Laurentius Iuſtinianus (vt ſcribit
Bernardus Iuſtinianus in eius Vita
apud Surium Ianuarij 8.) ſtabat gradu
nixus dum Diuina canerentur Offi-
cia, non dextrâ, non læuâ ſedilibus hæ-
rebat, quem ſtatum ſemper in pſal-
lendo ſeruauit. Videtur quoque ſitus
hic communiter viſitatus apud veteres,
tempore orationis, vt conſtat, ex ſacris
vtriuſque Teſtamenti ſcripturis, & hi-
ſtorijs Eccleſiaſticis: de quo vide Ioan-
nem Lorinum Præfatione Pſalmi cap.
14. ſub finem, vbi tamen rectè oſten-
dit, aliqua Scripturæ teſtimonia non
conuincere, cum ſtare in ea frequen-
ter ſignificet præſentiam decentem in
loco.

Placuit alijs ſacras preces fundere habitu magis humili & demiſſo, fixis videlicet humi genibus, corporeque curuato: eſtque hic index cordis contriti & ſpiritus contribulati, interioris etiam erga ſupremum numen reuerentiæ 9. *Alij horas legunt fixis humi genibus.*

rentiæ, & ad parandam eius miſericordiam com- hominem ampliùs diſponit. Vnde etiam plures hunc vſurpare aſſueuerunt, inter quos ſe offert S. Cardinalis Borromæus, qui canonicas preces, & quæ ad Deiparam habentur, quotidie poſitis humi genibus obibat, vt refertur lib. 7. cap. 13. Vitæ eius. Et certè nemo ignorat geniculationem, & corporis inclinationem fuiſſe ſemper omnibus religioſis viris & fœminis familiariſſimam: plena enim huius ſunt omnium literarum monimenta. S. Iacobus Apoſtolus è Canonicis Scriptoribus vnus, vt habet D. Hieronymus lib. de Viris illuſtribus in Iacobo: *Pro populo flexis genibus deprecatur in tantum, vt camelorum duritiem traxiſſe eius genua crederentur.* Idem accidiſſe ſcribit Aſellæ piæ matronæ Epiſt. ad Marcellam de Laudibus Aſellæ. S. Bartholomæus Apoſtolus centies per diem, & centies per [illegible] poplite humi depreſſo Deum [illegible] memoriæ prodidit de S. Antonio Anachoreta D. Athanaſius in [illegible] ſupplicaſſe. Et, vt [illegible] à ſacro tabulario aliqua promam, Notum eſt genu ſuccidere & in terram procumbere, dum in orationem ſe darent, cuiuſlibet ſeculi hominibus conſuetum fuiſſe. Sic Moſes Exodi 34. Dauid. 2. Reg. 12. ſe in ſolum proiecerunt. Sic Salomon de geniculis adorauit. 3. Reg. 8. Daniel. c. 6. Chriſtus Dominus Matth. 26. & Luc. 22. S. Stephanus Actor. 7. S. Petrus ibidem cap. 9. & S. Paulus cap. 20. Et quidem habitus hic nobis tempore nouæ legis aptè quadrat, qui Chriſtum de cœlo deſcendiſſe confitemur, *cui omne genu curuandum præmiſit Iſaias* cap. 45 *& flectendum*, dixit Apoſtolus ad Philip. 2. Vnde in Iſaiam ſupra ſcribit D. Hieronymus Moris Eccleſiaſtici eſt Chriſto genu flectere, quod Iudæi menus ſuperbiam demonſtrantes omnino non faciunt. Maximè ergo mihi probatur hæc priuatim ſupplicandi cærimonia, extra tempus Pentecoſtes, & dies Dominicos, quibus ſtandum ab Eccleſia præſcribitur; quia, vt rectè S. Ambroſius lib. 6. Hexameron c. 9. *Flexibilis genu præ cæteris, Domini mitigatur offenſa, ira mulcetur, gratia promouetur.* De tempore verò Reſurrectionis Domini memoriæ cõſecrato loquitur D. Hieronymus dialogo contra Luciferianos, die Dominico, & per omnem Pentecoſten de geniculis non adorare rationabilis ſibi obſeruatio vindicauit. Pleniùs de hoc ritu ſcripſit Stephanus Durantus lib. 3. de Ritibus cap. 24. num. 20. vſque ad finem.

Quia verò tradit S. Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 4. Non eſſe præſcriptum quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dummodo animus Deo præſens peragat intentionem ſuam; ideo quidam ſunt, qui Horas dicunt ſedendo, quem morem in choro admiſerim, partim quia prolixiùs ibi pſallitur, partim quia conſuetudo inualuit: priuatim, quidquid aliqui dixerint, non admodum probo; Niſi vel fatigatio, vel corporis præ ſenio aut morbo debilitas, vel maior quies, iuſta neceſſitas, caritas, ratio, excuſet: & tunc conſilij erit in humili ſcabello, vel ſcamnillo decenter ſe componere, vt ſoliti fuerunt antiqui cœnobitæ apud Caſſianum ſuprà. 10.

Aliqui etiã ſedendo can. officium legunt quod extra neceſſitatem minus probatur.

Ad hunc ſitum referri poteſt proſtratio in terram, & humi cubitorum nixus: ſic ferè depingitur (vt obſeruarunt Sylueſter & Nauarrus) Maria Magdalena ſolo iacens, & ſiniſtro lateri incumbens ad crucem amoris ſui deprecari. 11.

Quidã proſternuntur in terram.

Poſtremò, Alij deambulando penſum Eccleſiaſticum reddunt, nec modum illum reprehenderim, ſi inceſſus grauior & lentior fuerit, non verò inci- 12.

Alij deambulando horas recitãt,

citatior. Docet hoc, primum quorumdam piorum priuatim recitantium vſus. Deinde in feſtiuis proceſſionibus ſolet Eccleſia, non quidem Horas canonicas, ſed pſalmos modulatè perſonare, iuxta illud pſalmi centeſimi trigeſimi ſeptimi. *Et cantent in vijs Domini; quoniam magna eſt gloria Domini.* Adde nihil indecens in hoc modo contineri. Poſtremò cauſæ occurrere poſſunt, cur facere hoc neceſſe ſit, vel ſaltem expediat.

Exponam & ego hîc ſenſa animi mei circa poſiturã Horas Canonicas priuatim perorandi. Dico ergo imprimis recitandas nudo capite, vel leui tantùm pileolo tecto, vt ſanctos viros, Germanum Pariſienſem Epiſcopum, Franciſcum Seraphici Ordinis parentem, & alios feciſſe accepimus. *Omnis* enim *vir*, inquit Apoſtolus, prioris ad Corinth. 10. *orans velato capite deturpat caput ſuum.* Deinde humi fixis poplitibus oratio aliqua præmittenda, eademque habitudine (niſi fuerit dies Domini vel tempus Paſchale) dicenda Oratio Dominica, &c. Poſtea inchoandum officium per, *Deus in adiutorium*, &c. corpore erecto. Reliqua recitanda partim ſtando, partim flectendo, partim, ſi lubet, ambulando. Vſque adeo verum eſt etiam hîc illud Maronianum, *Amant alterna Camœnæ.* Conſultum etiam fuerit tempore quadragenarij ieiunij totum officium paucis exceptis dicere flectendo, qui habitus eſt luctus & pœnitentiæ, vt ait Rabanus libr. 2. de Inſtitut. Cleric. capit. 41. Sicut diebus Paſchalis gaudij totum perficitur ſtando. Plura hac de re habet Bonauentura in Speculo diſciplinæ ad Nouitios prima parte capit. 16. vbi ſuadet vt priuatim, ſi vires ferant, totum officium compleatur ſtando, exceptis lectionibus, quibus audiendis ſedendum, & paucis alijs, quibus vel caput vel genua inflectenda; ſi verò debilitas vel laſſitudo ſtatum non ferat, poſſe ſedendo dici, excepto initio Horarum, Inuitatorio, Hymnis, Capitulis, Collectis, in quibus ſtandum monet. Immo cùm infirmitas lecto corpus affixerit, initio officij Deo aliquam reuerentiam, prout facultas dabitur, conſulit exhibendam, quaſi à poſtulaturis licentiam ſedendi, ſicut viro principi antequam ſeſſum nos recipiamus, honoris ſigna corpus inclinando, &c. exhibemus. Adfert eo loco S. Bonauentura exemplum S. Hieronymi (quod refertur in eius Vita incerto Auctore ſcripta tomo 9. operum eiuſdem in fine) qui feſſus annis iam ſenex, dum nec ſenectuti parcit, nec exhauſtis viribus infirmitati blanditur, lectulo decumbens, vt officium monaſterij prout poterat obiret, fune è trabe pendulo manibus apprehenſo ſe certatim erigebat & librabat. Tantus ardor reuerenter pſallendi in corpore effœto bulliebat. 14. *Semper cum reuerentia pſallendum etiam tempore infirmitatis vt fecere Sancti.*

Quanti verò Deus, & beati cælites faciant corporis inclinationem, præſertim dum ad finem pſalmorum Doxologia Sanctiſſimæ Trinitatis perſonat, quantumque è contra diſpliceat licentior eiuſdem neglectus, probat hac hiſtoria ſuprà S. Bonauentura „ cap. 15. B. inquit, Dei genitrix, quanta ſit hæc noxa, & quam damnoſa, „ oſtendit ſeniori cuidam in choro „ pſallentium, quæ inclinantibus ſe „ ad venerãdæ Trinitatis Doxologiam „ Religioſis, ſuum ipſa filium ſingulis „ offerebat: quendam verò minimè ſe „ inflectentem auerſo ab eo vultu veluti hoc fauore indignum ſtomachabunda præteribat. Quin & ipſa „ Deipara legitur quandoque ad Doxologiam in choro ſe profundè demiſiſſe; Vt viro eximiæ ſanctitatis oſtenſum eſt, & habetur in Speculo exemplorum verbo *Defuncti*, exemplo 22. 15. *Exemplis oſtenditur Deo placere, ſi ad pronuntiationem doxologiæ caput inflectatur.*

16. Addit Bonauentura ibidem cap. 16. alium

16. ...Monachum lenta febri laboran-
...ob id in lecto Completorium
...aſſuetum, ab Angelo acribus
...caſtigatum, ſubijciente, Com-
...in lecto perlectum fructo-
... Videtur autem incidere
...eo quod refert S. Petrus
...Damiani Epiſt.14. ad Deſideriũ Abba-
...ſem cap.8. & habetur apud
Cad. Baronium tom.11. Annalium
Anno Chriſti 1062. Quomodo vide-
licet quidam vel Angelus vel homo
habitu peregrini Hieroſolymis redeun-
tis occurrens per viam cuidam Mona-
cho qui pridie Horas canonicas in
lecto iacens compleuerat, illi dixit:
*Completorium in lecto nec ſalus eſt, nec pro-
fectum,* quo dicto euanuit aculeo in ani-
mo alterius relicto. Huic cognatum
narrat idem Petrus Damiani cap. 9.
ſuprà, de viro quodam religioſo qui
lento depaſtus morbo præſumebat
ratione ſuæ infirmitatis in lectulo
Completorium legere; Cùm autem
non procul abeſſet energumenus à
malo genio grauiter cruciatus, qui
multa hominum ſcelera & fœditates
euulgaret, quem vir ille pius virtute
exorciſmorum coactum expellere co-
nabatur: Túnc, ait dæmon, ille es qui
quotidie in lecto Completorium in-
ſuſurras, & me quaſi ſanctus, de mei
iuris mancipio deturbare niteris? Eru-
buit mox vir religioſus etiam veritate
per mendacij auctorem patefactâ.

Quia verò B. Petri Damiani incidit
17. *Improbatur à Petro Damiani ſeſſio ſub diuinum officium.* mentio, ſuadet occaſio vt hîc breuiter
exſcribam quod de eo memoriæ pro-
didit Cardinalis Baronius ſuprà num.
85. qua ratione ſcilicet corripuerit Ar-
chiepiſcopum Biſuntinum, eò quòd
Clerici ipſi ſubditi tempore Horarum
Canonicarum ſederent. Dum igitur
Petrus Damiani Legationis munus
obiret, exceptus fuit (vt ipſe de ſe tra-
didit) à Waltero Archiepiſcopo Bi-
ſuntino celebris famæ Antiſtite, quem
ſummis laudibus effert: corripuit ta-
men eum, quòd pateretur Eccleſiæ
miniſtros ſedentes pſallere, dicitque
eamdem ignauiam in Galliarum par-
tibus, ſe etiam in nonnullis monachis
deprehendiſſe, additque vitium illud
eſſe correctione dignum, & de Eccle-
ſia in his, qui incolumes ſunt penitus
eradendum. Extat Petri Damiani de
hoc argumento epiſtola ſcripta ad
eumdem Epiſcopum, cuius exordium
eſt, *Non ignoras Venerabilis Pater,* in quá
ex pluribus ſcripturæ locis nititur
oſtendere nullo modo neque Clericis,
neque laicis in Eccleſia ſedendum (niſi
quis infirmitate grauetur) dum diuina
officia perſoluuntur: admonetque ip-
ſum, vt id quàm primum in ſua Eccle-
ſia corrigat, deinde in alijs etiam cor-
rigendum procuret.

Ad extremum aduertendum hîc, in 18. *Tria ſeruãda in compoſitione corporis tempore orationis.*
quocumque tandem corporis ſitu &
habitudine trium habendam eſſe ra-
tionem. Primum Diuinæ Maieſtatis,
cui huiuſmodi cerimoniæ miniſtrant:
Deinde noſtri ipſorum. Quod ſi coram
alijs etiam Oratio præſtetur; haben-
da ratio ædificationis, ne videlicet
præſentes offendantur, vel turbentur:
vnde in his peccari poteſt vel ratione
contemptus diuini numinis, quod ra-
rum; vel ratione ſcandali, quod aſtan-
tibus præbetur, vel nimiæ indulgentiæ
ſui, quando vt commoditati corporis
ſeruiatur, conuenientior compoſitio, &
ſitus negligitur.

CAPVT XIII.

Cur Eccleſia in ſuis precibus apprimè vſurpet, & delectetur Pſalmis, & quis ex eorum cantu in publicum promanet fructus.

CVM lib. 1. actum fuerit de Anti- 1.
quitate, & Vſitatione pſalmorum
in Ec-

in Eccleſia, iam explicandum eſt cur eidem potiùs placuerit eorum, quàm aliarum ſcripturarum decantatio, & quæ inde colligatur Vtilitas.

Solum præmitto conſuetudinem olim priſcâ Patrum memoriâ & deinceps fuiſſe totum pſalterium memoriæ commendare, vt paſſim conſtat ex ſanctorum geſtis. Vnde S. Hieronymus teſtatur in Epitaphio Paulæ ipſam Pſalmos Hebraicè tenuiſſe, & ceciniſſe: & de Virginibus ſub eius diſciplina loquens, *Non licebat*, ait, *cuique ſororum ignorare Pſalmos* & Epiſtola 4. ad Ruſticum monachum ſcribit ipſum informans, *Totum diſcatur Pſalterium*. Quin etiam antiquis temporibus in Græca vel Latina Eccleſia non accenſebantur in Epiſcopos vel Sacerdotes, qui Pſalterium memoriter non tenerent, vt patet ex lib. 4. Epiſtolarum D. Gregorij Epiſtola 45. & lib. 10. Epiſtola 6. Vide C. *Quæ ipſis*, diſtinct. 38. vbi dicitur nomen ſacerdotis vix in eo conſtare, qui non didicerit Pſalterium.

Quid verò cauſæ eſſe dicam, cur Eccleſia ex toto Sacrarum Literarum apparatu hunc pſalmorum librum potiſſimùm elegerit, quem ad omnes Horas decantaret per ſuos miniſtros? Multi varias huius rei adferunt rationes. Ego diuinâ hoc exiſtimo factum prouidentiâ, & arcano conſilio, propter infinita propemodum inde prouenientia emolumenta. S. certè Dionyſius capite, 3. de Diuinis nominibus docet Pſalterium eſſe quandam Periochã, & Synopſin totius Scripturæ, quâ omnia eius myſteria ſuccinctè deſcribuntur, & quidem mirabili metrorum ſuauitate temperatam. S. Gregorius Magnus Homiliâ 1. in Ezechielem ſcribit pſalmodiam, ſi ex animo, & non voce tantùm promatur omnipotenti Deo aditum præparare ad mentis noſtræ penetralia, vt illi vel propheciæ myſteria pandantur, vel ſpiritus bonus infundatur. Idem lib. 10. Epiſtola 22. prout etiam refert Ioannes Diaconus in Vita ipſius lib. 4. cap. 78. præ modeſtia cauit in Eccleſia recitari ſuos in Iob commentarios: Conſulit verò legendos qui ſcripti eſſent in pſalmos; eò quòd animos hominũ ſecularium apti præcipuè bonis moribus informare. Innocentius III. Prooemio in 7. Pſalmos Pœnitentiales dicit poſt Orationem Dominicam omnium orationum Archetypon, & perfectum Deo ſupplicandi exemplar extare in Pſalmis, inter omnes alias quæ in literis ſacris reperiuntur orandi formulas. Radulphus de Riuo lib. de Canon. Obſeruant. propoſit. 8. & 9. multa de hac re congerit, & inter alias hanc cauſam aſſignat, vt peccatores perlegendo Pſalmos Dauidis, qui & ipſe in grauia ſcelera lapſus eſt, & tamen veniam à Deo obtinuit, concipiant & ipſi ſpem eiuſdem gratiæ aſſequendæ: eamdemque ob rationem D. Pauli blaſphemi ante & Eccleſiæ perſecutoris Epiſtolas ſæpius publicè vſurpari.

5. Cardinalis à Turrecremata tract. 75. in Regulam D. Benedicti, qui eſt in caput 18. conficit octo rationes cur Eccleſia in Diuinis Officijs ſæpius vtatur Pſalmis quàm alijs Hagiographis, quas paululum illuſtratas hic tibi Lector reddo.

Turrecremata 8. cauſas dat cur Eccleſia Pſalmis potius delectetur quã alijs ſcripturis.

Prima, (quam attulerat ſuprà Radulphus Turgrenſis) quia Pſalmus eos, quos peccatorum pœnitudo tenet, mirum in modum animat: cùm liquidò cernunt Dauidem maximè in Eccleſia celebrari, etiam præ reliquis à Spiritu ſancto afflatis vatibus, per pœnitentiam factum prophetam. Rectè Ambroſius Præfatione in Pſalmos. *In Pſalmis diſco vitare peccatum, dediſco erubeſcere pœnitentiam delictorum. Tantus Rex, tantus Propheta ſuo me prouocauit exemplo,* 9.

aut

... commiſſum ſtudeam extenuare peccatum, ... commiſſum cauere.

Secunda, Quia nulla Scripturarum ita familiariter cum Deo ... Quippe cum quo tamquam præſens ſemper loquitur, quod proprium eſt orantibus.

Tertia, Quia pſalmodia fœcunda ſpiritualium affectuum, plurimum redundat cœleſtibus fructibus, vt docent Patres, & per ſe notum eſt.

Quarta, Quia lectio hæc omnibus communis eſt, omnibus ſeruit, omnibus ſubminiſtrat ſpirituale pabulum, & Chriſtianæ diſciplinæ rudimenta ponentibus, & in eadem iam prouectis, & ad culmen perfectionis euectis.

Quinta, Quia hæc cœleſtis philoſophia aptiſſima eſt, ad hominem plenè omni doctrinâ ad ſalutem neceſſariâ imbuendum, eique maximè illud Apoſtoli congruit 2. ad Timotheum 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, &c.* Vide Gloſſam in principio Pſalterij.

11. Sexta, Quia hæc prophetia alias antecellit perſpicuitate.

12. Septima, Quia in Pſalmis nihil propemodum eſt, quod non contineat, vel Dei laudationem, vel ad eum precationem, quæ duo propria ſunt Officio diuino.

13. Poſtrema, propter ſectionem cuiuſque pſalmi in verſiculos. Hæc autem vt viri docti rectè cenſent longè antiquior eſt diſtinctione aliarum ſcripturarum per verſus ſiue numeros: & ſic optimè carminum Dauidicorum hymnodia quadrat modulationi chori, quæ fit alternatim & *ἀντιφώνως*. Hactenus Turrecremata.

14. *Sanctorum ſtudium ſtudium in pſalmorum lectione & meditatione.* Hinc omnium ſanctorum ſtudium à primis annis vſque ad ſenectutem fuit Pſalmorum lectio, & meditatio. Certè S. Baſilius decumbẽs Epiſt. 100. exponi ſibi à dimidio animæ ſuæ Nazianzeno, cuius ingenium doctrinamque exploratam habebat, Pſalmos Dauidicos popoſcit. Notum eſt ex Poſſidio S. Auguſtinum Pſalmos, qui ſunt de Pœnitentia, curaſſe ſibi deſcribi & ad parietem figi, quos decem ante mortem diebus aſſiduè lectitabat.

15. *Prædicit Dauid Pſalmos ſuos vbique gentium in Eccleſiis decantandos.* Sed memoratu digniſſimum eſt quod tradunt Græci Patres exponentes verſum 50. Pſalmi 17. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo pſalmum dicam*; ſcilicet Dauidem diuinitus inſpiratum præcinuiſſe vbique gentium, & ritu perpetuo pſalmos ſuos in Eccleſijs gentium decantandos. Idem indicant ſæpiſſimè alij verſus, vt Pſal. 34. verſ. 18. *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te*, Et rurſus Pſalm. 56. v. 10. *Confitebor tibi in populis Domine, & pſalmum dicam tibi in gentibus*, Et iterum Pſal. 25. v. vltimo, *In Eccleſijs benedicam te Domine.*

16. *Encomia SS. Patrum de Pſalmis Dauidicis.* Sed præſtat Patrum aliquot encomia, quibus librum carminum Dauidicorum celebrant, in medium proferre.

17. *D. Chryſ. Pſalmorum prædicatio.* Primus ſit D. Chryſoſtomus hom. 6. de Pœnitentia, qui cum admiratus fuiſſet cur Propheta Dauid (quem muſicum Pudicitiæ Doctorem vocat) præ ceteris ſcripturis vbique gentium, quocumque tempore frequentaretur, tandem poſt multa hæc ſubijcit. „Propheta Dauid vitam noſtram omnibus exornat muneribus, omnibus omnia factus: Noſtram omnino vitam Angelicam reddit: pueris coadoleſcens, iuuenes ad prudentiam conuocans: virginibus pudicitiam largitur: ſenioribus firmitatem donat: peccatores ad pœnitentiam prouocat dicens, *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Eos qui per pœnitentiam profecerunt roborans dicit, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Eos qui bene-

Digitized by Google

neficia receperunt ad gratiarum ctiones excitans, *Quid retribuam,* in-uit, *Domino pro omnibus quæ retribuit ihi?* Eos qui multoties peccaue-int ad confeſſionem reuocat & di-t: *Si iniquitates obſeruaueris Domine, is ſuſtinebit?* Et plura alia. Et tan-em hoc modo concludit. O ma-nam citharam hominum totius rbis animas, veluti neruos quoſ-m vnam in conſonantiam, vnum oriæ ſermonem concrepantem,& ongregantem. Dauid hominū mo-s exornans, Angelorū politiam in rra ſtatuens, Angelorum celebri-te coronatus in cœlo. Et alibi xplicatione Pſalmi 137. affirmat qui Pſalmos ritè canunt, cum An- choreas ducere,& quaſi cum eis, ei laudibus & amore contendere. limachus Gradu 4. ſcribit ex ſen-ia Patrum, Pſalmorum cantum num eſſe arma, ſicut murum ora-em, lauacrum lachrymas.

. Baſilius Homilia in Pſalmum num (Quod Prooemium eſt in nes Pſalmos,& idem eſt cum eo, d præponitur enarrationi D. Au-ini in Pſalmos) præclaris titulis idis odaria exornat. Quædam ntùm decerpam: Vnus, inquit, ſalmorum liber quiduis ex omni-us ſcripturis in ſe complectitur, uod vſui ſit omnibus, futura cer-iſſimis præcinit oraculis, hiſtori-m continet narrationem, leges ncit vitæ ſanctiùs inſtituendæ, cui-ue agenda præſcribit,& ſubmo-et: vtque ſemel omnia; liber hic onæ omnis doctrinæ, vberrimum uoddam eſt & commune prom-tuarium, ſuâ vnius prouidâ ac ſo-rti curâ, veluti comminiſcens,& xcogitans, quod cuiuſque noſtrûm luti maximopere conducat. Quod de ipſe ſigillatim percenſet, ad-ue pſalmorum carmen animæ noſtræ mederi concinna & ſuaui numerorum modulatione, quæ grata potiùs ſit quàm acerba medicina. Rurſus inferiùs; Pſalmus eſt profligandis dæmonibus quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, tum ſecuritatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, conſiſtentium in ætatis flore, decus,& ornamentum, ſenum ſolamen, denique mundus eſt mulieribus exornandis appoſitiſſimus. Hæc & plura pſalmorum decora & inſignia congerit S. Baſilius.

20. S. Iſidorus libro 3. de ſummo bono capit. 7. Quamuis, inquit, dura ſint carnalium corda, ſtatim vt Pſalmi dulcedo inſonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit.

Eadem habent alij PP. de pſalmorum laudibus.

Conſonat his D. Ambroſius præfatione in Pſalmos Dauidicos, vbi inter cætera hæc habet: In alijs, inquit, ſcripturis ſingula aduertere licet. In libro pſalmorum profectus eſt omnium,& medicina quædam ſalutis humanæ. Quicunque legerit habet quo propriæ vulnera paſſionis ſpeciali poſſit curare remedio. Quicumque certare voluerit, tamquam in communi animarum gymnaſio,& quodam ſtadio virtutum diuerſa genera certaminum reperiens præparata id ſibi eligat, cui ſe intelligit aptiorem, quo facilius perueniat ad coronam. Et plura alia. Omitto Euthymium & alios Pſalmorum Enarratores.

21. Subtexam hîc, quod in Prato ſpirituali cap. 152. refertur de Marcello Abbate. Abbas Marcellus quaſi de alio ſene morante in Schiri (ipſe autem erat) narrauit, dicens, quod nocte quadam ſurrexerit, vt pſalmos ex more caneret, cumque pſallere cœpiſſet, audiuit vocem buccinæ, quaſi bellicum clangentis; turbatuſque ſenex cogitabat

Dæmon Pſalmis oppugnatur.

tur, dicens: Vnde hoc in loco vox perſtrepit? milites hic non ſunt, bellum hinc abeſt: Et cùm iſta volueret, dæmon prope illum dixit ei; vtique bellum eſt. Si vis oppugnari, ac repugnare non vis, ergo vade, dormi, & non oppugnaberis.

22. *Sententia Abbatis Marcelli* Dixit ceterum ſenex (Marcellus) crede mihi filioli, nihil ita perturbat, irritat, vulnerat, perdit, concitat, & contra nos dæmones commouet, & ipſum perditionis auctorem Sathanam, ſicut perpetua pſalmorum meditatio. Nam omnis quidem diuina ſcriptura vtilis nobis eſt, contriſtatque non mediocriter dæmones; non tamen ita ſicut pſalterium. Sicut enim in plebe, ſi vna pars laudat Imperatorem, alia pars ob id non contriſtatur, neque mouetur contra laudantes; cùm verò ad iniurias & contumelias non laudantium conuerſi fuerint, tunc aduerſus eos excitantur; Ita & dæmones non ita commouentur neque contriſtantur in alijs ſcripturis quemadmodum in Pſalmis. Nam cùm Pſalmos meditamur, partim quidem nobis ipſis Deum laudando oramus, partim verò maledictis inſequimur dæmones. Vt cum dicimus, *Miſerere mei Deus*; Et, *Ne projicias me à facie tua*, &c. nobis ipſis oramus. Tunc verò perſequimur dæmones cùm dicimus. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius*, &c. Hæc ibi & plura Marcellus Abbas.

23. *Ingens copia varietas ſpiritualium ſenſuum & affectionum in Pſalmis.* Poſtremò hìc aperienda eſſet copia, varietas, vis & dulcitudo ſenſuum, affectuum, & aſpirationum, quæ in diuinis Pſalmorum carminibus, veluti in venis, apothecis, & ſcriniolis abſconduntur: nec modò in vnoquoque Pſalmo, ſed in ſingulis pæne verſibus, ita vt quotquot ſonant verba totidem emicent piorum motuum igniculi. Enimuerò quia hæc piarum affectionum ſeges colligi nullo negotio poteſt ex pſalmorum Enarratoribus, qui in eos vel commentarios ediderunt, vel eorum Paraphraſes ſcripſerunt, in quibus eſt Cornelius Ianſenius, & Cardinalis Bellarminus, iudicaui mihi hìc non hærendum. Accedit cæſam hanc eſſe ſyluam ante me à pluribus viris egregiè pijs, & eruditis, qui faſces ſpiritualium aſpirationum certatim collegerunt, & in compendium redegerunt, quos ſtudioſus pſalmodiæ adire non grauabitur. Ex illis non infimus eſt P. Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. operum, qui eſt de ſtudio orationis, lib. 1. p. 2. cap. 15. qui ex denſiſſimo Pſalmorum luco decerpſit quatuor decades piorum affectuum, & commotionum, allatis ſingularum exemplis, quæ expreſſim in ſacris vatis pſalmodi carminibus Spiritus ſancti plectro, pulſatâ cœleſti citharâ excitantur: earum aliæ conueniunt ijs qui ſpirituale virtutum ſtadium primum ſubiêre: aliæ ijs qui in eodem multum progreſſi ſunt, non indecoro, vt ille ait, puluere ſordidi: aliæ poſtremò ijs, qui feruente rota ad metam iam pæne peruenerunt.

Tantùm tria lectorem hìc monitum volo. Primum eſt illud D. Auguſtini concione 3. in Pſalmum 30. Si, 23.
„ inquit, orat Pſalmus, orate, & ſi ge-
„ mit, gemite, & ſi gratulatur gaude-
„ te, & ſi ſperat, ſperate, & ſi ti-
„ met, timete. Omnia enim quæ
„ conſcripta ſunt, ſpeculum noſtrum
„ ſunt. Sed aliquantò fuſiùs exequitur hoc ipſum Caſſianus Collatione 10. quæ eſt Abbatis Iſaac de Oratione cap. 11. Quiſquis, inquit, virulentorum ſerpentium exterminator effectus eſt, omnes Pſalmorum affectus in ſe recipiens, ita incipiet decantare, vt eos non tamquam à Propheta compoſitos, ſed velut à ſe editos, quaſi orationem propriam profundâ cordis compunctione depromat: vel certè ad ſuam perſo-

25. *Dum pſallimus, affectus quos Pſalmus exprimit, animis noſtris imprimere debemus.*

perſonam æſtimet eos fuiſſe directos, eorumque ſententias non tunc tantummodo per Prophetam aut in Propheta, fuiſſe completas; ſed in ſe quotidie geri impleríque cognoſcat. Tunc enim diuinæ ſcripturæ nobis clariùs pateſcunt, & quodammodo earum venæ medullæque panduntur, quando experientia noſtra earum non tantum percipit, ſed etiam præuenit notionem, ſenſuſque verborum, non per expoſitionem nobis, ſed per documenta reſerantur: eumdem namque recipientes cordis affectum, quo quiſque decantatus vel conſcriptus eſt Pſalmus, velut auctores eius facti præcedemus magis intellectum ipſius, quàm ſequemur: id eſt, vt priùs dictorum virtutem, quàm notitiam colligentes, quid in nobis geſtum ſit, vel quotidianis geratur incurſibus ſuperueniente eorum meditatione quodammodo recordemur, & quid in nobis vel negligentia noſtra pepererit, vel diligentia conquiſierit, vel prouidentia diuina contulerit, vel inſtigatio fraudauerit inimici, vel ſubtraxerit lubrica ac ſubtilis obliuio, vel intulerit humana fragilitas ſeu improuida feſellerit ignoratio, decantantes reminiſcamur: omnes namque hos affectus in pſalmis inuenimus expreſſos, vt ea, quæ incurrerint, velut in ſpeculo puriſſimo peruidentes, efficaciùs agnoſcamus, & ita magiſtrantibus affectibus eruditi, non vt audita, ſed vt perfecta palpemus, nec tamquam memoriæ commendata, ſed velut ipſi naturæ rerum inſita de interno cordis parturiamur affectu, vt eorum ſenſus non textu lectionis, ſed experientiâ præcedente penetremus. Hæc ille more ſuo vberrimè.

Alterum eſt; Valde conſulendum eſſe ijs, qui fructuosè pſalmodiæ vacare deſiderant, vt cùm radius aliquis cœleſtis lucis ſe menti infuderit, vel ſpirituali dulcedine cordis penetralia Deus imbuerit, igniculus ille foueatur, & pſalmodiâ perfectâ identidem excitetur, & nouo flatu augeatur. Imitentur eos, quibus auri aliquæ venæ, vel argenti fodinæ fuerint detectæ; Sicut enim illi labori non parcunt, ſic nec ipſi altiùs penetrare deſiſtant, quia ingentes theſauros eructerare breui dabitur, & nouas opes ante reconditas Dei gratiâ aſpirante ſtudio opus eſt, vt inſinuat Salomon eruere. Solum Prou. 2. dum ait, *Si quæſieris eam* (ſapientiam) *quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies.*

Tertium, quia contingit interdum pſalmum vnum & eumdem varijs affectionum flammulis intermicare, nunc gaudij, nunc mœroris, nunc ſpei, nunc timoris, &c. ſic tranſeundum ab vno motu ad alium, vt quantum Deus dederit, dulcedo cœleſtis deguſtetur, & ſpirituales ſenſus percipiantur. Quod ſi pſalmus proſequendus eſt, hauſto quaſi curriculo diuino afflatu in ſinu memoriæ deinceps recondatur, vt per otium ruminetur: facilius verò erit ſui animi impetus ſpiritui Dauidico conformare, ſi pſalmus totus quaſi eodem imbutus affectu ad finem vſque decurrat. Sic pſalmi qui Dei laudes continent, ſpiritu cœleſti voluptate ebrio decantandi; qui verò proprias miſerias, & peccata deplorant animo gemebundo integrandi. Quamuis autem pij illi ſenſus & inſtinctus ſubitò elangueſcant & deficiant, ſolent tamen multis, ijſque magnis fructibus mentes piè pſallentium ditare, & admirabili ſuauitate perfundere. Ad quod propoſitum adfert P. Aluarez de Paz ſuprà appoſitum ſimile. Sicut, inquit, qui flumen corporis abluendi gratiâ ingreditur mundus inde exit, & cute nitida, licet aquarum vndæ vna poſt aliam defluant. Ita quamlibet Horam canonicam

27. *Ex ſingulis verſibus pſalmorum quantum Deus dederit, aliqua dulcedo haurienda.*

quaſi alueum quemdam Dei mi... ingreſſus & flumen perenne, cœ... illorum affectuum, quamuis ... ſuccedentium, & præterla... copia nihilominus purgatur, perluitur.

CAPVT XIV.

Quomodo ex ſacris Lectionibus ſpiritualis Vtilitas in Anagnoſtas, & Auditores redundet.

1. Lect... onis ... ſunt ... triplices, ... aliæ ... didacticæ, ... protrepticæ, aliæ paradigmaticæ.

Eruimus lib. 1. antiquum Lectionum ſacrarum vſum, & quo fine Pſalmis intermiſcerentur docuimus. Reſtat iam vt vberes huius inſtituti fructus breuiter colligamus. Scitum eſt Lectiones ſpirituales triplicis eſſe generis. Aut enim ſunt didacticæ, vel præceptiuæ intelligentiæ lumen præferentes inſtruendo, ſacra myſteria explicando, præcipiendo; aut ſunt protrepticæ, & vt ſic dicam, affectiuæ, affectum lenius permulcentes aut grauius percellentes; vel poſtremò ſunt paradigmaticæ, ſiue exemplares, & hiſtoricæ, Sanctorum præclarè geſta oculis ſubijcientes, & exemplis eorum vitam noſtram dirigentes. Conuenire porrò hanc partitionem Lectionibus nocturnorum nemo ambigit. Ceterum omnibus commune eſt, quod ſacræ Lectioni tribuunt ſancti patres, ſcilicet Deum per eam nobis loqui; ita ſæpius D. Auguſtinus vt enarratione in Pſalmum 85. *Quando legis, inquit, Deus tibi loquitur, quando oras tum Deo loqueris*, & Serm. 112. de tempore: *Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & legere, nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur.* Ambroſius lib. 1. Officiorum cap. 20. *Chriſtum alloquimur cùm oramus; illum audimus cùm diuina legimus oracula.* Idem docent alij Patres Hieronymus Epiſt. 22. & 41. Climachus Gradu 27 Iſidorus lib. 3. Sententiarum cap. 7. Hoc autem maximè verum eſt dum ſacras literas vel legimus vel legi audimus. Verba ſunt Magni Gregorij lib. 4. Epiſt. 84. ad Theodorum: *Imperator, inquit, Cæli, Dominus Angelorum & hominum pro vita tua tibi epiſtolas ſuas tranſmiſit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid eſt enim ſacra Scriptura niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad ſuam creaturam?* Hæc ille. Quis verò non ardenti animo perlegat ſingula verba conferens ea in corde ſuo, quæ tanti Regis literis continentur? Quis non in eis Dei voluntatem & iuſſa agnoſcat? Quis non exclamet cum Samuele. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus?*

2. *Per lectionem Deus nobis loquitur.*

3. *Sancti ſacram lectionem frequentarunt, & ſubditis commendarunt, vt S. Benedictus, S. Thom. D... minicus.*

Reuocat nobis ſacra Anagnoſis in memoriam morem primæuæ Eccleſiæ ſacros codices in publicis cœtibus perlegendi, de quo alibi dictum. Commendat hanc S. Benedictus Aſcetis ſuis hiſce verbis cap. 42. Regulæ: „Omni, inquit, tempore, ſiue ieiunij, „ſiue prandij, mox vt ſurrexerint à „Cœna, ſedeant omnes in vnum, & „legat vnus Collationes vel Vitas „Patrum, aut certè aliquid quod „ædificet audientes. Et paulò pòſt, „ſi autem ieiunij dies fuerit, dictâ „Veſperâ paruo interuallo mox accedant ad lectionem, vt diximus, „& lectis quatuor aut quinque folijs, „vel quantum hora permittit, omnibus in vnum concurrentibus, per „hanc moram lectionis, ſi quis fortè „in aſſignato ſibi commiſſo occupatus fuerit, occurrat, omnes ergo in „vnum poſiti Compleant, & exeuntes à Completorio nulla ſit licentia „cuiquam loqui aliquid. Hæc magiſter. Hanc regulam ſecuti ſunt tum plures alij, tum D. Thomas, vt habet Vitæ eius Hiſtoria, qui ne affectus eius tepeſceret ex ſubtiliorum ſpeculatione collationes Patrum frequenter

verſabat, veſtigijs inſiſtens S. Dominici parentis ſui, qui & ipſe eumdem librum aſſiduè volutabat, eius lectione ad religioſæ vitæ perfectionem contendens. In hoc exercitium ſuccedit initio eiuſdem Completorij Lectio breuis, notam aliquam venerandæ antiquitatis retinens, vt alibi dictum.

Cæterùm quis recenſere valeat vbertatem & varietatem ſpiritualium fructuum, quos exercitatio hæc ſaluberrima pleno, vt ita loquar, calatho in ſinus eorum effundit, qui eidem animo ritè permollito, & corde intento incumbunt, & nocturnorum lectiones in choro decantatas, vel priuatim recitatas excipiunt vt Dei verbum? Imitantes Theſſalonicenſes, quos commendans ita ſcribit Apoſtolus 1. ad illos Epiſt. cap. 2. *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed, ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidiſtis.* In quem locum D. Ambroſius: „Tanta deuotione receperunt „verbum, vt probarent ſe intellexiſſe „Dei eſſe doctrinam. S. Hieronymus „Vos ita credidiſtis, vt ab ipſo Deo „audire putaretis, non ſpiritu humano „curioſo, auaro, ſcientiæ, laudis, „&c. ſed affectu pio, Chriſtiano, per„fectionis & ſalutis ſuæ Deique glo„riæ cupido.

In animum itaque hoc pacto præparatum hi fructus nati ſunt redundare. Intelligendi facultas nouo lumine illuſtratur, occulta, & incerta diuinæ ſapientiæ manifeſtantur, pelluntur mentis fluctuationes, errores, tenebræ, ſcrupuli. Si quidem lex, Dei lux, verbum eius lucerna. *Declaratio ſermonum eius illuminat & intellectum dat paruulis, Et præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Expertum ſe hoc fatetur D. Auguſtinus lib. 8. confeſ. cap. 12. poſt lecta verba Apoſtoli: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, &c.* Statim, in„quit, cum fine huius ſententiæ quaſi „luce ſecuritatis infuſa cordi meo „omnes dubitationis tenebræ diffuge„runt. Idem experti ſunt, & experiun„tur quotidie alij plures.

Affectus deinde cœleſti rore perfunditur, ſuſpirat ad patriam, currit in odorem vnguentorum Domini, ardet Chriſtum & quæ Chriſti ſunt, varijs, & ijs quidem, quos mens non capit, fertur, & pertentatur voluptatibus, ſenſibus, motibus: Liquidiſſimâ ſtipantur præcordia dulcedine. Iuuat in illud Dauidicum prorumpere, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Pſal. 118. & Pſal. 18. *Et deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum,* & quæ ſequuntur. Flammeſcunt intus fibræ acceſſæ Dei eloquijs vehementer ignitis, & penitiſſimæ medullæ, neſcio quid cœleſte ſpirant. 6. *Affectum perfundit cœleſti dulcedine.*

Quid de opibus & gazis loquar, quas memoria in ſecretiores ſuos ſinus copioſo prouentu congerit? Quanta ſeges ex diligenti ruminatione diuinorum librorum pullulat? quot argumenta meditationis hæc exercitatio ſuppeditat! Taceo cumulum exemplorum, quæ ſanctorum res geſtæ, dum in diuino officio proponuntur, ſuggerunt. 7. *Memoriam ſpirituali ſemine conſerit.*

Hæc, vt teſtantur SS. Patres Narthecia ſunt & Myrothecia: Specula ſunt, imò Spicula & Sagittæ acutæ: Carbones vitæ ante malè actæ Deſolatorij: Phari ſunt, & faces, imò Stellæ in denſis mundi huius tenebris cæciſque procellis iter ad portum æternæ ſalutis præmonſtrantes. Immurmurant hæc audientium auribus illud Auguſtino à veneranda continentia, irrisoriè dictum, *Tu non poteris, quod iſti & iſtæ?* Itemque iſtud. *Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causâ militamus? Maior ne eſſe* 8. *Exempla ſuggerit vitæ rectè agendæ.*

ſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile plenumq; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quando iſtud erit? amicus autem Dei eſſe ſi voluero, ecce nunc fio. Hæc ille Palatinus apud Auguſtinum lib. 8. Confeſſionum cap. 6. Lectâ D. Antonij vitâ in alium diuina Metamorphoſi mente conuerſus ad ſuum contubernalem. Addi poteſt & illud quod ipſe S. Auguſtinus eodem lib. cap. 8. auditâ militum conuerſione ſibi infremebat. *Quid patimur? quid eſt, quod audiſti? Surgunt indocti & cœlum rapiunt, &c. an quia præceſſerunt pudet ſequi? & non pudet, nec ſaltem ſequi?*

9 Denique ſacra lectio armamentarium eſt cœleſti panopliâ confertiſſimum. Vnde contra inaſpectabiles aduerſarios à capite ad calcem obarmeris, & mille tela eminus & cominus in illos intorqueas. Apotheca eſt inſtructiſſima præſentiſſimis antipharmacis, & ſaluberrima panacæa, quibus animi tui morbis medicinam facias. Anchora eſt, quâ tempore orationis fluctuantem cordis tui nauiculam, & euagationum vndis huc illucque iactatam fundes & in ſanctis cogitationibus confirmes. Vtilitatem huius Gymnadis ſiue exercitij, & multiplices eius vires ignorare non poſſunt, qui ſanctorum res geſtas aliquando peruoluerunt, vbi mirabiles animorum mutationes mecum ſæpe, vt mihi perſuadeo, perſpexerunt, efficaciâ ſacræ lectionis perfectas. Omitto hîc Antonios, Victorinos, Simeones, Stylitas, Auguſtinos, Franciſcos, Columbinos, Ignatios, & huiuſmodi Heroes.

10. *Exempla eorum qui per ſacras lectiones conuerſi ſunt ad fidem vt S. Chryſantus.*

Certè S. Chryſantus, vt refert Metaphraſtes apud Surium 25. Octob. in eius Vita; Cùm inſtar apis argumentoſæ per diuerſorum eruditorum virorum ſcripta magno ſtudio raperetur, in Euangeliorum oracula fortè incidit, quibus diligenter peruolutis, & à S. Carpophoro explanatis, Chriſti religionem ſuſcepit, quam poſtea ſuo ſanguine exornauit.

11. *S. etiam Domna.*

Domna item clariſſima femina falſorum Deorum Sacerdos & gentilis ſuperſtitionis Antiſtita perlecto D. Lucæ volumine, quod Acta Apoſtolorum inſcribitur, ad Chriſtianam fidem tranſijt, cuius præceptis plenius imbuta in egenos veſtem pretioſam, vniones, omnemque muliebrem mundum diſtribuit, & ſanguinis ſui inſuper prodiga vitam in eiuſdem fidei confeſſione proiecit, vt refert, idem Metaphraſtes in eius Vita 26. Ianuar. & ex eo Cardinalis Baronius Anno Chriſti 295.

Auctor eſt Gregorius Turonenſis c. 107. lib. de Gloria Confeſ. S. Paulinum Epiſcopū Nolanum cum verba Euangelij percepiſſet, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei*, ſtatim omnia vendidiſſe, & pauperibus erogaſſe.

Verùm vnum aut alterum ex SS. Patribus nos ad ſacræ lectionis ſtudium excitantem, & eius commoda recenſentem in medium adducamus.

12. *S. Hiero. ad ſacram lectionem.*

S. Hieronymus Epiſt. 10. ad Furiam cap. 4. De ſcripturis, inquit, ſanctis habeto fixum verſuum numerum: iſtud penſum Domino tuo redde: Nec ante membra quieti concedas, quàm calathum pectoris tui hoc ſubtegmine impleueris. Poſt ſcripturas ſanctas Doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat, quorum fides nota eſt. Non neceſſe habes aurum in luto quærere. Rurſus idem ſcribens ad Celantiam Epiſt. 14. cap. 4 Sint diuinæ ſcripturæ ſemper in manibus tuis, & iugiter in mente voluantur, Ioannis 13. *Hæc ſi ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* Iacobi 4. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi*, Nec ſufficere

„ ficere tibi putes mandata Dei me-
„ moriâ tenere & operibus obliuiſci:
„ Sed ideo illa cognoſce, vt facias
„ quidquid faciendum didiceris. *Non*
„ *enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum,*
„ *ſed factores legis iuſtificabuntur* ad Rom.
„ 2. Latus quidem & immenſus di-
„ uinæ legis campus extenditur, qui
„ diuerſis teſtimonijs veritatis velut
„ cœleſtibus quibuſdam floribus ver-
„ nans mirâ oblectatione legentis
„ animum paſcit ac refouet: quæ om-
„ nia ſemper cognoſcere, ſecumque
„ reuoluere ingens ad conſeruandam
„ iuſtitiam beneficium eſt. Idem ite-
rum epiſt. 4. ad Ruſticum cap. 5. *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.*

S. Bernardus Neceſſitatem & Vtilitatem ſanctæ lectionis egregiè depingit libello, cui nomen indit Scalam clauſtralem, ſiue de modo orandi: Vbi cùm hanc ſcalam conſtare docuiſſet quatuor gradibus; Lectione, Meditatione, Oratione, & Contemplatione; poſtea ſic lectionem deſcribit. *Lectio,* inquit, *eſt ſedula ſcripturarum cum animi intentione inſpectio,* Vlteriùs proſequitur eius officium, & quomodo ſe habeat ad alios gradus dum ſubdit;
„ Beatæ vitæ dulcedinem Lectio in-
„ quirit, Meditatio inuenit, Oratio
„ poſtulat, Contemplatio deguſtat.
„ Lectio quaſi ſolidum cibum ori ap-
„ ponit: Meditatio maſticat, & fran-
„ git: Oratio ſaporem acquirit: Con-
„ templatio eſt ipſa dulcedo quæ iu-
„ cundat & reficit. Lectio in Cortice,
„ Meditatio in adipe, Oratio in de-
„ ſiderij poſtulatione, Contemplatio
„ in adeptæ dulcedinis delectatione
„ Quod vt expreſſius videri poſſit
„ vnum de multis ſupponam exem-
„ plum. In lectione audio, *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.*
„ Matth. 5. Ecce breue verbum, ſed
Ad paſtum animæ quaſi vnam mi- „
niſtrauit, quam poſtquam anima „
diligenter inſpexit, dicit intra ſe: Po- „
teſt aliquid boni eſſe? redibo ad cor „
meum, & tentabo ſi fortè intelligere, „
& inuenire potero mundiitiam „
hanc: pretioſa enim & deſiderabilis „
eſt res iſta, cuius poſſeſſores beati „
dicuntur, quibus viſio Dei, quæ eſt „
vita æterna promittitur, Quæ tot „
ſacræ ſcripturæ teſtimonijs collau- „
datur, &c. Et poſt multa idem Bernardus quæ diffuſiùs dixerat in ſummam colligens ſubdit. *Lectio quaſi fundamentum primum occurrit, & data materia mittit ad meditationem.* Idem breuiter dicit S. Bonauentura libello de Informatione Nouitiorum p. 2. cap. 4. *Lectio dat materiam & quaſi ſemen bonæ cogitationis*

14. *Vt cum fructu lectio audiatur oratio illi præmittenda.*

Supereſt modò paucis exponere, quâ ratione fructus hi eximij ex Lectionibus diuini officij percipiantur. Primò itaque, vt hæc lectio ſit animæ ſalutaris, magno animi ſenſu, vel legendæ, vel audiendæ ſunt orationes quas breuiarium Abſolutiones vocat, quibus obnixè Dominum rogemus, qui primus & ſummus eſt magiſter, vt ſenſum nobis aperiat noſtrique miſereatur, & preces noſtras exaudiat. Eâdem deuotione excipiendæ quæ vocantur Benedictiones, humiliter à diuinis perſonis petenda legendi licentia, & gratia cum fructu ſacris lectionibus inſiſtendi. Denique oratione breui concludenda Lectio, quâ obſecremus vt Deus deſideria concepta foueat, & gratia cœleſti nos proſequatur, quod ſignificat illa clauſula. *Tu autem Domine miſerere nobis.*

15. *Excitandũ deſiderium audita vel lecta opere complendi.*

Secundò, Magnum excitandum deſiderium non ſolum audiendi, quod lector pronuntiaturus eſt, ſed etiam illud opere exequendi, ita vt (quod Epiſt. 108. egregiè protulit Seneca lo-

... propoſitum beatæ vitæ trahenda, quæ ... fuerunt verba, ſint in nobis ... hoc deſiderio flagrabat qui ca... Pſal. 118. *Os meum aperui & at-traxi ſpiritum, quia mandata tua deſidera-bam.* ... anhelantis verba ſunt hæc, an-... & animam identidem tra-... quâ metaphorâ ſatis indicat ... ingenti cupiditate Dei man-... & ſe hiante cordis ore in-... Chamæleontis cœleſtem auram ... velle, quâ poſſit eadem per-... S. Gregorius, quid ſit aperire ... explicat Homiliâ 10. in Eze-chiel. *Os, inquit, aperimus quando ſenſum ad intelligentiam ſacri verbi preparamus: & ... Dominica præcepta cordis noſtri de-ſideria inſpirant, vt de cibo vitæ aliquid ſu-mant.*

16. *Attentè, & tractim le-gendum.*

Tertiò, Sacra Lectio non curſim & celeriter præcipitanda, ſed recitanda, & cum pauſa decantanda, & tractim, & cum ſilentio audienda attentè etiam. Fortè huc pertinet illud Apoſtolicum prioris ad Timoth. 4. *Attende lectioni.* Commendantur Theſſalonicenſes Actor. 17. ex his duobus capitibus, *Nobiliores eorum*, inquit S. Lucas, *qui ſunt Theſſalonicæ, ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Sequebantur ſcilicet Chriſti monitum Ioannis 5. *Scrutamini ſcripturas.* Quod auctore D. Chryſoſtomo Homilia 40. in Ioannem non ſignificat nudam lectionem, ſed inueſtigationem perquam diligentem. Scimus experientiâ tenues pluuias terram altiùs penetrare, itaque fœcundare: E contrà nimbos præcipiteſque procellas ſumma planitie madefacta in flumina ſubiecta deuolui exiguo agrorum emolumento. Multa in hanc rem peti poſſunt ex Seneca Epiſt. 2. vbi oſtendit non multa legenda, ſed multum. Inter cetera hoc eleganter, nihil tam vtile, inquit, eſt, quod in tranſitum proſit. Cetera lector videat.

17. *Lectio ſacra eo ſpiritu legenda, quo ſcripta eſt.*

Quartò, Lectio ſancta perlegenda eſt eo ſpiritu & mente, quâ a Spiritu ſancto dictata eſt. Rectè dicit pius ſcriptor libri 1. de Imitatione Chriſti cap. 5. *Veritas eſt in Scripturis ſacris quærenda, non eloquentia.* Omnis Scriptura ſacra eo ſpiritu debet legi quo facta eſt. Quærere potiùs debemus vtilitatem in ſcripturis, quam ſubtilitatem ſermonis. Abſit itaque hic ſpiritus curioſitatis, vt tantùm ſcias: abſit ſpiritus vanitatis, vt ſciaris: abſit ſpiritus omnis humanus diſcendi acumina ſententiarum, ſubtilitates philoſophicas, eloquentiam, &c. Audi & lege vt Deo placeas, ſeruias, tibi proſis, peccata fugias, gratiam acquiras, &c. Hic affectus in arcana ſcripturarum te manu ducet. S. Bernardus ſcribens ad Fratres de monte Dei aſſerit neminem D. Pauli aſſecuturum ſenſum, niſi priùs hauſerit eius ſpiritum, nec Dauidis carmina intellecturum, niſi priùs ſe in caſtos illius affectus induerit.

18. *Mens legentis eſſe debet Dei inſpirationi obſequi.*

Quintò, Mens ſacris lectionibus intendentis ſit obſequi diuinis inſpirationibus, quæ ſuggeruntur. Quæ enim vtilitas menſæ lautæ aſſidenti, ſi propoſitos cibos tantùm ſpectet, & non deguſtet? Memineris Angelum Ezechieli cap. 3. & Ioanni Apocal. 10. præcepiſſe, vt volumen ſibi porrectum ederent, & deglutirent ne dum aperirent, aut legerent. Proponitur tibi cœleſtis menſa, vt inde aliquid in ſuccum & ſanguinem conuertas: prælegitur tibi ſummi regis edictum, vt te illius executioni accingas.

19. *Particula aliqua e lectione audita in memoria ſunt recondenda.*

Sextò, Præcipiunt omnes rerum ſpiritualium Scriptores, vt è lectione particulam ſaltem aliquam, delicatiorem, & ſaliuam animæ mouentem recondamus in cordis penetralibus tẽpore neceſſitatis depromptúri, tamquam fidi promicondi, vt inde argumentum meditationis ſumamus, deuotionis ignem ſuſcitemus, irruente

tentationum incurſu, tamquam ſcuto ſeptemplici, vtamur, *Scuto enim circumdabit te veritas eius*, Pſal. 90. Monet hoc Auguſtinus Concione 1. in Pſal. 103. *Quæ audiſtis cogitate; quæ manducaſtis ruminate: ſic enim eritis munda animalia.* Bernardus ſup. in Scala Clauſtrali: Quid,
„ inquit, prodeſt lectione continua
„ tempus occupare, ſanctorum geſta
„ & ſcripta legendo tranſcurrere, niſi
„ ea etiam maſticando & ruminando
„ ſuccum eliciamus, & tranſglutiendo
„ vſque ad cordis intima tranſmittamus? vt ex his diligenter conſide-
„ remus ſtatum noſtrum, & ſtudea-
„ mus eorum opera agere, quorum fa-
„ cta cupimus lectitare? Idem rurſus Tractatu Ad fratres de monte Dei, circa medium ſcribit: De quoti-
„ diana lectione aliquid quotidie in
„ ventrem memoriæ demittendum
„ eſt, quod fideliùs digeratur, & rur-
„ ſum reuocatum crebrius rumine-
„ tur, quod propoſito conueniat, quod
„ intentioni proficiat, quod detineat
„ animum, vt aliena cogitare non li-
„ beat. Hæc ille. Sic benedicta, Dei parens conſeruabat verba Chriſti conferens ea in corde ſuo Luc. 2. Supremam manum huic capiti imponat D. Hieronymus qui Epiſt. 1. ad Demetriadem in ſummarium videtur redegiſſe, quæ hactenus diximus. Ita ergo
„ ſcribit. Ita ſcripturas ſacras lege, vt
„ ſemper memineris Dei illa eſſe ver-
„ ba, qui legem ſuam non ſolùm ſciri,
„ ſed etiam impleri iubet. Nihil enim
„ prodeſt facienda didiciſſe, & non
„ facere. Optimè vteris lectione di-
„ uina, ſi illam tibi adhibeas ſpeculi
„ vice, vt ibi velut ad imaginem ſuam
„ anima reſpiciat, & vel fœda quæ-
„ que corrigat, & pulchra plus ornet,
„ lectionem frequenter interrumpat
„ oratio, & animam iugiter adhæren-
„ tem Deo grata viciſſitudo ſancti
„ operis accendat. Hoc facit in ſuo officio Eccleſia: quod & feciſſe Origenem Helluonem illum librorum, adamantina fibra, idem ſcribit Hieronymus Epiſt. 18. ad Marcellam, cui refert hoc illum egiſſe diebus & noctibus, vt & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem. Sed ad Hieronymi locum reuertamur. Nunc te igi-
„ tur ordo inſtruat cæleſtis Hiſtoriæ:
„ nunc Sancti Dauid oblectet Canti-
„ cum: nunc Salomonis erudiat Sa-
„ pientia: nunc ad timorem Domini
„ increpationes incitent Propheta-
„ rum: nunc Euangelica & Apoſtolica
„ perfectio te Chriſto in omni mo-
„ rum ſanctitate coniungat. Quæ pa-
„ randa ſunt, memoriæ penitus inſere,
„ eaque iugi meditatione conſerua.
„ Quæ maturanda ſunt, frequenter
„ reuolue, vt diuinum hoc ſtudium, &
„ cœleſtis ſchola, & mores ſimul vir-
„ ginis ornent, & ſenſum: tradantque
„ tibi cum ſapientia ſanctitatem. Vn-
„ de ſcriptura dicit. *Qui quærunt Deum,*
„ *inuenient ſapientiam cum iuſtitia.* Sit au-
„ tem ipſa lectio temperata cui finem
„ conſilium, non laſſitudo imponat.
„ Hæc & plura ibi Hieronymus.

21\. *Cur Eccleſia in ſuo officio lectiones pſalmis & orationibus miſcuerit.*

Porrò obſeruatu digniſſimum eſt Eccleſiam magno artificio planéque diuino pſalmos & orationes lectionibus miſcuiſſe, vt hac varietate & viciſſitudine tædium, quod orantibus obrepere ſolet, leuaret. Vt enim magnifico & ſaliari apparatu inſtructum conuiuium ferculorum copia & lautitia faſtidium epulantium magna ex parte tollit & nouis ſubinde illatis dapibus orexim accumbentium prouitat; *Ita Chriſti Eccleſia miſcens vinum, & proponens menſam ſuam*, Prou. 9. *In conſpectu noſtro aduerſus eos qui tribulant nos*, Pſal. 22. vt eius miniſtri extructis epulis ſuauiùs, ſalubriuſque ſine ſatietate reficiantur; multiplici ciborum ſtrue, hoc eſt Pſalmis, Orationibus, Sacris Lectionibus, & huiuſmodi deuotionis illece-

illecebris languentem, eorum appetentiam prouocat & accendit. Sic feſſus anhelusque viator nonnullâ quiete itineris moleſtias laboremque fallere, & lenire aſſolet, & poſtea quod reliquum viæ reſtat, reſumptis viribus, etiam animi cauſſa aliquid cantillando peragere. Sic S. Hieronymus Epiſt. 7. & 18. acceptum ab alijs inculcat, vt orationem lectio, lectionem excipiat oratio, quæ S. Ephrem tomo 2. paræn. 4 vocat duo vbera ſpiritualia, quibus ſpiritus alitur. Et clerici noſtri nocturnæ pſalmodiæ prolixitatem grato Lectionum leuamine temperare ſolent.

CAPVT XV.

Silentium in Choro dum pſallitur, accuratè præſtandum.

1. *Ethnici ſilentium ſuis in ſacris à præſentibus poſcebant.*

HARPOCRATIS ſimulacrum, quod digitum labris apprimebat in ſacris Iſidis & Serapidis præſentibus ſilentium indicebat Auctore Euſebio lib. 2. de Præparatione Euangelica Pythagoras Samius à ſuis quinquennalem poſcebat ἐχεμυθίαν, ſiue taciturnitatem teſte Suida & alijs. Ita & Laertius lib. 8. in Pythagora; licet Gellius lib. 1. Noctium Atticarum cap. 9. ſcribat non omnes idem tempus iuſſos tacere, ſed aliud alios pro æſtimato captu ſolertiæ, ſed non minus quemquam biennio tacuiſſe.

2. *Multò magis Eccleſia in diuino officio exigit ſilentium.*

Quot canonibus & præceptis Chriſti Eccleſia ſuis Sacris Initiatis tempore Liturgiæ & publici Officij imponit tacendi legem! Quot rationibus exigit in choro tempore diuinarum laudum ſilentium! Quantus hic campus aperitur, ſi per eum aut vacare aut liberet exſpatiari! Nihil hic de ſilentij laudibus dicam. Solùm capita pauca propognam ab exemplis & argumentis petita, quæ illud Eccleſiaſticis omnibus in Oratorio tempore pſalmodiæ ſuadeant, aut mandent.

3. *Mirum Ægyptiorum monachorum tempore pſalmodiæ ſilentium & quies auctore Caſsiano.*

Prodeat ergo in medium Caſſianus, qui nobis ſilentium ſub diuinum Officium ex inſtituto monachorum Ægypti prædicans, ita ſcribit lib. 2. de Inſtitut. cœnobiorum cap. 10 Cùm, inquit, Ægyptij monachi ſolemnitates pſalmodiæ, quas illi Synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis ſilentium præbetur, vt cùm in vnum tam numeroſa fratrum multitudo conueniat, præter illum qui conſurgens pſalmum decantat, in medio, nullus hominum penitus adeſſe credatur, ac præcipuè cùm conſummatur oratio, in qua non ſputum emittitur, non exſcreatio obſtrepit, non tuſſis interſonat, non oſcitatio ſomnolenta diſſutis malis, & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla ſuſpiria, etiam aſtantes impeditura promuntur, nulla vox abſque ſacerdotis precem concludentis auditur, niſi fortè hæc, quæ per exceſſum mentis clauſtra oris effugerit, quæque inſenſibiliter cordi obrepſerit, immoderato ſcilicet, atque intolerabili ſpiritus feruore ſuccenſo, dum ea quæ ignita mens in ſemetipſa non præualet continere, per ineffabilem quemdam gemitum ex intimis pectoris ſui conclauibus euaporare conatur. Hæc Caſſianus.

4. *Leuitæ olim ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem.*

Sed placet altiùs rem arceſſere à capite, & demonſtrare quantum ſemper laboratum fuerit in Eccleſia Dei, vt Diuinorum Officiorum tempore fierent ſacris fida ſilentia, vt loquitur Maro de Gentilium ſuperſtitionibus. Habemus certè Nehemiæ cap. 8. Quomodo ſacerdote Eſdra legente librum legis coram omni populo (qui & ipſe ſtabat ſuper gradum ligneum populo eminentior, vt etiam lectores noſtri loco altiore ſiue ſuggeſtu ſtare ſolent)

ſolent) Leuitæ faciebant ſilentium in populo ad audiendam legem, vt habes Num. 7. & rurſum Num. 11. Leuitæ ſilentium faciebant in omni populo dicentes: *Tacete, quia dies ſanctus eſt,* &c.

Notum eſt ſimile quid vſitatum in paganorum ſacrificijs, videlicet, *Fauete linguis*: Quo carmine præeunte ſilentium indicebatur. Quinimò & ſacra dicta myſteria, id eſt, arcana παρὰ τὸ μύειν τὸ στόμα, vt quidam deducunt, quod lingua eſſet compeſcenda, vt patet de ſacris Iſidis vel Cereris, &c. Quintilianus declamat. 36. docet in ſacris gentilium ſilentium commendatum, cùm ait: in templo verò, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitam mentem noſtram cuſtodimus, pulſare velut in ſolitudine, velut in ſecreto quodam non eſt ferendum. Imò in paganorum fanis religioni fuiſſe exſpuere, aut naſum emungere Arrianus ſcribit libro 3. Epicteti cap. 11.

Sed minimè prætermittendum eſt quod refert Ariſtęas libello de LXXII. Interpretibus, de admirabili ſilentio, quod ſacerdotes legis antiquæ ſeruabant eo tempore, quo victimas immolabant. „Silentium tantum ineſt, inquit, vt cùm ſeptingenti ferè miniſtrorum continuò adſint, & offerentium libamina multitudo ſit ingens, nec vnum quidem hominem in loco verſari putes. Summâ namque veneratione cuncta, & magnâ Dei pietate perficiuntur.

Fuiſſe etiam morem in primis nouæ legis temporibus, vt, dum pſalmodia perſonaret, maximè verò dum lectio recitaretur, ſilentium à diacono clara voce imperaretur, vt omnes ſe redderent Harpocrates lib. 1. Supra ex antiquis Patribus Auguſtino, Ambroſio, Iſidoro, Rabano docuimus. Sic Ambroſius præfatione in Pſalmos, Quantum, inquit, laboratur in Eccleſia, vt fiat ſilentium cum Lectiones leguntur! Si vnus loquatur, obſtrepit vniuerſis; cùm Pſalmus legitur, ipſe ſibi eſt effector ſilentij; omnes loquuntur, & nullus obſtrepit.

Verùm, quia ſemel Ambroſij fecimus mentionem iuuat hic commemorare, quæ adducit, vt ſuos pertraheret ad ora continenda ſub tempus diuini Officij. Sic itaque ſcribit libr. 3. de Virginibus. Maxima eſt virtus tacendi præſertim in Eccleſia. An quidquam eſt indignius quàm oracula diuina circumſtrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur? Circumſonare ſacramenta confuſis vocibus, vt impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium, cùm gentiles idolis ſuis reuerentiam tacendo referant? Vnde illud exemplum proditur (quod etiam præter alios refert Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. de patientia, ſed malui Ambroſiano charactere hîc deſcribere) Alexandro Macedonum Rege ſacrificante puerulum barbarum, qui lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu nec tacito pœnam indicaſſe fletu, tanta in puero barbaro fuit diſciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret. Atque ille non Deos, qui nulli erant, ſed regem timebat. Pergit deinde ſubtexere miraculum quo ſilentij populus tempore ſacrorū moneretur. Frequens, inquit, ſermo eſt, cùm plurima ranarum murmura religioſæ plebis auribus obſtreperent, ſacerdotem Dei præcepiſſe vt conticerent, ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi: tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt? & irrationale animal

8. *Exhortatio D. Ambroſij vt taceatur in Eccleſia.*

9. *Alexandro dijs ſacrificante puerulus barbarus à ſtrepitu ſibi temperat, & brachium ſibi aduri permittit.*

10. *Magno miraculo Ranæ iuſſæ à ſacerdote tacere tempore orationis à com[illegible] deſtiterunt.*

per

Digitized by Google

» per teuerentiam recognoſcit quod » per naturam ignorat: hominum tantam eſſe immodeſtiam, vt plerique » deferre neſciant mentium religioni, » quod deferunt aurium voluptati? Hactenus Mediolanenſis Antiſtes.

11. *Auicula ad imperium D. Franciſci dum pſallit cantum cohibent.*

Simile ſuprà narrauimus de canoris volucribus iuſſu D. Franciſci obmuteſcentibus tantiſper dum pſalmodiam cum ſocio peragerer.

12. *Silentium à Dauide dicitur eſſe Dei laus in Sion.*

Vtinam non ſolum rudis plebecula, ſed etiam plures Eccleſiæ miniſtri intelligerent, quantum labis, & detrimenti aſpergant diuinis Officij dum rident, cachinnantur, omnia miſcent rumuſculis, fabellis, tumultibus, & quantum ornamenti accedat graui taciturnitate & oris cuſtodiâ. Indicat hoc Regius Vates Pſal. 94. ſecundum Hebraicum exemplar quod habet, *Tibi ſilentium eſt laus Deus in Sion* (in quo ſcilicet templum erat extructum) vbi noſter habet; *Te decet hymnus Deus in Sion.* Dicitur autem ſilentium in templo eſſe laus Dei, tum quia ſacram Hymnodiam decoram & laudabilem reddit, tum quia locum præbet maiori cum quiete Deum celebrandi, tum poſtremò, quia materiam alijs præbet Deum laudandi, cùm aduertunt ſacra officia peragi magno ſilentio & compoſita maturitate.

13. *Iſaias idem inſinuat vt taciturnitatem eſſe diuinarum laudum ornamentum.*

Aliqui ad hoc propoſitum aptant illud Iſaiæ, cap. 32. *Erit cultus iuſtitiæ ſilentium*, (in ſenſu morali) quaſi Propheta vaticinetur decus diuinarum laudum, & religionis, quæ pars eſt iuſtitiæ, fore ſilentium, quo ipſa quaſi cultu aliquo & ornamento decoretur. Applicari eodem potuit eiuſdem Prophetæ illud cap. 48. *Laude mea infrænabo te ne intereas.* Si quidem ſilentium tempore diuinorum myſteriorum frænum eſt, quod ori iniectum ſingularis eſt Dei laus. Quamuis enim alius vates Pſalmo 50. oret ſibi potiùs labia aperiri, vt os eius laudem Dei annunciet; Eſt nihilominus etiam ipſa oris compreſſio, dum Dei ſacris miniſterijs vacatur, ſingularis & eximia rerum diuinarum exornatio. Proinde rectè dixit Ambroſius (qui paſſim ſub tempus diuini Officij ſilentium commendat) libr. 6. de Sacramentis, ineffabilibus myſterijs nulla res magis quadrat quàm Silentium.

14. *» Alexander » Papa tempore Martyrij ſui ſeruat ſilentium, quia dicebat illũ eſſe orationis horam.*

Dicitur Alexander Papa & Martyr, » dum acerbiſſimis pœnis pro fide torqueretur, interrogatus à tyranno, cur tunc temporis taceret, egregiè reſpondiſſe, quia, inquit, orationis hora eſt, quam decet & ornat Silentium. Significabatur hæc ſub tempus precum alta quies ceſſatione ab omni ſtrepitu, cùm ædificaretur templum Salomonis 3. Reg. 6. vbi num. 7. ſic habetur: *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.*

15.

Sed age, hæc quæ diximus intermixtis aliquot Patrum ſententijs condiamus.

SS. Patres taciturnitatem cõmendant in ſacris: vt S. Baſil.

S. Baſilius in templo ſilentium ſeruandum graphicè oſtendit homil. 1. in Pſal. 28. explicans verſum 9. *In templo eius omnes dicent gloriam.* Audiant, » inquit, hæc Pſalmi verba & confuſi » ſuppudeſcant ij, qui in templo prolixiſſima intertexunt colloquia. » Quid dicit Pſalmus? Qui in templo Dei eſt, non maledicentiam, non » vanitatem, ac ne obſcœnis rebus diſſertos ſermones pronunciet; ſed in » templo eius quiſque dicet gloriam. » Aſſiſtunt verba deſcribentes Angeli, adeſt & Dominus affectus intrantium conſiderans. Et rurſus. » Homines miſerabiles nullo corripiuntur Iudicij metu, adeo vt ſibi » arridentes ſuaſque prenſantes dextras domum orationis vertant in » locum effuſiſſimæ loquacitatis, minùs obtemperantes Pſalmo huic » conteſtanti ac dicenti, *In templo eius*

omnes dicent gloriam. Hæc & multò plura
lectu digniſſima ibidem recenſet
Baſilius.

Idem argumentum facundiſſimè
& fœcundiſſimè proſequitur paſſim
D. Chryſoſtom. hom. 38. ad Populum
„ Antiochen. Nihil, inquit, Eccleſiæ
„ tam congruum, quàm ſilentium &
„ tranquillitas; Theatris conuenit tu-
„ multus & foris, vbi verò de talibus
„ dogmatis doctrina, tranquillitas &
„ quies, & Philoſophia, & multa pax
„ eſſe debet, &c. Rurſus ho. 36. in prio-
„ rem ad Corinth. An, inquit, domos
„ non habetis ad nugandum? An Dei
„ Eccleſiam deſpicitis? Et eos etiam
„ corrumpitis, qui volunt eſſe mo-
„ deſti & quieti? At nobis eſt ſuaue
„ & iucundum alloqui eos qui ſunt
„ nobis noti; Non hoc vero, ſed domi,
„ ſed in foro: Eccleſia enim non diſ-
„ ceptandi, ſed diſcendi locus eſt. Si-
milia habet homil. 24. in Acta Apoſto-
lorum.

Nec deſunt Latini Patres qui idem
ſuis ſcriptis ſuadeant. Auguſtinus ſerm.
„ 251. de tempore, Nolite, inquit, in-
„ uicem in Eccleſia verboſari, (nouè
„ dixit pro ſermocinari) ſed quieti
„ eſtote. Sunt enim plerique & præ-
„ cipuè pleræque mulieres, quæ ita in
„ Eccleſia garriunt, ita verboſantur,
„ vt lectiones diuinas, nec ipſæ au-
„ diant, nec alios audire permittant.
„ Et ſermone 215. de tempore. In Ec-
„ cleſia ſtantes nolite verboſari, ſed
„ lectiones diuinas patienter audite.
„ Qui enim in Eccleſia verboſari vo-
„ luerit, & pro ſe & pro alijs redditu-
„ rus eſt rationem, dum verbum Dei
„ nec ipſe audit, nec alios audire per-
„ mittit. Hæc Auguſt. Quod ſi Patres
mulierculas & laicos adeò acriter in-
ſectantur tempore concionis vel di-
uini officij garrientes, quid dicturi
eſſent ſi Clericos & ſacerdotes in cho-
ro tempore pſalmodiæ aduertiſſent fa-
bulantes, perſtrepentes, corridentes,
fulmine verborum, & tonitru ſententiarum
omnia permiſcuiſſent.

Animum potiùs adhibeat lector ad
verba S. Gregorij Nazianzeni, quibus
matrem ſuam Nonnam commendat
à Silentio in tẽplo Oratione 19. In
„ Conuentibus, inquit, locisque ſacris
„ numquam illius vox audita eſt (ne-
„ ceſſarias illas tantùm & myſticas
„ excipio) Et cur non illi ad laudem
„ præclarum ſit, quod ſilentij honore
„ ſancta coluerit, quod venerandæ
„ menſæ numquam terga verterit nec
„ diuinum ſolum conſputando inqui-
„ nauerit. Sic ille. Neceſſarias autem &
myſticas voces interpretatur Elias
Cretenſis quæ externè à plebe ad ea
quæ à ſacerdotibus pronunciata ſunt,
aptè concinuntur.

18. *S. Nazian. Nonnam matrem ſuam laudat à ſilentio in templo.*

S. Clemens Romanus lib. 2. Con-
ſtitutionum Apoſtolicarum cap. 61 &
lib. 8. cap. 11. & epiſt. 1. ad Iacobum
fratrem Domini, Antiquitus, ait, qui-
„ dam ex diaconis in templo inam-
„ bulabant, contemplantes viros ac
„ mulieres, ne quis fieret ſtrepitus, ne
„ quis nutus faceret, aut muſſitaret,
„ aut dormitaret. *Oportet enim*, inquit,
„ *in Eccleſia accuratè, ſobriè, vigilanter ma-*
„ *nere, attentas aures habentem ad Domini*
„ *ſermonem.*

19. *Teſte S. Clemente Rom. olim diaconi in templis garrientes obſeruabant?*

Iam propoſitum canonibus, quos
ſacroſancta ediderunt Patrum Con-
cilia, confirmemus. 20.

Concilium Turonenſe ſub Caro-
lo Magno cap. 38. Nec verbis, nec alio
modo licet in Eccleſia ſtrepere, nec
tumultuari: ſed quamdiu in ea cauſâ
orationis manetur, fabulæ inanes ca-
uendæ ſunt.

Concil. Tur. in templo fabulas prohibet.

Concilium Lugdunenſe vt habetur
C. decet de Immunitate Eccleſiarum
in 6. *Ceſſent vana & multò fortiùs fœda*
& profana colloquia, ceſſent confabulationes
quælibet, &c. Concilium Toletanum 11.
cap. 2. & habetur apud Gratianum c. 21.

Idem vetat Lugdun. Toletan. Trident.

C. In

„ C. *In loco benedictionis*. 5. q. 4. ſic ſtatuit. In loco benedictionis conſidentes Domini ſacerdotes, nullis debent aut indiſcreris vocibus perſtrepere, aut quibuſlibet tumultibus perturbari; nullis etiam fabulis vanis, vel riſibus agi, & quod eſt deterius, obſtinatis diſceptationibus tumultuoſas voces effundere, &c. Quæ verba etiam citantur à Concilio Conſtantienſi ſeſſione 1 in principio, & à Tridentino de modo viuendi, & alijs in Concilio ſeruandis. Extat in idem caput Commentarius Nauarri tomo 3. operum eius, de Silentio in diuinis officijs præſertim in choro ſeruando.

22. *Cura fabulas à templis arcendi à Trident. demandatur Antiſtitibus.*

Denique cura tollendi omnem tumultum, & confabulationem ab Eccleſia demandatur Antiſtitibus à Tridentino ſeſ. 22. decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ. „ Ordinarij, inquit, locorum ſeculares omnes actiones vana atque adeò profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant, vt domus Dei verè domus orationis eſſe videatur & dici poſſit Matthæi 21. Idem fuerat conſtitutum in Concilio Lugdunenſi ſuprà. Eadem ſuſtulit Pius V. ſua Extrauaganti cuius initium: *Quam primum*, & habetur pagina nona inter Conſtitutiones Pij V. vide Nauarrum ſuprà & cap. 17. Enchir. de Horis, num. 15. & ſequent.

23. *Protrepticon ad Clericos ſilentium in pſalmodia ſeruandum inculcans.*

Ecce quanta rationum momenta protulimus, quot exemplorum faſces cumulauimus, quot præcepta produximus, & tamen prò dolor! nondum effræne illud membrum & indomitum ſepto dentium, & ſilentij clathris, nos Eccleſiaſticis myſterijs dicati, in ipſis templi penetralibus conſtituti, in ipſa diuiniſſima pſalmodia cohibere valemus aut volumus. Pudeat nos noſtræ loquacitatis: Non poſſe Eccleſiæ miniſtrum ſacris vacantem horulam vnã tacere; cùm Paulus Simplex præcepto magiſtri, & Agatho Archimandrita inductione propria, indito in os lapillo, dentium vallo per triennium linguam continuerint: Radulphus Tacens teſte Thoma Cantipratano lib. 2. Memorabilium per annos 16. ſolidos omni ſermone abſtinuerit: Ioannes à ſilentio dictus Silentiarius, annos totos 4. teſte Cyrillo monacho in ἰχεμυθίᾳ & taciturnitate perennarit. Sed quid Chriſtianos commemoro? perfricuêre frontem noſtræ ætatis Clerici pſalmodi, & penitus depuduêre. Itaque illos ad ſcholas Pythagoræ, Zenonis, Harpocratis & Hippocratis remittamus: vt tacere diſcant.

24. *Exempla ſanctorum, qui ſilentium obſeruarunt.*

Repeto iterum quod prius inſinuaui. Scribit de Pythagora Sidonius Apollinaris epiſt 21. Pythagoras aduenientibus diſcipulis priùs legitur tacendi patientiam quàm loquendi monſtraſſe doctrinam. De Hippocrate ſic Hieronymus Epiſt. ad Nepotian. Hippocrates adiurat diſcipulos ſuos antequam doceat, & in verba ſua iurare compellat, extorquet Sacramento ſilentium. Hæc Hieronymus. Tradunt Zenonem, cùm plures Philoſophos cum Legatis Antigoni Regis ad cœnam inuitaſſet; illique ſapientiam ſuam plenis buccis concreparent, ſolum tacuiſſe, & interrogatum reſpondiſſe: Silentij hanc cauſam eſſe, eò quòd difficillimum foret ſermonem retinere. Aiunt item Harpocratem Philoſophũ maximè præcepiſſe Silentium, idque omnibus rebus antepoſuiſſe. Ægyptij olim Sigalioni, vel Harpocrati (quem fingebant Silentij Deum) ſacrificabant, in cuius ſacris illa verba ſolennia erant; γλῶττα τύχη, γλῶττα δαίμων, id eſt, *lingua fortuna, lingua infortunium*, ſcilicet homini eſt. Eant nunc noſtri Clerici, & ſibi de ſua religione applaudant; audiant vel inuiti illud S. Iacobi Apoſt. Epiſt. cap. 1. *Si quis putat ſe religioſum* (id eſt, Dei cultorem) *eſſe*,

25. *Philoſophi gentiles & verbis & factis ſilentium commendarunt.*

eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.

CAPVT XVI.

Religioſa Reuerentia in Oratorio, in eius ingreſſu, egreſſuque exhibenda.

1\. QVAMVIS Quies & Silentium in ſacris officijs adhibitum index ſit, mater & altrix internæ Reuerentiæ erga Deum reſque diuinas, cùm ex ſublimi exiſtimatione eminentiſſimæ illius naturæ proficiſcitur; propoſitum tamen mihi pluſcula huc loci adiumenta adducere, quæ omnimodam venerationem in choro ſub diuinum officium præſtandam ſuadeant, & verò etiam præcipiant. Dicam verò ea quæ primum in calamum, vt ſic loquar, inciderint.

2\. *Oratorium ingredientibus Clericis commendatur reuerentia & grauitas ex C. decet.*

Principio itaque curandum eſt Dei miniſtris, vt templum, oratorium, chorum ingrediantur debitâ cum grauitate, modeſtiâ, obſeruantiâ religioſâ, abſque ſtrepitu, iocis, clamoribus. Perpendi aliquando huic propoſito ſeruiens Capit. *Decet*, de Immunitate Eccleſiarum in 6. ſumptum ex Concilio Lugdunenſi, cuius fruſtillum aliquod hîc inſerere placuit iterum iterumque Eccleſiaſticis ruminandum. *Decet*, inquit, *domum Domini ſanctitudo: Decet, vt cuius in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Eccleſias humilis & deuotus ingreſſus, ſit in eis quieta conuerſatio, Deo grata, inſpicientibus placita, quæ conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed & reficiat.* Ibidem optat ſalutiferum & omni cultu proſequendum nomen IESV ſub diuinum officium, dum pronuntiatur, cordis geniculatione honorari, quod ſaltém capitis inclinatione proteſtentur Clerici. Denique poſt multa hæc ſubiungit: *Sint quacumque diuinum poſſunt turbare officium, aut oculos diuinæ maieſtatis offendere, ab ipſis ſacris locis prorſus extranea, ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi.*

Quæ autem illa ſint, quæ diuino officio obſtrepant, Deique cultum dedeceant, aut impediant, videat Lector apud Nauarrum in Enchiridio de Horis canonicis cap. 5. num. 22. & ſeq. Non enim mihi decretum eſt aut ſingulas ſacerdotum Clericorúmve maculas colligere, aut in illos ſatyricum ſtylum ſtringere, ſed potiùs ad ſanctiora prouocare. 3.

4\. *Pontifex veteris legis ſanctuariũ ingrediens cum tintinnabulorum ſonitu admonebatur reuerentiæ erga Dei maieſtatem præſtandæ.*

Lego Exodi 28. *Ad Oram tunicæ Hyacinthinæ talaris, quam ſacrorum illius temporis Præſes geſtabat, fuiſſe pendula tintinnabula vt audiretur ſonus, quando ingrederetur, & egrederetur ſanctuarium in conſpectu Domini & non moreretur, præcepto videlicet Dei inobediens.* Siquidem nolebat ſumma illa maieſtas Sacerdotum Principem, tabernaculum, id eſt, domum ſuam ſubire vel exire, niſi pulſu perſtrepente: non quo ipſa caperetur; ſed quo ſacerdos & populus memor eius magnificentiæ & præſentiæ redderetur tanti numinis reuerens & obſeruans. Si enim nullus principis terreni baſilicam ingredi audeat, niſi ſonitu præcedente; quomodo in regis cœleſtis auguſtale irruat quis non dato ſigno ſui aduentus, quod Rex ipſe ſtatuerit?

5\. *Eandem religionem inſinuat Angelus Moſi illis verbis,* Solue calceamentum, *&c.*

Eiuſdem Reuerentiæ & Religionis monuit Deus per Angelum Moyſen Exodi 3. v. 5. *Ne appropies*, inquit, *huc; ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Quod idem præcipitur Ioſue cap. 5. v. 15. Quam enim notionem putamus hiſce verbis ſubeſſe? Credo equidem hunc locum ſic poſſe intelligi; prohibitum videlicet fuiſſe Moſen (qui impetu quodam naturæ, & curioſitate ductus, non

ſatis

ſatis diuinæ Maieſtatis obſeruans myſterium Rubi innoxia flamma depaſti exploraturus graſſabatur) vlterius tendere,niſi calceos poſuiſſet, vt agnoſceret ibidem ſummi numinis præſentiam,eique cultum & debitam adorationem exhiberet, & ſacro horrore perfuſus animo demiſſo ,corpore prono,Dei oraculum venerabundus exciperet. Et rectè quidem. Siquidem apud apud omnes nationes barbaras æquè atque cultas ſemper pedum nudatio indicium fuit venerationis. Saraceni vſque hodie ingreſſuri ſua fana ante fores calceamenta relinquunt. Græcorum ſacrificulos docet Procopius in Exod.3. olim exutis ſandalijs ſiue obſtragulis in templis Idolorum miniſtraſſe. Videntur etiam Romani nudis pedibus Deos adoraſſe. Sacerdotes Dagon 1.Reg.5. *Limen templi Dagon calcare non audebant*, vt minus mirum ſit, ſacerdotes legis Moſaicæ ſua miniſteria in tabernaculo nudis pedibus obiuiſſe,vt docent Interpretes, & colligi videtur, Exodi 30. v. 19. Vnde rectè obſeruat Cornelius Cornelij ritum calceamenta ſoluendi,& nudis plantis incedendi profluxiſſe à ſeruitijs. Solebant enim mancipia in ſignum ſubiectionis & reuerentiæ nudis pedibus ſolum calcare : ſicut è contra vſus calcei indicium erat dominij & poteſtatis; vnde dicitur Pſal.59.v.10. *In Idumæam extendam calceamentum meum*; quod mox per Epexegeſin declarat, *Mihi alienigenæ ſubditi ſunt*. Symbolum Pythagoræ eſt: *Nudis pedibus rem diuinam facito* : licet per hoc indicare voluerit purgatis affectibus ſacris operandum. Attendat ergo Dei miniſter cur Dei adytum ingreſſurus exhibere debeat reuerentiam. Dicitur enim,locus in quo ſtas,terra ſancta eſt: Sancta,inquam , propter Angelum vices Dei gerentem ibi ſe oſtentantem. Idem ſibi proponat oratorium ingreſſurus,& ibi Dei laudes celebraturus ſacerdos,vt non temere, & velut ex conſuetudine, ſed digna cum veneratione & ſolicitudine accedat.

Sed præſtat Sancti Bernardi,quàm mea verba audire. Sic ille ſcribit Sermone de quatuor modis orandi circa finem. Quid aliud,inquit, cogitare debet frater intrans ad orationem,quàm propheticum illud : *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei*. Omnino ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœleſtem,illam vtique curiam, in qua Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu. Vnde & ipſe,qui viderat (Daniel cap. 7.) quia maiorem numerum non inuenit; *millia,ait,millium miniſtrabant ei,& decies millies centena millia aſſiſtebant ei*. Quantâ ergo cum reuerentiâ, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens & repens ranuncula vilis! quàm tremebundus, quàm ſupplex,quàm denique humilis & ſolicitus , & toto intentus animo maieſtati gloriæ,in præſentia Angelorum , in conſilio iuſtorum & congregatione aſſiſtere poterit miſer homuncio! In cunctis igitur actionibus noſtris multâ opus eſt animi vigilantiâ, ſed præcipuè in oratione. Etenim ſicut in Regula noſtra legimus: Licet hora omni & omni loco oculi Domini ſuper nos ſpeculentur, maximè tamen in oratione. Licet enim ſemper videamur, ſed nunc etiam præſentamus & oſtendimus nos quaſi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porrò quamuis vbique ſit Deus,in cœlo tamen orandus eſt,ibique orationis tempore cogitandus , vt mens noſtra non oratorij tecto, non aëris ſpatio , non ipsâ retardetur nubium denſitate,iuxta eam formam , quæ nobis à Chriſto tradita eſt Matth.6. vbi ait, *ſic orabitis; Pater noſter qui es in cælis*. Hactenus

6. *Locus S. Bernar. ſuadens templum ingreſſus reuerentiam.*

Diuus Bernardus.

7. *Argumenta inducentia ad reuerentiam tempore pſalmodiæ.*

Multa argumenta congeri poſſint, quæ nos inducant, imò compellant ad ſubmiſſionem, & religioſum honorem præſtandum, dum diuina in choro peraguntur officia.

8. *Primum, quia templum eſt quoddam cælum terreſtre.*

Inter quæ, Primò occurrit illud quod aliquoties D. Bernardus inculcat, quoniam tempore orationis cœli regiam ſubimus, non ſolùm mentis oculis illam nobis ſubijciendo & ibi nos præſentes contemplando, vt rectè S. ille intelligit; verùm etiam quia templum & oratorium cœlum quoddam ſublunare & terreſtre eſt. Audiamus hoc argumentum verſantem D. Chryſoſtomum Homil. 36 in priorem ad

9. *Locus pro hoc D. Chryſoſt.*

„ Corinth. Eſt templum locus Angelorum, locus Archangelorum, regia „ cœli, cœlum ipſum. Quemadmodum igitur ſi cœlum quiſpiam in „ anguſtum redactum illuc te introducat, etiam ſi fratrem videas; præ „ ſtupore tamen non alloquare; ſic „ neque hic aliud quidquam, quàm „ ſancta ſonare docet. Magiſtrum ſecutus diſcipulus S. Nilus in Parænefi, ſic ait: *Eccleſiam non ſecus quàm cœlum frequenta, nihilq; in ea ſeu loquere ſeu cogita terrenum.* Hæc Nilus. Quid verò verum in cœlo geritur? Quid? Silentium, tremor, horror, ſtupor, ſubmiſſio, adoratio; Quamquam meliùs dixerim nihil ibi audiri niſi laudem, gratiarum actionem, quæ trigemino illo & triſagio hymno continentur. Denique quid negotij ibi tractetur diſcimus ab inferiore noſtro cœlo, & Eccleſia in terris, quæ ſic profitetur; *Maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates, Cœli Cælorumq; virtutes ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant; Cum quibus & noſtras voces, vt admitti iubeas deprecamur, &c.*

10. *Secundum argumentũ eſt Angelorum ibidem præſentia.*

Secundum argumentum, quo ad reuerentiam in locis ſacris exhibendam permouemur, eſt Angelorum ibidem aſſiſtentia, quod paſſim Patres vrgent. Hinc Nazianzenus Orat. 32. ad 150. Epiſcopos habita ſub finem, Angelos Eccleſiæ præſides appellat. Adſunt vero ibi Chriſto Regi vt palatina ſeruitia è prima cohorte amicorum ipſius, adſunt vt capita & verba orantium deſcribant, vt S. Baſilius Homil. in Pſal. 28. Adſunt vt orationes noſtras ſuis comitentur, vt S. Maximus de Eccleſiaſtica myſtagogia cap. 25. Et quid opus eſt teſtimonijs in re omnium teſtatiſſima? cum plures ſancti eos viderint, & pluribus locis teſtetur S. Hieronymus ex Ioſepho 7. de bello capit. 12. audias voces Angelorum & cœleſtium virtutum ex adytis templi Iudaici, quæ ibi priùs in præſidio erãt: *Tranſmigremus ex his ſedibus.* Et ſi alia deeſſent ſufficeret nobis teſtimonium Lucæ primo, *Vbi Zacharia incenſum offerenti apparuit Gabriel ſtans à dextris altaris.* Dicimus itaque cum Concilio Aquiſgranenſi capit. 131. Maximè Angelici ſpiritus nobis adeſſe credendi ſunt, cùm diuinis ſpecialiter mancipamur obſequijs, id eſt, cum Eccleſiam ingreſſi, vel lectionibus ſacris aurem accommodamus, vel pſalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel miſſarum ſolemnia celebramus. Vnde Propheta ait Pſalm. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Hæc Concilium.

11. *Templum eſt domus Dei commorantis inter homines.*

Tertium eſto: Templum eſt domus Dei conuerſantis cum hominibus corporeis, ſicut Cœlum domus eius eſt commorantis inter Spiritus incorporeos; Quocirca ſumma animi ſubmiſſione & ſupplici veneratione in eo agendum. Quia, vt dicitur Pſal. 64. v. 5. *Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate,* id eſt, admirationem & metum incutiens, Hebraicè terribile, Pſal. 5. v. 8. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo,* Pſal. 131. v. 7. *Introibimus in tabernaculum eius,*

adora-

adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Iacob Geneſ.28. v. 17. ſic loquitur de Bethel. *Quàm terribilis eſt locus iſte, &c.* Vnde S. Bernardus Sermone 6. in Dedicatione Eccleſiæ. Terribilis planè locus & dignus omni reuerentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſuâ quoque præſentiâ Dominus ipſe dignatur. Adde Deum velle omni cultu proſequendam domum ſuam: ſic enim ipſe loquitur Leuit.19.v.30 *Sanctuarium meum metuite, ego Dominus*, id eſt, cauete ne abſque honore debito in illud irruatis, & vltra terminos vobis poſitos ingrediamini. Rurſus Leuit.26 v. 2. *Pauete ſanctuarium meum, ego Dominus*, id eſt, religiosè in eo vos gerite.

12. *Reuerentiam exhibendam indicat lotio manuum & pedum in lege veteri.*

Quid plura? Non niſi manibus & pedibus lotis ſacerdotes Aaronici Tabernaculum ingrediebantur Exod.30. & 40. tum reuerentiæ excitandæ, tum interioris munditiei adhibendæ ergo; Olim etiam Chriſtianis lauare manus ſacram ædem ingreſſuris in vſu erat, vt conſtat ex Tertulliano lib. de Orat. cap.11. Chryſoſtomo Homilia 52. in Matth. &c. Vnde & præ Eccleſiæ foribus vas aquæ poſitum erat ad purificationem, vt teſtatur Euſebius lib. 10. Hiſtor. cap. 4. In cuius locum iam ſucceſſit concha aquæ piacularis vel benedictæ.

13. Sed à diuerticulo in viam redeo. Dico ergo, locum Deo conſecratum homines ibi verſantes ſacro horrore natum eſſe percellere, Pſal.92.v.7. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum*: quaſi dicat, dignum eſt, vt omnes domum ſuam venerentur, vt ſanctam honore debito afficiant, & qui eam frequentant ſancti quoque & puri ſint.

14. Quartum, Quoniam ſemel in altum prouecti ſumus, iuuat vlteriùs in abdita ſanctorum Patrum ſcripta vela dare, quibus paſſim hanc religionem nobis inijciunt.

Prodeat ergo S. Martyr Carthaginienſis qui hæc habet lib. de Oratione Dominica. Sit, inquit, orantibus ſermo & precatio cum diſciplina quietem continens & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare. Placendum eſt diuinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis. Nam vt impudentis eſt clamoribus ſtrepere, ita conuenit verecundo modeſtis precibus orare. Et inferiùs. Quando in vnum cum fratribus conuenimus, verecundiæ, & diſciplinæ memores eſſe debemus. Non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè Deo, tumultuoſa loquacitate iactare. 15.

S. Cyprian. religioſam venerationẽ in oratione prædicat.

S. Baſilius cap 2. de Inſtit. Monaſt. Si quis, inquit, coram principe ſtat, & ipſum alloquitur, magno cum metu ſtat, & cùm corporis extrinſecus, tum etiam mentis intrinſecus attentos oculos tenet periculi metu. Quanto tandem maiore metu, trepidationeque cenſendum eſt oportere vos ſtare in conſpectu Dei, tota mente in illum vnum intenta, neque vſquam aliò? Cùm ipſe, non hominis partem illam modò, quæ foris apparet, vt homines faciunt; ſed etiam, quæ intus occulta oculorum aſpectum fallit, clariſſimè peruideat? 16.

Eandem indicat Baſil.

S. Hieronymus lib. aduerſus Vigilantium cap. 4. de ſe fatetur: Quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas martyrum intrare non audeo; Ita totus & corpore & animo contremiſco. 17.

Idem Hieron. docet.

Chryſoſtomus Homil. 15. in Epiſt. ad Hebræos. In aulam regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, & in cunctis alijs componis, 18.

Etiam Chryſoſt. accedit.

„ & ornas temetipſum: in Eccleſiam
„ autem ingreſſurus, vbi verè eſt aula
„ regia, & talis qualis cœleſtis eſt,
„ rides? Idem Homil. 52. in Matth.
„ In nonnullis Eccleſijs hunc mo-
„ rem corroboratum videmus, vt di-
„ ligenter multi ſtudeant, quomodo
„ manibus lotis, & veſtibus candidis
„ induti in Eccleſiam ingrediantur:
„ quomodo autem animam & men-
„ tem ſuam puram offerant Deo nul-
„ lam curam habent. Hæc dico, non
„ quia lauare os aut manus prohi-
„ beam, ſed quia non ſolum aqua la-
„ uare os velim, ſed etiam, vt æquius
„ eſt, omni virtute. Vide ſequentia.
Idem rurſus lib. 1. de Orando Deo,
„ Ipſi nos Angeli docent, multo qui-
„ dem cum tremore vota ſua offe-
„ rentes; ceterùm exemplum nobis
„ præbentes, vnde ſciamus atque di-
„ ſcamus, quòd quiſquis Deum adit,
„ multò cum gaudio, multoque rur-
„ ſum cum tremore id facere opor-
„ teat.

19. *B. Clymac. & Benedict. eodem pertinent.*

B. Ioannes Clymacus Gradu 7. Sta
„ in orationis prece tremens nec ali-
„ ter quàm reus Iudici aſſiſtens, vt
„ & in interiore & exteriore habitu
„ fauorem iuſti Iudicis concilies. S.
Benedictus cap. 20. Regulæ ſuæ:
„ ſi cum hominibus potentibus vo-
„ lumus aliqua ſuggerere, non præ-
„ ſumimus, niſi cum humilitate, &
„ reuerentia: quantò magis Domino
„ Deo vniuerſorum cum omni hu-
„ militate, & puritatis deuotione
„ ſupplicandum eſt? Et cap. 52. Ora-
„ torium hoc ſit quod dicitur, nec
„ ibi quidquam aliud geratur aut
„ condatur. Expleto opere Dei, om-
„ nes cum ſummo ſilentio exeant, &
„ agatur reuerentia Deo: Vt frater
„ qui fortè ſibi peculiariter vult ora-
„ re, non impediatur alterius impro-
„ bitate. Sed ſi alter vult ſibi fortè
„ ſecretius orare, ſimpliciter intret, &
oret, non in clamoſa voce, ſed in „
lacrymis & intentione cordis. Ergo „
qui ſimile opus non facit non per- „
mittatur expleto opere Dei remo- „
rari in oratorio, ne alius impedi- „
mentum patiatur. „

20. *Gentiles ſuis cerimoniis & ritibus religioſum cultum nos docent.*

Antequam receptui canamus, in poſtremam aciem conijciemus quoſdam gentilium ritus, & ſolemnia conceptaque verba ipſis vſitata dum ſacris operarentur: Vt liturgi noſtri & Clerici intentiùs conſiderantes quantâ reuerentiâ vanas ſuas ipſi ſuperſtitiones præſtiterint, pudore ſuffundantur.

21. *Verba ſolemnia Græcorum & Romanorum in ſacris, quibus profani arcebantur.*

Igitur apud Græcos ad ſacra acceſſurus Myſtes hoc primum præfari ſolitus fuit, *τίς τῇδε*; *Quis hic?* qui verò aderant ſacris, reſpondebant, *πολλοὶ κἀγαθοί*, *Multi & boni*. Romani à ſacris arcebant omnes profanos, id eſt, ſacris non initiatos, qui Græcis dicuntur *βέβηλοι*, & *ἀμύητοι*. Vnde eſt illud Poëtæ Latini 6. Æneid.

Procul ô, procul eſte profani.

Quod quidam à Græcis manaſſe putant, apud quos eſt,

ἑκὰς, ἑκὰς ἐστε βέβηλοι.
Procul, procul eſto profani
ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός
Procul procul impius omnis.

Quod teſtatur etiam Tertullianus in Apologetico. Cùm ſemper, inquit, impiæ initiationes arceant profanos.

22. *Submouebantur à ſacris qui puras manus non habebant maximè à cæde & ſcelere.*

Deinde ſolemnibus & conceptis verbis ſacris ſubmouebantur, quibus puræ manus non erant. Tradit hoc Liuius libr. 41. inquiens, cùm omnis præfatio ſacrorum, eos quibus non ſint puræ manus, ſacris arceat. Tibullus lib. 2. Eleg. 1.

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite;
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Potuit fortè huc reſpexiſſe Apoſtolus 1. ad Timotheum 2. *Leuantes puras manus.* Puras manus vocabant immunes ab illuuie & ſordibus, maximè

verò

verò è cæde & ſanguine. Nam ſcele-
ribus polluti à tanis propellebantur
tamquam profeſti, & profani, quos
Macrobius lib.3. Saturnalium cap.3.
interpretatur porro & procul à fano,
& religione ſecretos. Ouid.1.Faſt.

Innocui veniant, procul hinc, procul impius eſto
Frater, &c.

Vnde tertio, ante ſacra manus ab-
luebant. Ouid.4.Faſtor.

Viuo perlue rore manus.

23. Quarto, Amouebant à re ſacra he-
Venere polluti à ſacris remouebantur. ſterna venere pollutos. Tibullus lib.2.
Eleg. 1.

Vos quoque abeſſe procul iubeo; diſcedite ab aris
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Perſius Satyra 2.

Et noctem flumine purgas.

Cicero lib.2.de legibus. Caſtè lex
iubet adire ad Deos: animo videlicet,
in quo ſunt omnia: nec tollit caſti-
moniam corporis, ſed hoc oportet in-
telligi, cum multum animus corpori
præſtet, obſerueturque, vt caſto cor-
pore adeatur, multò eſſe in animis id
præſtandum magis. Nam illud vel
aſperſione aquæ, vel dierum numero
tollitur; animi labes, nec diuturnitate
euaneſcere, nec amnibus vllis elui po-
teſt.

24. Quintò, Puras aſſumebant veſtes.
Aſſumebāt puras veſtes. Tibullus ſupra, *Pura cum veſte venite*:
non polluta, non funeſta, ſine macula,
quæ erat purpurea, & linea. Conci-
lium certè Baſileenſe ſeſſione 21. etiam
decentiam & nitorem in veſtibus Cle-
ricorum requirit, *Horas Canonicas ac-
dicturi cum tunica talari, ac ſuperpellicais mun-
dis vltra medias tibias longis iuxta tem-
porum ac regionum varietatem Eccleſias in-
grediantur.*

25. Sextò, In rebus diuinis, quæ pu-
Imperabatur ijs qui ſacris aderant, vt fauerent linguis. blicè fiebant, imperabatur vt faue-
rent linguis, ſicut memoriæ proditum
à Marco Tullio lib. 1. de Diuinatio-
ne. Ita Horatius lib.3.Ode 1.

Odi profanum vulgus & arceo.
Fauete linguis, &c.

Virgil.5. Æneid.

Ore fauete omnes, &c.

Porrò viri cultioris literaturæ pe- 26.
riti triplicem ſignificatum huius ſacri- *Triplex ſignificatio iſtius, fauete linguis.*
ficalis formulæ adferunt, è rei noſtræ
vſu. Seneca lib.de Vita Beata ad Gal-
lionem, putat his verbis indictum ſi-
lentium. Hoc verbum, inquit (fauete
linguis) non vt plerique exiſtimant à
fauore trahitur, ſed imperatur ſilen-
tium, vt ritè peragi poſſit ſacrum nul-
la mala voce obſtrepente. In quam
ſententiam plures eunt.

Alteram eius formulæ notionem 27.
adferunt alij exiſtimantes huiuſmodi
voce populum, non vt taceret modò
admonitum, ſed etiam vt bona verba
diceret. Ita Paulus in Epitome Fe-
ſti Pompeij, vbi fauentiam interpre-
tatur bonam ominationem, & fauere,
bona verba fari. Tibullus lib.2.Eleg.

Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras,
Quiſquis ades linguâ vir mulierq; faue.

Ouidius lib.1.Faſtorum.

Proſpera lux oritur, linguis animiſque fauete.
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Similis erat in Græcorum ſacris 28.
εὐφημισμὸς ſiue bona ominatio & fa-
uentia.

Tertius illius formulæ ſenſus eſt,
imperatum hac, vt populus præſtaret
ſacris fauorem, id eſt, vt ea probaret,
votis fauentibus proſequeretur, &
verbis præeuntem ſacerdotem ſubſe-
queretur. Ita Barnabas Briſſonius lib.
1. de ſolemnibus populi Romani ver-
bis. Ouidius lib. 15. Transformatio-
nis.

Cognouit numina caſtos
Euinctus vitta crines albente ſacerdos.
En Deus eſt! Deus eſt! animis linguiſque
fauete,
Quiſquis ades, dixit: Sis, ô pulcherrime, viſus
Vtiliter, populoſque iuues tua ſacra colentes.
Quiſquis adeſt, viſum veneretur numen, &
omnes,

Verba ſacerdotis referunt geminata, piumque Æneadæ præſtent, & mente & voce fauorem,

29. *Præco ſacris præſentibus acclamabat.* Hoc agite, *& quis verborum horum ſenſus.*

Poſtremò, dum Magiſtratus res diuinas facerent, vel auſpicia captarent, a præcone inclamabatur. *Hoc Age*, vt teſtatur Plutarchus in Numa, & in Martio Coriolano, ſcribit autem iuberi his verbis προσέχειν τοῖς ἱεροῖς καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ, μηδὲ χρείας ἀσχολίας, id eſt, *ſacris attendere, & nullum aliud opus vel negotium interponere*, ſiue, vt erectis animis in eam tantùm curam cogitationemque incumberent, nec perfunctoriè aut oſcitanter aliáſve res agentes, ſacris, auſpicijs operam darent. Quo factum eſt, vt hoc loquendi genere veteres ſibi auditorum attentionem conciliarent. Conſonat illud Pythagoræ *Adoraturus ſede*, id eſt, ſis animo pacato dum orationi intendis.

30. Quid ad hæc mutire poterunt Chriſtiani? Quid Clerici? cùm videant gentes cæcas in ſuis profanis obſeruationibus & falſorum Deorum cultu ſibi plurimum anteſtare, cùm tamen Deum viuum & verum, & colant, & colere profiteantur.

CAPVT XVII.

Quomodo Pia mens & Intentio Canonicum Officium perſoluenti concipienda.

1. *Parœneſis ad rectam intentionem tempore pſalmodiæ habendam.*

MAXIME Clericis & Religioſis, quibus pſalmodiæ cura incumbit, elaborandum eſt, vt non ſolùm dum orant vel pſallunt, puras ad cœlum cum voce palmas tollant, ſed multò magis etiam mentem puram, nulla ſiniſtra intentione contaminatam, vt cum Propheta Pſalmographo deprecentur Pſalmo 140. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*; ſic nimirum vt ſoli Deo placendi ſtudio in ara cordis amoris flamma incenſa in illius honorem inſtar thuris tota conſumatur, & recto tramite ad cœleſte palatium tendens ſupremi numinis conſpectui, tamquam gratiſſimum thymiama offeratur & exaudiatur. Tum cœleſtes Genij, quorum eſt ſuaueolentes ſanctorum orationes diuinæ maieſtati repræſentare, Dramaticum illud ex ſacro Epithalamio voce flexanima illi accinent Cantic. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum quaſi virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Verè enim pſalmodia candido pioque pectore effuſa per huius mundi vepreta, & ferarum luſtra ad Cœlorum adyta penetrat, & inſtar virgæ ſe ſubrigit: nulla curuitatis, nodorum, aut verrucarum perplexitate deformata: nulla terrenorum affectuum contage infecta: & odorifero ſpiritualium pigmentorum ſuffitu, caſtimoniæ præcipuè, glorioſæ de immanibus vitiorum belluis victoriæ, ardentis deuotionis, & amoris & cæterorum, nares diuinæ maieſtatis pertentat & recreat. Cæterùm viſum mihi eſt hoc capite paucula de fine, ad quem collimandum, & ad quem Eccleſiaſticum officium dirigendum ſit, attingere. Et primò quidem, quæ recta intentio ſit breuiter aperire, vt eam ſectemur: Quæ verò vitioſa & obliqua, vt euitemus.

2. *Ad præceptum Eccleſiæ de horis implendum requiruntur functiones corporis & animi.*

Ante omnia ſciendum, ad implendum Eccleſiæ præceptum de Horis recitandis requiri functiones duplicis generis: aliæ enim ſunt exteriores, & corporeæ, vt eſt diſtincta, & articulata ſingularum orationis canonicæ partium pronuntiatio: Aliæ verò ſunt ſpirituales & interiores, quæ vim & vitam exterioribus tribuunt. Interiores perficiuntur operâ intelligentiæ, voluntatis, &c. Quæ functiones, vt ſunt difficiliores corporeis, ita illis etiam ſunt excellentiores, & in ijs perfectio & ſubſtantia orationis conſiſtit. Sunt autem

tem

Digitized by Google

3. *Mentis functiones ſunt partim intelligentiæ partim voluntatis vt attentio, intentio, deuotio, reuerentia.*

tem tres. Vna eſt Intelligentiæ, quæ vocatur attentio, id eſt, aduertent a mentis ad orationem: aliæ duæ ſunt voluntatis, ſcilicet Intentio vel propoſitum orandi, & deuotio, quæ eſt promptitudo animi ad Deum laudandum & orandum, quam ſequi interdum ſolet ſenſibilis aliqua dulcedo, quæ oritur ex attentione & conſideratione intelligentiæ circa Deum. Reuerentia verò vel conſiſtit in præcedentibus operationibus, vel eas comitatur. Fieri enim non poteſt, vt qui ad Deum, quê orat, aut laudibus celebrat, oculos mentis intendit, non commoueatur interiùs motu pietatis & reuerentiæ, & exteriùs etiam prout valuerit cultum, ſubmiſſionemque eidem exhibeat.

4. *Intentio duplex vna intrinſeca, altera extrinſeca; Prior eſt neceſſaria ad ſubſtantiam orationis; alia non.*

Vlteriùs prædocendus eſt lector Intentionem orationis canonicæ eſſe duplicem: Vnam intrinſecam, ipſiſque ſubſtantialem: alteram verò extrinſecam. Prior conſiſtit in hoc quod quis velit recitando, vel canendo Horas ſuas orare; non verò quomodocumque, materialiter, vt ſic loquar, orationes illas legere Et hanc neceſſariam ad præceptum implendum Eccleſiæ intentionem eſſe diximus libr. 2. Aliam intentionem vocant extrinſecam, eò quod ſine illa poſſit oratio eſſe perfecta, in ſua ratione & ſubſtantia, & quæ non debeat neceſſariò intendi, vt quis cenſeatur Eccleſiæ ſteuiſſe mandatis. Talis eſt velle ſatisfacere præcepto, placere Deo, dirigere preces ad propitiandum numen pro ſuis delictis, ad auertendas communes Eccleſiæ neceſſitates, ad ſpirituale aliquod donum à Deo impetrandum, &c.

5. *Agitur hic de intentione extrinſeca.*

Propoſitum autem nobis hîc eſt agere de illo fine extrinſeco, quia hîc inſtruimus & formamus Clericum ſiue monachum perfectum, ſicut Marcus Tullius in libro qui inſcribitur Orator Exemplar & ideam perfecti Oratoris proponit. Quamuis enim precatio canonica neceſſaria cum attentione, & intentione fuſa, ſed ſtudio lucri vel vanæ gloriæ, ſit impletiua præcepti; non eſt tamen omnibus numeris abſoluta, imò nec bona quidem, vt patet in ſimili de ieiunio & eleemoſyna, per quæ, ſi humani honoris captandi causâ exerceantur, impletur præceptum, ſi quod latum fuerit; nihilominus multum illis deeſt de perfectione & virtute, cùm mercedem hîc ſuam recipiant nullo præmio in futura vita remuneranda. Patent hæc ex ijs quæ de Bonitate Morali traduntur in 1. 2. q. 18. & conſtat ex Ariſtotele 2. Ethicorum cap. 4. vbi docet functionem & opus virtutis debere fieri propter bonum virtutis, id eſt, propter honeſti rationem, quæ in ipſo opere cernitur. Deinde nemo dixerit pſalmodiam peractam vel amore pecuniæ, vel voluptatis, quæ ex cantu aurium ſenſu percipitur, eſſe opus honeſtum vel bonum, laude dignum vel præmio: cùm in huiuſmodi functione voluntas operantis non tendat in ipſam honeſtatem, quæ vel maximè ſpectanda erat. Siquidem, vt cum philoſophis loquar, honeſtas ſiue bonum honeſtum, vt ſic, eſt ratio formalis ipſius obiecti, ac proinde expetenda erat pſalmodia propter ipſam honeſtatem, quæ in ea elucet, ipſaque eſt Dei laus & veneratio. Adde hîc locum habere illud S. Dionyſij capite 4. de Diuinis Nominibus: *Bonum ex integra cauſa dicitur, malum autem ex ſingulis defectibus.* Explico quod inuolutum & obſcurius erat. Opus virtutis, & honeſtum, expetendum & laudabile debet omnibus ſuis numeris eſſe abſolutum, ita vt nihil ei deſit ex ijs quæ requiruntur ad propriam perfectionem: bonum enim idem eſt quod perfectum: ſimulatque verò aliquid defuerit, dicetur opus, vel actio mala, vitioſa, ideoque vituperabilis. Sic eſt in exemplo propoſito,

6. *Pſalmodia intentione lucri vel inanis gloriæ habita implet præceptum, non tamen eſt abſolutè bona, multò minus perfecta.*

Quam-

Quamuis enim quis debita cum attentione canonicam orationem perſoluat; ſi tamen illud opus præſtet, non propter intrinſecam, & formalem, vt ſic dicam illius honeſtatem, quæ eſt Deũ laudibus celebrare; ſed vt ſportulas & mercedem tantum conſequatur, non erit opus bonum vel honeſtum, ſed vitioſum & malum propter vnicum illum rectæ intentionis defectum, ad cuius honeſtatem aciem mentis intendere debuiſſet.

7. *Breuiter tangitur quæſtio an actio præcedens ex duabus diſparibus intentionibus, ſimul bona ſit & mala.*

Nolim, hic diſputare cum philoſophis Ethicis, an quando opus aliquod, v.g. pſalmodia, procedit ab eodem homine internedijs duabus diſparibus intentionibus, quarum vna recta, curua & praua; altera, vt puta ſatisfaciendi Eccleſiæ præcepto, & hominibus placendi, quod fieri poſſe non eſt dubium; An, inquam, tunc opus ſimul ſit bonum & malum, laudabile, & vituperabile, meritorium, & demeritorium. Quamuis enim probabilis ſit apud quoſdam Doctores pars affirmans, mihi tamen longè probabilius videtur pſalmodiam illam ſimpliciter eſſe opus prauum & peccatum, propter rationem dictam, quia bonum eſſe non poteſt; cùm in eodem ſubiecto & voluntate adſit vitium, praua

8. *Actio ſimilis ſimpliciter dicenda eſt mala.*

ſcilicet mens & oculus nequam, & non ſit ex integra cauſa. Vnde illa pſalmodia non poteſt dici bona, niſi cum particula diminuente, ſecundum quid: quatenus videlicet procedit à bona intentione; ſimpliciter verò & abſolutè eſt mala, quia miniſter illam contaminat mala intentione, quæ illam ita inficit, vt non poſſit illi applicari illud ex Cantico cap. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Omni nunc ſolicitudine opus eſt, nunc pectore toto vt præter finem intrinſecum pſalmodiæ, etiam oculus mentis dirigatur in alios fines altiores. Sunt autem illi, vel generales, vel particula-

9. res. Finis generalis eſt recitare officiũ, vt Deus laudetur, pro acceptis beneficijs gratiæ agantur, offerantur preces pro viuis & mortuis, qui infra terram expiantur: huiuſmodi etiam ſunt ſeruire diuinæ gloriæ, deſiderare quam proximè accedere ad feruorem, & ardentiſſimam deuotionem quâ Dominus noſter in terris conuerſatus patrem ſuum vel deprecatus eſt, vel celebrauit, vel ſanctis Deum in Cœlum laudantibus adiungi, nihil aliud ſperare præmij vel laudis, quàm Deum ipſum, ipſiuſque laudem & honorem. Quamquam quãta dignitas, quantum bonum admitti ad tantæ maieſtatis gloriam quantuliſcumque præconijs, non dicam extollendam, ſed extenuandam.

Fines generales boni ad quos pſalmodia dirigenda.

O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ,
Spiritus, & quantum ſat erit tua dicere facta.

Maro Ecloga 4. Talis finis etiam eſt velle promereri orando vitam æternam, gratiam ad illam obtinendam impetrare, & alia cœleſtia dona, quibus inſtructi expeditiùs Deo ſeruiamus: Præterea velle ſtare Eccleſiæ præceptis, pœnas debitas peccatis labore recitandi redimere, &c.

Particulares fines propè infiniti ſunt, ad quos ſpectare poſſit Eccleſiæ miniſter. P. Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. operum ſpiritualium qui eſt de ſtudio orationis lib. 1. p. 2. cap. 8. Schematiſmum & indicem ponit multiplicium finium, in quos tendere poſſit Clericus pſallens, quem diſtribuit per dies hebdomadæ: ita vt v.g. die dominico preces recitet pro tota Eccleſia, omnibuſque eius ordinibus, & pro felici ſua morte, & ſic de ceteris diebus. Inſinuat autem præmitti debere oratiunculam aliquam, quâ Deo preces offerat & ſe offerre ſignificet, ad talem vel talem finem. Ludouicus Pontanus indicat offerri poſſe 7. Horas ad impetrandum, 7. dona Spiritus ſancti: vel 7. Virtutes, 3. Theologicas, & 4. Cardinales:

10. *Fines particulares boni infiniti ſunt.*

Digitized by Google

dinales; vel vnam ex ſeptem petitionibus Orationis Dominicæ: vel vt Deus nos eripiat à ſeptem peccatis capitalibus. Alij volunt officium referri ad honorem diuorum, quorum anniuerſaria memoria tunc temporis recolitur.

11. *Occaſio piæ intentionis in particulari capienda ex officio cuiuſque diei.*

Cæterùm multò plures fines occurrunt, ad quos reſpiciat is, qui officium pſallit vel legit, ex occaſione ipſiuſmet officij v.g. Die Chriſti Natalis referri poteſt pſalmodia ad hoc, vt Chriſtus Eccleſiæ ſuæ gratiam tribuat, quam veniens in hunc mundum promeruit. Die S. Stephani, pro omnibus Chriſti pugilibus, pro fide eius certantibus. Item pro omnibus obduratis in malo, & conuerti ad fidem vel pœnitentiam ſaxeis; Cum conſtet ex hiſtorijs præſertim verò D. Auguſtino lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. S. Stephanum eſſe apud Deum ſingularem huiuſmodi hominum patronum. Die S. Ioannis Euangeliſtæ, pro omnibus qui in honorem eius nomen idem aſſumpſerunt, qui à temporibus Apoſtolorum plurimi ſemper fuerunt, vt conſtat ex Dionyſio Alexandrino apud Euſebium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 7. cap. 20. Deinde pro omnibus, qui vitam cælibem & caſtam degunt. Die SS. Innocentium pro ætate tenera, vt ex ore infantium & lactentium Deus laudem ſuam perficiat. Die S. Thomæ Cantuarienſis vt Deus Angliam errabundam ad Eccleſiæ Catholicæ gremium, pro cuius libertate is caput ſuum præſcidendum præbuit, tanti tutelaris precibus flexus aliquando reducat. Et ſic de ceteris: facile enim cuique eſt, longiſſimum texere ſyllabum, & totum anni circulum obire, vt ſingulis diebus finem proprium conſtituat, ad quem orationem quotidianam dirigat. Hæc exempli gratiâ ſufficiunt.

12. Iam verò difficile non erit diſcernere, quinam illi ſint, qui in perſoluendo horario penſo à ſcopo aberrent. Sunt quippe illi, qui nihil penſi ducentes Dei gloriam; ſalutem ſuam ſpiritualem, virtutem & honeſtatem nugis & ſomnijs poſthabentes, vmbram aliquam & ſimulachrum ſibi effingunt (Græci propriè εἴδωλον vocant) quod adorant, exoſculantur, eaſque in re ſibi plaudunt, vana deluſi imagine, quæ fugit, vt ille canit, Æneidos ſecundo:

Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

[Quinam] ſint qui prauo fine horas pſallunt.

13. Conſimiles Hebræis Idololatris Exodi 32 qui vitulo conflatili holocauſta & victimas obtulerunt, pæana accinentes, choroſque ducentes relicto Dei viui & veri cultu. An non imitari eos videntur Eccleſiæ miniſtri, qui vocem ſuam quam Dei miniſterio conſecrare debebant, venalem habent? intendunt vel conflandæ pecuniæ, quam inſtar Idoli colunt? vel captandæ populari auræ, quâ nihil vanius? vel à præſidibus vel choro didaſcalis acriùs perſtringantur, vel ſeueriùs caſtigentur? Fatemur quidem huiuſmodi implere Eccleſiæ præceptum, cùm ſubſtantiam orationis præſtent, vt ſuppoſuimus, & etiam quotidianas ſportulas lucrifacere; priuantur tamen fructu ſpirituali gratiæ, & mercede vitæ æternæ, vt ex iam dictis colligitur.

Similes Hebræis vitulum adorantibus pſalmodiæ lucri vel honoris intendentes.

14. Signum porrò malæ mentis, & læuæ intentionis, laudis, vel pecuniæ auaræ, habeat hoc, quiſquis tandem ille fuerit, ſi diebus feſtiuis cùm frequens eſt populus, cùm ſolus Verſiculum Reſponſorium occinit, cùm præſentes illi nutu, vel geſtu applaudunt, altum & plenum intonat, & gutture quaſi melle peruncto minuturit, ita vt luſciniam æquare videatur; diebus verò profeſtis, vbi chorus ferè vacuus vbi plauſus & approbator deeſt, vbi vox alijs permiſta, vix internoſcitur, inſtar piſcis obmuteſcit, vel fuſcum quid reboat. Ille verò Pluto ſtipendia

Signa dantur vnde colligatur praua intentio ſtudioſe laudis vel lucri, &c.

facere

facere ſatis liquidò arguitur, qui cum ſportulæ lautiores & munera manu liberali porriguntur (quod euenit feſtis ſolemnioribus) hilari animo & vultu inter primos ſportulantes (vt loquitur D. Cyprianus Epiſtolâ 66.) ad chorum fertur, quaſi graciliatorio paſſu incedens: cùm verò exigua vel nulla ſtips pſallentibus vel præſentibus appenditur, oratorium renitens ingreditur vel potiùs teſtudineo gradu adrepit, vel hæret in templi veſtibulo, fabellas cum ſuis ſimilibus ferens, donec primus Pſalmus decantatus fuerit, & tum ob id ſolum intrat, ne quantulicumque lucelli detrimentum faciat.

15. *Inuectiua in pſalmodos laudis & lucri mancipia.*

O vilia humanæ laudis & pecuniæ mancipia! qui vt ventum attrahant, & fugaces muſcas captent, iacturam incurrunt honoris, qui ex Deo eſt, & perpetuas amittunt diuitias. Videant illi ne alienum ignem pro ſacro Deo in ſuis thuribulis offerentes, vt quondam filij Aaron Leuitici 10. diuino igne conſumantur. Sed miſſos illos faciamus.

16. *Exhortatio ad omnem prauum finem à pſalmodia remouendum & ſanctum ſibi proponendum.*

Studeat verò Dei miniſter laudis ſacrificium pura ſimplici & columbina mente offerre. Hoc enim coram Deo acceptum eſt, reuoluat crebrò celebre illud Chriſti adagiũ Matth. 6. & Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Cuius ſecundum D. Auguſtinum & Gregorium lib. 28. Moral. c. 13. hic eſt ſignificatus. Si mentis tuæ propoſitum fuerit ſincerum, purum, nullo prauæ cupidinis vitioſo humore infectum, tunc quoque oratio, pſalmodia, & quæcumque tamdem opera ex ſe non mala, inſtar auri radiabunt, ſplendeſcent vt argentum, vt pyropi flammeſcent, & micabunt. Contra verò ſi mala libidine permiſceatur oculus, ſupra quàm cuiquam credibile eſt, inuoluentur caligine, ſplendida alioqui per ſe opera, & tenebris nigreſcent omnia circum. Imbibant ergo mecum Eccleſiæ ſacris initiati, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris miniſtris, & vngue ad amantino menti imprimant illud omnipotentis Dei promiſſum apud Ieremiam cap. 15. v. 19. *Si ſeparaueris pretioſum à vili quaſi os meum eris.* Quorum verborum non abſonam & alienam prorſus à germano ſenſu hanc reddimus notionem.

17. *Explicatur locus Ieremiæ, ſi ſeparaueris pretioſum à vili &c.*

Si tu diuinis officijs dicate myſta, aſceta, delectum habueris dum pſalmodiæ intendis, in arce mentis tuæ, diuerſarum affectionum & motuum cordis, & pretioſa quæque, vt aureum Dei amorem, ardens ei placendi ſtudium, argentum puræ deuotionis, & liquidæ, quæ orando percipitur, voluptatis vniones & virides ſmaragdos obedientiæ, ſpei, religionis, & virtutum aliarum, quas vaſtum Chriſtianæ animæ pectus capit; ſi hæc, inquam, omnia tanquam cemelia ſepoſueris in partem & ſeparaueris à conchis, vmbilicis, quiſquilijſque prauarum cupidinum, à vili ligno lucri pecuniarij, inani ſtipula humani honoris, à fœno putrido huius vitæ commodorum, & ſepoſitâ illâ tanquam holocauſtum ſine macula inter orandum, & pſallendum mihi obtuleris; tunc quaſi os meum eris, tunc decenter & religiosè os tuum annunciabit laudem meam, fidelis Internuntius, & caduceator mihi eris, verbum meum bonum, quod ponam in ore tuo, labia tua proferent, & quæ maieſtate mea digna ſunt eructabunt. Da nobis hanc mentem Deus, & miniſtris tuis de cœlo faue.

CA-

CAPVT XVIII.

Varijs argumentis ſuadetur gnaua Attentio ſub precationis canonicæ horam.

1\. QVIA de Attentionis neceſſitate & ſubſtantiâ productiùs diſſeruimus, prout res exigebat, lib. 2. nunc carptim attingemus ea, quæ inducere nos valeant ad accuratiùs Horis canonicis intendendum, & alienas cogitationes, dum Deo vacamus abijciendas.

2\. *Sacerdotes veteris legis lineis in ſacris vtebantur veſtibus ad ſignificandum tunc alienas cogitationes deponendas.*

Conſtat ex lib. Exodi cap. 28. nu. 40. priſcæ legis Sacerdotes in ſacris linteis vſos indumentis: Sic enim ibi legis: *Porrò filijs Aaron tunicas lineas parabis*, de his verò ita ratiocinatur Iſidor. Peluſiota lib. 1. epiſt. 45. „Cùm Aarō, inquit, eiuſque ſucceſſores, in templum „ſacrificij causâ ingrediebantur la„neis omnibus veſtibus abiectis, ve„ſtimenta ex lino contexta induebant, arcani aliquid continentes, at„que illud ſignificantes, externos tu„multus tum de memoria deponen„dos eſſe. Nam qui rei ſacræ causâ „ad Deum accedit, nihil alienum, „nec vllam rerum ex malitia (aliàs, „materiæ) conſtantium ſarcinam ſe„cū afferre debet. Hæc ille. Fortè huc referat quis, quod S. Hieronymus lib. de Viris Illuſtribus de S. Iacobo fratre Domini ſcribit ex Hegeſippo. Huic ſoli licitum erat ingredi Sancta Sanctorum. Si quidem veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis, ſoluſque ingrediebatur templum.

3\. *Etiam gentiles ſacrificuli linteis veſtimentis induebantur.*

Cæterùm, non ſolùm veri Dei cultores, ſed falſorum Deorum ſacrificulos lineis veſtimentis ſe amicire inſueuiſſe notum eſt: Si quidem Tertullianus loquens de Chriſto cùm diſcipulorum eluturus pedes linteo circumſtringeretur, dicit vſum propriâ Oſiridis veſte: vnde & Ægyptij Iſidis ſacerdotes erant, vocabanturque linigeri, vt conſtat ex Ouidio, Iuuenali, Martiale, & alijs. Et Herodotus ſcribit nefas fuiſſe apud Ægyptios laneas veſtes in ædes ſacras inferre, proindeque linteas adhibuiſſe. Rationem huius reddit Plutarchus libro de Iſide & Oſiride, quod immortalibus Dijs omnia pura mundaque conueniant, vnde toties apud Poëtas illud (pura veſtis) Virgil. 12. Æneid. *Puraq; in veſte ſacerdos.* Quamuis commentatores puram veſtem non accipiant pro linea, ſed vel pro candida, vel non maculata; Virgilius tamen ſuprà in ſacris lintei tegminis meminit, cùm ita canit.

Velati lino, & verbena tempora vincti.

4\. *Linea veſtis puritatem vitæ morūq; ſignificat.*

Quidquid ſit, Platone teſte fas non erat pura Deorum numina impuris & contaminatis rebus coli. Vnde etiam apud cæcas illas gentes omnia pura, vt hoſtiæ, vinum, &c. erant Dijs offerenda. Cæterùm cùm linum antequam in veſtem candidam aptetur, pluribus ante modis præparetur, maceretur, ſiccetur; vellatur, carminetur, pectatur, neatur, mordaci lixiuio perfricetur, texatur, inſoletur, dealbetur, & deinde ad veſtem commodetur, quæ contractis ſordibus expeditè & facillè eluitur, & emaculatur; congruere amictum lineum ſacerdotibus in vſu ſacro, tum antiquæ, tum nouæ legis, tum etiam profanarum religionum antiſtites cenſuerunt. Videat Lector Ioannem Pierium Valerianum lib. 40. Hieroglyphicorum ſub titulo, Hieremiæ cingulum, & plura apud Gorop. Becanum. Quod ſi linum puritatis apud omnes gentes ſymbolum gerit, aduertat Clericus niueo ſuperpelliceo ſplendidus in choro pſallens, vt moribus caſtis, mente pura, animo fluxis cogitationibus libero adſiſtat, ne veſtem candidam præcordia nigra dehoneſtent, Ne Hieremiæ Threnodiam

illi integremus Thren. 4. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte; denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, &c.* Sed ad orbitam recurrat oratio. Hieroglyphicum ergo eſt lineum amiculum animi à curis vanis abſtracti & alieni, nobiſque, vt ait Pierius, probatioris caſtigatioriſque vitæ ſcenam quandam depingere videtur.

5. *...iuſ- ...ponere ...amēta ...ficabat ...tionem oracu- ...lhiben-*

Eamdem attentionem alio ſchemate, diuinis oraculis adhibendam inſinuauit Deus Exod. 3. cùm Moſen mirabilis oſtenti explorandi cupidum (flagrabat quippe, & relucebat rubus flammâ innocuâ) his verbis arcuit. *Ne appropies*, inquit, *huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Præter enim alia, quæ oratione illa edocemur, & alibi memorauimus; ita verba illa enucleat Theodoretus quæſt. 7. in Exodum: *Dicunt, ait, nonnulli, ea re ſignificaſſe Deum, vt ſolicitudine ſeculares abijceret, huic mortali vitæ adhærentes. Nam pelles, vnde conficiuntur calceamenta, mortuorum animalium ſunt*; Quod interpretamentum ſibi nequaquam diſplicere oſtendit, cùm mox ſubiungit, hoc à Deo fuiſſe prolatum, vt religioſiorem hac ratione Moyſen redderet. Approbat Pererius diſput. 7. in 3. Exodi expoſitionem Theodoreti: Nam ita ſcribit; Cerimonia depoſitionis calceamentorum ſignificabat futuro duci, & doctori populi (nos dicamus religioſæ plebis ad Deum Legato) ſolicitudines & curas ſeculares, talique officio alienas, & mortali vitæ adhærentes eſſe prorſus abijciendas. Conſimili profectò cærimonia Chriſtus Dominus lauando pedes diſcipulorum ſuorum præparauit eos ad dignam & fructuoſam ſacro ſanctæ Euchariſtiæ perceptionem, denotando ea re purificationem affectuum interiorum, & ſecularium cupiditatum atque curarum abiectionem. Audit prætere a Moſen iuſſum deponere calceamenta, vt animo quieto & tranquillo accederet ad Dei oraculum accipiendum, & ad verba Dei non feſtinanter, ſed attentè conſideranda & penſitanda. Sicut enim iuſſit Hebræos calceatos comedere Agnum Paſchalem ad repræſentandam videlicet feſtinationem diſceſſus eorum ex Ægypto Exodi 12. Ita è contrario mandat Moſi vt ponat calceamenta indicans per hoc quietem, & commorationem. Ita Pererius. Dixerat olim Pythagoras *In ſacrificio vngues ne ſeca*, id eſt, ne te occupes rebus ſordidis vel ſuperuacuis: Quod etiam apertius explicabat: *Cùm veneris in templum adora, nec interea aliud facias.*

6. *SS. Patres attentionem tempore orationis conſulunt, vt Cyprian.*

Sed è penu patrum aliquantulum hauriamus. S. Cyprianus libro de Oratione Dominica non procul à fine ſic admonet; Quando, inquit, ſtamus ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio carnalis omnis & ſecularis abſcedat, neque quidquam tunc aliud animus, quàm id ſolum cogitet, quod precatur. Ideo & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo, *Surſum corda*, vt dum reſpondet plebs, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil ſe aliud quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis venire permittat. Quæ verba referuntur c. *Quando ſtamus*, de Conſecratione d. 1. In quæ Nauarrus ſcripſit commentarium, quem inſcribit de Oratione & Horis canonicis Enchiridion. Rurſus Cyprianus inferiùs: Quæ ſegnitia, inquit, eſt alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & profanis, cùm Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris?

ris? Quo modo te audiri à Deo poſtulas, cùm te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui, cùm rogas, quando tu ipſe memor tui non lis? hoc eſt ab hoſte in totum non cauere: hoc eſt quando oras Deum, maieſtatem Dei negligentia orationis offendere: hoc eſt vigilare oculis & corde dormire, &c.

7. S. Auguſt. S. Auguſtinus cap. 8. Regulæ, & habetur epiſt. 109. ad Sorores: *In oratorio nemo aliud agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit.* Et cap. 9. *Pſalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde quod profertur in voce.* Vide Regulam D. Benedicti cap. 52. & Gratiani Decretum diſt. 42. C. *Oratorium*, & C. *In Oratorio.*

8. S. Baſil. S. Baſilius Inſtit. Monaſt. c. 2. Implorandum eſt diuinum auxilium. Implorandum autem non lentè, mente huc illucque temere aberrante. Qui enim ſic facit, is (tantum abeſt, vt impetraturus ſit quod petit) efficiet prius, vt ſibi Dominus iraſcatur. Et paulò pòſt. Si igitur ſic, quemadmodum decet, ſteteris coram Deo, & quæ in te ſunt omnia pro viribus præſtiteris, perſta, donec omnino impetres tandem quod petis. Sin conſcientia tua te condemnet, tamquam qui negligentiùs rem tractes, etſi in oratione aliud agens animo minus attento ſtes, cùm poſſis omnem à te repellere diſtractionem, ne præſidentior autis conſiſtere coram Deo, ne fiat tibi oratio in peccatum, Si verò quod à peccato debilior factus, hoc à teipſo impetrare non potes; quin interim dum oras animo ac mente diſtraharis, enitere contra, quantum potes, & ipſe tibimetipſi vim affer, & coram Deo ſtare perſeuera, mentem tuam in illum defixam tene, ipſamque ad ſeipſam aduoca. Si ita feceris, ignoſcet tibi Deus, quoniam non contemptione, ſed ex infirmitate, eo modo quo conueniret coram Deo ſtare, non vales.

S. Hieronymus dialogo aduerſus Luciferianos cap. 6. Indubitata ad 9. D. Hier. Deum fides arduè reperitur, v. g. dictum ſit, vt quod volumus perſpicuum fiat, ad orationem aſſiſto: orarem ſi non crederem: ſed ſi verè crederem, illud cor quod Deus videt, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eoſque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco Crucis, nec prius omitterem, quàm miſericordiam impetrarem: nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam, quæ dictu erubeſcenda ſunt gero. Vbi eſt fides? ſiccine putamus oraſſe Ionam? ſic tres pueros? ſic Danielem inter leones? ſic certè latronem in Cruce? &c.

Caſſianus Collatione 23. quæ eſt tertia Abbatis Theonæ cap. 7. loquens 10. Caſſian. de ſanctis viris & perfectionis ſtudioſis, quos Videntes vocat, ſic eos narrantes inducit, Si cùm ſublimi homini non dicam pro vita ac ſalute noſtra, ſed etiam pro alicuius lucri commodo ſupplicamus, totam in eum & mentis & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepida expectatione dependemus, non mediocriter formidantes, ne quod fortè ineptum aut incongruum verbum miſericordiam audientis auertat; tum deinde ſi nobis in foro, aut iudicum ſecularium tribunalibus conſtitutis, aſſiſtente etiam è contra aduerſario in media proſecutione atque conflictu, tuſſis, ſcreatus, riſus, oſcitatio, ſomnus obrepſerit, quanta in perniciem noſtram vigilantiſſimus

Digitized by Google

„ mus inimicus ſeueritatem iudicij „ commouebit inuidia? quantò magis cum illi occultorum omnium „ cognitori pro imminenti perpetuæ „ mortis periculo ſupplicamus, præſertim cum è diuerſo callidus ſedu„ ctor pariter & criminator aſſiſtat, „ intenta atque ſollicita oratione iu„ dicantis pietas imploranda eſt? Nec „ iniuſtè non ſolùm leui peccato, ſed „ etiam grauiſſimo crimine impie„ tatis aſtringitur, qui precem Domi„ no fundens, ſubitò à conſpectu eius „ quaſi ab oculis eius non videntis, „ nec audientis cogitationis improbæ „ vanitatem ſecutus abſceſſerit. Hæc Abbas Theonas.

11. ...tiones, pſallen... niti de... ...ant om... ...n à ſe ...mpore ...ationis ...tractio... ...m repelle...

Poſtremò, placet illa, quæ proponit Cardinalis à Turrecremata tract. 77. in Regula D. Benedicti his ſubnectere. Suggerit itaque rationes quinque, cur pſallentes viri religioſi ſumma opum vi niti debeant, vt vigili erectoque animo aſſiſtant diuinis officijs, quas rationes maximam partem à me auctas Lector hîc habet.

12. ...ratio ſine ...tentione ...n eſt vera ...atio.

Prima, Quia oratio ſine attentione non videtur vera & germana oratio, ſed ſimulata, fatua, mortua, irriſoria. Vnde admonet pſaltes Pſal. 46. *Pſallite ſapienter*, id eſt: vt Genebrardus explicat, mente attenta ſaltem ad Deum: vt Bellarminus, attentè & conſideratè, vt error non committatur. Item: intelligenter, vt cantor id quod canit intelligat, & deinde excitetur affectus pietatis in Deum. Hebraicè habetur משכיל maſkil, id eſt, in intelligẽtia, quod LXX. reddiderunt *συνετῶς*, id eſt, intelligenter: vt videlicet, ij qui vos audiunt ea quæ pſallitis, intelligant. Sunt qui ſic interpretantur verba Apoſtoli prioris ad Corinth. c. 14. verſ. 14. & 15. *Si orem linguâ*, (barbarâ, ignotâ) *ſpiritus meus orat* (vox mea ſpiritu oris formata, vel ſolum os) *mens autem mea ſine fructu eſt*; (quoniam intelligentia & attentio deeſt.) vnde conſulit ſubdens Apoſtolus *Quid ergo eſt*; (nobis faciendum) *orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente*, id eſt, non ſolùm voce & flatu, ſed etiam animo, & mente erectâ & intentâ, vocem mente animans, vt fructus ex oratione colligam. Ita nos attentionis admonet Ambroſius lib. 6. de Sacramentis cap. 8 Nō, inquit, de labijs „ tantummodo tua procedat oratio, „ animo totus intende, intra in receſ„ ſum pectoris tui, totus ingredere: „ non te perfunctorium videat ille, „ cui placere deſideras. Videat quia ex „ corde oras, vt te ex corde orantem „ dignetur audire. Et Auguſtinus in „ Pſal. 119. Quàm multi, inquit, ſo„ nant voce, & corde muti ſunt? Et „ quàm multi tacent labijs, & clamant „ affectu? quia ad cor hominis aures „ Dei; ſicut aures corporales ad os „ hominis, ſic cor hominis ad aures „ Dei. Multi clauſo ore exaudiuntur, „ & multi in magnis clamoribus non „ exaudiuntur.

13. *Deus, cum quo in oratione loquimur, attentionem poſtulat.*

Secunda ratio, Quia dictu non explicabilis Dei præſtantia ſuo iure à nobis exigit, vt cum illo in oratione conferentes, animo ſimus præſenti, & ad Deum clamemus toto corde (non diuiſo) vt poſſimus verè dicere cum Pſalte: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, ſequentes monitum D. Augu„ ſtini in Pſalm. 39. Habeat cor, quod „ dicunt labia. Et rectè, ſi enim volu„ mus, vt Deus audiat vocem corpo„ ris, cur non vt audiat vocem cor„ dis? Quæ verò eſt vox & clamor cordis, niſi pia cogitatio, affectus deſiderium? teſte D. Gregorio lib. 2. Moralium cap. 41 Tantò, inquit, quiſ„ que minus clamat, quantò minùs de„ ſiderat, & tantò maiorem vocem „ in aures incircumſcripti Spiritus „ exprimit, quantò ſe in eius deſide„ rium plenius fundit. Animarum igitur

„ tur verba, ſunt ipſa deſideria. Et
„ Bernardus Ser.45. in Cantica: Lin-
„ gua, inquit, animæ deuotionis fer-
„ uor. Elinguis eſt anima atque in-
„ fans quæ hanc non habet, non po-
„ teſt ipſi vllatenus ſermocinatio eſſe
„ cum verbo. Rurſus idem Bernar-
„ dus cap.6. meditationum. Fieri, in-
„ quit, non poteſt, vt aliquando cum
„ Deo loquatur, qui cum toto mun-
„ do etiam tacens fabulatur.

14. *Dominum in fluis ... quàm ... orationis ... ſpiritu ... edo non ... percipitur ... ſine atten- ... tione.*

Tertia, Quia alioqui curis ſuperabreptus animus non guſtabit quàm ſuauis ſit Dominus. Non bibet vinum lætificans cor. Vt non ſapit ori cibus, niſi dentibus contritus, ſic nec cordi oratio niſi mente percipiatur. Volupe eſt in hanc rem mellea D. Bernardi verba adſcribere. Sic ille Serm. 7. in Cantica:
„ Cibus in ore, Pſalmus in corde ſa-
„ pit, tantum illum terere non ne-
„ gligat fidelis & prudens anima, qui-
„ buſdam dentibus intelligentiæ, ne ſi
„ fortè integrum glutiat, & non man-
„ ſum fruſtretur palatum ſapore de-
„ ſiderabili, & dulciori ſuper mel &
„ fauum. Offeramus cum Apoſtolis in
„ cœleſti conuiuio & in Dominica
„ menſa fauum mellis, mel in cera, de-
„ uotio in litera eſt. Alioqui litera
„ occidit, ſi abſque ſpiritus condi-
„ mento glutieris; ſi autem cum Apo-
„ ſtolo pſallas ſpiritu, pſallas & men-
„ te, cognoſces & tu de illius veri-
„ tate ſermonis quem dixit IESVS:
„ *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus &*
„ *vita ſunt*, & item, quem legimus di-
„ cente ſapientiâ, *Spiritus meus ſuper mel*
„ *dulcis*. Sic delectabitur in craſſitu-
„ dine anima tua: Sic holocauſtum
„ tuum pingue fiet: Sic placabis re-
„ gem: Sic placebis principibus: Sic
„ denique totam tibi curiam placa-
„ bilem reddes, & odorati odorem
„ ſuauitatis in cœleſtibus, de te quo-
„ que dicent: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit*
„ *per deſertum ſicut virgula fumi ex aro-*
„ *matibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi*
„ *pulueris pigmentarij*? Hactenus Bernardus.

15. *Deus diſtractos in oratione non exaudit.*

Quarta ratio, Vt Deus mente benigna preces noſtras excipiat, ſic enim exordio ſupplicationis canonicæ oramus, *Deus in adiutorium meum intende*. Quomodo verè intendat nobis Deus, ſi ipſi nec nobis nec orationi noſtræ intendimus? Vide Cyprianum ſuprà tract. de Oratione Dominica hoc argumentum luculentè tractantem & retractantem.

16. *Attentio vim orationi tribuit.*

Quinta, Quia promptus vigilantiâ & ſollicitudine animus vim & efficaciam orationi tribuit; Deus enim præcipuè ſpirituum ponderator eſt, & negotium hoc plus agitur medullis cordis, quàm labijs oris, vt dixit Bernardus ſerm. 13. in Cantica. Scimus dictum à Chriſto Ioann. 4. *Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate*;
Quid eſt (inquit Auguſtinus Serm. „
230. de Tempore) oratio niſi aſcen- „
ſus animæ de terreſtribus ad cœle- „
ſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibi- „
lium deſiderium? Et Gregorius lib. „
2. Moral. cap. 18. *Vera poſtulatio non in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis*. Rurſus S. Auguſtinus in præclarâ illâ ad Probam Epiſtolâ, 121, cap. 10. In-
ter cetera hoc egregiè: Plerumque „
hoc negotium plus gemitibus quàm „
ſermonibus agitur, plus fletu, quàm „
afflatu; qui omnia per verba condi- „
dit humana verba non quærit. Sed „
vela complico, & quæ ad vigilantiam in oratione adhibendam nos accendere poſſit in ſummam contraho.

17. *Summa eorum quæ nos ad attentionem tempore orationis excitare poſſunt.*

Compellit nos ad hanc egeſtas, & vilitas noſtra, ſi ad æterni numinis dignitatem & gloriam referatur? Allicit res noſtra (illa enim agitur) quam ab oratione expectamus, remedium in malis, bonorum huius & futuræ vitæ ſpes, quæ petimus, & ne fruſtra labor

labor ſuſceptus videatur: Incitat metus, ne medicinæ vertat in toxicum, & oratio fiat in peccatum, & perniciem creet id vnde ſalus ſperabatur. Manum inijcit fides, quam Deo & Eccleſiæ, cuius miniſtri ſumus, addiximus. Vrget operis dignitas, quod requirit exactam & omnibus numeris abſolutam curam & diligentiam ne ludibrio ſimus hoſtibus noſtris. Prouocant exempla Sanctorum, Anachoretarum, Therapeutarum, Sacerdotum tam antiquæ quàm recentis memoriæ, qui ſumma attentione diuinum officium perlegerunt. Quid plura? Næ inſignes illæ animæ & cœleſtes mentes, quæ nobis in pſalmodia ſocíantur, omnem ignauiam propulſent: gaudent illæ alacritate noſtra in pſallendo, delectantur promptitudine: è contra contrahuntur mœrore, (Si modò ſollicitat cœleſtia pectora mœror) dum conſpiciunt animorum noſtrorum ſocordiam & languorem.

CAPVT XIX.

Quæ Euagationum ab orationis ſcopo diuerſarum origo, & qua ratione cum illis pugnandum.

1. *...e eua- ...um, ...nis in- ...io, ha- ...pecca- ...n, con- ...do ter. ...gitā- ...guor ...m ani- ...e pec- ...rigi- ...xia ...o. So-*

DOminicus Sotus vir in paucis eruditus lib. 10. de Iuſtitia qu. 5. art. 5. huius abalienationis plures cauſas enumerat. Imprimis offert ſe cacodæmonum humani ſanguinis ſitientiſſimorum aſſidua infeſtatio, contra quos arma capere nos monet ſcriptura paſſim. Alteram, addit cauſam pronitatem naturæ ad malas artes (habitum peccatorum ipſe cum Theologis rectè vocat) & inolitam conſuetudinem animo voluendi res caducas & perituras. Sicut enim corruptus & vitioſus humor corporis, quà ſemel decurrere viâ cœpit, eadem pertinaciter defluit; ſic & cogitatio noſtra lubrica & præceps curſu ſuo labitur, & animum hominis ad aſſueta trahit. Subiungit & tertiam, languorem humanæ mentis, & virium animi ex primigenia macula, originis nempe peccato. Enimverò quemadmodum is qui poplite debilis eſt fixo pede incedere nequit, ſed fallente greſſu ſubſidit: Ita is cui mens infirma hebeſcit haud valet irreflexo obtutu inhærere orationi. Solares radij vndæ fluctuanti non inſident, ſed quaſi titubant: ſic & menti noſtræ inſtabili & verſatili diuinæ lucis radij non facilè infiguntur. Hæc ferè Sotus.

Verum plures alij impuri fontes vel ſentinæ potiùs huius mali reperiuntur, & cauſæ magis propinquæ. Sunt autem hæ. Prima, quia ante diuini officij lectionem animum inutilium cogitationum turbâ implicauimus, quæ exinde ſub orationis tempus recurrunt, quo nihil frequentius. Altera eſt, negligens oculorum & aurium cuſtodia, dum pſalmodia peragitur, per quam, tamquam per portas, volenti, nolenti irrepunt, & irrumpunt, audita & viſa, quæ imaginum multitudinem ad phantaſiam tranſmittunt. Tertia, mobilitas mentis, quæ inſtar laſciuientis equi, vt ille loquitur, ſtare loco neſcit. Quarta, cupiditas alicuius boni potiundi, quæ quamdiu differtur, animum quaſi æſtro quodam exagitat. Quinta, vehemens cura, quæ hominem coquit & verſat, & quietem nullam dat. Sexta ſcrupuli & anxietas, ne fortè aliquid omiſſum, vel minus accuratè pronuntiatum, vel non intellectum propter alias cogitationes importunè irruentes. Septima, occaſio tunc lecta data vel accepta, ex ijs quæ vel audita ſunt, ad aliena mentem diuertens. Octaua, varietas occupationum, negotiorum, ſtudiorum, & nimis inten-

2. *Cauſæ propinquæ diſtractionum plures numerantur?*

intentus in ea animus. Nona, otium, & quæ ex eo ſuccreſcunt mala germina prouentu vberrimo. Poſtrema, contractior & rarior cœleſtis luminis irradiatio: Solet enim Deus in maius hominis bonum interdum copioſiores ſuæ gratiæ fontes reprimere, quo largiùs poſtea fluant, cùm mens ſitibunda, & fluxarum deliciarum nauſeabunda ſupplici & humili prece illos laxauerit.

3. *Non [illegible] ab-rumpenda [illegible], quia [illegible] ngit [illegible] ntem [illegible] vitam ad [illegible] ria vo uen- [illegible] trahi.* Rectè verò monet Cardinalis à Turrecremata tract. 77. in Regulam S. Benedicti. Non ob id orationis abrumpendum exercitium, quia frequentius contingit mentem inuitam in diuerſa abripi: pulchraſque ad huius ſui moniti ſubijcit rationes. Nam imprimis propoſitum attentè orandi initio conceptum virtute cenſetur manere & influere in totam orationem, donec retractetur, vt alibi explicatum eſt. Vnde non incaſſum illa effunditur, ſed magni apud Deum eſt meriti, & optatum fructum ſubinde refert. Addit deinde hoc ſimile. Qui inopiam oſtiatim mendicando tolerat, quamuis non ſemper importuno ſuo clamore diuitum aures diuerberet, miſerabili tamen ſuo aſpectu, dura etiam auarorum pectora ad ſubueniendum emollire conſueuit: quantò magis miſericors, & miſerator Dominus pauperum ſuorum miſerebitur. Accedit ad poſtremum carmina ſacra, & ſolemnia pſalmodiæ odaria magnâ per ſe vi pollere. Si enim verba magica angues & colubros ſopiunt, & veneno exarmant, quantum exiſtimabimus roboris, & virium ineſſe verbis Chriſti Domini Apoſtolorum, & Prophetarum, quantum Dauidicæ citharæ ad ſpiritus malos, qui nos exagitant, abigendos? Hæc quoad rem Turrecemata.

4. *Dæmon omni arte* Enim verò, vt ad mali huius ſcatebras curſum reflectam; atrociſſimum humani generis hoſtem, veteratorem illum ſerpentem, qui cum nobis à mundi incunabulis inimicitiæ inexorabiles interceſſerunt, abuti in caput noſtrum noſtra imbecillitate exploratiſſimum eſt. Ipſe eſt, qui cum orationem omnem, tum maximè pſalmodiam, vel è medio tollere, vel ſi hoc non poteſt, turbare & vanis phantaſmatis mentes pſallentium offuſcare omni ope laborat. *& vi nititur pſalmodiam vel è medio tollere, vel ſaltem animos pſallentium ad aliena rapere.* Rectè ſiquidem S. Baſilius Sermone de Rerum Abdicatione. Caue, inquit, diligenter, ne „ cogitationi illi animi tui, aſſentiare, „ quæ ab orationis canone nondum „ peracto auellere te ſtudeat. Habent „ enim morem hunc dæmones, vt fa- „ ciendæ orationis temporibus, per „ ſpecioſam aliquam laudabilis cauſæ „ ſimilationem nobis auctores ſint, „ vt ab ea nos ſubducamus, vt quam „ ſalutem nobis afferre intelligunt, „ ab ea nos probabiliter abducant. Et „ Clymachus Gradu 4. Semper qui- „ dem ſeruandus eſt quietus animus, „ atque ab omni perturbatione liber, „ ſed attentiùs tamen cum Domino „ pſallimus. Student enim maximè „ dæmones perturbationibus ani- „ mam noſtram impedire atque de- „ moliri: & Gradu 18. ſcribit, eodem ſpiritualis tubæ ſigno conuocari fratres ad orandum, & dæmones conuenire ad eos perturbandos. Vide B. Laurentium Iuſtinianum lib. de Diſciplina monaſt, c. 17. Et quidem multis exemplis declarare hoc in promptu eſt, quæ præclara diuorum facinora ſuggerunt præſertim D. Antonij per Athanaſium: Iacobi Eremitæ per Theodoretum in Philotheo cap. 21. Anſelmi, Dominici, & aliorum. Sed plura hac de re ſparſim operi meo inſerta.

Refert liber Sententiarum patrum Anachoretarum §. 34. de S. Pachomio, quòd ſæpe audierit immundos ſpiritus conferentes inter ſe, & mille 5. *S. Pachomius audiuit dæmones inter ſe*

nocendi artes iactantes, quibus Dei ſeruos, maximè monachos aggrediuntur, & quâ ratione ad deſidiam & ſoporem tempore pſalmodiæ tentant. Ibidem §. 19. narrat quomodo Vertumnus ille & Proteus S. Macario ſpecie monachi ſe videndum obtulerit, & oſtenderit: quomodo tempore pſalmodiæ maligni ſpiritus orantibus aſcetis illudant: quod quia alibi relatum eſt, hic volens prætereo.

Et certè mirandum non eſt ſartorem illum ſatoremque malarum artium dæmonem omnium fraudum architectum imbecillos homunculos & lutea figmenta dolo maximè obuia ab attentione abducere, & variarum cogitationum imaginibus tempore precum illaqueare, cùm viri ſanctitate præcipui ſe frequentiſſimè mente aberrare, cùm orare intendunt, fateantur, & ingemiſcant. Animus enim noſter etiam cum eum voluerimus tenaciſſima cordis intentione velut quibuſdam vinculis obligare in ipſo conatu noſtro ocyus quam anguilla de receſſibus mentis elabitur, vt eſt ingenioſè dictum à Sereno Abbate, apud Caſſianum Collatione 7. cap. 7. Plenæ ſunt his querelis omnium religioſorum hominum voces. Solùm profero illud Auguſtini commentantis in Pſalm. 85. v. 5. Vix, ait, eſt vt occurrat talis oratio inter multas orationes (quæ videlicet non impediatur vanis cogitationibus) diceret vnuſquiſque ſibi, contingere, & alteri non contingere, niſi inueniremus in ſcripturis Dei David orantem; & quodam loco dicentem, 2. Reg. 7. *Quoniam inueni Domine cor meum, vt orarem ad te*; inuenire ſe dixit cor ſuum, quaſi ſoleret ab eo aufugere, & ille ſequi quaſi fugitiuum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Dominum, quopiam *cor meum dereliquit me*, Pſal. 39.

Videat Lector ſequentia. Vnde rari exempli res eſt quam commemorat Sophronius in Prato ſpirituali cap. 98. de quodam Anachoreta, qui teſtæ hoc inſcripſerat moriens: Numquam in opere Dei, vel cum horis conſtitutis pſallerem, animam terræ affixam habui.

7. Exemplum rarum inſtãtiæ Anachoretæ qui numquam in horis diſtrahebatur.

Sed quid cauſæ cur tartareos illos latrones adeò infenſos infeſtoſque ſub orationis tempus experiamur? an quia ſicas eorum iugulis noſtris intentas deprecationis ſcuto excutimus, vires elidimus, machinas frangimus, inſidias euadimus? Ita ſenſit Chryſoſtomus inter alios lib. 1. de Orando Deo hiſce verbis. Niſi temetipſum, ait, præmunieris orando, contemptibilem captuque facilem præbebis ſceleratiſſimis ſpiritibus, qui continenter obambulant, obſeruantes nos, vt ſi quem deprehenderint nudatum deprecationis præſidio, protinus abripiant. Si nos conſpexerint deprecatione communitos illico reſiliunt: non aliter quàm prædones ac facinoroſi vbi conſpiciunt militis gladiũ in ſuum caput vibrari. Quod ſi contingat aliquem eſſe nudum deprecationis præſidio, hic auulſus deportatur a dæmonibus, & in calamitates variaque mala impellitur. Oportet igitur vt hæc omnia ſemper intuentes precibus & hymnis noſmetipſos ſemper circumuallemus. Hæc Chryſoſtomus.

8. Cauſa cur dæmon nos infeſtet tempore orationis.

At qui hiſce nodis, & diſtractionum cauſis cunei admouendi? Suggeruntur varij, inter quos,

9. Rationes quibus diſtractiones euadimus.

Primum locum tenet ſedula obſeruatio eorum quæ præmittenda pſalmodiæ propoſuimus. Ferè enim is animum orationis tempore collectum, eiuſque vires vnitas cum Deo habet, qui ad eam ſe egregiè præparauerit. Vt enim cum philoſophis loquar forma ſequi ſolet diſpoſitiones, &

10. Prima ratio eſt ſedula ad orationem præparatio.

moris habet munificus, ſupra quàm credi poteſt, Deus laborem noſtrum, quo nos ante orationem præparauimus, profuſiore ſuâ gratiâ compenſare.

11. *[illegible]* Alterum eſt animi ſubmiſſio & humilitas proueniens ex alta conſideratione propriæ vilitatis & miſeriæ, componendo illam cum infinita Dei maieſtate, & miſericordia: humilibus enim Deus dat gratiam, etiam illam quâ magnâ animi quiete & ſuauitate, dum orant, perfruantur. Quòd ſi ſecus accidat, hoc ideo Deus permittit, vt profundius noſmetipſos deprimamus, imperfectum noſtrum videamus & lugeamus. In incerto nemo hæreat, quin hæc medicina præſtantiſſima ſit: Siquidem reſpicit Deus in orationem humilium, & non ſpernit precem eorum: & humilium, & manſuetorum ſemper ei placuit deprecatio.

12. *Deum ſibi oranti præſentem proponere via optima diſtractiones vitandi.* Tertium, eſt proponere ſibi ob oculos Deum præſentem, omnia intuentem, ex animo preces fuſas exaudientem, negligentias in ijs admiſſas vindicantem. *Magna*, ait, Boëtius lib. 3. de Conſolatione Philoſophiæ, *nobis indicta eſt neceſſitas bene agendi, cum ante oculos agamus Dei cuncta cernentis.* Suppeditat nobis adminiculum hoc magnus Baſilius in Regulis breuius diſputatis Regulâ 21. vbi hanc quæſtionem mouet. Quomodo quis aſſequi poſſit ne inter orandum mente euagetur. Et reſpondet, ſi credat Deum adeſſe, qui ſcrutatur corda & renes, quod declarat fuſius Regulâ 201. ad quem lectorem remitto.

13. *Tempore pſalmodiæ imaginatio circa pium aliquod argumentum detinenda.* Quartum, ſaluberrimum erit inhærendo conſilio Abbatis Sereni, apud Caſſianum Collatione 7. cap. 4. Imaginatricem, ipſamque mentem fugacem & leuem certis quibuſdam cancellis circumſcribere, extra quos non euagetur, v. g. pium aliquod argumentum in memoria repoſitum, & comparatum habere pſalmodiæ conſentaneum & conueniens, circa quod animus tempore precationis verſetur, quod meditetur, & aſſiduè circumuolutet. Huiuſmodi eſt hiſtoria Chriſti cruciatuum, & acerbiſſimæ perpeſſionis in ſeptem capita ſingulis Horis canonicis aptata, concinnè diſtributa: ſic vt proponatur nobis Chriſtus patiens vincula, flagella, ſpinas, crucem, eique gratiæ agantur, & petatur abſolutio à vinculis, flagris, ſpinis, cruciatu peccatorum & inferni. Rurſus ſiquis minutiùs, vitam, res geſtas, & crudeliſſimam eius necem, & ſupplicia ſecare velit; poterit ſingulis pſalmis totius officij nocturni & diurni aliquod applicare myſterium cui phantaſiam fugitiuam alliget, vt piè oſtendit P. Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. de ſtudio orationis lib. 1. p. 2. cap. 11. Alij demum, vt idem Auctor docet, in ipſius diuinitatis radios oculos mentis (quo ad mortali viſui licet) defigunt, obijcientes ſibi vno die Deum trinum & vnum, altero Deum Patrem, aliàs Deum Filium, alio Spiritum ſanctum: ſingulis verò pſalmis perfectionem aliquam ipſius diuinitatis ruminant, vt immenſitatem, æternitatem, &c. eamque admirantur, laudibus efferunt, & incredibili illam reuoluentes dulcedine mentis paſcuntur. Alij poſtremò irretorto obtutu Deum ſibi præſentem conſiderantes, ſingula verba pſalmorum, lectionum, orationum, &c. pleno ſenſu, quaſi ipſimet ea primùm depromerent, pronuntiant, non velut ab alijs ante edita, ſed vt primùm iam in ipſorum mente & labijs nata.

Quintum, Omnem operam & induſtriam in hoc collocare, vt omnis occaſio alienationis, & euagationis euitetur, ſiue ſit interna, ſiue externa. Maximè autem curandum eſt, vt materia vicina, quæ mentem auertere ab oratione ſolet, quam occaſionem pro- 14. *Occaſio euagationum fugienda.*

Digitized by Google

ximam Theologi vocant, penitus ſubmoueatur. Quæ autem illa ſit, dictum eſt latiùs libro ſecundo.

5. *dera- ſubis ſtan- ſtra- es in- oda obis ore ous unt,*

Sextum, Penſiculatiùs conſiderandum ſpirituale detrimentum, quod facimus, admittendo per noſtram ignauiam incuriamve animi ab oratione abſtractiones, vel etiam ſolùm patiendo, quamuis non voluntariè. Si quidem, vt rectè obſeruant Theologi, etiam is qui non ſuapiè ſponte ſed inſcius, & contra voluntatis propoſitum abripitur in diuerſa & aliena ab orationis ſcopo duplici commodo priuatur.

6. *ractio- uſa tur re- one uali us pri- ; & m me- ugmē- acqui-*

Primò, quod manifeſtum eſt, fraudatur ſpirituali pabulo, quam refectionem & deuotionem vocant, hoc eſt pro illo tempore, non illuſtratur ipſius mens ſuperno lumine, quo diuina myſteria illi pandantur, nec affectus eius deguſtat ſuauitatem, quam Deus communicare ſolet ijs, qui pleno mentis volatu in ipſum feruntur. Alterum eſt, quòd quamuis oratio ex firma ſententia Deo vacandi fuſa, quamdiu propoſitum illud non reuocatur, ſit magni apud Deum meriti, ſi cetera neceſſaria ad illud adſint, & obtinere poſſit, quæ debito modo poſtulauerit, ſatisfaciatque pro præteritis culpis; nihilominus, tunc temporis, quo etiam ignarus animo in res à Deo auerſas diſtrahitur, nullum meriti, gratiæ aut gloriæ incrementum acquirit: quia ſpiritus à quo omnis virtus, & meritum in exteriora opera promanat, à colloquio cum Deo abſcedit & ceſſat. Quo fit vt licet ſatisfactio ſemper extendatur, quia labor ipſe orandi exteriùs protenditur, non tamen extendatur meritum, ſed actu interiore ceſſante, etiam ipſum deſinat.

7. *ſi cul- erce- iam*

Quòd ſi etiam culpa quantumuis leuis intercedat, & noxijs phantaſmatis obſiſtendi deſidia, tunc huiuſmodi oratio, præter iam dicta incommoda, iacturam omnis meriti, & cuiuſlibet boni ſanctam orationem concomitari ſoliti incurrit: hoc eſt, vt ſchola loquitur, talis oratio nec eſt meritoria, nec ſatisfactoria, nec impetratoria apud Deum; quamuis per eam præcepto Eccleſiæ fiat ſatis, & quotidianæ diſtributiones lucrifiant. Huius ratio eſt, quia culpa illa quamuis exigua & venialis intimè tamen afficit, & inficit ipſam orationem, cuius, vt loqui ſolemus, eſt circumſtantia, & tanquam vermis & teredo inteſtina, medullam ipſius exeſt: imò facit vt ipſa oratio ſit peccatum. Idemque iudicium eſt quando oratio ſancto propoſito inchoata, mutato poſtea animo, ex inanis gloriæ cupiditate vel aliter continuatur.

venialis, tunc oratio nec erit meritoria, nec ſatisfacto- ria, nec impetratoria.

Poſtremò, Alta mente hoc reponendum eſt: nempe, non quaſlibet cogitationes etiam pias vel bonas, v. g. de Chriſti diuinitate vel humanitate, &c. ſuſcipiendas eſſe tempore orationis canonicæ, cùm multæ earum ad nudam ſcientiam dirigi poſſint alicuius veritatis acquirendæ, vel ad dogma aliquod in ſcholis vel templo exactiùs enodandum, quæ pertinent ad puram Theoriam. At verò tales meditationes verſandæ ſunt, dum horas legimus vel pſallimus, quibus ſpiritus promoueatur ad gratias Deo agendas, eius laudes celebrandas, quibus trahatur ſuauiter in illius amorem & ſemel clarè intuendi ardens deſiderium. Denique quibus excitetur ad facinorum ſuorum deteſtationem, &c. Non tamen neceſſarium vt affectiones huiuſmodi ex verbis quæ leguntur vel audiuntur eruantur, & quaſi in eis fundentur (etſi hoc plerumque melius ſit) ſufficit illas etiam ſponte orationis initio aſſumere attentionis firmandæ gratiâ, ex aliqua antecedente meditatione. 18.

Non omnes præcogitationes ſuſcipiendæ tempore pſalmodiæ ſed ea ſolum quibus animus excitetur ad Deum amandum, laudandū, &c.

Aliud nihil voluiſſe cenſendum eſt S. Ber- 19.

Digitized by Google

Explicatur ... Bernardi.

S. Bernardum, dum ita ſcribit Ser. 47. in Cant. „ Nihil aliud, inquit, dum „ pſallitis, præter id quod pſallitis, „ cogitetis. Nec ſolas dico vitandas „ eſſe cogitationes vanas & otioſas; „ Vitandæ ſunt & illæ (illâ dumtaxat „ horâ & loco) quas officiales fratres „ pro communi neceſſitate, quaſi ne- „ ceſſariò frequenter admittere com- „ pelluntur. Sed ne illa quidem pro- „ fectò recipere ſemper conſuluerim, „ quæ forte paulò antea in codici- „ bus legeratis, qualia nunc me viua „ voce diſſerente ex hoc auditorio „ Spiritus ſancti recentia reportatis. „ Salubria ſunt, ſed minimè illa ſalu- „ briter inter pſallendum reuoluitis: „ Spiritus enim ſanctus illâ horâ gra- „ tum non recipit, quidquid aliud „ quàm debes, neglecto eo quod „ debes, obtuleris. Hactenus D. Ber- „ nardus.

Attentio in oratione parit deuotionem vt docent SS. exempla.

Attentio parit deuotionem, ſiue affectum quo quis magno animo & alacri, orationi ſe addicit, quo flagrarunt tempore pſalmodiæ multæ egregiæ animæ, quarum exempla ſupra ſuas in claſſes diſtribui. Solum hic recordor Arſenij, qui interdum erumpente foras diuini amoris pectori incluſi flamma totus collucebat. Fertur Ioannes Rusbrochius tanto interdum animi ardore oraſſe, vt arbor ſub qua reſidebat, flagrare, & igneſcere videretur. E ſocietate noſtra B. Staniſlaus integerrimus adoleſcens dum prima religionis in ea rudimenta poneret, tanto ſubinde circa præcordia æſtuabat calore, vt madefacto linteolo nebat calore fuerit orantis ardorem ab tyroceſſe fuerit orantis ardorem ab tyrocinij magiſtro temperari. Dies me deficiat Franciſcos, Ægidios, Ignatios, Xauerios, Seraphinos illos & huiuſmodi animæ magnæ viros perſequentem. Eant nunc reſides & degeneres mentes, & ſeferuentes deuotoſque iactitent, quin potiùs horum imagines intuentes ſentiant ſibi vehementiſſimè animum ad idem decus imitandum accendi; ſcilicet viua illa exempla tanta vi pollere, vt memoria eorum ea flamma in pectore creſcat, quæ non priùs ſedetur, quàm virtus eorum ſanctitatem & ardorem adæquauerit.

CAPVT XX.

Parænesis ad Continentem, Integram, Ordinatam, Diſtinctam Canonicarum precum modulationem & lectionem præſtandam.

QVAMVIS ſparſim de his pluſcula inſerta, & inculcata maximè methodo didactica, viſum tamen fuit hîc Lectori pia quædam & ſalutaria de iiſdem monita perpaucis ſuggerere. 1.

D. ergo Bonauentura Speculi diſciplinæ ad Nouitios parte prima capite 16. de his ita ſcribit. Debent „ viri religioſi dicere officium diſtin- „ ctè, continuè, integrè, & ordinatè. „ Diſtinctè ne verbum maſticando, „ vel exiliter proferendo, vel nimium „ feſtinando dicenda confundant. „ Continuè, vt interruptiones in eo „ non fiant interloquendo, niſi vrgen- „ te neceſſitate. Integrè, vt de dicendis „ nihil omittant. Ordinatè denique „ officium in ſubſtantia, tempore, mo- „ do, & omnibus exequi ſtudeant. Hæc Bonauentura. 2. *Monitum D. Bonau.*

Principio igitur pſallendum diuinum officium Continuè & ſine interruptione, vt dictum lib. 2. Niſi fortè ſpiritus Dei arcanum aliquod diuinius inſtillet, cui excipiendo mentis aures arrigendæ. Tunc enim intermiſſa pſalmodia audiendum & ruminandum, quid loquatur interius Dominus. Vt hanc continuationem nobis perſuadeat D. Bonauentura ſuprà, refert quem- 3. *Sine interruptione dicendum officium.*

Digitized by Google

quemdam ob interruptionem diuini officij dirè in purgatorijs ergaſtulis cruciatum. Addit & hoc,

4. *...larum ...plum ...lam ſi- ...terru- ...reci- ...*

Pariſijs, inquit, vt fertur, cùm quidam Theologiæ profeſſor officium exequeretur, interuenit Epiſcopus cum eo aliquid communicaturus. At ille ſubmiſſo tantum capite honorem illi exhibens, non interfatus Horam inceptam complet, Epiſcopo interim opperiente. Ne verò hanc moram moleſtè ferret, poſt abſolutas preces ſubiecit. Ne mireris aut indigneris ô Epiſcope, non enim arrogantiæ fuit hæc dilatio, ſed quia mihi cum maiori Domino ſermo erat.

5. *...egium ...exem- ...S. ...geri.*

Sed præclarum in hoc genere eſt, quod habetur in Vita S. Ludgeri primi Monaſterienſis Epiſcopi, quam à coæuo conſcriptam ex bibliotheca Fuldenſi eruit Chriſtophorus Brouwers Societatis noſtræ, & habetur in Surio, editionis vltimæ Martij 26. Sic ergo ibi ſcribitur lib. 1. cap. 32. Imperator Carolus magnus S. Ludgerum ad audientiam ſuam ad ſe purgandum ſuper quibuſdam delationibus inuitauerat. Vnde dum veniens manſionem iuxta palatium accepiſſet, mane primo ad eum Imperator cubiculario miſſo ad ſuum iuſſit venire colloquium. Fortè tunc Antiſtes dum conſuetudinarijs ex more Pſalmis & orationibus inſtaret, dixit cubiculario, vt præcederet, ſe mox diuino officio peracto ſecuturum. Dum ſecundo & tertio nuntijs venientibus ille ab incepto non moueretur opere; accuſatores eius ſe occaſionem inueniſſe lætati, ex hoc ipſius facto criminationem cumulabant. Verùm dum completis pſalmodijs ante Imperatorem veniſſet, dixit Imperator, quare noſtrum mandatum ſic difficile accepiſti, Epiſcope, vt tot accerſitus nuntijs ſtatim venire deſpiceres? Quia inquit, Deum, & tibi, ô Rex, & cunctis hominibus præponendum arbitrabar. Hoc enim mihi præcepiſti curam Epiſcopalem committens; Idcirco à tuis licet vocatus nuntijs omnipotentis ſeruitium intermittere inconueniens iudicaui. At mox diuino peracto obſequio paratior ad regis imperium veni. Quod reſponſum eius Imperator optimus veneratus, gratias, ait, habeo, Epiſcope, quia talem te modò reperio, qualem antea exiſtimabam. Fuerunt autem aliqui, qui factum bonitatis tuæ maleuolè apud me interpretati ſunt; ſed hos deinceps minùs gratos habebo, & nullius verba ſuper tua criminatione me vlteriùs accepturum ſpondeo. Hæc ibi.

Addam & ex Philotheo Theodoreti cap. 21. in Iacobo Anachoreta, egregium eiuſdem Iacobi documentum. Ferebat hic ægerrimè eos, qui tempore orationis ei exhiberent moleſtiam, & cogerent eum preces interrumpere. Huius rei cauſam interrogatus à Theodoreto, ſic inter cetera reſpondit. Quomodo, inquit, non fuerit valde reprehendendum & valde ſtultum interrumpere quidem ſeriem orationis, interim verò loqui cum hominibus? Si enim hominis, qui eſt eiuſdem, cuius ego naturæ, eſſem famulus; eo autem tempore, quo eſt miniſtrandum Domino, dimittens in tempore afferre cibum vel potum, confabularer cum aliquo ex conſeruis, quot plagas iure acciperem? Si autem cùm etiam acceſſiſſem ad præſidem, & qua ab aliquo afficior narrans iniuriam, ſermonem quidem in medio interrumperem; apud aliquem verò ex præſentibus alia verba facerem, Non tibi videtur iudex id ægrè eſſe laturus, & auxilium quidem eſſe denegaturus, flagris autem præterea eſſe cæſurus, & à tribunali electurus? Quomodo ergo eſt honeſtum, vt ſeruus quidem in Dominum, qui autem

6. *Rationes adfert Iacob. Anachoreta cur turpe ſit orationem interrumpere.*

tem ſupplicat in Iudicem, ita vt oportet ſe gerat, ego autem ad Deum & æternum Dominum & iudicem iuſtiſſimum, & omnium regem accedens ne ſimiliter quidem atque ij, accedam; ſed inter orandum me conuertam ad conſeruos, & prolixo cum eis vtar ſermone? Hæc, inquit, Theodoretus & audiui, & ad eos qui ægrè ferunt tranſmiſi, & mihi videtur rectè pulchreque dixiſſe. Nam præter ea quæ dicta ſunt, eſt etiam amantium proprium omnes quidem alios deſpicere, illi autem ſoli quem amant, adhærere, cumque, & noctu ſomniare, & interdiu viſione apprehendere. Ideo mihi videtur ægrè ferre, vt qui in ea quidem quam deſiderat verſetur contemplatione, prohibeatur autem impleri expetenda, & digniſſima quæ ametur pulchritudine. Hæc ex Theodoreto.

7. *Quæ pertineant ad officij integritatem.*

Ad Integritatem (de qua lib. 2. ex profeſſo egimus) pertinet, Primò vt verba non abſorbeantur in verſibus aut ſententijs, vltima primis iungendo eliſis medijs. Secundò vt ſyllabæ non prætruncentur aut amputentur. Tertiò vt in alterna pſalmodia aut officij recitatione vna chori pars verſum non inchoet priuſquam oppoſita ſuum finierit.

8. *Conſidera omnes vtiles ad officium canonicum integrè recitandum.*

Vt hæc accuratè ſeruentur, conſiderare ex vſu erit, officium diuinum ſe habere inſtar menſæ opiparis dapibus inſtructæ, ad quam ſaturi vel ſtomacho infirmo, & languido, nauſeabundi accedunt; famelici verò fortes atque integri, orexi excitata. Videre eſt Clericos ignauos & torpeſcentes, quibus Breuiarium Ætnâ grauius onus eſt, ſine ſapore & guſtu, cœleſtes pſalmodiæ delicias capere, eaſque amaræ inſtar potionis, vel vno hauſtu abſorbere, vel certè earum magnam vel paruam portionem intactam reliquere. Deeſt enim appetentia. Alij è contra, quibus melior mens, & ſanius palatum viget, quibus pſalmodia etiam longiſſima nectar ſapit & Ambroſiam, quibus igneo ſpiritu venæ feruent, ita auidè hæc diuina bellaria arripiunt, quaſi diuturnam famem explere cupientes, nulla præmorſa relinquunt fragmenta, nulla patiuntur faſtidia, quamuis in multam lucem vel noctem hoc epulum extendatur: Quippe de quo ſcriptum ſit, *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient.* Excitatur enim & proritatur ſemper noua orexis, & quamuis humanæ interdum vires deficiant, fit tamen illis canonica precatio quaſi Colyphium (id nomen eſt panis quo olim palæſtritæ veſcebantur à membrorum robore nuncupatum) quo interior virtus reparetur & confirmetur. Animo frequenter reuoluunt illud Chriſti Ioannis 4. v. 34. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Sciunt nempe officium canonicum à PP. vocatum opus Dei, cui nihil præponendum aiebat D. Benedictus. Norunt Moyſen (qualem virum!) cùm carmen diuino afflatus ſpiritu calente vena effudiſſet, quod refertur Deuteronomij 32. Et longitudine omnes ſacræ ſcripturæ hymnos anteit, illud contento ſpiritu aſtante totius populi Hebræi corona nihil prorſus prætermittendo pronuntiaſſe. Sic enim legimus Deuter. 31. v. poſtremo: *Locutus eſt ergo Moſes audiente vniuerſo cœtu Iſrael verba carminis huius & ad finem vſque compleuit.* Prætermitto hìc illuſtria Sanctorum exempla alibi à me commemorata. Sciant inertes animæ, quas facilè delaſſat etiam breuicula pſalmodia, quoties in choro minus viuaciter canunt aut vocem ſubtrahunt, toties magni pretij vnionem aut carbunculum coronæ ſuæ inferendum perdere: toties fieri hoſti ſuo opportunos, qui pulcherrimam & fragrantiſſi-

grantiſſimam roſam de ſacrario Dei ipſis debitam, ſi infracti in diuino officio perſtitiſſent, videntibus & conniuentibus exportet, vt loquitur pius auctor Thomas à Kempis tom. 1. operum, concione ſiue medit. 27. cap. 8.
9. Trita refertur à Cardinale Vitriaco, Antonino, Nauarro & alijs Hiſtoriola, dæmonem ſcilicet quondam à viro ſancto viſum vndique per chorum neſcio quæ fruſtilla corradere quæ ſollicitè conquiſita in ſaccum conferebat: Interrogatum verò quâ de cauſâ id faceret, reſpondiſſe; ſe colligere verſus omiſſos, prætruncatas ſyllabas, & verba, quæ pſallentes neglexiſſent, vt in publico Iudici coram Dei tribunali eos huius peculatus accuſaret.

Non impo- ... viſum ... à ver- ... ſylla- ... pſal- ... a.

10. Tertio loco venit Ordo ſeruandus in publicis, priuatiſque precationibus. Perlegat Clericus & Aſcetes ea quæ tractat S. Bonauentura ſupra capit. 16. Congruus ordo, inquit, eſt in omnibus prouidè diſciplinato ſeruandus, ordinatum animum ordinis decor, & condecet, & condelectat: inordinati verò eſt animi etiam in exterioribus ordinem non curare: Et tamen ordinationis exterioris religio attentionem excitat & affectum. Hæc Doctor Seraphicus. Præterea notet ordinem in omni re parentem eſſe omnis ſymmetriæ & pulchritudinis. Quid humani corporis fabrica eſt, niſi Chaos quoddam inconditum, rudis indigeſtaque moles, ſine ordine, & certa membrorum poſitura. Quid mundo ornatum adfert, niſi paruum decora commenſuratio & collocatio? Niſi in ſtructura & ædificio lapides & tigna aptè coniungantur, aceruus erit, non ſubſtructio. Qualis verò erit illa oratio, quæ Epilogum vel confirmationem loco exordij præpoſitam habeat, vel in quâ apta diſpoſitio non ſeruetur? Iuxta tibi Lector de officio diuino ratiocinandum eſt, ſi Completorium primo mane loco Primæ Deo perſoluas, aut vice verſa veſperi Primam loco Completorij, vel Lectiones, Hymnos aut Pſalmos loco moueas, &, vt ille canit, mutes quadrata rotundis. Præſcriptumque ab Eccleſia in Breuiario ordinem ſuſque deque feras. Confuſionem Apoſtolus perſequitur, dum prioris ad Corinth. cap. 14. ſcribens: *Omnia*, ait, *honeſtè, & ſecundum ordinem fiant*, v. 40. & v. 26. *Omnia ad ædificationem fiant*. Quis verò audeat officium Eccleſiæ poteſtate à Deo illi conceſſa conditum confundere, cùm idem Apoſtolus ad Rom. cap. 13. dicat, quæ ſunt, à Deo ordinatæ ſunt, poteſtates ſcilicet. Rurſus, quicumque ferè officium diuinum ex obligatione pſallit vel recitat, ſacris ordinibus minoribus vel maioribus initiatus eſt, vel in aliquem religioſum ordinem adſcriptus, meminerit ergo ordinis ſuſcepti & ſtatus ſui, qui inſinuat Eutaxiam, & omnium graduum, officiorum, cæterarumque rerum conſpirationem & quaſi harmoniam, pudeatque eum in officium diuinum à Deo ordinatum, & aptiſſimè compoſitum inducere ataxiam & confuſionem. Sed quo diuerſus ab incepto curſu abeo? calamum teneo & figo.

Ordinatè ſeruandum.

11. *... o in ... i repul- ... rimus.*

12. Poſtremò perorandæ Horæ Canonicæ Diſtinctè & Intelligenter, ita videlicet, vt voces clauſo ore non comprimantur, ſed clarè & articulatè enuntientur: ne verba inter dentes frangantur: Ne denique præcipiti curſu verſus voluantur. Sic vidimus præcipi à Concilio Lateranenſi, Viennenſi, Baſileenſi, & poſtremo Tridentino Seſſ. 24. cap. 12. Dum ſtatuit, vt nomen Dei in choro reuerenter, diſtinctèque laudetur. Conducit ad hoc, vt officium pſallatur moderata tarditate, & adhibeatur pauſa, tum in medio verſuum,

12. Diſtinctè officium perorandum.

13. Pauſa facienda in medio & fine verſuum & ad hoc conſtituendi pauſarij.

ſuum, vbi virgulæ, vel notæ, interpunctionum ponuntur, tum etiam in fine: qua ratione fortè inutile non erit, vt præſides ſeu moderatores chori, qui chorodidaſcali vocari ſolent, conſtituant pauſarios, id eſt, qui ſigno aliquo pauſas faciant vel indicent. Si enim in choro adhibentur, qui faciant modos, cur non etiam qui faciant interdum pauſam, & effuſo curſu incitatius verſus præcipitantes cohibeant. Quod noui quoſdam in Belgio Epiſcopos, & per alios deſignatos, & etiam aliquando per ſe feciſſe. Enimuero ſi cum principe viro alicuius ponderis negotium agitaturus ſummâ ope niteris, vt ſingula verba & ſyllabas clarè exprimas, ne celeriter voces voluendo minùs eum docilem reddas, & etiam contra bonos mores pecces; quantò magis tibi laborandum, vt cum Deo optimo maximo rem omnium maximam pertractaturus impetum animi ac vocis modereris? Non quod Deus ea re egeat, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur; ſed vt præſenti animo orationi te adeſſe oſtendas, & numinis præſentis oculos verearis, ne aliquid eius miniſterio, ad quod te tua libido rapit, ante tuliſſe videare; quod ſatis ſuperque arguit inſolens illa & præpropera celeritas, quâ pſalmodiam percurris. Quaſi verò quidquam diuino officio potius eſſe debeat, cui diutiùs & delectabilius inhærendum. Sed, ò tempora! o mores! Maximam Eccleſiaſticorum partem plus capit longa menſa, quam prolixum officium. Huc rerum venimus. Legant huiuſmodi, quæ habet S. Martyr Cyprianus lib. de Oratione Dominica ſub finem alibi à me prolata. Sit, inquit, orantibus ſermo & „ precatio diſciplina quietem conti- „ nens & pudorem; & quæ ſequuntur.

14 [illegible]

CAPVT XXI.

Quis modus in pſallendo ex ſanctorum ſententia tenendus.

SANCTVS Bernardus hæc aceruatim hac de re congerit Serm. 13. in Cant. circa finem, Immolantes, inquit, hoſtiam laudis & reddentes „ vota noſtra de die in diem, curemus „ omni vigilantia iungere ſenſum vſui, „ affectum ſenſui, exultationem affe- „ ctui, grauitatem exultationi, humi- „ litatem grauitati, libertatẽ humilita- „ ti. Hæc ille, quæ euoluo, & clariùs explico. Iungitur ſenſus vſui, cùm quis attendit, ſimulque intelligit quæ legit, vel pſallit: iungitur affectus ſenſui; dum ſe induit in affectus eorum quæ legit: copulatur exultatio affectui, quia hilarem datorem diligit Deus, & vt dicit quidam, melior eſt quinque pſalmorum decantatio cum cordis puritate ac ſerenitate, quàm totius pſalterij recitatio, cum anxietate cordis & triſtitia. Quartò, quia leuitas lætitiæ affecla interdũ eſſe ſolet, grauitas quoque exultationi adiungenda, iuxta illud: *In populo graui laudabo te.* Quia verò grauitas nimia interdum arrogantiæ & ſupercilij plus ſatis præfert, ideo humilitas eam moderari debet. Poſtremò denique, quia humiles ſubinde animo anguſtiore eſſe aſſolent, addenda humilitati libertas, quæ cor dilatat affluente cœlitus gratiâ, dicente Apoſtolo, *Vbi ſpiritus Dei, ibi libertas* 2. ad Corinth. 3.

1. *Verba S. Bernardi de modo pſallendi.*

Idem rurſus Bernardus Serm. 7. in Cant. in pſalmodia requirit Reuerentiam, Vigilantiam, & Alacritatem, cuius verba, quia dulciſſima ſunt, libens attexam. Quod pſallentibus, inquit „ dignanter ſancti Angeli admiſceri „ ſoleant, quid eo manifeſtius, quod „ pſalmiſta ait; *Præuenerunt principes coniuncti* „

2. *Idem alibi requirit in pſallendo reuerentiam, vigilantiam, alacritatem.*

Digitized by Google

,, iuncti pſallentibus in medio iuuencularum
,, tympaniſtriarum? Vnde & dicebat: *In*
,, *conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Doleo
,, proinde aliquos veſtrûm graui in
,, ſacris vigilijs de primo ſomno, nec
,, cæli ciues reuereri, ſed in præſentia
,, principum tamquam mortuos ap-
,, parere; cum veſtra ipſi alacritate
,, permoti, veſtris intereſſe ſolemnijs
,, delectentur. Vereor ne veſtram de-
,, ſidiam quandoque abominantes
,, cum indignatione recedant, & in-
,, cipiat vnuſquiſque veſtrûm ſero
,, cum gemitu dicere Deo: *Longè fe-*
,, *ciſti notos meos à me: poſuerunt me ab-*
,, *ominationem ſibi.* Et illud: *Elongaſti à*
,, *me amicum & proximum, & notos meos*
,, *à miſeria.* Item; *qui iuxta me erant de*
,, *longe ſteterunt, & vim faciebant, qui quæ-*
,, *rebant animam meam.* Pro certo enim
,, ſi ſe à nobis boni ſpiritus elonga-
,, uerint, impetus malignorum quis
,, ſuſtinebit? Dico ergo his qui hu-
,, iuſmodi ſunt: *Maledictus qui facit opus*
,, *Dei negligenter.* Dicit quoque non
,, ego, ſed Dominus. Vtinam te cali-
,, dum aut frigidum inueniſſem, ſed
,, quia te tepidum inueni, incipiam
,, te euomere ex ore meo. Ea pro-
,, pter attendite principes veſtros cùm
,, ſtatis ad orandum, vel pſallendum,
,, & ſtate, cum reuerentia & diſcipli-
,, na, & gloriamini, quia Angeli veſtri
,, quotidie vident faciem patris: ni-
,, mirum miſſi in miniſterium pro-
,, pter nos, qui hæreditatem capimus
,, ſalutis, deuotionem noſtram in ſu-
,, perna ferunt, referunt gratiam. V-
,, ſurpemus officium quorum ſorti-
,, mur conſortium vt in ore infan-
,, tium, & lactentium perficiatur laus.
,, Dicamus eis, *pſallite Deo noſtro, pſallite,*
,, atque audiamus eos viciſſim re-
,, ſpondentes, *pſallite regi noſtro, pſallite.*
,, Laudem ergo cum cæli cantoribus
,, in commune ducentes vtpote ciues
,, ſanctorum, & domeſtici Dei, pſalli-
,, te ſapienter ſimilia habet lib. me-
dit. cap.6.

3. *Rurſus Bernard. alio loco vult pſalmodiam peragi purè & ſtrenuè.*

Iterum ad extremum ſerm. 47. in eadem cantica, vult pſalmodiam peragi. Purè & Strenuè, cum ſic ſcribit. ,, Vnde vos moneo, dilectiſſimi, Purè ,, ſemper ac Strenuè diuinis intereſſe ,, laudibus *Strenuè* quidem, vt ſicut reue- ,, renter ita & alacriter Domino aſſi- ,, ſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non ,, oſcitantes, non parcentes vocibus, ,, non præcidentes verba dimidia, non ,, integra tranſilientes, non fractis & ,, remiſſis vocibus, muliebre quiddam ,, balba de nare ſonantes; ſed virili ,, (vt dignum eſt) & ſonitu & affectu ,, voces ſancti Spiritus depromentes. ,, *Purè* verò, vt nihil aliud dum pſalli- ,, tis, quàm quod pſallitis, cogitetis, &c.

4. *Plura de modo pſallendi etiam S. Bonau.*

S. Bonauentura multa proponit de ritu & modo piè pſallendi, maximè in Speculo Diſciplinæ ad Nouitios Parte 1. cap. 15. vbi requirit Reuerentiam, exteriorem & interiorem, Diligentiam & Honeſtatem: quæ tria fusè explicat, cap. illo ſequenti. Sed ea quia longiora ſunt hic volens omitto. Satis erit ea quæ tradit Cardinalis de Turrecremata tract. 78. in Regulam D. Benedicti explicans caput illius 18. de diſciplina cantus, explicatius, vberius, & ornatius proponere. Docet itaque diſciplinam cantus conſiſtere in ſeptem.

5. *Diſciplina pſallendi ſiſtit in ſeptē.*

6. *Primo, pſallendum hilariter.*

Primo, pſallendum *Hilariter.* Iuxta illud Pſal. 94. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei.* Eſt enim Iubilum Latinè, auctore Varrone lib. 5. de lingua Latina, gaudium voce inconditâ ſine verbis expreſſum, quale eſt ouantium militum triumphantium Io, quod à militibus acclamabatur imperatoribus in triumpho, ſignificat verò lætitiam geſtientem & exundantem mentis voluptatem, S. Gregorius 8. moral. c. 31. ait,

7. *Quid ſit Iubilum.*

ait, Iubilum eſſe cùm tantam corde lætitiam concipimus, quantam ſermonis efficaciâ non explicemus, & tamen mentis exultatio hoc quod ſermone non explicat, ore ſonat. Item lib. 28. c. 7. cum cordis lætitia oris efficaciâ non expletur, ſed quibuſdam modis gaudium prodit, quod ipſe qui gaudet, nec tegere prævalet, nec explere. Auguſtinus in Pſal. 32. & 65. & 94. docet Iubilum eſſe ſonum quemdam ſignificantem cor parturire quod dicere non poteſt: quem autem decet iſta iubilatio niſi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim eſt, quia eum effari non potes: & ſi eum effari non potes, & tacere non debes, quid reſtat niſi vt iubiles? Vt gaudeat cor ſine verbis, & immenſa latitudo gaudiorum metas non habeat ſyllabarum. Idem docet S. Hieronymus in Pſal. 32. v. 3. Ad hanc inexplicabilem lætitiam paſſim hortatur idem pſaltes. Pſal. 46. *Omnes gentes plaudite manibus: Iubilate Deo in voce exultationis*, Et alibi ſæpe. Imò & Pſal. 88. *Beatus*, ait, *populus qui ſcit iubilationem*. Certè triſtitia & ægritudo animi maximè inimica eſt pſalmodiæ. Nemo enim bene facit, quod triſtis facit. Iubemur autem bene pſallere Pſalm. 32. Vnde S. Iacobus cap. 5. lætitiam præ- requirit in pſallente, cùm ait, *æquo animo eſt?* (id eſt; bono & læto) *pſallat*. Sanctus certè Dominicus, vt de eo ſcriptum reliquit Theodoricus de Apoldia lib. 3. cap. 12. nocturnas preces ſuis cum fratribus perſoluens, cantabat alacriter & tranſire chori partem voce iubilante monens & inuitans fratres, vt pſalmodiam altè & diſtinctè depromerent. Imitabatur videlicet vir præclarus Imperatorem aliquem, qui in prælio militum ſuorum circumiens manipulos vnumquemque oratione animat ad agendum fortiter, & hoſtem intrepidè feriendum, ne pedibus fidant, quos manus armant. Poteſt huc referri illud ad Coloſſ. 3. *In gratia cantantes & pſallentes*, quod Theophylactus explicat, cum gratia & voluptate, vt vobis, proximis, Deo, ſpiritualem afferatis voluptatem. Cyprianus Epiſt. ad Donatum; prolectet animos religioſa mulcedo.

8. Secundò, Iuxta Card. de Turrecremata pſallendum *Diligenter*, quod probat ex illo Prou. 22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Per *Velocem* verò intelligit gnauum, ſedulum, prouidum induſtrium, vt notant expoſitores. Huiuſmodi adhibendus eſt Dei miniſterio, ipſius laudibus celebrandis non priuatim modò, ſed in luce publica, in choro, in conſilio iuſtorum, & congregatione, qui verè ſunt nobiles, & magni regis Palatini. Eodem pertinet illud Siracidæ monitũ Eccleſ. 31. verſ. 26. *In omnibus operibus tuis eſto velox*, Græcè *ἐντρεχής*, id eſt, Diligens, ſtrenuus & circumſpectus. Quòd ſi deſidia in quocumque tandem opere reprehenditur, quantò magis in omnium operum præſtantiſſimo dedecori erit? Næ iure hic pſaltis, & pſaltrijs noſtris incinam illum neſcio cuius verſiculum, à parum caſto poeta feliciter paucis immutatis mutuatum, lib. 1. de arte amandi.

Si vox eſt, canta, ſi mens pia, numen adora:
Et quacumque potes dote placere, place.

Secundo, pſallendum diligenter.

9. Reuocanda huc eſt dos deuotionis & attentionis, quam inſinuat Apoſt. ad Epheſ. 5. *Dum monet cantandum & pſallendum in cordibus*, quod reperit ad Coloſſ 3 Qua de re ſic Chryſoſtomus Homil. 19. in epiſt. ad Epheſ. Quid „ eſt quod dicit in cordibus veſtris „ Domino? hoc ſcilicet, cum intelle- „ ctu attendentes. Qui enim non at- „ tendunt, temere pſallunt, verba dum- „ taxat proferentes, corde interea alibi „ oberrante. Eadem repetit Homil. 9. „ in epiſt. ad Coloſ. 5. Hieronymus epiſt. „ 4. ad Ruſticum c. 7. Dicas pſalmum „ in or-

Inſuper cantandum attentè & deuotè.

Digitized by Google

lud, *Bene pſallite ei in vociferatione*; bene, id eſt, mente indiuulſa, nec alio quoquam diſtracta, ſed affectu ſincero. Confirmat hæc Concilium Aquiſgranenſe „ cap. 132. Pſallentium in Eccleſia Do„ mino mens concordare debet cum „ voce, vt impleatur illud Apoſtoli „ *pſallam Spiritu*, &c. Commendatur hæc Eurhythmia, & conſpiratio vocis & mentis antiquo diſticho, quod putatur eſſe D. Auguſtini & citatur paſſim à canonum Doctoribus.

Non vox, ſed votũ; nõ muſica chordula, ſed cor;
Non clamans, ſed amans cantat in aure Dei.

Imitentur noſtri pſaltæ Deo gratiſdatam protopſaltriam virginei chori Mariam, quæ mente non voce ſola Deum deprædicabat Luc. 1. dum carmen ſuum Entheũm in noua lege primas tenens, exiliente gaudio ſemeſtri puello ad flexanimam eius vocem, ita orditur, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Sed ad inſtitutum reuertamur.

10. Tertiò; Pſallendum *Vigilanter*, contra ſomnolentos, quos arguit S. Bernardus Serm. 7. & 47. in Cant. Ad hoc propoſitum affert Turrecremata Hemiſtichium ex Pſal. 32. v. 3. *Bene pſallite ei in vociferatione*. Qui enim in vociferatione pſallit ſomnolentiam & deſidiam excutit. Verùm S. Baſilius ſic exponit illud *in vociferatione*, in vno concentu, eademque animorum conſpiratione, & vnitione caritatis pſallite. Sumptam ait metaphoram a militibus conſonè ſibi acclamantibus. Siue ergo vociferatio & *ἀλαλαγμὸς* accipiatur pro acclamatione victorum contra hoſtes, aut cùm ſe ad pugnam

Tertio, pſallendum vigilanter.

monem & plura ... noctiurnis contra impugnationem ſoporis, quem Lector conſulat.

Refert ad extremum illius exempla quorumdam ſomnolentiam vel ſuam vel aliorum egregiè, & ſtrenuè propellentium. Quidam, ait, vir religioſus, animi magni, contra ſoporem vt capitalem hoſtem depugnabat heroico facinore. Namque in choro ſomno prægrauatus capillos vellicabat, nares ſtylo pungebat, barbam expilabat, oculos ſaliuâ perfricabat, mentum peracutâ cuſpide ſtimulabat, vt obrepentem ſomnolentiam vinceret. 11.

Exempla quorumdam qui ſomnolentiam in pſalmodia obrepentem egregiè vicerunt.

Alius ſub nocturnas vigilias dormiturie bat, quod aduertens illi aſſeſſor proximus auribus eius vnum hoc tantùm inſuſurrauit, Infernus; quo audito exterrefactus torporem ſimul ſoporemque exegit. 12.

Alter prætereà voce admodum exili & gracili ſubmurmurans potius, quàm cantans in ſtatis pernoctationibus, cùm ei aſtans canentem perciperet, ſuggeſſit ei, quod tunc temporis in officio pſallebatur: *Iamne dormis?* Quibus verbis pudore ſimul & timore perculſus reſipuit. 13.

Quartò, Pſallendum *Plenè*, contra fingentes ſe infirmos, & os non Pſalmo, ſed vento implentes, & inde oſcitantes, contra illud Dauidicum Pſal. 70. *Repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam*. Sequantur potiùs pſalmodi principem ſuum, de quo dicitur 2. Reg. 6. & 1. Paralip. 3. *David ludebat coram Domino omni virtute in canticis & cithara*. Dixerat D. Bernardus ſuprà, aſſiſtatis Domino non oſcitantes, 14.

Quarto, pſallendum plenè.

tes, non parcentes vocibus.

Quintò, Pſallendum *Altè* contra ſubmiſsè cantantes vt vix audiantur. Sic paſſim in pſalmis profitetur ſe Regius Pſaltes clamaſſe ad Dominum: & ſanctimonia præſtantes in literis ſacris Deum laudando vocem dicuntur extuliſſe vel exclamaſſe. Moderatio tamen adhibenda eſt voci, ſic vt alios cantantes non excedat, ſed potius conſonet, de quo poſtea.

16. *Sexto, cantandum integrè.* Sextò, Cantandum *Integrè*, aduerſus verba præſcindentes, qui vix, inquit, debitum ſoluunt. Dicitur Pſalm. 60. Sic *pſalmum dicam, vt reddam vota mea de die in diem*, hoſtia integra offerenda: & maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.

17. *Septimo, pſallendum viriliter.* Septimò, Pſallendum *Viriliter*. Hinc Dauid 2. Reg. 23. dicitur, *egregius pſaltes*, verbo ſcilicet & exemplo, qui etiam Pſalm. 97. inſonat: *Pſallite in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*, qui ſonus eſt virilis pulmones, latera, & vires exigit. Notantur hic fractis vocibus, muliebre quiddam balba de nare ſonantes, vt loquitur S. Bernardus.

18. *Explicatur locus Pſalmi 46. Pſallite Deo noſtro, pſallite & quæ ſequuntur, & confertur cum verbis Apoſtoli pſallam ſpiritu pſallam & mente.* Poſtremò præter obſeruata à Turrecremata ſequendum monitum Archipſaltæ, & Choragi noſtri excitantis, & laceſſentis omnes Eccleſiæ cantores & pſaltas. Pſal. 46. *Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite regi noſtro, pſallite. Quoniam rex omnis terræ Deus pſallite ſapienter.* Vbi imprimis illa repetitio verbi *pſallite*, quinquies (vt mecum ſentit Didymus) præter tardorum ad pſallendum prouocationem, & quæ pſallendo percipitur voluptatem indicat etiam aſſiduam pſalmorum frequentationem. Quod verò additur, *pſallite ſapienter*, ſignificat, vt viri docti iuxta ac ego cenſent, cantandum diſtinctè, clarè, intelligenter, quod idem eſt cum illo Apoſtoli; *Pſallam mente*, prioris ad Corinth. 14. num. 15. Vbi ſic habet; *Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu pſallam & mente*, id eſt, ſenſu & intelligentia, vel intelligenter, vbi Apoſtolus ad hunc pſalmi locum manifeſtè alludit, *pſallite ſapienter*, videlicet, vt alij me ſentire & intelligere poſſint. Ratio huius expoſitionis eſt, eò quod Hebraicè habeatur משׂכיל maſchil, id eſt, in intelligentia, Græcè συνετῶς, id eſt, intelligenter, vt ſcilicet ea quæ pſallitis, alij percipiant, ne dum vos ipſi intelligatis, & ſapiatis, quæ pſallitis. Hoc eſt enim munus pſaltæ publici, ita pſallere, vt ab aſtantibus poſſit ſenſus eorum, quæ canuntur intelligi. Dicuntur 2. Eſdræ 8. *Leuitæ legiſſe coram populo in libro legis diſtinctè & apertè ad intelligendum*, שום שכל Sum Secel, id eſt, dando vel ponendo intellectum, hoc eſt intelligenter & clarè. Ita expreſsè intellexit S. Baſilius in Regulis breuioribus Interrogatione 278. Verba Apoſtoli prioris ad Corinth. 14. *Mens ſine fructu eſt*: Quotieſcumque, inquit, ijs qui adſunt, ignota ſunt „ verba orantis, tunc ſine controuer„ſia orantis mens ſine fructu eſt: „ quippe cùm nemo inde fructum „ capiat. Contrà quandocumque qui „ adſunt orationem intelligunt, tunc „ ſine dubio, qui orat, fructum habet. „ Hæc ille.

19. *Multæ explicationes patrum illius pſallite ſapienter.* Nec tamen nihili faciendas iudico aliorum patrum, & eruditorum interpretationes, quorum alij cum Ianſenio τὸ συνετῶς, id eſt; ſapienter, explicant, non bacchantium more inconditè, ſed compoſitis moribus, & deuotione cordis: ita vt bona opera pſalmodiæ aptè concinant, & reſpondeant. Quidam verò cum Hieronymo explicant eruditè & ſcitè, ita vt dictum ſit illis, qui periti ſunt artis melicæ, & fidibus aut voce canere norunt, quales, excluſo vulgo, ſolos voluit ad pſalmodiam adhiberi Concilium Laodicenum. Alij cum Genebrardo & Bellarmino exponunt attenta mente, ita vt error non committatur, Item vt

 pſal-

Digitized by Google

pſaltes id quod canit,intelligat,& inde erumpat affectus pietatis in Deum; ita vt ipſi Deo ſit iucunda ratione deuotionis, attentionis, & reuerentiæ: & decora ratione peritiæ & venuſtatis,quæ in cantu ſeruatur, noſtra laudatio. S. Baſilius ſupra Interrogatione 279 quærit,quid ſit pſallite συνετῶς, id eſt,intelligenter:& reſpondet: Prorſus quod eſt in cibis ſenſus cuiuſque cibi, hoc in verbis ſacro-ſanctarum literarum eſt intelligentia: „ Guttur enim,inquit,eſcas guſtu dijudicat: Mens autem intelligendi „ verba diſcernit. Si quis igitur ad „ vim verbi cuiuſque animo etiam „ ita afficiatur, quemadmodum guſtatur ad qualitatem cuiuſque cibi: „ prorſus hic mandato illi ſatisfacit, „ quod eſt pſallite intelligenter. Hæc Baſilius. Eodem expoſitionis inclinat S. Bernardus Serm.7.in Cant.

20. *Vita moreſq; cantorum ſymphonia vocis reſpondere debet.*

Denique ſic pſallendum eſt,vt vita cantorum ſymphoniæ vocis aptè cohæreat: ita vt ſicut concentus eſt in canore & ſonis,ſic etiam ſit harmonia,& Eurhithmia in moribus. *Si quidem non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, Eccleſ.15.& peccatori obijcitur Pſal. 49. *Quare tu enarras iuſtitias meas*? Conuenit huiuſmodi Dauidicum Pſal.61. *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant*. Vir quidam egregiè pius,confert huiuſmodi cantores,quorum vita improba, vox proba, cum militibus in prætorio Pilati verbis honorificis Chriſtum ſalutantibus, faciem interim eius acerbiſſimè cædentibus. Et rectè. Plus enim placet, ait D. Auguſtinus vt paſſim citari ſolet, Deo latratus canum, mugitus boum, grunitus porcorum,quàm cantus luxuriantium Clericorum. Sapienter omnino ſcripſit Origenes Homil.6. in lib.Iudicum. Quis putas ita canoræ vocis eſt & ita ſpiritus puræ mentis, qui ſyncerè canat, vt cantilena eius diuinum delectare poſſit auditum? Ille profectò eſt, qui nullum habet in ſe raucum peccati ſonum,qui nihil peccati in lingua, nihil craſſitudinis in ſpiritu gerit. Facit cum eo etiam Auguſtinus in Pſal.146 Non ſolùm vox tua ſonet laudes Dei, ſed & opera tua concordent cum voce tua. cùm ergo voce cantaueris, ſilebis aliquando vitâ? ſic canta vt numquam ſileas. Lingua tua ad horam laudat,vita tua ſemper laudet.Sed iam ſiparia tollamus. Apage interim ad triremes chori probra. Non titiuillitio emerim iſtas cantorum laruas, portenta, inquam, in vltimas terras deportanda.

CAPVT XXII.

Quæ pſaltis in choro modulantibus à viris prudentibus vitio vertantur.

VSque adeò nihil ſanctum, nihil integrum,nihil tutum, quo non proſerpant malæ artes, non graſſetur occulta aliqua peſtis,non ſuccreſcant vitiorum germina; etiam ſacra chori penetralia, & religioſa adyta emaculanda,& enubilanda ſunt.Faue Deus, & patere à nobis ſentinam (abſit verbo iniuria)exhauriri: ſordes, inquam, ſi quæ ſint expurgari, ne poſtea alio Hercule opus ſit, ad Augiæ ſtabulum emundandum.Quin tu potiùs,qui puritatis es amator ſacrarium tuum ab omni labe expia,& incontaminatum conſerua. 1.

Scitè dixit Auguſtinus alibi,omne granum, omne pomum, habere vermem ſuum: virtutum verò vermem eſſe ſuperbiam:cui accedat Baſilius in Conſtit. Monaſt.cap. 11. vbi inanem gloriam vocat dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum &c. Hieronymus epiſt.22. ad Eu- 2.

Superbia virtutes ſequitur vt vmbra corpus.

… dum oſtendit huma-
… ſequi virtutem
… pulchrè Caſſianus
… lib. cap. 5. ait. Se-
… morbi huius
…) in moſtrum
… deſcribunt, quæ
… alio rur-
… toties que
… quoties fuerint
Hæc ille. Sicut ergo ceno-
… imò & perſpici difficile, verſa-
… artes, etiam in remo-
… abditaſque ſolitu-
… ipſas vſque aras (tan-
…) ſenſim ſine
… & peruadit.
… quotidia
… alterum exempla,
… periculo com-
… ſcopulos ſapia-
… virorum
… in eodem
… præcellen-
… gloriam,
… ſuam au-
… alijs
… aliquod
… cantorum
… ſuaui-
… vo-
… &
… con-
… &
… ad
… prolijt
… pro-

… experientia, quorum vnum memorabo, vt aliorum mus, & vt periti nauiculari euitemus.

Refert hiſtoria … Ordinis Ciſtertienſis … Cœnobitam canore … tem, eiuſque cauſa, … cupantem vaniſſimæ laudi cantantem; vnde … cum verſus permiſ… et tamquam archipſal… alpha, ſeu antelignano … ta: eum ſoli moduland… tur; nunc vero acutum … cem fingere & flectere … minurire: ætona turares … ſolemni quadam feſtiuitate … ſuauitudinis retinens hoc … extremum modulamine … choro ſpectante in medium, ipſo, … fuligine atrà tinctus puerulus: ab Æt… neis caminis, & officinis Vulcanijs …

… diſſe facies tetra …
qui ludibundus ma…
& altum cachinnan…
clamabat. O be! be…
cecinit: bene, optimè c…

En cui tripudium …
… unt, huiuſmodi glo…
mancipia: Tartaro ſcil…
gis dæmonijs eius inqui…
quem huiuſmodi œſtru…
veſtigijs potiùs inſiſte …
gioſi viri, de quo prodit…
Virginis Lyduuinæ B…
Laurentium Surium to…
14. lib 3. cap. 1. Hoc, quod …
recenſeo.

Fuit Canonicus qui… ris, vir ceteroqui pius, … clara & canora cantat… tentatione agitabatur. … quando feruenti ſpiritu … duuinæ: Quæſo inſtan… num, vt auferat à me … in me ei diſplicet, & … pedimento præcipue … & canora illa vox … conſultique varij medi… diuinitus inflictæ rem… runt.

Certè potior & gra… ca vox & rauca ex … lata, quàm nitida … impuro proſiliens, … miraculo quandoq… oſtendi lib. … cap. 14. … auribus cantores noſtri … tanquam reti ventos … gloriolæ fluxæ ludibria … tæ Regij ſcitum, & … tum: Pſallite ſapienter … in Pſal. 46. commen… inſipienter Pſallunt qui … cantu quærunt, more fatu… Pſallunt … Matth. 25. Hæc … Profectò, quia cum … ſuam receperint, illis … Dei oleo carentibus, …

Digitized by Google

tium exteriore nitore gloriantibus, reſpondebitur à Chriſto, *Neſcio vos.* Si riſui meritò habemus iuuenes calamiſtratos, qui capitis Cæſariem vel in ſuggeſtum ſurrigunt, vel in varios cincinnos, & annulos vibrant, flectunt, & reflectunt, collariaque nimis operosè corrugant, idque vt belluli & elegantuli vulgo appareant; quâ cenſurâ, quæſo, dignos illos iudicabimus pſaltas & choraulos, qui oſtentationi vocem ſuam vendunt, &, vt egregij cantores habeantur, mille modis eam non ſtudioſè, ſed curioſè inflectunt? Diſplicet Deo vana iſta leuitas, & in re ſacra humanæ laudis aucupium: eis non dicetur illud dramaticum: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Non ſunt illæ vocis inflexiones cymbala beneſonantia, & iubilationis, quibus laudari Deum hortatur Vates Muſæus noſter, ſed maleſonantia, & mugitationis, quibus Deus non placatur, ſed prouocatur. Verùm, quia alibi etiam hoc vitium cenſoriâ virgulâ perſtrinximus lib. 1. hic plura addere ſuperſedemus.

8. *Clamor nimius in pſalmodia vitandus.* Nec ſilentio prætereundum aliud chori peccatum quod hic tangendum: Inconditus videlicet clamor, vociſque nimia elatio, de qua argutè quondam dixit vir quidam eruditus, cantores noſtros in templis non quidem boues, ſed vendere boum mugitus. Eccleſia certè catholica, probat ſuauem & moderatum cantum, vt videre eſt
„ ex ijs, quæ præcipit Concilium A-
„ quiſgranenſe cap. 137. Pſalmi, in-
„ quit, in Eccleſia non curſim, & ex-
„ celſis atque inordinatis ſeu intem-
„ peratis vocibus, ſed planè ac dilu-
„ cidè, & cum compunctione cordis
„ recitentur: vt & recitantium mens
„ illorum dulcedine paſcatur, & au-
„ dientium aures illorum pronuntia-
„ tione demulceantur. Idem oſtendere licet, ex antiquæ memoriæ patribus, è quibus S. Cyprianus, tractatu in Oratione Dominica inſectatur clamores in oratione. *Non paſſim*, inquit, *debemus ventilare preces noſtras, inconditis vocibus.* Eoſdem damnant Chryſoſtomus in capit. 3. ad Coloſ. & in 5. ad Epheſ. ibidem Theodoretus & Hieronymus librantes id quod præcipit Apoſtolus. *In gratia cantantes in cordibus veſtris*: ubi τὸ *in gratia* ſignificare non malè poteſt venuſtatem, & decorum: quod verò decorum appareat in terrifico mugitu, rudi boatu, horrendo vlulatu non intelligo. Nolim vero exiſtiment Stentores illi & Buccones pro ſe ſtare vatem regium cum Pſal. 26. ait: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis*, & iterum Pſal. 32. *Bene pſallite ei in vociferatione*: Aliam enim eſſe prophetæ mentem paulò ante diduxi, cum ibi iubilum ſignificet, & ſuauem vocum conſpirantium harmoniam: non verò clamoris alios canentes longè excedentis cacophoniam.

9. *Clamores nimij in cãtu ſaccum dæmonis implent.* Sed ne cantoribus noſtris vocalibus & conſonantibus moleſtus ſim, claudat hoc agmen Hiſtoriola, quam prodidit Cæſarius Heiſterbachius auctor non ignobilis lib. 4. Miraculorum c. 9. Cùm Clerici quidam in templo contenta voce, & magno clamore exigua cum pietate animi canerent, religioſus quidam, qui officio intererat, vidit, loco eminentiore genium malum ſtantem, porrectaque dextra eorum clamores captantem, & in ſaccum, quem ſiniſtrâ tenebat, immittentem. Expleto officio cum illi quaſi re præclarè geſtâ gloriarentur, ſubiecit hic, bene quidem cantaſtis, ſed ſaccum impleuiſtis: mirantibus verò, & quid hoc vellet ſciſcitantibus, quod viderat expoſuit. Hactenus Cæſarius.

10. *Multiplex diſſolutio in choro ab* Sed audiamus Humbertum virum ſcientiâ, & religione ſpectabilem, de diſſolutione in choro fugienda diſſerentem.

... ſcribit in opuſculo de [illegible] Religioſorum p. 3. lib. 4. [illegible] in choro multùm [illegible] quam laus Dei per[illegible] deuotio impe[illegible] [illegible] entes offendun[illegible] [illegible] onem pertinent, riſus ex defectu cantantium prouo[illegible] [illegible] vel aliter, locutio in[illegible] ad riſum, per [illegible] aliud cantandi, [illegible] ſcriptum eſt, vel aliter [illegible] cantant, nimia vocis ex[illegible] modulatio vocis ſtudioſa, & [illegible] diminutio [illegible] mentis fraudulenta. [illegible] euagatio, [illegible] prouocatus ex [illegible] riſus [illegible] eſt internæ ma[illegible] ſignum [illegible] cauere, non dirigat [illegible] in alios riſum mouen[illegible] cordis in Deum, quia [illegible] Deo loquimur, & eius [illegible] expectamus colloquio, ceſſandum [illegible] dum. Vnde ait Au[illegible] Regula cap. 10. Nihil le[illegible] humilitas, cum [illegible] Melius [illegible] Apud [illegible] Eccleſ. [illegible] Claustro [illegible] Non de[illegible] vocis [illegible] animi [illegible] cordis [illegible] non [illegible] per[illegible] Nam vo[illegible]

quod [illegible] cæteri [illegible] orum [illegible] m indicat [illegible] rius errore [illegible] æ; qui à riſu [illegible] culos corporis [illegible] es; ſed oculos in choro oculos allocutionem cum Deo ibi eſt ab humano uitatis ibi præſumen[illegible] guſtinus in 3. Regula [illegible] „ eſt cantare apte, „ Deum altè canta[illegible] „ cantus eius de cælo [illegible] 35. Oratio humiliantis [illegible] Hugo, de S. Victore [illegible] „ Animæ c. 22. Timeo [illegible] „ ſtantur altitudine [illegible] „ tur etiam altitudine cet etiam elatione modulatio viros religioſos [illegible] deuotionem, nec eis [illegible] „ Meditat. cap. 8. Sæpe ad [illegible] „ ſtertum vocem meam [illegible] „ cius cantarem. Magis [illegible] „ vocis modulatione. Deus [illegible] „ compunctione. Deus verò [illegible] „ abſconditur, quidquid [illegible] „ petratur, non quærit vocis [illegible] „ tem, ſed cordis puritatem. [illegible] „ dum, ſed cantor mulcet populum [illegible]

cibus, Deum irri[illegible] Hæc S. Bernardus. [illegible] ad quam altiſſimus [illegible] clinare dignatur. Stud[illegible] dulatio vocis, ad Dei [illegible] pertinere, ſicut & alia q[illegible] rerum ſacrarum ſtudio[illegible] perfectis etiam valere p[illegible] uationem laborum vita[illegible] Perfectis verò ad eleuati[illegible] templationem æternæ v[illegible] plurimùm tamen noxia [illegible] tantibus, & maioris bon[illegible] tum. Cauenda eſt frau[illegible] diminutio, qualis eſt in [illegible] cantantes ſonoriùs cæte[illegible] tur; cantantes verò cum [illegible] cunt à communi labor[illegible] tes, onus pſalmodiæ al[illegible] quod illis euenire [illegible] ſtudent hominibus [illegible] Deo. Nolunt enim in [illegible] re cùm in hoc [illegible] pareant. Huc vſque [illegible]

Cæterùm quia [illegible] ſcripſit Propheta [illegible] *dabo* [illegible] *in Eccleſia ma*[illegible] euitanda eſt in [illegible] cta de laſciuia [illegible] tu, geſtu, motu [illegible] quæ diuinum [illegible] Deum offendat [illegible] let enim leuitas [illegible] rum. Vnde Eraſm[illegible] oblectaſſet cum [illegible] mine fertur folia [illegible] prum erat ſolitus ita [illegible] dens; tam leuis cant[illegible] bus eſſe ſolet; vt [illegible] meer Chron. fol. 426 [illegible] & D. Bonauentura [illegible] varijs locis agit, de [illegible] turitate in choro ſerua[illegible] in Regula Nouitiorum [illegible] in Speculo Diſcipli[illegible]

[illegible] by Google

p. 2. c. 1. præcipuè verò p. 1. cap. 15. Vbi in Synopſin collegit, quidquid ferè hac de re dici poteſt. Ego faſceatim paucula. Fugienda in choro inquietudo, diſſolutio, & tumultus. *Inquietudo* conſiſtit in motu membrorum, circumactione capitis & oculorum, per chorum circumſpiciendo, & pedum, per eum diſcurrendo. *Diſſolutio* in verbis, riſu, & cantu, vt ſi quis punctos in nota nunc diminuens, nunc pro libito addens muliebriter frangat, aut in falſetum, vt vocant, extollat, aut cæteris altiùs cantet, vel ſi id contingat, non continuet, ſed vocem interpolando nunc attollat nunc deprimat. Tumultus in choro fit per vocis ſuſurrum, per importunitatem ſpuendi & exſcreandi, per eleuationem vel depoſitionem ſedilium impetu factam. Vitanda etiam oratio cum ſibilo, inepta namque oratio quæ vna plures, & ſæpe deterior impedit meliores. Hæc ex Bonauentura qui plura pergit referre de vniformi, & decenti corporis diſpoſitione, in ſedendo, ſtando, inclinando, ſe proſternendo; quæ, quia multiplicia ſunt, hìc prætermittenda, & ex fonte ipſo petenda iudicaui.

13. Quæ verò in artificioſa muſica, quā cantum figuratum, ſiue organicum vocamus, cauenda ſint, ſatis ſuperque lib. 1. agitauimus. Cenſent verò viri

14. religioſi, a choro Regularium muſicam vel planè ablegandam vel rectè maximè moderandam. Ita Emmanuel Roderiq. tom. 1. Quæſt. Regul. 9. 40. art. 2. Imò Frater Iacobus du Bruel in declaratione Regulæ D. Benedicti cap. 19. excludit ab eiuſdem ordine omnem cantum figuratum, quia religioſam dedecet grauitatem & periculum animæ adfert. Addit verò morem eſſe Benedictinorum vt voce pſallatur altâ, ſonorâ, pari, verba non protrahantur, pariter verſus incipiatur & finiatur, iuſtus punctus, & pauſa interponatur, vbi virgulæ notantur, & in medio verſus, vocibus non parcatur: debent etiam lectores vel cantores, legenda vel canenda præuidere. Hæc ille & plura.

A choro regularium cenſent muſicam relegandam complures.

CAPVT XXIII.

Perlectis Horarijs precibus explorandus animus, examen inſtituendum, & defectus reſarciendi.

SVADENT ſpiritualium rerum Magiſtri, & inter eos facilè Coryphæus doctor Seraphicus, vt poſt exactas Horarias preces ſucceſſum earum paululum conſideret quis, & in officio perſoluendo contracta nomina omni ope expungere curet. Aſcribo eius verba ex tom. 7. operum 2. p. Speculi Diſciplinæ ad Nouitios cap. 1. poſt Horas canonicas, inquit, non ſtatim oratorium exeant, ſed in oratione aliquantulum ſubſiſtentes, qualiter opus Dei peregerint, cogitent, an tepidè, an feruenter, & defectus, ſi quos ibi commiſerint, tunc emendent, gratiæque deuotionis ſe offerant infundendæ; quam ſi Dominus dederit, non repellant. Hæc Bonauentura.

1. *Suadet S. Bonau. examen de ſucceſſu inſtituendum poſt lectas horas.*

Sed videtur hæc res vberiùs pertractanda, quam in pauca Sanctus hic doctor contraxit. Quatuor ergo breuiter lectis canonicis precibus cuilibet volenti fructum ex diuini officij recitatione referre, agenda.

2. *Quatuor agenda poſt lectas horas volenti fructum ex eis referre.*

Primùm perpendendum, num in illo alicubi labi contigerit, aut deficere. Verbi gratiâ, an debitâ reuerentiâ, intentione, deuotione perlectum: an non tepor aliquis noxius, vel euagatio per ſocordiam obrepſerit: an tempore ſtato, loco apto perſolutum: an non nimis præproperè, præcipitanter, verba, aut ſyllabas omittendo, aut præſcindendo per curſum: an præmiſſa præparatio

3. *Primum, an defectus aliquos in iis commiſerit.*

ratio attentioni conciliandæ conueniens, & alia huiuſcemodi.

4. *Explicatur ad hoc propoſitum locus Aggæi, c. 1. Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras, &c.*

Reuocanda eſt hic in memoriam ſententia illa Aggæi Prophetæ cap. 1. num. 5. & 6. *Ponite*, inquit, *corda veſtra ſuper vias veſtras* (diligenter etiam atque etiam actiones, & opera veſtra conſiderate) *Seminaſtis multum & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum, &c.* Sic ſæpenumero agitur, vt quilibet perſpiciet, qui ad calculos Horarias preces à ſe multis annis lectas, reuocabit, & quâ ratione eas recitauerit, ſedulò examinabit: quam enim meſſem ex tanta ſemente facta intulit in horreum ſpiritus? Eſtne animus illo adipe frumenti toties paſtus, aliquantulum ſaginatus? O ſi! Num vino illo ex cæleſti penu toties guſtato factus ebrioſior? Incertus ſum An veſtimento ſalutis indutus calorem in viſceribus efferueſcentem ſenſit? ſin incaluit bene eſt, abundè eſt. Putandum ex lucroſa negotiatione ſpirituali prouentu rem familiarem auctam. Næ hac in re tam verum hoc eſt, quàm quod veriſſimum: Nihil frugum ſpiritualium in apothecas condere, meſſem amittere eſt; non impinguari, eſt macreſcere; non inebriari, ſitire; non incaleſcere, frigore confici; non ditari, extremam tolerare inopiam. Si quidem rectè dixit ille, in via ſpirituali non progredi, regredi eſt: non proficere, deficere. Videat ergo mecum quilibet de clero attentiùs: num ſementi reſpondeat meſſis, operæ pretium, eſui ſagina, potui ſpiritus ebrietas: amictui mentis bona habitudo, labori tuta merces. Agnitâ culpâ reſipiſcendum, ignauiæ petenda venia, reſumendæ vires, nouum & firmius concipiendum animo decretum exactiùs impoſterum preces perorandi. Præſtandum, quod ære alieno magno oppreſſus ſolet, qui vel precibus infimis, condonationem à creditore impetrat, vel ex tempore aliquid annumerat, opportunitate oblata reliquum perſoluturum adpromittit.

5. *De noxijs leuioribus commiſſis dolendum. Nam ſi quid grauius deliŒum commiſſum, officium repetendum.*

Sermo autem hic nobis eſt de noxijs leuioribus, verbi gratiâ, obrepentibus euagationibus non voluntarijs, & ſimilibus venialibus culpis, in quas etiam ſancti ſæpe incurrunt, de quibus intelligo illud magni Leonis Ser. 4. de Quadrageſima: *Dum*, inquit, *per varias actiones vitæ huius ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Nam ſi abſque intentione orandi vel cum diſtractione voluntaria officium recitatum ſit, aut pars notabilis neglecta, vel quid grauius admiſſum, conſtat ex ijs quæ lib. 2. docuimus, vel totum officium, vel quod omiſſum fuerat repetendum, vt malum nomen ex Dei tabulis eradatur. Igitur primo omnium lecto Diuino Officio, ſi quid leuius in eo peccatum ſit, illud concepto dolore eluendum, & adiuncto aliquo pſalmo, vel oratione reſarciendum.

6. *Lecto Pſalmo aliquo commiſſa in officio negligentia reſarcienda.*

Conſulit D. Bonauentura in Regula Nouitiorum c. 1. Poſt quamlibet Horam recitatam ſubiungendum pſalmum 50. addita Collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Mariæ: &c.*

7.

Mos apud alios obtinuit ſingulis Horis lectis Mantillæ loco addere vnum ex 7. Pſalmis Pœnitentialibus pro ſuis, & aliorum redimendis noxis. Alij pſalmum aliquem adiungunt breuiorem, verbi gratiâ, *Laudate Dominum omnes gentes*, &c. idque non ſolùm, vt Deus negligentiæ commiſſæ ignoſcat: ſed etiam vt officium lectum ad gloriam Dei cedat. Adde his à Romanis Pontificibus, vt dicetur, conceſſas leuiorum culparum condonationes, quæ ſub tempus Diuini Officij inciderint, ex humana infirmitate, ijs qui pſalmum

mum aliquem aut orationem poſt illud lectum ſubiunxerint.

8. *Oratio lecto officio ſubiungenda.*

Extat etiam in officio D. Virginis auctoritate Pij V. edito, pia precatio poſt lectum officium dicenda, quam plerique viri religioſi pro more recitant, eſtque hæc:

9. *Suſcipe clementiſsime Deus precibus & meritis B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, & ſanctarum officium ſeruitutis noſtræ, & ſi quid dignum laude egimus propitius reſpice, quod autem negligenter actum eſt, clementer ignoſce. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

10. Magnopere etiam conducit ad ſocordiæ expiandas culpas ſi deſiderium inflammatum concipiatur, in poſterum attentius, & deuotiùs orandi.

11. *Finito officio Deo agenda gratia.*

2. Agendæ diuinæ maieſtati gratiæ, quod beneuolè vt ſperamus, vel ſaltem patienter laudes ſuas ore noſtro decantatas, vel potiùs extenuatas admiſerit, quem cæleſtes ſpiritus hymno Triſagio, dignius in cælis deprædicant.

12. *Offerendæ preces noſtræ æterno Patri coniunctæ ardentiſſ. orat. Chriſti Domini.*

3. Proderit, vt plures religione præclari viri ſuadent, preces à nobis fuſas offerre æterno patri vnitas feruentiſſimis & diuiniſſimis orationibus liberatoris noſtri Chriſti. Vt enim in rebus naturalibus vilioris rei pretium ratione nobilioris coniunctæ augeri ſolet, ita multò hoc etiam præſtantius erit in negotio ſpirituali, ſi vota noſtra exilia, & languidæ preces adiungantur ardentiſſimis & infinitæ dignitatis filij Dei orationibus. Tradit verò Ludouicus Bloſius vir ſpiritualium rerum callentiſſimus, in Inſtitut. Spirit. c. 9. modum hunc remiſſionem teporemque noſtrum, tam in oratione, quàm alijs pijs exercitijs reſtaurandi & ſupplendi, diuinitus eſſe acceptum.

13. *Orandus Deus, vt ſemen ex officio in animis noſtris ſuſceptum foueat.*

4. Supplicationes Deo offerendæ, vt verbi ſui ſemina in animis noſtris ſuſcepta, ex auditu & recitatione pſalmorum, lectionumque ſacrarum ipſe foueat, irroret, in herbam, ſpicam, plenam frugem, ad optatam denique maturitatem perducat.

14. *Orationes quædam horis ſubijcienda.*

Poſtremo extant orationes quædam vocales apud ſpiritualium rerum tractatores horis lectis ſubijciendæ. Quidam cum Nauarro cap. 19. Enchiridij de Oratione num. 89. ponunt hanc.

Sacro-ſanctæ & indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Ieſu Chriſti Domini noſtri humanitati, Beatiſſimæ, ac Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & integritati: & omnium ſanctorum vniuerſitati ſit ſempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura: nobiſque remiſſio peccatorum, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Et beata viſcera Mariæ Virginis quæ portauerunt æterni patris filium: & beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominum. Pater noſter. Aue Maria.

15. *Orationem prædictam Sacro-ſanctæ &c. lectis horis recitanti conceſſa indulgentia.*

Conceſſit autem Leo 10. cuilibet dictam orationem cum ſuis appendicibus peroranti in fine alicuius Horæ canonicæ pro felici ſtatu Eccleſiæ, & ſuo, remiſſionem omnium defectuum, quos in ea Hora ex humana fragilitate contraxiſſet, & quod ſufficeret recitare eam in fine multarum, vel omnium horarum ſimul dictarum: aut cum aliquo modico interuallo inter Horam & Horam. Rectè autem ibidem monet Nauarrus, cauendum ne hæc indulgentia ſegniores nos faciat & negligentiores in diuino officio attentè & reuerenter recitando. Eadem de indulgentijs conceſſis orationem memoratam dicentibus refert Toletus lib. 2. Inſtruct. cap. 13. in fine: & alij.

16. *Oratio alia Bloſij poſt officium recitatum dicenda.*

Alteram precatiunculam tradit Ludouicus Bloſius in Monili Spirituali c. 3. hiſce verbis.

Bone IESV, propitius eſto mihi peccatori, ego tepidum & diſtractum ſeruitium meum

commendo

commendo melliſluo cordi tuo emendandum ac perficiendum; tibiq; ipſum offero ad ſalutem omnium, in vnione illius perfectiſſimæ attentionis, quâ tu patrem oraſti, & laudaſti in terris. Reſponde, quæſo, ſatisfac, & ſupple pro me pleniſſimè. Amen.

Quia verò varietas delectat, poterit pſalmodus ad ſpirituale lucrum attentus, nunc hanc, nunc aliam poſt diuerſas horas lectas frequentare orationem.

CAPVT XXIV.

Remedia & Apotropæa ſcrupulis infra officium recurſantibus depellendis comparata.

1. *Quid ſcrupulus.*

SCRVPVLVS definiri ſolet à Theologis peccati ſuſpicio ex leuibus coniecturis. Ex vi verò nominis ſuſpicioni addit anxietatem animum pungentem & ſtimulantem. Eſt enim ſcrupus, vel ſcrupulus calculus calceo immerſus, pedem premens & crucians. Certum autem eſt recitationem diuini officij frequenter viris religioſis materiam præbere angoris, & perplexitatis, vt obſeruauit Ioannes Gerſon 2. p. Opuſculo de Solicitudine Eccleſiaſticorum particula 55. In opere, inquit, diuini ſeruitij multæ ſe ſcrupulorum ſolicitudines ingerunt, nominatim tres, *vna* quoniam affligitur quandoque ſupra vires corpus, *ſecunda*, quòd remanet quædam ariditas mentis, *tertia*, quòd euagatio cordis compeſci non poteſt: ac proinde videtur omnis fructus perdi vel peccatum committi. Porrò quia teſte D. Gregorio bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Et B. Auguſtinus libr. 10. Confeſ. cap. 28. Coram Deo confitetur; Multum, ait, timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. In his omnibus periculis & laboribus vides tremorem cordis mei, & vulnera mea magis ſubinde à te ſanari, quàm mihi non infligi ſentio: Ideo opportunis remedijs ſubueniendum illis, qui in pſalmodia perſoluenda, nunquam ſibi ſatisfaciunt, dum inaniter metuunt, vel ſe aliqua prætermiſiſſe, vel non ſatis arrecta mente oraſſe. Cæterùm non eſt mihi modò propoſitum ſcrupulorum ſcaturigines rimari, de quibus plus præter alios agit Richardus Hallus libr. 3. de quintuplici conſcientia; nec etiam antidora generalia, niſi pauciſſima, curando huic morbo miniſtrare. Scripſêre de his ex profeſſo Theologi 1. 2. quæſt. 19. art. 6. Et inter eos Gabriel Vaſquez ibidem diſput 67. cap. 2. Item Caietanus in Summa V. *Scrupulorum medicina*, cum alijs ſummularijs, & eruditè Thomas Sanchez in Opere Morali l. 1. cap. 10 q. vltima num. 81. & ſequent.

2. *Frequenter viris pijs ſcrupuli oriuntur inter horas recitandum.*

3. *Conſulendi auctores qui de ſcrupulis ſcripſerunt.*

Breuiter ego propria ſanando huic malo proferam medicamenta, inter quæ non vltimum locum tenet præſens Dei auxilium humilibus precibus per ſe & per alios impetratum, quod Caietanus ſuprà meritò diuinam vocat medicinam. Huius rei exemplū nobis ſubminiſtrat Hiſtoria S. Virginis Lutgardis conſcripta à Thoma Cantipratano l. 2. cap. 14. Et habet eam Surius 16. Iunij, quod huc tranſcribendum duxi; ita ergo ſe res habet.

4. *Primum remedium contra ſcrupulos poſtulatio diuini auxilij.*

Lutgardis dicendo preces canonicas ſummopere in id incumbebat, vt non ſolùm malas; ſed etiam bonas cogitationes (ſequendo D. Bernardi conſilium) à ſe excluderet, & quod in mortali corpore fieri non poteſt, ijs ſolis quæ diceret, animum occuparet. Sed cum id efficere nō poſſet grandes inde & graues in eius pectore, oriebantur ſcrupuli, &, quaſi nihil dixiſſet, cœpit ſingulas Horarias preces bis terve repetere: adeò verò hæc res animam eius affixit,

5. *S. Lutgardis diuinitus à ſcrupulis, quos inter legendum horas patiebatur liberatur.*

afflixit, vt nullus amicorum eam poſſet conſolari. Fiebant autem ab amicis ad Deum pro illa preces, vt eam dominus his ſcrupulis liberaret. Et ecce præter omnium expectationem inſtar Amos Prophetæ cap. 7. induit Dominus opilionem ouiculas ſequentem, & poſuit verbum in ore eius. Ille mox relictis ouibus homo planè rudis tredecim milliaria conficiens venit in Aquiriam, accerſitaque Lutgarde cæteris audientibus dixit. Hæc dicit Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore aut ſcrupulo angaris. Placent Deo preces tuæ, & gratæ ſunt in conſpectu eius. His dictis ille repentè aufugit; Nec dabatur opportunitas, quiſnam eſſet inquirendi, aut aliquid præterea cognoſcendi. Poſtea tamen quis eſſet, reſcitum eſt. Dominus quoque per ſe ipſum dixit Lutgardi: nihil poſthac formides: ego hunc in te ſupplebo defectum. Tum illa vtrobique Dominum locutum eſſe ſentiens, tranquillitati ſe dedit, nec vllum poſtea ea in re inordinatum ſcrupulum paſſa eſt. Da ergo te, quicumque es, qui ſimili vlcere affectum pectus circumfers, in vota preceſque, & aderit de cælo, vt ſperandum, optatum auxilium. Si quidem deſiderium pauperum exaudiet Dominus.

6. *Alterum contra ſcrupulos remedium, quia ſcriptura videtur vetare anxiā in oratione verborum repetitionem.*

Alterum ſuccurrit Alexipharmacum. Monent Sacræ litteræ Eccli. 7. num. 15. *Ne iteres verbum in oratione tua.* Quamuis enim vetent ineptam tautologiam, profectam ex infidelitate, de qua etiam loquitur Chriſtus Matth. 6. num. 7. dum ait: *Orantes nolite multum loqui* &c. quaſi Deus non percipiat, aut nolit annuere votis, niſi, crebrò iteratis verbis, quaſi demulceatur; poteſt nihilominus etiam locus iſte accipi de nimis anxia, ſcrupuloſa, & ideo non ſatis reuerente diuini numinis verborum repetitione. Et ita intelligit Nauarrus Enchir. de Horis c. 13. nu. 32. Hoc ergo frænum, hæc religio iniicienda illis, qui Horas canonicas decies aliquando legunt, & relegunt. Non enim accepta Deo eſt talis relectio, cùm non ex ſpiritus feruore, ſed ex cruciabili timore exiſtat. Haud abſimili curatione perſanauit S. P. Ignatius Societatis noſtræ parens, quendam Sacerdotem ſcrupulorum importunitate in penſo horario reddendo mirè agitatum: quà de re ſic ſcribit Petrus Ribadeneira Vitæ eiuſdem S. Ignatij lib. 5. cap. 10. 7.

8. *Qua induſtria S. P. Ignatius Cornelium Brughelman curarit à ſcrupulis, qui totum ferè diem horis legendis impendebat.*

Patrem Cornelium Brughelman Flandrum in recitandis diuinis precibus anxiè nimis laborantem, & totum fermè diem ſcrupuloſè collocantem, hac ratione ſanauit Ignatius: Iuſſit vt preces ad horologium arenarium recitaret, & in eis vniuersè recitandis non plus temporis poneret, quàm quã tum alij patres conſueuerant: quo tempore conſumpto, ſi qua fortè pars ad totum officium diuinum explendum deeſſet, eam ille eo die prætermitteret. Cornelius verò veritus, ne quam partem omittere cogeretur, dabat operam diligenter, ne ſibi tempus deeſſet. Vehementiùs enim angebatur ſi quid omnino relinqueret, quàm ſi quid minus, (vt ſibi videbatur) attentè ac deuotè pronuntiaret. Ita ſcrupulus minor maiori ſcrupulo, quaſi clauus clauo, exemptus eſt. Hæc ibi, quod præceptum nec mandanti, nec parenti fuit periculoſum: non mandanti, quia prudenter iudicabat huiuſmodi ægritudini aptiſſimum hoc fore amuletum, & in legibus Eccleſiaſticis, Epijkiam, ſiue æquitatem rigori iuris præponderare, iuxta illud vetus: *Ipſa etiam leges cupiunt vt iure regantur.* Non etiam parenti, quia in dubio ſecurum præſtat obedientia.

9. *Scrupuloſis contra ſcrupulos agendum.*

Cognatum huic remedium adfert Ioannes Gerſon 2. part. tract. de Præparatione ad Miſſam & pollut. Noct. Conſider. 6. lib. x. Scrupuloſis, inquit,

contra

Digitized by Google

contra ſcrupulos agendum eſt, & fixo

10. *Quomodo Confeſſarius quidam rectè conſuluerit cuidam ſcrupuloſè horas iteranti.*

operis pede certandum. Hac arte prudenter vſus eſt ille, qui turbato cuidam ſemper in recitatione Horarum & repetenti, ſi non continuè & actualiter eis attenderet, iniunxit hanc ad tempus pœnitentiam, ne Horas ſemel quomodolibet, tandem dictas iteraret. Neque enim requiritur actualis attentio ſemper: ſufficit habitualis, ſeu virtualis non interrupta ſcienter, & ex propoſito per deliberatam attentionem circa aliud penitus incompatibile. Mille ſurgunt apud aliquos tales ſcrupuli more canum oblatrantes, & lacerare minantes ipſos ambulantes per viam mandatorum Dei, quos euincere, & compeſcere melius quàm per contemptum nequimus. Tantummodo ſit contemptus iſte timoratus, & regulariter non abſque præuio alterius præſertim ſuperioris conſilio: alioqui timor immoderatus facit caſum aut præcipitat inconſulta præſumptio. Hæc Gerſon vir in Spiritualium rerum diſciplinâ exercitatiſſimus. Et certè confeſſarius ille regulam generalem pro ſcrupulis curandis prudenter applicabat ſuo pœnitenti; & pœnitens nihilominus tutò obediebat ſequens illud Sapientis conſilium, Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, & quia iure in animum inducere poterat Cõfeſſarium ſibi ſalubriter reſponſurum. Vnde cenſent viri docti animis ſcrupulorum moleſtijs agitatis nullum ferè præſentius remedium liberandis occurrere, quàm fidem præbere perito & pio confeſſario, & Spiritus moderatori.

11. *S. P. Ignatius liberatus eſt à ſcrupulis ſequens Confeſſarij conſilium.*

Experimentum huius ſuppeditant res geſtæ B. P. Ignatij Societatis noſtræ Conditoris, qui cum immodicis, ex ante actæ vitæ noxijs, carperetur angoribus, neque per preces aut ieiunia, cæteraſque vitæ aſperitates turbulentia motuum mentis componeretur; Malaciæ tandem quietiſque animi viam aperuit Sacerdos, cui vni pectoris ſui arcana credere inſueuerat. Is cùm quieto placidoque animo in poſterũ eſſe iuſſiſſet, & paruiſſet Ignatius, tanta continuò tranquillitas quiſque excepit, quæ etiam olim plurimorum eximendis angorum aculeis præpotuit: Ita Ribadeneira lib. 1. vitæ B. Ignatij cap. 6.

12. *S. Bernardo parens Sacerdos quidam à ſcrupulorum angore curatur.*

Explicat hoc egregiè, vt pleraque morum præcepta Gerſon eodem tractatu, conſid. 3. Vbi etiam probat id exemplo, quod refert D. Antoninus, & alij. Erat Sacerdos in Cœnobio cui præſidebat B. Bernardus qui in tantum ſcrupulis angebatur, vt nulla ratione ſacrificio altaris faciendo ſe offerre auderet. Vt hoc reſciuit vir ſanctus, præcepit vt ſuis verbis fretus, animo ſecuro litaret: Vade, inquit, & mea fide confiſus ſacrifica. Fecit, & omni ægritudine, & angore, deinceps liberatus fuit.

13. *Conſilium Gerſonis præclarum contra ſcrupulos.*

Subjcit Gerſon, laudanda, inquit, prorſus & imitanda, tam ſolers B. Patris fiducia, quàm fratris fidelis obedientia. Dicet aliquis. Vtinam talis mihi eſſet moderator qualis S. Bernardus; imperanti facilè cederem: nunc verò, dum Præſidis mei paruam ſapientiam inſpicio, non audeo conſcientiam & ſalutem meam illius fidei committere. Quiſquis ita ſapis deſipis: non enim commiſiſti ſalutem tuam homini, quia prudens aut doctus; ſed quia ſecundum regulam tibi præpoſitus. Quamobrem obedi illi, non vt homini, ſed vt Deo iubenti: ſi tamen non contra Deum. Hæc ille, & plura.

14. *Mortuus alteri ſcrupuloſo apparens reſpondet viris doctis & pijs acquieſcendum.*

Refert S. Antoninus Summæ Theologicæ 1. p. t. 3. cap. 10. § 10. Quendam virum religioſum ordinis D. Dominici mirum in modũ ſcrupulorum ſtimulis cruciatum conſilium petijſſe ſuper his à quodam eiuſdem ordinis Cœnobita, qui

ra, qui ſe ei poſt mortem videndum obtulerat: Eumque reſpondiſſe: Conſule pios & eruditos viros, & eorum monitis acquieſce.

Iuuat ad vincendos ſcrupulos è libro & non de memoria horas recitare.

15. Porrò peculiare in hac materia illud eſt remedium, vt qui non penitus vanæ formidinis tricis eſt illaqueatus, preces Horarias pronuntiet de libro, & non de memoria: tum quia multò certior erit hac ratione ſe omnia recitaſſe, nihil immutaſſe, & liberabitur inſuper anxià curà cogitandi, num bene, num malè dixerit, quandoquidem liber ante oculos politus, hanc illi ſollicitudinem eximet; tum quia exploratius illi erit, ſe attentionem debitam orationi adhibuiſſe, ſaltem infimam, & vitaſſe occaſiones euagationum, cùm illi conſtet ſe oculos in codicem fixos continuiſſe. Adde hunc modum cæteris paribus eſſe meliorem, magiſque conſulendum, vt rectè docet Nauarrus Enchir. de Oratione cap. 19. nu. 88.

Vtile etiam erit cum ſocio recitare.

16. Item iuuabit ſi cum Socio pſalmos, & ſacra odaria alternet: tum enim animi incertitudo tolletur, num quid dixerit, num quid omiſerit: Euellet enim Vicaria Socij opera omnes ſentes curarum, omnemque cordis ægritudinem abſterget.

Nō propterea repetendus Pſalmus &c. quia non recordatur quis an dixerit, vel non.

17. Nec in poſtremis habendum moleſtiarum mordacium pharmacū, quod pluribus explicat Nauarrus ſuprà c. 13 n. 29 & ſequent. vt puta, non teneri, quem repetere verſum, pſalmum, lectionem, &c. quæ non meminit ſe pronuntiaſſe, modò non meminerit ſe non pronuntiaſſe, & credat probabili coniectura ſe more ſolito dixiſſe. Sic, qui tacitè vel expreſsè proponens animum precibus diuinis intendere, Horas canonicas exorditur, & poſt decurſos quatuor vel quinque pſalmos fluctuat num illos legerit, quia mentem memoria eius rei non inſidet, ſed penitus fugit: Nihilominus metu poſito ſecurus perget, quod ſupereſt, perlegere: quod grauiſſimarum rationum momenta faciendum liquidò oſtendunt.

Probatur hoc rationibus.

18. Primò quidem, quia, is qui, dum penſum Horarium reddit, aciem mentis dedita etiam opera defigit in diuinæ bonitatis contemplatione, aut cum animo ſuo piè reputat aliquod fidei noſtræ arcanum, nihil interim de verbis, quæ legit, aut de eorum ſenſu cogitans, poſtmodum non recordatur num illa dixerit: & tamen egregiè munus ſuum præſtat: quia Deo, & diuinis rebus, quæ ſunt præcipuus orationis, & attentionis ſcopus, animo inhæret. Imò qui ſacris precibus operam dans, volens aliquo ex tribus modis attendere, lib. 2. expoſitis, & præter mentem auertitur ad friuola & aliena cogitanda, nullo modo meminit pſalmorum, quos legit, & tamen iuxta communem ſententiam, Eccleſiæ iuſſis ſatisfecit, ſi euagationes ſuas non obſeruauit, vel aduertens animum ad officium reuocauit. Ergo &c.

Alia ratio & adſeritur ex Ioan. Maiore.

19. Præterea, vt rectè docet Ioannes Maior in 4 diſtinct. 12. quæſt. 7. Qui ſcit ſe incepiſſe Horam aliquam, & videt ſe prope illius finem legendo perueniſſe ſubſidio libri, vel de memoria, quæ labi non ſolet: meritò perſuadere ſibi poteſt ſe totum perfeciſſe, quamuis nulla illius animum excitet recordatio.

Non nimis occupandus animus cogitando an attendat necne.

20. Inſuper addit Maior ſuprà, eum qui præclarè incumbere in preces deſiderat; optimè facturum ſi ſe non nimiùm occuper, mente verſando an attendat necne: Nam vt ij qui per ſumma tectorum ſuſpenſo gradu ambulant, citiùs ex alto præcipitantur caſum imaginando, & metuendo: Ita etiam contingit eum faciliùs ceſpitare, & errare in recitando, qui nimiùm de attentione ſolicitus, ne erret, trepidat. Deinde, vt rectè docet Caietanus 2. 2. qu. 13. art. 13. Velle

attendere, quod huiuſmodi imaginarij forte putant, non eſt re ipſa ad verba, vel eorum ſenſum attendere, ſed eſt attentionem ſibi pro ſcopo & materia ſuæ cogitationis præligere: Vnde infert Nauarrus, Non ſolùm non teneri huiuſcemodi ſcrupuloſum repetere ea, quæ ante dixerat, nec quæ oblitus eſt; modò probabiliter non dubitet ſe dixiſſe, vel probabili coniecturâ credat ſe dixiſſe: verùm etiam non rectè facere iterando, eò quòd ſe in laqueos inextricabiles multarum ſollicitudinū & ſcrupulorum inijciat, ſæpe repetens, & nunquam ſibi ſatiſfaciens, quouſque in amentiam ſe præcipitem dederit.

21. *Non ſolet memoria rei præteritæ in animo excitari, niſi ad illam, dum fieret, mens ſe reflexerit.*

Horum omnium ratio hæc eſt, quã alibi inſinuat D. Thomas, eò quòd rei alicuius prætermæ memoria exſurgere in animo non ſolet, niſi illam, dum fieret, obſeruaueris, & quodammodo ad illam mentem reflexeris vt experientia docet Solemus autem rem aliquam notare, cùm noua eſt, rara, inſolita, quæ animum pungit vehementius. Nunc verò cum pſalmos quotidie legamus, nihil mirum ſi facilè obliuiſcamur, an eos recitauerimus; non enim ad eos, vtpote notos, gradum mentis vt ita loquar, fiximus. Quo etiam fit, vt rarius nobis memoria excidat lectionum aut antiphonarum inſolitarum &c.) quamuis hoc interdum eueniat cùm animus grauius perturbatur) pſalmorum verò ſæpius, quia ad eorum lectionem aſſueti, quaſi callum memoriæ induximus.

22. *Optimum contra ſcrupulos remedium occaſiones & germina eorum tollere.*

Extremum intempeſtiuos conſcientiæ metus æſtuſque ſedandi ſubſidium illud habeto, quicumque è ſcrupuloſis illis cotibus nondum nauigaſti, ſed adhuc turbellarum domeſticarum voluminibus fluctuaris: quod tum alij, tum tibi ſubminiſtrat Caietanus V. *Scrupuloſorum medicina.* Scrupulorum tibi vitanda incunabula, & ſemina, id eſt cogitationes, vnde illi emergunt. In hoc enim, inquit, videtur conſiſtere naturalis cauſa ſcrupulorum: ſcilicet, quòd motâ vrâ phantaſiâ, neceſſe ſit multos motus conſequi. Ita vt non ſit in poteſtate commotiones ſequentes compeſcere; ſicut in lateribus ordinatè hærentibus eſt videre, vbi moto vno, cæteri viciſſim vnus poſt alium decidunt. Ipſa ſiquidem attentio ad ſcrupulum vitandum ſcrupulum parit: quia mouet phantaſiam impedientem liberè incipere vel proſequi. Hoc autem vel maximè locum habet in noſtro propoſito. Sit aliquis diuini numinis reuerens, & Eccleſiæ iuſſorum religioſè obſeruans ſolitus mediocrem ſaltem diligentiam ſacræ pſalmodiæ ſoluendæ adhibere, & mentem errabundam, vbi perceperit, coërcere: huic, ſi vanæ religionis ſpectris pro more procellatur; fugiendæ ſunt cogitationes ingerentes importunè animo, bene an ſecus legerit; attentè an diſtractè penſum reddiderit, & his ſimiles: malum germen in ſemine elidendum, &, vt loquuntur DD. contra ſcrupulos agendum, nec ratiunculis ex illis pullulantibus velut prauis ſtolonibus, reſpondendum. Imo interdum obligatio incidere poteſt ſcrupulis contraueniendi, cùm videlicet grauius corpori vel animo detrimentum crearetur. Satis illi ſit opinio, quâ putet ſe officio functum: nec expectanda firma aſſenſio, vel certitudo; Opinari autem cenſendus eſt, ſi nihil manifeſtum, & luce meridiana clarius occurrat, quod illum contrarium ſentire compellat. Vt igitur concludam, fixum, ratumque ſit animo hoc morbo exulcerato, & conuulſo, nihil repetendum ex diuino officio quomodocumque expleto, niſi abſque vlla hæſitatione conſtet culpam lætalem in eo perſoluendo admiſſam: alioqui numquam mali ſentinam exhauriet: fluctuationes in contrarium contemnendæ, in meliorem mitioremque partem interpretandæ, & inſtar telarum araneo-

23. *Scrupuloſus nihil ex diuino officio repetere debet, niſi illi certò conſtet mortale peccatum in eo legendo ſe admiſiſſe.*

 rorum

prorumpendæ. Sequendum illi exemplum equorum domitoris, qui equum pauidum, & vanâ vmbrâ exterrefactũ cogit viam tranſire, quam fruſtra reformidat, vt rectè tradit Ludouicus Granatenſis tract. de Scrupulis Conſcientiæ cap. 3. §. 3. & 4. Accipiat hæc vice oraculi Delphici, & Sybillini carminis, imò nouerit hæc eſſe ſcita ſummorum Doctorum, quos Thomas Sanchez & alij ſupra proferunt, quos contra niti eſt aduerſo flumine lembum ſubigere, imò minus nihilo proficere; prope dixeram, inſanire. Nihil ergo penſius habeat, quam talibus viris manum dare.

CAPVT XXV.

Excutiuntur Priuilegia quorundam Ordinum Religioſis circa Canonicarum precum recitationem conceſſa.

1. EMMANVEL Rodericus t. 1. Quæſt. regul. q. 42. per viginti & vnum articulos latè hæc perſequitur poſt Nauarrum in Enchir. de Horis cap. 19. num. 84. & ſequent. Verùm pleraque eorum potiùs ſunt iuris communis declarationes, quàm propriè dicta priuilegia: nos quæ maiori vſui ſunt, breuiter proponemus.

2. *Priuilegiũ datum Minoribus à Leone 10. pro quibuſdam negligentijs in recitatione officij commiſſis.*

1. Conceſſit Leo X. Fratribus Minoribus (quod etiam quibuſdam alijs communicatur) vt dicendo Horas canonicas, & alia diuina officia, in choro, vel extra, ſatisfaciant præcepto C. *Dolentes* de Celeb. Miſſ. de dicendo *ſtudioſè & deuotè*, & regulæ ſuæ: etiamſi propter aliquam fatigationem, vel aliam cauſam, dicant ſedendo aut deambulando, vel non integrè verba proferendo, prout ſcripta ſunt, propter negligentiam aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem propter defectum linguæ ſeu alias qualitercunque Horas imperfectè dicant, aut cum mentis diſtractione & ſenſuum euagatione: dum tamen non ex malitia hoc faciant: & quod, qui cum talibus malè proferentibus, vel alios ſuprà dictos defectus committentibus dicunt officium, non teneantur repetere ab alijs imperfectè dicta, aut ab eis non integrè audita propter diſtantiam loci vel ſtrepitum vel aliam cauſam, ſed ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ qualitercumque audiendo, quæ alij debent dicere præſertim in choro. Ita habetur in ſupplemento Minorum fol. 59. p. 1. Conceſ. 169. & repetitur ad verbum in Compendio Priuilegiorum Societatis IESV V. *Horæ Canonicæ*. 5. & habent Rodericus art. 2. & Nauarrus n. 84. ſuprà.

3. *Explicantur verba priuilegij.*

Circa quod, nota 1. Certum eſſe, verba illa, *poſſe Horas dicere ratione defatigationis &c. ſedendo vel deambulando*, non continere indultum aliquod vel priuilegium: cùm omnibus hoc liceat, vt per ſe conſtat.

4. *Priuilegiũ non excuſat à repetitione officij mortaliter delinquentes in eius recitatione.*

Nota 2. Nec item propriè priuilegij vim obtinere, cùm ibidem dicitur, ſatisfacere religioſos Eccleſiæ præcepto, etiam ſi non integrè pronuntient, vel proferri audiant verba Horarum, ratione alicuius impedimenti, vel ſi eaſdem recitent animo diſtracto, modò non faciant ex malitia, id eſt, prout intelligo, dummodo non peccent mortaliter, vel omittendo, vel neceſſaria attentione carendo; quamuis venialiter delinquere contingat: & ratio huius eſt, quia quilibet obligatus legere horas, quamuis venialem in orando culpam cõtrahat, implet Eccleſiæ præceptum.

Exponitur ad quid proſit dictũ priuilegiũ.

Nota 3. Quod Rodericus verò & Nauarrus ſuprà docent priuilegium hoc prodeſſe ad eximendos ſcrupulos, planè probo; quod verò addunt prodeſſe etiam ad tollendam obligationem, quâ religioſi nonnunquam teneri poſſunt ad ſupplendum ſub pœna peccati

cati venialis aliquos defectus, qui ſolo peccato veniali committuntur; non mihi placet: tum quia pluribus alijs priuilegijs ijſdem conceditur facultas commiſſos defectus ſupplendi, lecta oratione, vel aliquo pſalmo; tum quia venialis negligentia commiſſa in reijciendis animi euagationibus ſuppleri non poteſt. Vnde ad eandem reſarciendam nulla reſtat obligatio, & habetur huiuſmodi negligētia quaſi inuoluntaria, & fortuita proueniens ex *ἀπροσεξία* & mentis inconſideratione. Alij verò defectus, qui accidunt ratione omiſſionis aliquorum verborum, quæ non integrè proferuntur vel percipiuntur, nō videntur etiam ex obligatione neceſſariò ſupplendi, quia, vel ſine culpa aliqua contingunt naturaliter, & caſu, vel ſi culpa aliqua venialis commiſſa, ea in ſpecie compenſari moraliter non poteſt, cùm fuerint ſyllabæ vel verba hinc inde detruncata, vel fruſtilla malè percepta, quæ etiā mentem fugerunt: vnde etiam ad eorum ſuppletionem nulla ſupereſt obligatio quia eſſet, vel planè inepta, vel impoſſibilis. Compenſare autem per aliud æquiualens, non tenemur cùm illud nō ſit pars penſi Canonici, quamuis hoc præſtare ſit conſilij.

6. Indulſit vlterius Sixtus IV. Minoritis, vt habetur in compendio priuil. ipſorum fol. 200. Non valentibus perſoluere diuinum officium bene ac diligenter in choro prout tenentur, & ideo prætermittentibus aliquid pro defectu viſus vel auditus; vt non obligentur illud omiſſum iterum perſoluere, ſed dicere poſſint vnum pſalmum in fine Horarum, & hoc eis ſufficiat.

Aliud priuilegium Sixti 4. datum Minoribus pro commiſſis defectibus in horis.

7. Idem conceſſit iiſdem Innocentius VIII. quādo, inquit, aliquid diuini officij omittunt, non tamē ex dolo, poſſunt illud ſupplere dicendo pſalmum aliquem aut orationem Dominicam aut Salutationem Angelicam. Habetur in ſupplemento fol. 99. & in Compendio Societatis ſuprà §. 4.

Idem conceſſit Innoc. 8.

8. Reuocandum etiam huc indultum Leonis X. de quo ſuprà actū capit. 23. quod etiam habetur in eodem ſupplemento fol. 6. quo concedit, quod quicumque dixerit poſt quamlibet horam diei, orationem quæ incipit: *Sacroſanctæ Trinitati &c.* pro felici ſtatu Suæ Sanctitatis & Eccleſiæ, conſequatur plenariam remiſſionem omnium defectuum in illa Hora fragilitate humana commiſſorum.

Simile conceſſit etiam Leo 10. de ſupplendo defectu per aliquam orationem.

9. Circa hæc obſerua, primò Poſſe dici duo priora Indulta ſolùm explicare Ius commune: non enim neceſſariò ſupplendum eſt exiguum aliquod Horæ canonicæ fruſtum, quod ob iuſtum impedimentum, vel non prolatum, vel non perceptum fuit, quando non fuit pars notabilis, vt rectè Nauarrus ſuprà, tum alibi, tum cap. 19. nu. 82. Quod ſi lata culpa vel dolus interceſſerit, negatur illis huius priuilegij vſus.

Explicatur priuilegium.

10. Obſerua 2. Poſſe nihilominus admitti duo priora eſſe verè priuilegia, ſicut & tertium, de quo nemo dubitat. Siquidem concedit Pontifex veniam, & condonationem culparum, quas per negligentiam in diuino officio contraximus, ita vt pœna peccatis, de quibus legitimè dolemus, debita, recitando prædictam orationem relaxetur.

Indulgentia conceſſa pro ratione aliquam poſt horas recitantibus.

11. 3. Priuilegium fertur conceſſum à Leone X. Fratribus Minoribus, quod habetur in ſupplemento his verbis: Ne fratres Minores ſe mutuò impediant in officio diuino, aut alijs ſint faſtidioſi, conceſſit Leo X. quod illa quæ in ordinaria iubentur dici ſecretò ſub ſilentio, tam in Horis canonicis, quàm etiam in Miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra ſe: quia aliqui deuotiùs ſic dicunt, & abſque impedimento, & faſtidio aliorum: & quod eodem modo poſſit facere, qui ſolus per ſe dicit

Priuilegium datum Minoribus vt poſſint in officio dicenda ſecretò, mentaliter dicere.

Digitized by Google

„ dicit officiũ, cùm prolatio verbalis „ ſit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.

12. *Examinatur prædictum priuilegium.*

Admittunt hoc priuilegium Rodericus ſuprà art. 4. & Nauarrus ibid. numer. 88. Ego verò non ſatis indultum illud intelligo: plura enim abſurda inde conſequuntur. In primis repugnat hoc naturæ & Inſtitutioni Horarum Canonicarum quæ ſunt Oratio vocalis. Deinde verba officij diuini tam in Sacrificio Miſſæ, quàm precibus Horarijs ſolo animo concipere, & eo eſſe contentum, eſt contra morem omnium proborum, & eruditorum. Accedit quod Breuiaria & Miſſalia inculcant quædam ſecretò dicenda, dicere autem per ſe nullo adiuncto, non eſt tantum mente percenſere, ſed voce, ſaltem ſubmiſſa proferre: alioqui ſatis eſſet formam conſecrationis ſola mente, ſine vlla verborum prolatione concipere: quod conſtat eſſe erroneum. Vnde priuilegium hoc vel non eſt datum, vel certè, grano ſalis adhibito, vt dici ſolet, intelligendum.

13. *Priuilegiũ conceſſum Minoribus de mutatione vnius officij in aliud.*

4. Conceſſit Leo X. Fratribus Minoribus, vt referunt Rodericus art. 5. & Nauarrus ſuprà, vt poſſint Officia feriarum, quæ ſunt prolixiora, anticipare diebus quibus ſunt otioſi, & officia feſtiua, quæ ſunt breuiora, reſeruare in eos dies, quibus credunt ſe fore occupatos concionibus & confeſſionibus, modò id non faciant in fraudem, ſed ad melius ſtudendum, prædicandum & confeſſiones audiendum: quod Nauarrus ait non videri priuilegium, quia tantumdem & amplius poſſe fieri iure communi certum: quod intellige, cùm ex improuiſo neceſſariũ aliquod negotium occurrerit, quod ſine peccato & ſcandalo omitti non poteſt, cum quo Canonici officij lectio ſtare nequit, iuxta ea, quæ alibi à nobis dicta ſunt.

14. *Similia priuilegia conceſſa infirmis occupatis &c.*

Similia multa congerit Rodericus indulta conceſſa varijs Religioſorum Ordinibus, quibus permittitur Superioribus eorum, vt occupatis, & ideo à Choro abſentibus, imperitis, infirmis &c. Horarum vice aliud orandum imponant, quod alacriter perſoluere valeant. Item, quod Innocentius VIII. tribuit Minoritis, vt ijdem profeſſi neſcientes per ſe plenè perſoluere officium, non teneantur ad id ſub pœna peccati mortalis, donec ſciuerint, dummodo faciant, quod in ſe eſt, & dicant ſicut ſciunt, & vltra addant Horas fratrum laicorum.

15. *Conceditur indulgentia recitantibus officium ex libro.*

5. Non eſt prætereunda liberalis facultas Leonis Decimi, quâ indulget fratribus Minoribus, qui recitauerint ſuas Horas ex libro remiſſionem dimidiæ partis peccatorum, die quo ſic dixerint officium, commiſſorum. Habetur in Supplemento fol. 94. & in Cõpendio Societatis V. *Indulgentia* §. 18.

16. *Melius recitare officium ex libro quàm memoriter.*

Ex hoc rectè colligit Nauarrus Salutarius eſſe penſum Horarum perſoluere ex libro, cui & ego planè aſſentior: idque non ſolùm, quia recitans de libro minus obnoxius eſt errori & lapſui memoriæ, ideoque certius officium perlegit; ſed etiam quia minus exponitur periculo euagationum per oculos, qui niſi in rem aliquam defigantur, huc illucque vagi feruntur in ijs maximè, quorum animus non ita probè fuerit compoſitus. Deinde liberatur inanibus ſcrupulis mentem ſæpius tenerberantibus. Nolim tamen carpere eos, qui de memoria pſalmos ſibi familiares percurrunt, quia experiuntur ex hoc ſe liberius in Deum & diuina rapi.

17. *Priuilegium quo conceditur permutatio Superioribus officij Canonici ...*

6. Inter gratias factas Societati IESV, indulſit Iulius III. ſuo Breui dato anno 1552. (vt ponitur in Bullario Societatis fol. 65. Et habetur etiam in Compendio Priuilegiorum eiuſdem V. *Infirmi* §. 92.) Vt Præpoſitus generalis, & alij, quibus ipſe ſuam auctoritatem ad id communicauerit, quales ſunt omnes Societatis Superiores, & etiam ſi ijſdẽ

vide-

Digitized by Google

aliam orationem leuiorem pro infirmis Societatis.

videbitur, ipſi confeſſarij, commutare poſſint diuinum officium Sociorum, quos infirmitate excuſandos iudicauerint, in aliud opus pium ſeu leuiorem orationem durante tamen infirmitate.

18. *Simile conceſſum Minoribus à Leone decimo.*

Similem fauorem indulſit Leo X. Minoribus vt habet ipſorum Supplementum fol. 95. Vt cùm inciderint in morbum, & diſcernere nequiuerint, vtrum planè liberi ſint à penſo horarum ſoluendo, ſufficiat recitare Pſalmos, Hymnos, Pater noſter, Aue Maria, vel alia arbitrio præfecti loci determinanda, quando medicus, ſi commodè haberi poſſit, iudicaret huiuſmodi lectionem eorum valetudini obfuturam. Verùm non eſt hæc exemptio, cum iure hoc eis permittatur.

19. *Amplius indulſerunt alij Pontifices Martinus 5. & Eugen. 4. Fratribus D. Hieronymi.*

Indulgentior fuit Martinus V. qui Fratribus Sancti Hieronymi conceſſit, vt ipſorum infirmi, ſenes ac valetudinarij, qui tenentur ad Horas, ſatisfaciant recitando aliquos pſalmos, vel id quod ſuis Confeſſarijs fuerit viſum. Ita refertur in Priuilegijs Societatis V. *Infirmi* §. 2. Pari fauore dicitur Eugenius IV. proſecutus Benedictinos Hiſpaniæ, in quo etiam permiſit, vt cùm ipſis præfectis monaſteriorum, quilibet preſbyter monachus per eos eligendus ſimili ex cauſa diſpenſare poſſit, ex qua ipſi præfecti cum ſuis cœnobitis. Item Eugenius IV. ijſdem Fratribus S. Hieronymi conceſſit, vt eorum infirmi ſeu debiles ſatisfaciant Horis canonicis, ad quas tenentur, audiendo eas ab alio, vel ab alijs recitari, quod habetur in Compendio Minorum V. *Infirmi* §. 13. & communicatur Societati IESV per ſuos Præſides, vt continet Compendium eiuſdem V. *Infirmi* § 3.

20. *Priuilegiũ datum Minoribus de poſtponendo vel anteponendo officium.*

7. Habetur in Supplemento Minorum fol. 60. per quod indulget Leo X. Fratribus Minoribus occupatis, vt poſſint ſiue conſcientiæ ſcrupulo anteponere ſiue poſtponere Officium diuinum dicendo Matutinum ante mediam noctem quâcumque horâ voluerint, & alias Horas mane vſque ad Veſperas excluſiuè, etiamſi occupatio non ſit multum neceſſaria, ſed ſatis eſt vt cogitent tunc deuotiùs & quietiùs dicere. Sed hoc vix eſt priuilegium, vt conſtat ex ijs quæ diximus lib. 2.

21. *Amplius conceſſit Pius 5. vt totum officium poſſit ab itinerantibus Minoribus vel Socijs mane recitari.*

Prolixiùs fauit Minoribus Pius V. vt habetur in M. S. fol. 79. & in Compendio Priuilegiorum Societatis IESV V. *Hora*, §. 2 & 3. Vt ratione itineris aut alterius occupationis, quando creditur quòd maiori cum deuotione dicetur Diuinum Officium, poſſit illud à Minoribus & Socijs noſtris recitari mane totum vſque ad Completorium incluſiuè. Item ab ijſdem abſque vllo ſcrupulo Matutinum Officium recitari ante ſolis occaſum.

22. *Poſſunt ex facultate Iulij 3. Socij itinerantes officium diuinum Miſſæ poſtponere.*

Conceſſit item Socijs noſtris Iulius III. vt habetur in eius breui, in Bullario noſtro fol. 68. vt poſſint noſtri ex facultate Præpoſiti Generalis, aut eius, quẽ ipſe ad id ſubſtituerit, ſine ſcrupulo Officium Diuinum Miſſæ poſtponere, iuſtis de cauſis; quâ facultate dũ opus fuerit vti poterunt itinerantes; reliqui verò ex auctoritate Superiorum.

23. *Indultum Minoribus ab Innocent. 5. vt ſuo poſſint legere aliud officium quàm Romanum.*

8. Conceſſit Innocentius IV. vt habetur in libro qui inſcribitur *Monimenta Ordinum*, conceſ. 505. Fratribus Minoribus, vt quando ratione itineris vel alterius rei cauſà, extra conuentus vel loca ſua, quemlibet, vel quoſlibet eorũ contigerit degere, poſſint Diuinũ Officium fratres cum fratribus, aut ſimul cũ alijs Regularibus perſonis vel quilibet ſeparatim facere alio quàm Romano ordine, & quod id ſufficiat ad perſoluendũ debitum, ad quod Fratres ratione Regulæ tenentur, nec iterum proprium officium dicere teneantur.

24. *Putat Rodericus etiam hoc priuilegium valere poſt*

Putat verò Rodericus ſuprà art. 8. etiam poſt reformatum à Pio V. Breuiarium Romanum, quod recitare prædicti fratres tenentur, poſſe nihilominus vti illo Priuilegio. Dubitat

Roman. Breuiar. à Pio 5. reformatum, ſed dubitat an Socius religioſi priuilegio vtentis poſſit recitare iuxta priuilegium eidem conceſſum.

autem art. 9. an Socius religioſi Priuilegio fruentis in Horis recitandis, poſſit legere iuxta priuilegium eidem conceſſum & adductâ ſententiâ Henriquez lib. 7. de Indulgentijs c. 7. num. 4. affirmantis, rectè reſpondet ſententiam illam ſolùm locum habere, quandò immunitas aut priuilegium alicui datum eſſet inutile, ſi cum Socio non communicaretur, vt vſu veniret, ſi alicui cæcutienti vel debilitato fieret gratia horas recitandi per Breuiarium trium lectionum, cùm tamen hunc fauorem concedens propè intelligeret ipſum ſolum ne quidem ſic ſine maxima poſſe difficultate recitare: tunc enim priuilegium ad ſocium extenderetur, ſine quo decenter legere non poſſet, quia alioqui gratia eſſet planè ridicula, & ſuo fine fruſtraretur, quia vix huiuſmodi Socius inueniretur qui cùm priuilegiato orationem coniungere vellet, ſi non eadem operâ obligationi ſuæ putaret ſe poſſe ſatisfacere: debet enim Priuilegium contra ius commune conceſſum in aliquo verificari: quo dato in alijs debet reſtringi, vt docent, Rebuffus, Nauarrus & alij. Vnde extra caſum prædictum priuilegium non eſt extendendum.

15. *Priuilegiũ conceſſum Minorum Capitulo Generali de mutando officio diuino reuocatum per Pium 5. in Bulla præfixa breuiario Romano.*

Poſtremò rectè docet Rodericus ar. 11. fauorem à Leone X. conceſſum Capitulo generali ordinis Minorum ordinandi, addendi, mutandi, circa Diuinum Officium, quidquid videbitur ipſis Religioſis expedire, ex ea parte reuocatum eſſe per conſtitutionem Pij præfixam Breuiario Romano innouato, in qua ſtatuitur Breuiarium ipſum nullo vmquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe.

CAPVT XXVI.

An ſtatæ Eccleſiaſticorum preces fuſæ à miniſtro, cuius vita vel intentio improba eſt, Eccleſiæ proſint, ad pœnæ temporariæ relaxationem, vel ſaltem aliquid à Deo impetrare valeant.

1. *Improbus Eccleſiæ miniſter parum ſibi prodeſt horas recitando.*

DVBITANDVM non eſt quin publicus Eccleſiæ miniſter, & ad Deum pro ea legatus vitam degens flagitijs contaminatam parum ſibi proſit Canonicas Horas recitando. Nam imprimis nullam ab eo promeretur gratiam vel gloriæ præmium, nulla etiam pœna peccatis debita ei relaxatur, quamdiu culpa mortalis ei adhæret. Vnde de huiuſmodi perſeuerante in ſuis flagitijs dici quidam exiſtimant illud Dauidicum Pſalm. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Ita Gregorius VII. C. *Si qui*, diſt. 81. *ſi qui*, inquit, *ſunt presbyteri, diaconi, vel ſubdiaconi qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei Patris omnipotentis, & S. Petri auctoritate, Eccleſiæ introitum, vſque dum pæniteant & emendent. Si qui verò in peccato ſuo perſeuerare maluerint, nullus veſtrûm eorum præſumat audire officium, quia benedictio eorum vertetur in maledictionem, & oratio in peccatum, teſtante Domino per prophetam: Maledicam,* inquit, *benedictionibus veſtris,* Malachiæ 2. Hæc ibi.

2. *Poteſt tamẽ impetrare quod à Deo poſtulat, ſi cætera adſint.*

Dico *parum ſibi prodeſſe*, quia non obſtat quin impetrare poſſit à Deo quod poſtulat, modò adſint cæteræ conditiones requiſitæ. Oratio enim nititur potiſſimum ipſius perſonæ dignitate, ſed Dei benignitate, & liberalitate, qui generatim promiſit Luc. 11. *Petite, & accipietis, Omnis enim qui petit accipit*; quod explicans Auctor Imperfecti

„ fecti Homil. 18. in Matth. Omnis, in„ quit, qui petit, ſiue iuſtus, ſiue pecca„ tor. Et certè vix ambigo, modò adſint reliqua, quin etiam is, qui peccatorum ſuorum conſcius, quamuis non omnino ſeriò pœnitentiam agat; ſi nihilominus ex animo Dei auxilium poſtulet, exaudiatur. Quod ſi preces canonicas, non piâ intentione, ſed mente ſiniſtrâ pſallat, verbi gratiâ, humanam gloriam venandi ſtudio, &c. Tunc ſatis liquidò conſtat nihil prorſus ſpiritualium bonorum illi conferre huiuſmodi officium, cùm functioni illi deſit honeſtas, ſiue bonitas requiſita ex parte finis, &, vt loquuntur Theologi, oratio illa mala ſit ex circumſtantia; vnde planè inhabilis eſt ad impetrandum, merendum, vel ſatisfaciendum.

3. *Quod ſi etiã adfuerit praua intentio, tunc oratio eſt ipſi planè inutilis ad impetrandum.*

His ita explicatis, ſupereſt nodus vnus expediendus. An videlicet quiſquis Eccleſiæ miniſter moribus vel animi propoſito inquinatus preces ipſius ſtatas, & legitimas decantat, vel recitat, & conceptis ipſius verbis tam quam Reipubl. Chriſtianæ orator apud Deum intercedit, nihil in rem communem ſuppeditet, nihil vel pœnæ iuſtâ Dei animaduerſione ſceleribus mortalium decretæ oratione ſuâ auertat, vel beneficiorum ſalutarium procuret populo Chriſtiano. Deploranda profectò videtur Eccleſiæ conditio, ſi cùm in animis hominum tantæ latebræ ſint, tantique receſſus, ita ſeque de mente, & pectoris arcanis ſuorum miniſtrorum nullo modo, imò ſæpenumero nec de ipſorum vitâ iudicium ferre poſſit, & nihilominus ſeculorum Regi immortali, & ſupernis ciuibus ſit cariſſima, inſuper immenſis ærumnarum turbinibus vndique agitetur, & diuinarum ſuppetiarum imprimis egeat; nihil tamen, per ſuorum legatorum interceſſionem, vel in malis præſentibus remedij, vel aduerſus imminentia præſidij reportet.

4. *Quæritur iam, an miniſter huiuſmodi ſaltem Eccleſiæ, ſua oratione proſit ad ſatisfaciendum vel impetrandum.*

Sunt itaque aliqui Doctores, qui piè docent orationes Eccleſiæ, quas miniſtri eius nomine fundunt, tam ſub auguſtiſſimũ Miſſæ ſacrificium, quàm in alijs diuinis officijs eſſe ſatisfactorias pro pœnis temporalibus peccato debitis, quamuis ipſi miniſtri lætalibus culpis ſint obnoxij. Sic vt orationes illæ infructuoſæ ſint ipſis miniſtris, quoad relaxationem temporalis ſupplicij, cùm illius, ratione peccatorum quibus tenentur, ſint incapaces; vtiles tamen ſint ad eumdem effectum conſequendum viuis Eccleſiæ membris, quæ huiuſmodi bono frui poſſint. Putant enim illi DD. Chriſtum Dominum ſummum ſacerdotem, & æternum Pontificem certam portionem ſuarum ſatisfactionum annexuiſſe orationibus Eccleſiæ, quæ in officijs ſacris quà in miſſa, quà extra eam à publicis ipſius miniſtris, ipſis quaſi ore ad Deum tranſmittuntur, quæ proinde fructu ſuo non fraudantur, quamuis miniſtri indigni ſint, qui eas proferunt. Sic, aiunt, communis ſententia tenet, vnico legis nouæ ſacrificio, additam eſſe ſtatam menſuram, eiuſdem Chriſti Domini noſtri ſatisfactionum, & meritorum, ipſiuſmet decreto & voluntate, quæ efficacem vim obtinet in ijs pro quibus offertur, nec vllis ſceleribus etiam grauiſſimis miniſtrorum ſacrificantium valet impediri.

5. *Aliqui DD. docent improbi miniſtri orationem nomine Eccleſiæ fuſam eſſe ſatisfactoriam pro viuis eiuſdẽ membris.*

Probant hoc ex D. Thoma 3. p. q. 82. art. 6. in corpore, vbi ſic loquitur, fructuoſa eſt non ſolùm oratio ſacerdotis peccatoris in Miſſa, ſed etiam omnes eius orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officijs, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ: licet orationes eius priuatæ non fructuoſæ. Hæc D. Thomas. Cùm verò, vt ante diximus, etiam ſacerdotis ſcelerati preces, quas fundit vt perſona priuata vtiles eſſe poſſint ratione impetrationis: videtur ſignifi-

6. *Rationes pro hac ſententia.*

Digitized by Google

ſignificare S. Doctor orationes, quas idem miniſter fundit, vt refert perſonam Eccleſiæ, etiam fructuoſas eſſe ratione ſatisfactionis: non quidem ſibi ipſi, cùm pœna illi non remittatur ante remiſſam culpam; ſed alijs è populo Chriſtiano iuſtis, pro quibus ipſe eas obtulerit. Addunt vlterius ad hunc remiſſionis pœnæ effectum conſequendum ſufficere ſanctitatem & dignitatem Eccleſiæ, quæ eſt electa Chriſti columba & ſponſa abſque macula & ruga, quæ poſtulat & gemit orationibus ſuis, Spiritus ſancti afflatu inſpiratis, quas ponit in ore ſuorum ſacerdotum: quod declaratur hoc ſimili. Dominus probus miniſterio famuli facinoroſi pauperibus benefaciens condonationem pœnarum, & indulgentiam, ſi ad eam eleëmoſyna requiratur, conſequitur: Ergo etiam & ipſa Eccleſia idem beneficium apud Deum obtinere poterit, quamuis improbis miniſtris ſuarum orationum officium commiſerit. Ita ſentiunt Henriquez lib. 9. de Miſſa cap. 17. litera q, & Petrus de Nauarra lib. 2. de Reſtitutione cap. 2. num. 254. ex Angelo, & alij quidam.

7. *Sententia hæc non eſt ſolida propter rationes poſitas inferius.*

Ceterùm quamuis hæc ſententia pia ſit, non videtur tamen ſolidis fundari argumentis. Nuſquam enim vel in ſacris literis, vel in Patribus, aut Concilijs inſinuatur orationibus ſacerdotum, & aliorum miniſtrorum nomine Eccleſiæ factis Chriſtum promiſiſſe ſuorum meritorum applicationem ad remiſſionem pœnarum tẽporalium. Nec eſt vllo modo credibile. Si enim, vt habet communis ferè ſententia Doctorum, ex ipſo Sacrificio Miſſæ, quod tamen eſt actio primaria ipſius Sacerdotij Chriſti, nullus fructus ex opere operato in ſingula viua Eccleſiæ membra redundat, quo aliqua pœna temporalis illis condonetur, quatenus remotè, & quaſi in habitu offerunt, imò nec fortaſſe aliquis particularis fructus per modum impetrationis, ſed ſolùm bonum aliquod omnibus commune, quomodo putandum eſt communicari ipſis Chriſti merita ad relaxationem pœnarum temporalium per ipſas Eccleſiæ preces, à miniſtris eius improbis fuſas, nulla intercedente actione, paſſione vel receptione propriâ, vt notum eſt, vel alterius perſonæ gratæ Deo ſupplicantis?

8. *Reſponſio ad rationes oppoſitas.*

Vnde ad rationes propoſitas reſpondeo breuiter. Ad primum quidem dico D. Thomam, vt ex contextu eius patet, loqui de fructu Impetrationis, quem nos non negamus.

9. *Diſcrimen inter ſatisfactionem & impetrationem.*

Ad alteram rationem reſpondeo, inter Satisfactionem & Impetrationem latum eſſe diſcrimen. Si quidem ad obtinendum aliquod beneficium oratione à Deo, ſufficit ipſi repræſentare promerita alicuius ſancti, ad quæ ipſe reſpiciens annuat poſtulationi, quamuis fortè ille pro nobis ſuas preces non interponat, vt olim florente priſcâ lege allegabant in ſuis orationibus merita maiorum ſuorum, Abraham, Iſaac, & Iacob. Sic vt oratio miniſtrorum Eccleſiæ, quibus vita vel mens improba, ſit impetratoria, ſufficit vt ipſi tamquam Eccleſiæ legati & oratores, proponant Deo eiuſdem merita, ſanctitatem, dignitatem, quamuis nullus fortè tunc temporis in terris ſanctus ſpecialẽ orationem ad Deum fundat. Reſpicit enim Deus non indignitatem legatorum, ſed ſanctimoniam, virtutes & merita ſponſæ ſibi gratiſſimæ, à qua illi mittuntur. Ad ſatisfaciendum verò Deo pro temporalibus ſupplicijs, quæ peccata promeruerunt, nullo modo ſatis eſt Deo Eccleſiæ merita, & habitualem ſanctitatem aut alicuius diui cum Chriſto in cælo regnantis offerre, ſed requiritur actio aliqua bona & laudabilis alicuius,

cuius, qui Deo gratus ſit, vt per ſe liquet. Vnde mirum non eſt in exemplo allato Dominum acceptum Deo,

10\. *Diſcrimen inter Dominum manu miniſtri improbi dantem eleemoſynã & eccleſiã orantem per malos miniſtros.*

manu famuli facinoroſi præbentem eleëmoſynam acquirere veniam pœnæ peccatis ſuis debitæ, & conſequi condonationes ſiue indulgentias huiuſmodi operi pio conceſſas, Chriſtianum verò populum pro ſuis delictis non ſatisfacere orationibus communi nomine oblatis per miniſtros improbos; quia illic interuenit actio primaria & præcipua Domini, qui integritate vitæ Deo eſt gratiſſimus, cuius famulus ſolum eſt executor & adminiſter; Hîc verò ſolum interuenit habitualis Eccleſiæ ſanctitas, quæ quamuis ſufficiat ad Deum placandum per modum impetrationis; non tamen ad ſatisfaciendum.

11\. *Oratio improbi miniſtri pro Eccleſia eſt impetratoria, non verò ſatisfactoria.*

Vnde concludimus breuiter officium Eccleſiaſticum per facinoroſos miniſtros perſolutum, aptum quidem eſſe ad impetrandum; non verò ad ſatisfaciendum.

CAPVT XXVII. ET VLTIMVM.

Cura Eccleſiæ Præſidum præcipua, vt Diuinum Officium ritè decenterque præſtetur.

1\. *Exhortatio ad Eccleſiæ præſides vt mitantur diuinum officium ritè decenterq; per Clericos præſtari.*

NIhil antiquius, nihilque prius Eccleſiæ Præſtitibus Diuini Officij accuratione habendum, edicente S. Benedicto, regulæ ſuæ cap. 43. (quod D. Bernardus eius legibus auctoratus frequenter inculcat) nihil operi Dei præponatur. Audiant illud acroama, & pronunciatum verè diuinum Præfecti Eccleſiarum illi, qui curæ alendorum canum, equorum, accipitrum, ſolemnes preces iam inde ab Apoſtolorum memoria ad noſtra tempora, quaſi manu traditas, & perennantes poſtponunt; quibus carius, penſiuſque eſt veſtem ſtragulam pretioſam, belluata tapetia, auri argentique cælati vim, & citò perituras opes, fortunæ ludibria congerere, illiſque incubare, quàm procurare ſacra, diſciplinam in pſalmodia canonica tenendam inſtituere, aut rectè inſtitutam ſeueris decretis ſancire. Verùm prorumpentem calamum comprimo, & intra ſpatia mea me coërceo. Non enim Satyram aut Philippicam conſcribere in animo eſt; Sed, quod honeſtum decorumque eſt, docere. Reuoco itaque me ad meum munus & penſum accurandum. Vtinam illi ſe ad ſuum. Quia verò ſparſim multa hiſce tribus libellis de diligentia adhibenda in Horarijs precibus publicè priuatimque dicendis diſſerta ſunt, ideo glomeratim hîc multa conuoluam paruum ordinis memor.

Primum, D. Bonauentura Opuſculo de Sex Alis Seraphim, Eccleſiæ Dei Moderatorem & Rectorem, quẽ vocat Eccleſiaſticum Seraphinum, Sexta Ala inſtruit deuotionis, quam cùm diuiſiſſet in communem, ſpecialem & aſſiduam; dicit communem ſpectari in diuinis officijs: Circa diuina, inquit, triplicem habere debet diligentiam: deuotionis, ſcilicet, vt omnia fiant ordinatè & non confusè, & ſine erroris hæſitatione, vt quiſque deputatum miniſterium congruè exequatur. Vnde D. Paulus dicit prioris ad Corinth. 14. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis*, & dicitur lib. 1. Paralip. c. 25. v. 1. *David, & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent in citharis & pſalterijs & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes.* Item ſecundò præſtandum, vt ſtrenuè & non pigrè ſeu deſidioſè, opus Domini, ſcilicet diuini cultus officium peragatur. Quia ait Hierem. cap. 48. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter:* Item tertiò elaborandum, vt deuotè, & reuerenter ſine

2\. *D. Bonauentura triplicem diligentiam exigit ab eccleſia prælatis circa diuinum officium.*

„ aliqua diſſolutione & ſtrepitu,
„ diſtinctè, & attentè diuina offi-
„ cia perſoluantur, ſicut in conſpe-
„ ctu Angelorum & præſentia Dei.
„ Sicut dicitur in Eccleſiaſtico cap.
„ 39. *In omni corde & ore collaudate, &*
„ *benedicite nomen Domini*. Hæc S. Bo
nauent.

3. *D. Benedictus vult abbatem curare vt officium diuinum horis competentibus fiat.*

Munus indicandi horam operis Dei
imponit Abbatibus D. Benedictus
cap. 47. Regulæ, quod eſt de ſignifican-
da hora operis Dei, cum ita præſcribi:
„ Nuntiandi horam operis Dei die
„ noctuque ſit cura Abbatis, vt ipſe
„ nuntiet, aut tali ſollicito fratri iniun-
„ gat hanc curam, vt omnia horis
„ competentibus compleantur. Pſal-
„ mos autem vel Antiphonas poſt
„ Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum
„ fuerit imponent. Ita magiſter in
regula: vbi vides primam curam in-
cumbere Abbati diuini officij, ipſum
choragum præcentoremque conſti-
tui, cuius exemplum ſequantur reli-
qui. S. Chryſoſtomus Homil. 14. in

4. *Olim abbas ad officium excitabat.*

1. ad Timoth. refert Philoſophos
ſacros ſiue monachos ſui temporis à
præſule fuiſſe pede ad orationem exci-
tatos. Et S. Dorotheus Sermone 11.
tradit ſe expergefactum à Præfecto

5. *Debet Præſul ſuis exemplo praire.*

vigiliarum: parum enim iuuant moni
ta, niſi adiungantur & facta. Rectè ſi
quidem S. Gregorius 1. parte Curæ
„ Paſtoralis cap. 3. Sit rector opera
„ tione præcipuus, vt vitæ viam ſub-
„ ditis viuendo denuntiet: Et grex,
„ qui Paſtoris vocem moreſque ſe-
„ quitur, per exempla melius quàm
„ per verba gradiatur. Qui enim loci
„ ſui neceſſitate compellitur ſumma
„ dicere, hac eadem neceſſitate com-
„ pellitur ſumma monſtrare. Illa vox
„ namque libentiùs auditorum cor-
„ da penetrat, quàm dicentis vita com-
„ mendat: quia quod loquendo im-
„ perat, oſtendendo adiuuat vt fiat.
„ Econtrà ſocordia Præſulis peruer-
ſio & ruina eſt totius communitatis.
Vt aptè D. Leo Epiſtola 85. ad Epi-
ſcopos Africæ & profertur C. *Mira-
mur*. d. 61. *Totius*, inquit, *familiæ Domini
ſtatus, & ordo nutabit ſi quod requiritur in
corpore, non inueniatur in capite.* Multa ſuis
locis magnorum virorum, & lectiſ-
ſimarum mulierum exempla produ-
ximus, qui, quæque præiuerunt Eccle-
ſiæ ſuæ iter aperiendo ad Dei laudes
grauiter, decorè, venerabundè attente-
que peragendas.

6. *S. Dominicus exemplo eſt quomodo ſe debeant gerere in choro Eccleſiæ Præſules & alios excitare.*

Duo ſolùm ſeligam; Vnum propo-
nendum Aſceteriorum Antiſtitibus &
virorum religioſorum Præfectis, Alte-
rum monacharum Antiſtitis, & Par-
thenonum moderatricibus. Scribit
Theodoricus de Apoldia lib. 3. Vitæ
S. Dominici cap. 12. hiſce verbis. S. „
Dominicus poſt Completorium in „
Eccleſia permanebat orans vſque „
ad Nocturnas preces, quas & cum „
fratribus perſoluens cantabat ala- „
criter, & alta voce, ſolebat etiam „
per vtramque tranſire chori partem „
voce iubilante monens & inuitans „
fratres, vt pſalmodiam altè & diſtin- „
ctè depromerent. Rurſus lib. 6. cap. „
4. Preces, inquit, Horariæ ſtatis ho- „
ris abſoluebantur ſolemniter & di- „
ſtinctè, iiſque ſemper intererat D. „
Dominicus, diligenter in eam curam „
incumbens, vt pſallerent fratres ala- „
criter & deuotè. En Archipſaltem
egregium, & anteſignanum præſidum,
qui, ſi magna licet componere paruis,
inſtar apiculæ (cui alias reſides vrgen-
di, & compellendi ad opus cura ceci-
dit) munus ἐργοδιώκτου, id eſt, incen-
toris, & cenſoris in choro obibat.
Imitantur cœnobiarchæ, & monaſte-
riorum præfecti.

7. *S. Paula docet Abbatiſſas quomodo debeant ſuis*

Alterum, quod Sanctimonialibus, &
earum Moderatricibus ſeruiet, anti-
quius eſt, & refertur à D. Hieronymo
in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium:
In monaſterijs, inquit, virginum ſub „
diſci- „

monialibus in choro praire exemplo, & verbo admonere.

„ diſciplina Paulæ, quæ in opere &
„ cibo ſeparatæ, pſalmis & orationi
„ bus iungebantur poſt Alleluia can-
„ tatum (quo ſigno vocabantur ad
„ collectam) nulli reſidere licitum
„ erat, ſed prima (S. Paula) vel inter
„ primas veniens ceterarum operie-
„ batur aduentum, pudore, & exem-
„ plo eas prouocans ad laborem, non
„ terrore. Mane, horâ Tertiâ, Sextâ,
„ Nonâ, Veſpere, noctis medio per or-
„ dinem pſalterium canebant, &c.
„ Pauloſque poſt, ſi qua vel tardior ve-
„ niebat ad Pſalmos, vel erat in opere
„ pigrior, varijs eam modis aggredie-
„ batur: ſi erat iracunda, blanditijs: ſi
„ patiens, correptione, illud Apoſtoli
„ imitans. Quid vultis? In virga ve-
„ niam ad vos, an in ſpiritu lenitatis,
„ & manſuetudinis? Hæc S. Hierony-
mus. En Dux femina facti. Imitentur feminæ, non erubeſcant viri.

8. *Propheta Dauid ſollicitudinem, & ſtudium laudibus Dei celebrandis adhibendum ſuos docuit.*

Verùm enim verò, non tacendus nobis Pſalmorum, qui pars maior & potior ſunt diuini officij, conditor, & modulator, Dauid, in quem meritò omnes eccleſiarum Epiſcopi, & rectores ora, oculoſque conuertant, de cuius incredibili ſollicitudine, ſtudio, & contentione, in augendo Dei cultu laudibuſque eius celebrandis, multa extant paſſim in ſacrarum litterarum monimentis, ex quibus hæc excerpſiſſe ſufficiet. Sic ergo Siracides de eo commemorat, Eccleſ. 47. *In omni opere* (Dauid) *dedit confeſſionem ſancto & excelſo in verbo gloriæ.* Cuius hic eſt ſenſus: Dauid quæcumque tandem præclara patraret facinora, in omnibus miris Deum laudibus extollebat, odaria & carmina ad hoc pangens, quibus toto orbe terrarum longè lateque gloriam eius inclareſcere faceret, illum pronuntians, & canens magnam ſuam potentiam, illum perfugium ſuum, protectionem vitæ ſuæ, illum gloriam, lucem, ſalutem ſuam, Regem & Deum ſuum. Sequitur v. 10. & ſequentibus *De omni corde ſuo* (penitiſſimè, ſeriò, & ex animo, non languidè, ſed excitatè) *laudauit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam: Et ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos*, id eſt non ſatis habuit per ſe ſolum Dei mira beneficia efferre, Quin etiam, vt populum ad Dei præconia concinenda oblectaret, ordines cantorum; tibicinum, & fidicinum choros inſtituit, qui à ſe editos hymnos, ex aduerſo altaris poſiti perſonarent. Inſuper attemperauit ſuis carminibus gratos modulos, & concentiones, quo ſuauiùs audientium auribus vocum & organorum muſicorum Eurhythmia influeret. Progreditur Siracides; *Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque ad conſummationem vitæ, vt laudarent nomen ſanctum Domini, & amplificarent mane Dei ſanctitatem*; hoc eſt; Iſtuc ſumma ſuâ curâ conſecutus eſt Dauid, vt feſtis diebus, maximum decus, & ornamentum accederet, qui priùs quaſi inhonori vileſcebant: quin adeo illi cordi erat res diuina, eiuſque ſplendori, vt vſque ad extremam defectamque ætatem de ſupremi numinis cultu amplificando, condecorandoque numquam cogitare deſtiterit: ita vt ſtudio illius immoreretur: hanc vltimam ſuam voluntatem ſatis declarans vt pſaltæ ab ipſo initiati quot diebus, maximè prima luce ſanctiſſimũ, & inexplicabile Dei nomẽ deuenerarentur, & celebrarent: vt conſtitutũ fuerat 1. Paralip. c. 23. vbi Dauid dicitur, *Senex & plenus dierum, congregaſſe ſacerdotes & leuitas, & ſingulis ſua munia diſtribuiſſe*: & in fine capitis de Leuitis ſic ſcribitur, (Leuitæ conſtituti ſunt) *vt ſtent mane ad confitendum & canendum Domino, ſimiliterq; ad veſperam, tam in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in ſabbathis & calendis, & ſolemnitatibus reliquis, iuxta nu-*

9. *Explicatur locus Eccleſ. 47. de Dauide.*

metum & cerimonias vniuſcuiuſque rei iugiter coram Domino.

10. *Patres antiqui & canones crebrò inculcant Eccleſiæ præſidibus, vt diuino officio amplificando intendant.*

Iam verò Decreta & Canones Patrum nihil crebriùs indicant, quàm, vt qui Eccleſijs præſunt, omnem operam & induſtriam ſuam in hoc collocent, vt Diuinum Officium pro ſua dignitate perſoluatur. S. Ambroſius lib. de Fuga Seculi, prout refertur C. *Cui portio* 12.q.1. Sic ſcribit, „cui portio Deus eſt, nihil debet curare niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere; Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur. Altiùs hæc verba in pectus demittant, qui in ſpeculis excubant Eccleſiarum." B. Cyprianus Epiſtola 9. lib. 1. ad Clerum Furnenſem, & habetur. 21.q.3.c. „Hi qui, inquit, in eccleſia Domini ad ordinationem Clericorum promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, nec moleſtijs, & ſecularibus negotijs alligentur, nec ab altaribus, & ſacrificijs recedant, ſed die noctuque cæleſtibus rebus & ſpiritualibus ſeruiant." Hæc ibi.

11. *Monitum D. Syluestri ad Clerum.*

Notum eſt ex Metaphraſte in vita S. Syluestri, quæ habetur in tom.6. Surij, ſanctum illum Pontificem, cùm deprehendiſſet quoſdam in clerum & ſortem Domini adſcriptos fluxis huius vitæ intendere functionibus, legem tuliſſe vt ſacris initiati eas miſſas facerent, diuiniſque precibus, & muneribus vacarent, inſtillans eis illud Apoſtoli. Nemo militans implicatur negotijs, quæ ad victum pertinent, vt duci placeat exercitus. Et iſtud Dauidicum; Vacate & cognoſcite.

12. *Cur hebdomadæ dies S. Sylueſter voluerit ferias vocari.*

Hinc fuit, quod Sabbathi & Dominici diei nomine retento reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine iuſſerit appellari; quo indicaretur quotidie Clericos abiecta ceterarum rerum cura, vni Deo prorſus conſecrari, & ipſius obſequijs ſeruire debere, vt tradit Beda in libro de Temporibus capit.4. & alij paſſim. Norunt, ſi modò vnquam eccleſiaſticos canones legerunt, ſeuerè cautum à Clemente V. C. *Graui.* de Celebrat. Miſſarum, vt magiſtri Eccleſiarum ſollicitam adhibeant diligentiam, quo Diuinum Officium deuotè pſallatur, ſi Dei & Apoſtolicæ ſedis indignationem euitare voluerint. Idem ſtatutum per Innocentium III. in Concilio Lateranenſi C. *Dolentes* eodem, Idem à Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12.

14. *Radulph. Tungrenſis monitis de rebus circa officium diuinum Prælatos inſtruit.*

Radulpho Tungrenſi lib. de Canon obſeruan. præſertim propoſit. 6. & 7. Præpoſitis Eccleſiæ multa proponit, vt videlicet in officio diuino vitentur noui cantus, nouæ hiſtoriæ, nouæ lectiones, &c. quæ Patres non coluerunt, inculcans eis illud Apoſtolicum prioris ad Timoth. vltimo: *Depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates,* Eruditè autem hoc probat ex vtroque iure, ex Regula D. Auguſtini illis verbis, *Et nolite cantare niſi quod legitis eſſe cantandum &c.* Rurſus propoſit. 11. 12. 13. oſtendit omnia quæ in diuino officio cantantur debere eſſe approbata & authentica.

Ceterùm ſupplicibus votis & precibus exorandus Deus vt bonam mentem Eccleſiæ Præſidibus inſpiret, & Spiritum ſanctum ſuum de cælis demittat, quo ſuggerente ad munus ſuum ſtrenuè obeundum impellantur, ita vt omnem curam, operam, & ſtudium, diuinis officijs decenter celebrandis impendant. 14.

15. *Operis clauſula & ad Deum pro Clero oratio.*

Ego itaque poſtremus eorum, qui in ſortem Domini adlecti ſunt, ſub calcem mei operis bona verba profabor; Verba, quibus præſagio diuino à Dauide prædicitur, Salomon rex Deum deprecaturus pro illius temporis ſacerdotibus & miniſtris, exædificato toto orbe memoratiſſimo templo Pſal.131. *Sacerdotes*, inquit, *tui induantur iuſtitiam.* Pontifices, inquam, & alij

Digitized by Google

& alij præfecti, munus ſuum ritè exequantur; *Et ſancti tui exultent*; quod Hebraicè eſt, laudent te, & iubilent tibi in Pſalmis & Carminibus. Annuè votis meis è cælo, Deus, & quod olim viro ſecundum cor tuum factorum ſpopondiſti, cumulatius etiam præſta, Epiſcopis, Rectoribus, Myſtis, & Miniſtris noui & æterni Teſtamenti tui; Sacerdotes eius indue ſalutari, Iuſtitia, inquam, ſalutifera, & ſancti eius exultatione exultent, vt numquam laus tua in ipſorum ore deficiat. Amen.

Ad maiorem Dei gloriam.

FINIS HVIVS TRACTATVS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ HOC TRACTATV PRIMO CONTINENTVR.

Primus numerus indicat librum, alter caput, tertius vbi additur, numerum capitis.

A.

ABSOLVTIO quid ſignificet, quæ lectionibus ſacris præponitur. 1.30.59
Acœmeti Monachi numquam in ſuis monaſterijs pſalmodiam intermittebant. 1.1.7
Actionem procedentem ex intentione bona ſimul & mala, eſſe ſimpliciter malam, probabilius eſt. 3.17.7. & 8
Addere aliquid pium horis canonicis, dum priuatim recitantur, quale peccatum. 2.24.16
Addendo aliquid pium vel extraneum in officio publico chori, quomodo peccetur. 2.24.18
S. Adelhardi in diuino officio recitando attentio. 3.7.21
Alauda ſepties in die in altum ſubuolat, vt Deo canat. fol.73
Cur Flandricè dicta Leeuwerck. ibidem.

Alternus cantus.

Alterni cantus vetuſtatem oſtendunt antiqui Poëtæ Græci & Latini. 1.16.1
Non fuit in vſu apud Hebræos. 1.16.3
Eius primordia in Eccleſia primitiua; inſtitutio verò poſtea. 1.16.4
S. Dionyſ. lib. de Hierarch. Eccleſ. eius non meminit. 1.16.6
Alternus cantus toto orbe receptus. 1.16.8
Caſſianus huic non obſtat, ſed potius receptum oſtendit. 1.16.9
Auctores alterni cantus in Eccleſia qui 1.16.11
Alternis cantandi ritum Eccleſiæ Antiochenæ tradidit S. Ignatius. 1.16.12
Alternum cantum adumbrarunt Seraphini cantantes Sanctus, Sanctus, Sanctus. Iſaiæ 6 1.16.13
Quomodo Flauianus & Diodorus dici poſſint auctores cantus alterni. 1.16.15
Alternis canendi morem ſuis Conſtantinopolitanis legauit D. Chryſoſt. 1.16.16
Eundem morem in Eccleſiam Latinam videtur induxiſſe D. Ambroſ. 1.16.17. & ſeq.
Alternum Pſalmorum cantum S. Damaſus confirmauit, toti Eccleſiæ tradidit, ac præcepit. 1.16.19
Rationes, cur alternus cantus vſurpetur. 1.16.22. & ſequent.
Sophoniæ locus c. 3. pulchrè de cantu alterno explicatur. 1.16.29
Alternis pſallendo publicè & priuatim obligationi ſatisfaciunt Clerici. 2.22.2. & ſeq.
Alias etiam orationes obligatorias alterna-

Digitized by Google

ternatim recitare licitum. 2.22.4

Alternis recitans cum ſocio, qui ad Horas non tenetur, ſatisfacit Clericus obligatus. 2.22.9

An, qui alternis cum beneficiario recitat, cùm tamen non obligetur, attendere mente ad ea, quæ legit. 2.22.12

An is, qui alternis cum tribus vel pluribus recitat, teneatur ad omnes ſimul attendere. 2.22.14

Quis ordo & ritus ſeruandus, cum priuatim à pluribus alternis officium dicitur. 2.22.17 & ſeq.

Amen in officio diuino antiquus vſus, & ab Hebræis deriuatus. 1.30.76

Amen quid ſignificet. 1.30.77

Anachoretæ quidem totam noctem traduxerunt in orationibus. 1.21.9

Angelus.

Angelorum proprium munus Deum laudare. 1.

Angeli Eccleſiam multa circa pſalmodiam docuerunt. 1 cap. 1.10

Angeli ſæpe Deo hymnos cecinerunt. 1.13.8

Angeli ſuauiſſimè canunt Antiphonas. 3.8.22

Angeli duodecim Pſalmos canendos in vigilijs nocturnis ſuo exemplo docent. 3.8.24

Angelos monachorum verſus, quos pſallebant, ſcribentes, ſed diuerſimodè, vidit S. Bernardus. 3.8.15

Angelus ſignat in choro pſallentes. 3.8.27

Angelum in choro thymiama circumferentem ſub tempus pſalmodiæ vidit S. Bernardus. 3.8.29

Angeli locis ſacris præſident. 3.10.4

Angelorum in templo præſentia ſuadet reuerentiam. 3.16.10

Angeli pſallentibus aſtant. 3.21.2

Angeli cum S. Guduualo alternis officium recitant. 3.8.14

Anglia ritum cantus Eccleſiaſtici à Romano Pontifice Agathone accepit. 1.13.28

Antiphona.

Antiphona duo ſignificat, 1.16.20 & 29.46

Antiphona concordiam animorum in diuino officio canendo indicat. 1.16.30

Antiphona dum cantatur, ad deuotionis feruorem animus excitandus. 1.29.48

Antiphona ad Virginem matrem in fine officij. 1.30.81

S. Antonius ſuos ad pſalmodiam hortatur. 1.6.15

Apes ſepties in die murmure ſuo Deum laudarunt. 1.18.44

S. Apollinaris cum presbyteris die noctéque Pſalmos canebat. 1.6.6

Apoſtoli locus 1. ad Corinth. 14. *Si orem lingua*, fusè explicatus. 1.27.16

Attentio in oratione.

Attentio in oratione alia interior, alia exterior, & quid vtraque ſit, 2.31.3

Attentio alia ad verba, alia ad verborum ſenſum, alia ad Deum, &c. 2.31.4

Attentio alia formalis, alia virtualis & quid vtraque. 2.31.9

Attentio eſt eſſentialis orationi mentali. 2.31.12

Attentio vel formalis vel ſaltem virtualis eſt de ſubſtantia orationis vocalis. 2.31.13

Attentio quælibet ex tribus ſufficit ad honeſtatem orationis vocalis. 2.32.1

Attentionum inferiorum modis tamquam gradibus vti, ad ſupremum, conſilij eſt. 2.32.4

In excluſione tamen ſupremæ attentionis nullum per ſe loquendo eſt peccatum. 2.32.6

Requiritur in horis ſemper aliqua attentio ſaltem in actu exercito ad verba. 2.31.7

Attentio in pſalmodia maximè probatur, quæ eſt ad verborum ſenſum, &c. 2.31.8

Quæli-

Quælibet attentio ſufficit ex tribus ad impletionem præcepti de Horis. 2.32.9
Quælibet attentio non ſufficit ad quodlibet orationis fructus. 2.32.10
Sine attentione orare eſt peccatum. 2.33.2
Attentionem tenetur quis ſub mortali adhibere, quando ſub mortali tenetur orare. 2.33.8
Attentionem ſolùm externam præcipi C. *Dolentes* probabile eſt. 2.35.6
Verius tamen præcipi veram & internam. 2.35.9
Omnem attentionem tollunt quædam actiones externæ in pſalmodia. 2.37.12.13
Vnde talibus occupari peccatũ mortale. 2.37.15
Attentio neceſſaria non tollitur, dum quis ſe induit, manus lauat, &c. 2.37.16
Quænam attentio ſufficiens & neceſſaria in horis legendis. 2.37.17
Attentionem Dei oraculis adhibendam ſignificabat Moſes iuſſus deponere calceamenta. 3.18.5
Attentionem tempore orationis paſſim inculcant SS. Patres. 3.18.6
Attentione carens oratio non eſt vera oratio. 3.18.12
Attentionem poſtulat Dei, cum quo in oratione agimus, excellentia. 3.18.13
Sine attentione non percipitur deuotio. 3.18.14. & cap. 19.20
Attentio vim orationi tribuit. 3.18.16
Attentionem quæ excitare valeant. 3.18.17.
Vide plura v. *Diſtractio*
S. Auguſtinus ſuauiſonis Eccleſiæ cantibus ad deuotionem mouebatur. 1.13.40.

B.

BEatorum proprium munus Deum laudare. pag. 1. & ſeq.
V. Beda canens hymnum glorificationis mortuus eſt. 1.30.38
Benedictio cur petatur ante lectiones ſacras. 1.30.60
Benedicendi humilis ratio quid in Horis Canon. ſignificet. 1.30.61

Beneficium, Beneficiarius.

Beneficiarij Clerici pſalmodiæ deputati in choro pſallere tenentur. 2.1.8
Beneficiarij quando, & quomodo peccent, ſi à choro abſint. 2.1.13
Beneficiarij à Choro excuſantur, qui ratione officij ad aliud miniſterium obligantur. 2.1.14
Beneficiarij iure canonico ad horas obligantur. 2.4.1
Non obligantur tamen iure naturæ præcisè loquendo, ſed ſolum ex hypotheſi. 2.4.3
Beneficium omne hoc tempore, etiam præſtimonium, habet onus annexum legendi horas. 2.4.10
Beneficium Regulare habens ad Horas tenetur. 2.4.24
Beneficia plura poſſidens ſemel quotidie horas legens, obligationi ſatisfacit. 2.5.3
Beneficium datur propter officium, quomodo intelligatur. 2.5.12
An beneficium tenue poſſidens ad Horas teneatur. 2.6.1. & ſeqq
Beneficium ab initio debuit eſſe tenue, vt huiuſmodi excuſari poſſit. 2.6.12
Beneficiarij qui ſine culpa ſua fructus nullos recipiunt, nec recepturi ſunt, ab Horis excuſantur. 2.7.1. & ſeq.
An beneficiarius primis annis ex beneficio ſuo nihil fructuum recipiens ad Horas obligetur. 2.7.4
An is, qui alteri beneficium in fauorem ſuum reſignanti, omnes fructus loco penſionis reſeruauit, ad Horas teneatur. 2.7.10
An beneficia metu parentum acceptantes adoleſcentes, teneantur. 2.7.11.13
Beneficiarius ad Horas non tenetur per

per ſolum ius ad rem. 2.8.1
Beneficiarius non tenetur, qui ſpe caret poſſeſſionis adeundæ. 2.8.3
An beneficiarius teneatur ad Horas à die acceptatæ collationis, an ſolùm aditæ poſſeſſionis. 2.8.4
Beneficiarij miniſteria ſua non præſtantes ſæpe eadem poſtea ſupplere tenentur. 2.12.16
Beneficiarius in ſacris Horas omittens duplex peccatum committit. 2.21.1
Probabile tamen eſt peccare vnico peccato, ſi ſolùm vno vel altero die omittat. 2.21.2
Beneficiarius choro addictus ſuam partem non canens, ſed tantùm ſubmiſsè recitans, quomodo peccet. 2.23.1
Vide plura v. *Reſtitutio* & *Diſtributiones.*
Beſtiæ cantu mulcentur, & paſcuntur lætiùs. 1.13.39
S. Bonifacius Canonicas preces obſeruat. 1.6.24
Braſili muſico concentu ad fidem traducti. 1.13.42

Breuiarium.

Iure nouo vbique ab omnibus Breuiarium Pij quinti recitandum, niſi vbi aliud ducentis annis antiquius receptum fuit. 2.13.2
Breuiarium aliud recitantes peccant mortaliter. 2.13.5
Ad Breuiarij noui receptionem ſufficit, vt maior Capituli pars conſentiat. 2.13.7
Breuiarium mutante Eccleſia Metropolitana ordinariè etiam mutare debent Eccleſiæ ſubiectæ. 2.13.8
Iure antiquo in recitando Breuiario annis ducentis antiquiore conformare ſe quiſque debet ſuæ Eccleſiæ. 2.13.10
Quod Breuiarium iure antiquo recitare debeant titulo patrimonij ordinati. 2.13.12
Quod Breuiariũ recitare debeat duabus in Eccleſijs beneficiatus. 2.13.14
Quod Breuiarium recitabit, qui verſatur in ſtudijs. 2.13.15
Quod item, qui cùm ſit Regularis, præpoſitus eſt Eccleſiæ ſæculari. 2.13.16
An Breuiarium Romanum priuatim liceat recitare. 2.13.17 & ſeq.
Quomodo peccet qui ſuo relicto, vtatur Breuiario alieno, ſed ducentis annis antiquiore. 2.13.21
Breuiarium neſciens legere quomodo peccet ordines vel beneficium recipiens. 2.38.28
Breuiarij defectus quomodo ab horis legendis excuſet. 2.39.6
Diſcrimen quoad peccatum inter carentem Breuiario cum culpa, & ſine culpa. 2.39.7
An iam poſt reformatum Romanum Breuiarium valeat priuilegium alio vtendi, vel aliquid in eo mutandi, in ijs, qui illud receperunt. 3.25.23

C.

S. *Cæleſtino* cum fratribus diuinum officium pſallente Angelorum voces & campanarum pulſus audiuntur. 3.8.5

Cantus, Cantor, &c.

Cantum rectè adhiberi diuino officio oſtendit ſcriptura. 1.13.3
Cantus tædium orationis vocalis leuat. 1.13.20
Cantu animus reficitur. ibidem
Cantu morum præcepta cur tradiderunt veteres. 1.13.21
Cum cantus voluptate Pſalmorum fructus animis noſtris illabitur. 1.13.22
Cantus magnam cum natura noſtra habet conuenientiam. 1.13.24
Cantu graui in animis vulgi Dei cultus augetur. 1.13.25
Cantui Eccleſiaſtico componendo vel corrigendo ſancti & eruditi viri intenderunt. 1.13.17

Digitized by Google

Cantus Eccleſiæ animis pios affectus ingenerat. 1.13.37. & 40
Cantu ſonoro & claro profitetur Eccleſia ſe fidei myſteria non erubeſcere. 1.13.44
Cantus harmonia moderationem animo ſignificat adhibendam. 1.13.46
Cantu Dei laus & oratio rectè promitur. 1.13.47
Cantica primorum Chriſtianorum ſobria & grauia. 1.14.1
Cantus Eccleſiæ primitiuæ ſimplex & planus. 1.14.2
In cantu Romana Eccleſia medium tenuit. 1.14.4
In cantores clamoſos D. Hieronymi inuectiua. 1.14.33
Canticum quid. 1.29.23
Cantorum vita ſymphoniæ vocis reſpondere debet. 3.21.20
Cantor ob præclaram vocem vanâ gloriâ tentatus diuinitus raucelcit. 3.22.5
Cantores vanam gloriam è cantu venantes inſipienter pſallunt. 3.22.7
Cantorum Collegia in veteri lege. 1.2.4
Quale peccatum plus cantu, quàm re, quæ cantatur, delectari. 1.14.12
Cantorum multiplex diſſolutio in choro ab Humberto notatur, & corrigitur. 3.22.10
Cantoribus vitanda leuitas, inquietudo, diſſolutio, & tumultus in choro. 3.22.11
Vide plura v. *Muſica*, v. *Pſalmodia*.
Capitula in Horis quid, & ipſorum antiquitas 1.30.68
Carolus Magnus pſalmodiam ſanxit. 1.5.9
Carolus Magnus die nocteque pſalmodiæ canonicæ aderat. 1.6.26
S. Carpus media nocte ad Hymnos canendos ſurgebat. 1.6.5
Capellaniam obtinens collatiuam ad Horas tenetur. 2.4.12
Inter Capellaniam collatiuam, & non collatiuam quod diſcrimen. 2.4.14
Capellaniam obtinens, cui per ætatem ſeruire non poteſt, ad horas obligatur. 2.4.15
Cauda hoſtiæ præcepto legis iuſſa offerri, quid ſignet moraliter. 3.5.5

Chorus.

Chori Caſtrorum Cantic. 7. cantum ſignificant Eccleſiæ militantis. 1.1.3
Chori pars vna cur ſtet, altera verò ſedeat tempore pſalmodiæ. 1.1.4
Chori vſus antiquiſſimus. 1.11.1
Chorus vnde dictus. 1.11.2
Chorus olim habebat imaginem coronæ. 1.11.5
In choro pſallendi Horas Canon. vſus laudabilis. 1.11.7
Sine choro rectè Religio inſtitui poteſt. 1.11.9
A choro Societas Ieſu eximitur Pontificum indulto. 1.11.10
Chorus probatur exemplo Eccleſiæ primitiuæ. 1.11.12
Chori inſtituendi multiplex ratio. 1.11.17
Ad chorum tardè venire, & citò inde exire, quale peccatum. 2.25.1
In ſerò ad chorum venientes quid ſtatuerint ſancti olim Patres. 2.25.5
A choro quæ cauſæ excuſent. 2.25.6
Ad chorum ſerò veniens, in Horis recitandis quomodo ſe geret. 2.25.7
Ad chorum olim tardè venientes monachi, ab Abbate plectebantur pœna religioſa. 3.11.7
Non egrediendum choro ante finem officij. 3.11.9
Chori neceſſarijs miniſterijs occupatus quomodo excuſetur à repetendo ea, quæ non cecinit, vel non audiuit. 2.25.13
Vide v. *Pſalmodia*.
Chriſtus cum S. Cœleſtino, & S. Catharina Senenſi Pſalmos cecinit. 3.8.3.4
Chriſtus alapa percutit monachum ſub tempus pſalmodiæ dormire aſſuetum. 3.9.5

Digitized by Google

Cithara vſus in officio diuino olim ab Eccleſia proſcriptus. 1.15.10
Vide *Muſica inſtrumenta*.
Clamor in pſalmodia nimius vitandus. 3.22.8
Clamoribus Cantorum ſaccum ſuum dæmon implet. 3.22.9
Vide *Muſica*.

Clericus.

Clerici tenētur ad Horas, etiamſi cenſura ſint irretiti. 2.2.9
Clerici ad triremes condemnati quomodo ab Horis excuſentur 2.2.13
An Clerici teneantur graui metu ordinati. 2.2.15
Clerici an obligentur ante annos pubertatis ordinati. 2.2.17
Clerici an teneantur, cum quibus diſpenſauit Papa vt matrimonium contrahant. 2.2.19
Clerici minores ad Horas non tenentur. 2.2.22
Imò, nihil iure, vel conſuetudine obligante recitare tenentur. 2.2.27
Clericos huiuſmodi quando & quomodo poſſit Epiſcopus ad aliquid recitandum obligare. 2.2.28.
Clericus non debet ſuſcipere officium, cui occupatio annexa ſit ordinariè Horarum lectionem impediens. 2.39.3
Clericus vitioſa ſyncopa in doxologia perſonam filij præteriens diuino miraculo corrigitur. 3.8.2
Coadiutor beneficiarij quis ſit. 1.4.25
Is non tenetur ad Horas. 2.4.26
S. Coleta ſtudium in Horis legendis. 3.7.9
Eius facies inter pſallendum micabat. 3.7.10
Ex Angelica melodia diſcit, quomodo diuinum officium pſallendum. 3.8.8

Collecta.

Collecta ſiue oratio quid contineat. 1.29.49
Eius ſignificatio quadruplex. 1.29.49. & ſeqq.
Cur collectæ præmittatur Oremus. 1.29.50
Collectarum antiquitas. 1.29.55
Commendatarius ad Horas tenetur. 2.4.20

Completorium.

Completorium vnde dictum. 1.29.1
Completorij lectio breuis vnde ſumpſerit originem. 1.29.2
Completorium, ſi rem ſpectemus, ab initio Eccleſiæ vſitatum fuit. 1.29.4
Completorij nomen primùm inuenitur in Regula D. Benedicti. 1.29.7
Completorij tempus proprium pſallendi eſt crepuſculum veſpertinum. 1.29.11
Completorij inſtituti rationes. 1.19.20
Completorij myſteria. 1.29.21
Completorio adeſſe fructuoſum ob decem rationes. 3.3.8
Poſt Completorium ſeruandum ſilentium. 3.5.10
Completorium admonet nos finis vitæ. 3.5.20
Confeſſio generalis peccatorum cur fiat ad Primam & Completorium. 1.30.80
Cubiculum quod ingrediendum tempore orationis iuxta Chriſti conſilium. Matthæi 6. 3.10.17

D.

Dæmon

DÆmon viſus ſacco imponere verba, quæ monachi inter pſallendum truncauerant. 1.14.30. & 3.20.9
Dæmonem Eccleſiæ miniſtros à pſalmodia abſtrahere varijs exemplis oſtenditur. 3.11.10
Dæmon Pſalmis oppugnatur. 3.13.21
Dæmon nititur omni arte pſalmodiam è medio tollere, vel pſallentes diſtrahere. 3.19.4

Dæmon applaudit vanam gloriam è cantu captanti. 3.22.3
Dæmon ſaccum ſuum implet cantorum clamoribus. 3.22.9
Cur dæmon nos tempore orationis infeſtet. 3.19.8
S. Damaſus quid circa pſalmodiam præſtiterit. 1.7.4
S. Daniel Tertiam, Sextam, & Nonam Horas præſignificauit. 1.2.8

Dauid.

S. Dauid Collegium Cantorum magnificum inſtituit & auxit. 1.2.5. & 3.27.9
Idem Horas Canonicas præſignauit. 1.2.6
Dauid & Pſalmos compoſuit, & eoſdem à pſaltis cani præcepit. 1.13.4. & 27.8
Idem Pſalmos primus condidit. 1. 29.25
Dauid prædixit Pſalmos ſuos vbique gentium in Eccleſia decantandos. 3.13.15
Dauid quomodo citharæ ſono Saulis malum fugarit ſpiritum. 1.13.36
Dauid latro poſtea monachus extra pſalmodiam mutus. 3.8.18
Defunctorum in funeribus veteres vigilabant. 1. 31.10
Eoſdem etiam in illis Pſalmos cantabant, quos modo vſurpamus. ibidem.
Deſerti encomium & ſolitudinis, tempore orationis. 3.10.13.& ſeq.
Deus peculiariter præſentior eſt locis ſacris, quàm alibi. 3.10.2
A Deo incipiendum, in Deo finiendum. 3.5.7

Deus in adiutorium.

Cur hic verſus præmittatur Horis. 1. 30.16
Vnde fluxerit origo hunc verſum præmittendi. 1.30.17
Verſu hoc pronuntiato fugantur dæmones. 1.30.18
Vis & encomium huius verſus ex Caſſiano. 1.30.19

Deo gratias.

Cur Lectionibus ſubijciatur. 1.30.63
Cur toties in Horis iteretur. 1.30.64
Illius encomium. 1.30.65
Verbis hiſce ſe mutuo olim ex conſuetudine monachi ſalutabant. 1. 30.66
Diaconi & Hypodiaconi ad Horas lege ſcripta non tenentur. 2.2.2
Olim ante lectiones ſilentium inducebant. 1.29.39
Olim in templis fabulantes notabant. 3.15.19

Dies.

Diem artificialem veteres diuidebant in quatuor ſtationes. 1.23.3
Stationum harum ſingulæ tribus horis inæqualibus conſtabant. ibid.
Nomen accipiebant ab hora, in qua finiebantur. ibidem.
Dies quatuor inſignibus Horis diſtinguitur. 1.24.1
Diſciplina pſallendi conſiſtit in ſeptem. 3.21.5

Diſcrimen.

Diſcrimen inter Horas diei naturalis & artificialis. 1.23.2
Diſcrimen inter Pſalmum, Hymnum, & Canticum. 1.29.12
Diſcrimen inter ſolutionem rei temporalis, & ſpiritualis. 2.5.13
Diſcrimen inter debita legalia, & iuſtitiæ. 2.5.14
Diſcrimen inter obligationem ad Miſſas ſoluendas, & Horas Canon. 2. 5.15
Diſcrimen inter obligationem ad Horas ratione voti, & ratione beneficij. 2.5.16
Diſpenſatio Romani Pontificis quomodo liberet ab Horis legendis. 2. 39.12
Non diſpenſat propriè hac in lege Epiſcopus. 2.39.15
Diſpenſare poſſe Prælatum Regularem cum ſubditis ſuis hac in lege ex

Digitized by Google

cauſa,ſi ſacris non ſint initiati,verius eſt. 2,39,18.& c.3.13
Vide *Prælatus.*

Diſtractio in oratione.

Diſtractio voluntaria nullum erit peccatum,ſi quis verba orationis ſolùm materialiter velit recitare,non verò orare. 2.32.5
Diſtractio voluntaria in oratione ſpontanea ſolùm eſt peccatum veniale. 2.32 6
Quæ diſtractio ſit inuoluntaria, quæ verò voluntaria tacitè vel expreſsè, & quale peccatum. 2.32.9
Diſtrahi ſponte in Horarum lectione peccatum mortale. 2.35.19
Fit tamen hoc veniale vel ratione leuitatis materiæ,vel defectu perfectè voluntarij. 2.35.20
Diſtractum ſponte in horis legendis probabile eſt non teneri repetere. 2.36.2
Nec fructus reſtituere, ſi beneficiarius ſit. 2.36.3
Probabilius tamen eſt talem & debere repetere,& fructus reſtituere.2.36 4
Diſtractum ſponte in choro pſallere mortale eſt. 2.35.19. & c.37.2
Excuſantur tamen,qui tempore pſalmodiæ neceſſarijs chori miniſterijs intendunt. 2.37.3
Sponte diſtrahi tempore pſalmodiæ publicæ,cum propoſito tamen priuatim repetendi, quale peccatum. 2 27.4. & ſeqq.
An tunc ad aliquam reſtitutionem ſit obligatio. 2.27.9
Diſtractiones, dum eſt pſallendum, ante templi fores relinquendæ. 3.7.22
Diſtractionem in pſalmodia ſibi diſplicere Deus oſtendit miraculo. 1.14 27
Diſtractionum, tempore orationis, cauſæ. 3.16.1
Ob diſtractiones contra voluntatem occurrentes non intermittenda oratio. 3.19.3
Diſtrahi ſe orationis tempore viri ſancti paſſim ingemiſcunt. 1.19.6
Quidam Anachoreta in pſalmodia numquam diſtrahebatur. 3.19.7
Contra diſtractiones remedia, ſedula ad orationem præparatio. 3.19.10
Item humilitas,diuinæ præſentiæ conſideratio,pij alicuius argumenti meditatio, occaſionum diſtrahentium fuga. 3.19.11
Diſtractio,etiam inuoluntaria, multa adfert incommoda. 3.19.15
Diſtractionis inuoluntariæ tempore non augetur meritum gratiæ vel gloriæ. 3.19.16
Diſtractio tantùm venialis facit, vt oratio nec ſit meritoria, nec ſatisfactoria,nec impetratoria. 3.19.17
Vide v. *Attentio.*

Diſtributiones.

Diſtributionibus beneficiarij non priuantur,quando veniunt ad chorum ante finem primi Pſalmi.2.19.21. & c.25.3
In diſtributiones iure communi beneficiarius ius non acquirit, niſi cum alijs canat. 2.23.9
Diſtributionum tamen mediam partem illi deberi ratione præſentiæ probabile. 2.23.12
Diſtributiones ſola præſentia ſua lucrari beneficiarios in Eccleſijs, vbi per vicarios officium pſallitur vel aliter probabile. 2.23.13
Vt hæc conſuetudo iuſta ſit, quædam requiruntur. 2.23.20
De diſtributionibus loquens Trident. explicatur. 2.23.23
Iniuſta ſunt Eccleſiarum decreta; quibus ſtatuitur vt quis vna hora præſens lucretur totius diei diſtributiones. 2.23.26
Ad diſtributionum reſtitutionem tenentur qui abſentes à choro eas receperint. 2.23.27

Digitized by Google

Quid ſit colluſio & remiſſio prohibita in diſtributionum receptione. 2.23.27

Dominica oratio.

Dominica oratio cur horis præmittitur. 1.30.1

Dicitur ex præcepto in diuino officio, 1.30.2

Cur dicatur aliquando ſecretò, aliàs alta voce. 1.30.5.&.6

Domine, labia mea aperies, &c.

Verſiculi *Domine labia* &c. explicatio. 1.30.11

Eiuſdem encomium. 1.30.13

Melius inchoatur matutinum per illum, quàm per *Deus in adiutorium* &c. 1.30.14

Cur ſigno Crucis os munimus, cùm illum dicimus. 1.30.15

Dominus vobiſcum.

Salutationis illius antiquus vſus. 1.30.72

Non dicit illam, niſi ſit diaconus ſaltem, nec Presbyter excommunicatus. 1.30.73

Dominus vobiſcum dicit ſolus recitans Horas, & quæ huius ratio. 1.30.75

S. Dominici in precibus horariis deuotio. 3.7.8

S. Dominicus alacriter Horas cantabat. 3.21.7

Idem exemplo ſuo religioſos ſuos ad pſalmodiam alacriter peragendam excitabat. 3.27.6

Dormitans in choro vel horis dicendis, quomodo peccet. 2.25.9

Dormitabundus in vigilijs nocturnis monachus à dæmonibus terretur. 3.9.4

Vide *Somnolentus.*

E.

Ecleſiaſtici 47. locus de Dauide fusè explicatur. 3.27.9

Eccleſia.

Eccleſia militans nouem choris Deum laudat. 1.1.2

Eccleſiæ militantis & triumphantis in Dei laudibus celebrandis concordia. 1.1.3.& c. 18.6

Eccleſia non præcipit ſolas orationes internas. 1.9.6

Semper damnauit gentilium & hæreticorum profana carmina. 1.14.20

Cur miniſtris ſuis aſſignauit certa orandi tempora. 1.18.3

Eccleſia preces ſuas nocturnas more vigiliarum militarium inſtruxit. 1.21.2

Eccleſiarum diuerſa fuit conſuetudo in nocturnis vel diuiſim vel coniunctim canendis. 1.21.11

In Eccleſijs extra tempus neceſſitatis Horæ canendæ, cùm publicè à beneficiarijs dicuntur. 2.28.10

Eccleſiam poſſe præcipere actus merè internos probabile eſt. 2.35.15

Non præcipit actus internos directè, ſed ſolum indirectè. 2.35.16

Enos Geneſ. 4. ſolennem & peculiarem Dei cultum inſtituit. 1.12.4

Epiſcopus an, & quando pſalmodiæ in choro adeſſe teneatur. 2.1.10

Epiſcopis à Trident. cura demandatur fabulas à templis arcendi. 3.15.22

Vide v. *Prelatus, &* v. *Diſpenſatio.*

S. Euthymius attentè officium diuinum perſoluit. 1.6.18

Examen poſt Horas lectas.

Examen de ſucceſſu poſt lectas horas inſtituendum. 3.23.1

Conſiſtit hoc in quatuor. 3.23.2

Examinandi defectus, ſi qui in recitando contigerint. 3.23.4

Aggæi locus ad hoc propoſitum ex c. 1. explicatus; *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras*, &c. ibid.

De noxis leuioribus dolor concipiendus. 3.23.5

Agendæ Deo gratiæ, & preces noſtræ coniunctæ ardentiſſ. Chriſti orationibus Deo Patri offerendæ. 3.23.12

Digitized by Google

Orandus Deus vt ſemen ex lectis horis in nobis ſuſceptum foueat. 3.23.13
Excommunicatus Clericus non debet cum alio, vel in Eccleſia Horas dicere. 2.2.10
Excommunicatus ſacerdos non fit irregularis in Horis dicendo, *Dominus vobiſcum* priuatim. 2.2.11
Imo forte nullo modo peccat. 2.2.12

Excuſatio ab Horis.

Excuſat ab Horis legendis grauis corporis infirmitas. 2.38.3
Excuſantur muti, & alij qui pronuntiare non poſſunt. 2.38.20
Non excuſatur ſurdus per ſe loquendo. 2.38.21
Cæcus quomodo excuſetur. 2.38.22
Excuſat inculpata iuris ignorantia, quando datur. 2.38.25
Excuſat probabilis metus mortis, vel grauis mali. 2.38.31
Interdum tamen non excuſat. 2.38.32
Excuſat neceſſaria occupatio ex officio vel caritate ſuſcepta. 2.39.1
Vide v. *Hora*, *Morbus*, *Diſpenſatio*, *Breuiarium*, *Subdiaconus*.

F.

Fabrica beneficiorum quæ. 2.11.20
Fabulas in templo prohibent antiqua Concilia. 3.14.20.& ſeq.
Fauere linguis quid apud Gentiles ſignificaret. 3.16.26
Fidelium animæ &c. quid nos in Horis moneat. 1.30.79
S. Franciſci in pſallendo reuerentia. 3.7.7
Ipſo iubente auiculæ à garritu ceſſant, cum ſocio recitat. 3.9.7
S. Franciſci Xauerij pietatis ſenſus in diuino officio recitando. 3.7.15
Ferias cur vocarit Hebdomadæ dies S. Silueſter. 3.27.13

G.

S. Gallus moribundus matutinum officium legit. 3.7.18.& 1.6.20
Gallus mane ſub auroram cantans nos ad Dei laudes celebrandas excitat. 3.3.2
Gentiles ſelectos habuerunt ſacrorum ſuorum miniſtros. 1.12.1
Gentiles Deum mane adorandum oſtenderunt. 3.3.6
S. Germani Pariſienſis Epiſcopi in pſallendo ſedulitas. 3.7.16

Gloria Patri, &c.
Glorificatio

Glorificatio SS. Trinitatis cur verſum, *Deus in adiutorium* &c. ſubſequatur. 1.30.21
Subiungitur Pſalmis, vt cantus Eccleſiæ militantis conformetur Laudi triumphantis. 1.30.23
Eſt ea pars pſalmodiæ præcipua. 1.30.24
Eſt legis nouæ propria. 1.30.25
Diſtinguitur per illam fides noſtra ab errore Paganorum & Arianorum. 1.30.26
Glorificationis ſeu doxologiæ pia expoſitio. 1.30.27
Glorificationis forma, ſi res ipſa ſpectetur, in ſcripturis continetur. 1.30.28
Eius antiquitas. 1.30.29
Præceſſit Conc. Nicænum. 1.30.31
Vt in fine Pſalmorum adderetur, Damaſus inſtituit. 1.30.34
Varius in ea cantanda Eccleſiarum mos. 1.30.25
Glorificationi addidit Nicenum appendicem; *Sicut erat in principio*, &c. & quare. 1.30.36
Senſus iſtius appendicis quis? 1.20.36
In glorificatione quædam varietas. 1.30.37
Huius amator præcipuus fuit P. Nicolaus Serarius. 1.30.39
In glorificatione perſonam filij vitioſa ſynco-

ſyncopa præteriens Clericus diuino corrigitur miraculo. 3.8.2
Deo placere, ſi ad eam caput inflectatur, exemplis varijs oſtenditur. 3.12.15
Graduales Pſalmi qui. 1.31.11
S. Gregorius Thaumaturgus totam noctem in hymnis peruigilat. 1.6.9
Mater *S. Gregorij Nazianz.* nocturnæ, diurnæque pſalmodiæ vacat. 1.6.10

H.

Hæretici.

HÆretici multa in horis canonicis calumniantur, ſed refutantur. 1.27.1
Hæretici olim Pſalmos à ſe compoſitos pſallebant. 1.29.11

Halleluia.

Halleluia cur glorificationem ſequatur. 1.30.40
Illius antiquitas. 1.30.43
Infantes olim illud cantillabãt. 1.30.44
Erat olim teſſera conueniendi ad Eccleſiam. 1.30.45
Romæ frequens illius vſurpatio. 1.30.46
Canebatur vbique à Paſcha ad Pentecoſten; diebus verò Quadrageſimæ intermittebatur. 1.30.47
Vnde fluxerit eius vſus. 1.30.48
Quare tempore Septuageſimæ intermittatur. 1.30.50
Halleluia decãtatum præſagium euertendi templi Serapidis. 1.30.51
Halleluia præter Dei laudem ſignificat iubilum mentis, & cæleſte gaudium. 1.30.52
S. Hermannus Angelos in choro tempore pſalmodiæ fratribus thus miniſtrantes vidit. 3.8.11
Hiericho excidium tribuitur orationi publicæ. 1.11.25
Hoc age, quid apud veteres. 3.16.29
S. Homboni pietas Horas Canonicas frequentantis miraculo diuinitus comprobatur. 3.7.27

Horæ Canonicæ.

Horæ Tertia, Sexta, Nona apud Hebræos orationi dicatæ. 1.2.10
Horas Canonicas, & earum myſteria Patres Antiqui paſſim inculcant. 1. à cap. 4. ad 5.
Earum meminerunt paſſim antiqua Concilia. 1.5.1. ad 7
Eas nec Pelagius, nec Hieronymus, nec Damaſus inſtituerunt. 1.7.2. ad 4
Horæ Canonicæ ſimul ortæ cum Eccleſia Chriſti. 1.7.11
Non fuit ab initio lata lex ab Eccleſia, quà cani præciperentur. 1.7.16
Horæ Canon. cur dictæ officium diuinum. 1.8.2
Horæ Canonicæ cur ſic dictæ. 1.8.6
Semper orat, qui illis intereſt. 1.8.7. & 18.4
Horæ Canonicæ opus Dei, & quare. 1.8.8
Illas negligenter recitans, Domini opus fraudulenter facit. 1.8.11
Horarum canonicarum definitio; &c. 1.8.82. & ſeqq.
Horæ canon. ſunt oratio vocalis. 1.9.1. & ſeqq.
Simpliciter tantùm ſunt ſeptem Horæ Canon. 1.17.13. & ſeqq
Apud Monachos olim erant octo. 1.17.22
Quinque cauſæ inſtitutionis earumdem. 1.18.5. & ſeqq.
Inſtitutæ ſunt, vt iugis beneficiorum Dei memoria noſtris in mentibus perſeueret. 1.18.7
Ignis deuotionis ſopitus illis accenditur. 1.18.8
Horæ cantandæ ordinariè illis temporibus, quibus populus frequentior adeſſe ſolet. 1.18.12
Peractæ debito tempore magnum decus Eccleſiæ pariunt. 1.18.14
Horis diurnis deſcribitur tempus vitæ actiuæ ſicut nocturnis vitæ con-

tem-

Digitized by Google

templatiuæ. 1.18.20
Horæ S.Crucis myſteria ſeptem Redemptionis & Paſſionis Chriſti deſcribunt. 1.18.42.& 3.4.5
Horæ canon.aliæ diurnæ,aliæ nocturnæ. 1.19.1
Sunt tamen omnes abſolutè loquendo diurnæ. 1.19.3
Horæ Canonicæ aliæ Matutinæ, aliæ Veſpertinæ. 1.19.11
Audito ſigno ſtatim ad Horas Can. feſtinandum. 3.11.4
Vide v. *Pſalmodia, Officium, Tempus Horarum, Præceptum de Horis, Omiſſio Horarum.*
S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus ſemper Horis ſtatutis Horas Can. peragebat. 3.8.12
Hymnus, Hymnodia.
Hymnodia Chriſti in vltima Cœna qualis. 1.3.2.& 13.5
Hymnodia Pauli & Silæ qualis. 1.3.3.& 13.7.
Hymnus quid ſit. 1.13.6.& 29.15
Hymnos SS.Patres compoſuerunt,vt populo Chriſtiano contra hæreticos eſſent præſidio. 1.13.23
Hymnorum antiquitas. 1.29.16
Hymnographi quinam præcipui. 1.29.21
Hymni non contemnendi,quamuis in ſcriptura non reperiantur. 1.29.22
Vide *Pſalmodia, Angelus, Hymnus, Te Deum &c.*
Hymnus, *Te Deum laudamus* &c. compoſitus a BB. Ambroſio & Auguſtino. 1.29.26
Eius antiquus in Eccleſia canendi vſus. 1.29.27
Deus miraculis oſtendit illum ſibi placere. 1.29.28
Angeli eo delectantur. 1.29.29

I.

IEremiæ cap.15.locus; *Si ſeparaueris pretioſum à vili* &c. explicatus. 3.17.17
S. Ignatius martyr Antiochenis ex viſione Angelica ritum alternis canendi tradidit. 1.16.11
S. Ignatij Loiola in Horis legendis lachrymæ. 3.7.14
Idem è Societate noſtra ſacerdotem à ſcrupulis mirè liberat. 3.24.8
S. Ildefonſum ad matutinas preces ſe accingentem Dei mater cæleſti veſte honorat. 3.7.28
Imaginum aſpectus pias excitat cogitationes. 3.10.6
Infirmitas humana non patitur hominem ſemper orare. 1.18.2
Indulgentia conceditur Minoribus à Leone decimo recitantibus officium ex libro. 3.25.15
Integrè recitandum officium canonicum multæ rationes ſuadent. 3.20.8
Intentio recta in pſalmodia.
Intentio orandi neceſſaria eſt, vt ſatisfiat præcepto de Horis dicendis. 2.34.1.
Sufficit tamen intentio orandi implicita. 2.34.8
Intentio præſtandi opus bonum in genere ſufficit ad præceptum de Horis implendum, quamuis ex circumſtantia vitietur. 2.34.9
Intentio recta ſignificatur per illud Pſalmi. 140. *Dirigatur oratio mea,* &c. 3.17.1
Item per illud Cantic. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum quaſi virgula fumi,* &c. ibidem.
Intentio in Horis duplex, vna intrinſeca, altera extrinſeca; iſta eſt ſubſtantialis orationi; hæc verò non. 3.17.4
Intentione vanæ gloriæ, vel ſimili ſatisfit præcepto de Horis, non eſt tamen oratio bona. 3.17.6
Intentiones bonæ generales vel particulares plures haberi poſſunt. 3.17.9.& ſeq.
Intentionis piæ occaſio ſumenda ex cuiuſque diei officio. 3.17.11

Digitized by Google

Intendens lucro vel honori pſalmodus ſimilis Hebræis vitulum adorantibus. 3.17.13
Intentionis prauæ quæ ſigna. 3.17.14
Intẽtio bona oculus ſimplex &c. 3.17.16
Vide, *Præceptum de Horis.*

Interruptio in Horis.

Interruptio non eſt diuiſio nocturni officij à Laudibus. 2.17.3
Hæc priuatim etiam abſque cauſa licet. ibidem.
Interruptio quale ſit peccatum, ſi pſalmodia à toto choro extraneis actionibus interrumpatur. 2.17.8
Quomodo peccetur ab eo, qui abſque cauſa extraneis colloquijs publicam pſalmodiam interrumpit. 2.17.9
Interruptio priuata Horarum ſine cauſa iuſta eſt veniale. 2.17.11
Interruptionem iuſta cauſa à peccato omni excuſat. 2.17.12
An officium neceſſariò repetendum, ſi interruptio per vnam vel plures horas duret. 2.17.16
Theologiæ Profeſſor quidam etiam interueniente Epiſcopo officium canon. interrumpere noluit. 3.20.4
S. Ludgerus etiam à Carolo Magno Imperatore vocatus noluit Horas interrumpere. 3.20.5
S. Iacobus Anachoreta rationes adfert, cur turpis ſit orationis interruptio. 3.20.6

Inuitatorium.

Inuitatorium quid, & Inuitatorius Pſalmus. 1.30.53
Dirigitur non ſolùm ad præſentes, ſed etiam ad Sanctos in cœlo. 1.30.54
Quomodo excitanda deuotio, cum canitur Inuitatorium. 1.30.55
Cur Inuitatorium ſequuntur Hymnus, Antiphonæ, Pſalmi, &c. 1.30.56
Iob locus cap. 35. *Qui dedit carmina in nocte*, explicatus. 3.2.10
Ioſepho Anchietæ Breuiarium miraculo redditur. 3.8.17
Iubilum quid ſit. 3.21.7
Iulianus Apoſtata Symmiſtas ſuos inſtituit, vt ritu Chriſtianorum ceſsis horis canerent. 1.6.11
Iuſtinianus Imperator de Pſalmodia celebranda legem tulit. 1.5.8

K.

K*Yrie eleiſon*, ſiue Litaniæ in officio diuino antiquitas. 1.30.70
Cur repetatur. 1.30.71

L.

Laudes.

LAudes olim pluribus in locis ſeparatim à Nocturnis canebantur, non tamen vbique. 1.21.14
Laudum tempus Canonicum eſt auroræ initium. 1.22.1. & ſeqq.
Laudes quare ſic vocentur, & quomodo in Iure accipiantur. 1.22.9
Laudibus Chriſti Reſurrectio recolitur. 1.22.10
Quid ſeruandum cùm Laudes à matutino ſeparatim leguntur. 2.17.4
Ad Deum laudandum decem nos prouocant rationes. 3.1.17

Lectiones.

Lectionum ſacrarum vſus in Eccleſia ab Hebræis deſcendit. 1.29.30
Earum inſtitutio ab Apoſtolis eſt. 1.29.31
Non ſolùm olim ex literis ſacris, ſed etiam ex Patrum homilijs, & Sanctorum geſtis ſumebantur. 1.29.33
Lectionum ordinem ex ſcriptura Gelaſius primus inſtituit. 1.29.34
Earumdem & Pſalmorum numerum Gregorius ſeptimus ordinauit. 1.29.35
Cur Pſalmis miſceantur. 1.29.36. & 3.14.21
Lectio ad meditationem præparat. 1.29.37. & 3.14.13
Lectionem audituri Cruce frontem ſigna-

ſignabant. 1 29.40
Eam olim audientes vel legentes ſtabant vel ſedebant. 1.29.41
Lectionum fructus. 1.29.42.& 3.14.9
Quid ſignificet lectionibus addita clauſula; *Tu autem Domine*, &c. 1.30.62
Lectiones ſacræ triplicis generis. 3.14.1
Per illas Deus nobis loquitur. 3.14.2
Illam viri ſancti & frequentarunt, & commendarunt. 3.14.3.12.& 13
Legenda & audienda, vt verbum Dei. 3.14.4
Mentem diuino lumine illuſtrat. 3.14.5
Affectum perfundit cæleſti dulcedine. 3.14.6
Exempla ſuggerit vitæ rectè agendæ. 3.14.8
Lectione Euangelij ad fidem conuerſus S. Chryſantus. 3.14.10
Lectione Actorum Apoſtolorum ad eamdem conuerſa S. Domna. 3.14.11
Lectione Euangelij audita S. Paulinus omnia ſua diſtribuit pauperibus. ibid.
Lectionis ſacræ officium. 3.14.13
Lectioni præmittenda oratio, vt cum fructu audiatur. 3.14.14
Audienda cum deſiderio eam opere complendi. 3.14.15
Legendum attentè, quietè, tractim. ibidem n.16
Eo ſpiritu legenda, quo ſcripta eſt. 3.14.17.
Legentis mens eſſe debet Dei obſequi inſpirationi. ibid. n.18
Lectionis particula in memoria condenda. ibid. n.19
Quomodo legendum optimè docet S. Hieronym. 3.14.20
Linea veſtis veteris legis ſacerdotum ſignificabat alienas cogitationes tempore orationis abijciendas. 3.18.2
Linea veſte vſi gentilium ſacrificuli. 3.18.3
Puritatem vitæ, morumque deſignat. 3.18.4
Litania. 1.31.13
Litanias legere tenentur aſtricti ad Horas diebus S. Marci Euangeliſtæ, & Rogationum. 2.26.15
Locus Pſalmodiæ.
Loco quolibet decente priuatim Horæ dici poſſunt. 2.18 7.& ſeq.
Ceteris paribus melius eſt officium recitare in locis ſacris quàm profanis. 2.18.10.& 3.10.1
Loci ſanctitas ſacro timore præſentes perfundit. 3.10.7
Oratio habita in locis ſacris & publicis valorem ab alijs ibidem orantibus. 3.10.8
Locus proprius orationis templum. 3.10.9
Locus ab omni ſtrepitu alienus pſalmodiæ priuatæ conuenit. 3.10.13
Loca ſolitaria viri ſancti orationis gratiâ frequentarunt. 3.10.14
Loco honeſto, non verò ſordido habenda pſalmodia. 3.10.18
Vide *Eccleſia*, *Oratorium*.
Lucernaris hora dicta veſpertina. 1.25.5
Lucernarium quid fuerit apud antiquos. 1.25.6.
S. Ludgerus monebat inter recitandum officium canon. aliud nihil agendum. 3.7.23
Idem vocatus à Carolo Magno officium canonic. interrumpere noluit. 3.20.5
S. Lutgardis, licet Pſalmos non intelligeret, cùm pſalleret tamen, dæmones fugabat. 1.27.11
S. Lutgardis ardor in pſallendo declaratus miraculis. 3.7.18
S. Lutgardis diuinitus ſcrupulis, quos inter legendum Horas patiebatur, liberatur. 3.25.5
Luxouienſe monaſterium olim ne momento quidem temporis à pſalmodia ceſſabat. 1.1.8
S. Mag.

M.

S. *Magdalena* ſepties in die audiuit Angelos Deum laudantes. 1.18.44

Malachiæ locus cap. 1. *Si offeratis cæcum*, &c. explicatur. 2.33.4

S. *Maria* ad Antiphonam *Salue Regina* decantatam ſe fratribus Prædicatoribus oſtendit. 3.9.18. & ſeq.

Se præbet ſpectandam tempore pſalmodiæ. 3.8.10. & ſeq.

S. *Matthæi* locus cap. 6. *Orantes nolite multum loqui* &c. explicatur. 1.18.14

Mathilda, & filius eius Otho primus Imp. diurnis, nocturniſque precibus adſunt. 1.6.27

Matutinum.

Matutina hora dici poteſt & diurna, & nocturna. 1.19.5

Matutino non lecto celebrare nullo modo eſt peccatum mortale. 2.16.8. & ſeq.

Matutino Miſſam præponere ex iuſta cauſa licitum. 2.16.15

Matutinum & Miſſam ſiquis dicat debitis temporibus non peccabit, etiam ſi hanc illi præponat. 2.16 14

Matutinum cum Laudibus pridie recitare prohibitum ex conſuetudine licet. 2 30.21

Vnde hæc conſuetudo prouenerit. 2.30.22.

Matutinum legi poteſt pridie hora quarta pomeridiana, vel ad medium quartæ. 2.30.23

Vide *Vigiliæ*, *Nocturni*.

Matutina oratio.

Matutinam orationem SS. Patres paſſim conſulunt. 3.3.3. & ſeqq.

Deo matutina oratione primitiæ diei offerendæ. ibid.

Mane à Deo actiones noſtræ exordium capere debent. ibidem.

Ad orationem matutinam Scripturæ monita, exempla, figuræ inuitant. 3.3.7

Mane Deum adorandum Gentiles docent. 3.3.10

Matutinum tempus orationi aptiſſimum rationibus oſtenditur. 3.3.11

Ad matutinam orationem Paræneſis. 3.3.12

Miniſtri Eccleſiæ.

Miniſtri ſelecti fuerunt ab initio mundi in populo Dei, qui ſacra procurarent. 1.12.3. & ſeq.

Huiuſmodi quoque fuerunt in Eccleſia eius exordio. 1.12.8. & ſeq.

A certis tantum miniſtris diuinum officium peragendum dictat ratio. 1.12.11

Miniſter Eccleſiæ, fungitur vice legati totius mundi apud Deum. 3.1.7

Vide *Sacerdos*, *Pſalmodus*.

Miſnenſis Eccleſia pſalmodiam olim die ac nocte continuabat. 1.1.7

Miſſa.

Miſſam audiens ſine intentione obligationi ſatisfaciendi, & animo aliam audiendi, præceptum tamen implet. 2.18.11

Poteſt quis licitè ſimul Miſſam audire & Horas legere, & vtrique ſatisfacere. 2.30 31. & ſeq.

Miſſam celebrare priuatam Primâ nondum dictâ nullum eſt peccatum. 2.16.2

Miſſam celebrare ſolemnem ante cantatum in choro matutinum, vel etiam Primam ordinariè graue peccatum eſt. 2.16 22

Vide *Matutinum*.

Monachi.

Monachi Ægypti breues, ſed creberrimas orationes habebant. 1.28.3

Monachus transfuga ad Horas tenetur. 2.3.8

Monachus eiectus probabilius horas legere non tenetur. 2.3.9

Monachus tranſlatus ad ſtatum laicorum ſoluitur obligatione legendi Horas.

Digitized by Google

Horas. 2.3.19
Monachus ex diſpenſatione Pontificis perpetuò extra monaſterium degens, ſimiliter non tenetur. 2.3.11
Monachus non in ſacris non peccat mortaliter, ſi bis, térue officium canon. omittat. 2.3.12
Monachi quidam mortui pſalmodiam exercent. 3.8.9
Ex duorum monachorum pſallentium ore flammæ erumpunt. 3.8.16
Vide *Religioſus*.
Morbo laborantem teneri adhibere ſocium, ſi facilius ſic legere, & commodè haberi poſſit, probabilius eſt. 2.38.10
Cùm de morbi grauitate dubium eſt, conſulendus medicus, quod ſi & ipſe dubitet, opus erit diſpenſatione. 2.38.13
Vide *Præceptum de Horis, Excuſatio ab Horis*.
Moſes primus Cantici auctor. 1.29.24

Muſica, Muſici, &c.

Muſica ſignificat concordiam animorum, & Remp. optimis legibus temperatam. 1.1.3
Muſica olim adhibebatur in ſacris tam veri Dei, quàm idolorum. 1.13.26
Muſica animi perturbationes componit. 1.13.29
Muſicis Græci ante omnia imbuebant adoleſcentes. 1.13.30
Muſica Orphei, & Amphionis homines feroces placauit. 1.13.31
Muſica iram ſedat, vt exempla docent. 1.13.33
Muſica triſtitiã ex animo pellit. 1.13.35
Muſica cur vocetur Græcè *μέλος*, & cantiones *μέλη*. 1.13.38
Muſicorum modorum vis mira. 1.13.40
An Ioannes 22. muſicam ab Eccleſia relegauerit. 1.14.6
Muſicus cantus licitus, & conueniens quomodo ſit in diuinis officijs. 1.14.8
Muſica iuuantur animi vulgi ad Deum laudandum. 1.14.11
Muſicorum peccata. 1.14.15
Muſicorum peccatum in diuino officio ſolùm ſeruire aurium voluptati. 1.14.14
Muſicam effeminatam etiam gentiles grauiores proſcripſerunt 1.14.21
Muſicæ mutatis modis etiam mores ciuitatum mutati ſunt. 1.14.22
Muſicorum peccatum inanem venari gloriam. 1.14.23
Muſicos vanam laudem captantes paſſim inſectantur viri ſancti. 1.14.24
Muſicorum peccatum aſſidua ferè mentis euagatio. 1.14.26
Item, ita modulari verba ſacra, vt vix interdum percipiantur. 1.14.28
Muſicorum in cantu prolixitas & clamor improbatur. 1.14.31
Muſicorum inſtrumentorum vſus licitus oſtenditur tum ex Pſalmo vltimo, tum ex alijs. 1.15.1
Debet tamen eſſe grauis, & aptus ad animos piè commouendos. 1.15.6. & ſeqq.
Muſica inſtrumenta licita eſſe oſtendit vſus Eccleſiæ. 1.15.8
Muſicorum aſſecla leuitas. 3.22.11
Muſica, vel cantus figuratus excluditur ab ordine D. Benedicti. 3.22.14
Vide *Cantus, Pſalmodia, Peccatum*.

N.

N*auarri* Doctoris ſtudium in Horis ſoluendis. 3.7.17

Nocturni.

Nocturnos tres olim diſtinctos tempore à ſe, & à Laudibus celebratos multi Doctores tenent. 1.21.3
In hoc tamen diuerſa fuit Eccleſiarum conſuetudo. 1.21.11
Nocturni tres quid nobis ſignificent. 1.21.13

An Nocturni iam poſſint ſine culpa ſeparatim à ſe recitari. 2.17.5
Vide *Vigilia*, *Matutinum*, *Laudes*, *Tempus Horarum*.
Nona orationis hora celebris in ſcriptura. 1.2.10
Nonæ myſteria. 1.24.4
Nonam pſallendi tempus Canonicum. 1.26.6
Ad Nonam deuotè celebrandam monita. 3.4.1.& ſeq.
Vide *Tempus Horarum*, *Tertia*, *Sexta*.

Nox.

Nox conſecrata Redemptionis noſtræ myſterijs. 1.20.5
Nocte media Dominum venturum ad Iudicium primorum Chriſtianorum fuit opinio. 1.20.6
Nox olim diuiſa in quatuor vigilias, quarum vnaquæque tribus horis conſtabat. 1.21.1
Nox media magnam patitur latitudinem. 1.22.14
Nox quietior & aptior orationi. 3.2.4
Nocte dæmones faces libidinum excitant. 3.2.7
Nocte ſurgere ad orationem, corporibus, nedum animis conducit. 3.2.11
Vide *Vigilia*.

O.

O*Bedientia* monachorum antiquorum. 3.11.5
Obliuio omiſſionem Horarum aliquando excuſat à toto, aliquando ſolùm à mortali. 2.25.11

Officium Canonicum.

Officij vocabulum triplicem habet Etymologiam. 1.8.3
Officium cur dictæ Horæ Canon. 1.8.2
Officij Canon. prolixitas pluribus modis compenſatur. 1.18.11
Quomodo animi tædium in eo vincendum. 1.18.13
Officium Canon. ſimile con[illegible] thecæ, cornu copiæ &c. [illegible] 1.18.11
Officij Canon. varietas or[illegible] Eccleſiæ. [illegible] 1.18.4
Officium Canon. non neceſſariò requirit, vt omnia, quæ in eodem pſalluntur, ſumpta ſint ex Scriptura. 1.18.27.
In eo nullus error contra fidem continetur. 1.18.28
Primarius eius finis eſt Dei laus, ſecundarius verò noſtra exhortatio, inſtructio, &c. 1.18.31
Cur inchoetur per verſiculos, *Deus in adiutorium*; *Domine labia mea aperies*; *Conuerte nos Deus*, &c. 1.30.10
Officij diuini Synopſis apud Hugonem de S. Victore. 1.30.83
Officio chori grauandi non ſunt maioribus Eccleſiæ negotijs detenti. 2.1.2
Nomen officij monet nos accuratè illud præſtare. 1.8.2.& 3.1.1.
Offic. Canon. pro primo auctore habet Spiritum ſanctum 3.1.3
Continet fidei myſteria, ſaluberrima monita, functiones virtutum nobiliſſimas. 3.1.4
Dum à miniſtris Eccleſiæ irreuerenter perſoluitur, plurima ſequuntur incommoda. 3.1.5
Officij canon. Pſalmi, Lectiones, Orationes ſunt pabulum deuotionis & reuerentiæ. 3.1.12
Eius fructus, dum piè & reuerenter peragitur. 3.1.13
Officium pſallentibus Dei præſentia proponenda. 3.1.14
Officij honeſtas, vtilitas, iucunditas 3.1.15.
Incitamenta nos ad illud alacriter ſoluendum prouocantia. 3.1.17.
Vide plura v. *Hora Canonica*, *Pſalmodia*.

Officium D. Virginis.

Officij minoris D. Virginis origo tempore

pore S. Petri Damiani. 1.31.1
Illud negligentes Deus punit. 1.31.2
Eius ſuſcipiendi Clericis auctor fuit Vrbanus II. 1.31.3
Idem Carthuſiani diuino monitu ſuſcipiunt. 1.31.4
Officium maius D. Virginis diebus Sabbathi etiam Vrbanus II. inſtituit. 1.31.5
Non videtur Vrbanus tuliſſe legem obligantem de D. Virginis officio minore recitando. 1.31.9
Ad officium D. Virginis, defunctorum & alia non obligantur, qui vtuntur Breuiario Pij quinti. 2.26.2
Officium tamen D. Virginis pſallendi in choro conſuetudo ſeruanda eſt in illis Eccleſijs, vbi olim canebatur. 2.26.3
Intelligendum hoc videtur de diebus, quibus id præſcribitur dicendum in eiuſdem Breuiarij rubricis. 2.26.4
In alijs Eccleſijs, quæ Breuiarium Pij non receperunt, manet eadem obligatio officia prædicta recitandi, quæ ante erat. 2.26.5
Quanta ea obligatio ſit, incertum. 2.26.8
Officium minus D. Virginis non tenentur legere priuatim vtentes Breuiario Pij, quamuis in choro ex conſuetudine dicatur. 2.25.16

Officium defunctorum.

Officij defunctorum origo non ſatis conſtat. 1.31.10
Tenentur etiam illi qui Breuiario Pij quinti vtuntur Officium defunctorum pſallere in die commemorationis defunctorum. 2.26.15
Vide plura v. *Officium D. Virgin.*

Oratio.

Oratio alia publica, alia priuata, & quid vtraque ſit. 1.10.1
Orandum ſemper, quia homo ſemper eget Dei auxilio. 1.28.10
Orationes breues & frequentes à ſanctis Patribus commendantur. 1.28.2
Quæ oratio æquanda cum feruore deſiderij. 1.28.15
In oratione non omnis verborum repetitio inepta aut ingrata. 1.28.18
Orationem ſæpius per diem inſtituendam Patres docent, & rationes ſuadent. 3.4.6
Oratio noſtra Chriſti orationibus adiungenda. 3.6.10
Oratio Horis Canon. præmittenda. 3.6.14
Orationes & exercitia varia pia lectis Horis Canonicis ſubiungenda. 3.23.7
Orationem, quæ incipit *Sacroſanctæ* &c. poſt lectum officium recitanti conceſſæ indulgentiæ. 3.23.15
Orationem canonicam fundens improbus miniſter parum ſibi prodeſt. 3.26.1
Poteſt tamen aliquid impetrare à Deo, ſi adſint cetera, & abfuerit omnis mala intentio. 3.26.2
Oratio canon. improbi miniſtri pro Eccleſia eſt impetratoria, non verò ſatisfactoria. 3.26.4. & ſeqq.
Vide *Preparatio ad orationem, pſalmodia.*

Oratio vocalis.

Oratio vocalis mentalem non excludit. 1.8.15
Oratio vocalis Eccleſiæ viſibili conueniens. 1.9.5
Oratio vocalis commendatur in ſcripturis. 1.9.7
Oratio cur voce promatur. 1.9.8.
Orationis vocalis fructus. 1.9.9 & ſeq.
Oratio vocalis vituli & fructus labiorum. 1.9.11
Vide *Oratio publica, Hora Canon. Vox, Pſalmodia.*

Oratio publica.

Oratio publica & vocalis Apoſtolorum. 1.3.4
Orationum publicarum ritus & ordo ex Apoſtolo ad Corinth. 1.3.7
Oratio publica debet eſſe vocalis. 1.9.2

Orat.o

Digitized by Google

Oratio dicitur publica tribus modis. 1.10.2

Oratio publica tria requirit. 1.10.4

Oratio Eccleſiæ dicitur publica, quamuis ab vno vel paucis miniſtris fiat. 1.10.6

Orationis publicæ fructus. 1.10.7

In oratione publica maior eſt fructus impetrationis, quàm in priuata. 1.10.13

Orationi publicæ tribuitur à Patribus D. Petri è carcere liberatio, Hiericho excidium. 1.10.12

Orationem publicam commendant Patres. 1.10.23

Spiritus ſancti receptio & loci motio Actor. 4. tribuitur orationi publicæ. 1.10.26

Orationis publicæ efficacia oſtenditur ex verbis Chriſti Matth. 18. *Si duo ex vobis* &c. 1.10.27

Eius vis ratione mutuæ caritatis, & alijs. 1.10.28

In oratione publica facilius perſeueratur. 1.10.32

In eadem grata Deo vis adhibetur. 1.10.33

Vide *Chorus, Horæ Canonicæ, Pſalmodia.*

Oratorium.

In oratorio domeſtico vel cubiculo pſalmodia priuatim rectè perſoluitur. 3.10.11

Oratorium domeſticum Sancti habuerunt. 3.10.16

Vide *Locus Pſalmodiæ.*

Ordo omni in re pulcherrimus. 3.20.11

Organi vſus antiquior eſt in Eccleſia, quàm quidam exiſtimant. 3.15.11

Quod organum inter pſalmodiam modulatur illud à choro diſtincta voce eſt ſupplendum. 1.25.11

Oxyrynchus Ægypti vrbs die ac nocte tota diuinis hymnis & pſalmodia perſonabat. 1.1.6

Omiſſio Horarum, vel partis earum.

Omiſſio Horæ vnius etiam priuatim ſine iuſta cauſa peccatum eſt mortale. 2.19.1. & ſeq.

Si omittantur Horæ in choro, grauius peccabitur. 2.19.4

Omittens Horæ partem notabilem, etiam peccat mortaliter. 2.19.5

Horæ quæ pars notabilis. 2.19.8

Non incurritur peccatum mortale, niſi vel parua aliqua hora ferè integra omittatur, vel pars horæ maioris illi reſpondens. 2.19.12

Strictiùs hic loquendum, ſi ſeptem committi peccata omiſſione 7. Horarum ſtatuamus. 2.19.14

Minor pars in choro habetur notabilis, vt illius omiſſione mortaliter peccetur. 2.19.15

Quæ pars cenſeatur notabilis, ſi in choro à beneficiario omittatur, non canatur, vel non audiatur. 2.19.16. & ſeq.

Omiſſione 7. Horarum vnum tantùm committi peccatum, communis eſt opinio. 2.20.2

Hoc omiſſionis externum peccatum ſolum vnum eſt, & conſummatur in fine diei naturalis. 2.20.3

Probabile tamen eſt tot committi peccata, quot Horæ omittuntur. 2.20.5

An peccatum etiam vnum ſit in voluntate omittendo plures Horas. 2.20.6

P.

S. *Pachomius* dæmones audiuit referentes quomodo monachis pſallentibus illuderent. 3.19.5

Pars horæ notabilis quæ. 2.19.8

Vide *Omiſſio Horarum &c.*

Pauſa interponenda in medio & fine verſiculorum tempore pſalmodiæ. 2.24.14. & 3.20.13

Pauſarij ad hoc conſtituendi. 3.20.13

Peccatum.

Peccatum mortale pſalmodiæ attemperare ſonos laſciuos vel etiam vanos. 1.14.16

Peccatum veniale vanam cantionem poſt pſalmodiam aſſumere. 1.14.18
Peccatum quale priuatim vel publicè horam imperfectam relinquere, & poſtea reſumere. 2.25.16

Penſio, Penſionarius.

Penſio quæ percipitur ex bonis Eccleſiæ ratione miniſterij temporalis ad nihil recitandum obligat. 2.9.1
Penſionem obtinens etiam titulo Clerici, ad Horas Canon. non obligatur. 2.9.2
Quis penſionem dicatur recipere vt Clericus. 2.9.7
Penſione gaudens Clericus, & ſimul beneficiarius ſatisfacit legendo tantùm Horas Canon. 2.9.9
Penſionarij Clerici etſi olim ad nihil tenerentur, iam tamen officium paruum D. Virginis legere debẽt. 2.9.3
Penſionarij tenuiores eo modo tenentur ad D. Virginis officium, quo tenuiores Beneficiarij ad Canonicum. 2.9.10

Permutatio Horarum.

Permutare publicè officium diei, quod in breuiario aſſignatur, peccatum eſt graue. 2.14.1
Permutare priuatim etiam ſcienter officium diei non eſt per ſe mortale. 2.14.3
Eſt tamen veniale, ſi fiat abſque cauſa iuſta, nullum verò ſi ſit cauſa rationabilis. 2.14.4
Probabile nihilominus eſt huiuſmodi mutationem ſine cauſa factam eſſe per ſe mortale. 2.14.6
Quatuor ſeruanda, vt officij permutatio fiat abſque peccato mortali. 2.14.7
Permutatio ordinis triplicis qui in pſallendo ſeruari debet, ſi fiat publicè in choro, poterit interdum eſſe mortale. 2.15.2
Permutare ordinem Horarum vnius diei priuatim peccatum eſt veniale, ſi abſque cauſa fiat. 2.15.5
Si ex cauſa fiat, nullum erit peccatum. 2.15.6
Permutatio horarum ſequentis diei cum officio præcedentis, ordinariè eſt venialis, ſi priuatim fiat. 2.15.7
Permutare partes vnius horæ inter ſe, grauis culpa eſt venialis. 2.15.9
Aliquando ab omni culpa excuſabitur. 2.15.10
Permutare partes diuerſarum horarũ inter ſe quale peccatum. 2.15.11
S. Petrus Alexandrinus ex ſolemni conſuetudine nocte orabat. 1.6.7
P. Petrus Faber præclara ſibi adinuenta quærebat vt attentè, deuoteque pſalleret. 3.7.3
Pœnitentiales Pſalmi. 1.31.12
Pœnitentia non ſemper intelligitur de opere aliàs indebito. 2.5.17
Pœnitentiam implere quis poteſt ſine intentione præcepto confeſſarij ſatisfaciendi. 2.18.11
Quæ pœnitentia imponenda Horas non recitanti. 2.30.15
Pontifex veteris legis ſacris veſtibus indutus, quid ſignificaret. 3.1.8

Præceptum de Horis Canon.

Præcepto de Horis legendis non ſatisfacit, qui eas legit, vt mandet memoriæ, vel ebrius, vel dormiens. 2.18.5. & 3.4.7
Satisfacit tamen metu coactus legens. 2.18.5
Satisfacit etiam qui eas legit, vel interrumpit animo iterum legendi ſine intentione obligationi ſatisfaciendi. 2.18.2. & ſeqq.
Vnde talis non incurrit excommunicationem latam in non recitantes. 2.18.13
Peccat aliquando mortaliter, qui præceptum de Horis implet cum expreſſa voluntate non ſatisfaciendi. 2.18.16
Vt quis cenſeatur habere voluntatem ſatisfaciendi præcepto de Horis, ſufficit Horas legere, nulla expreſſa

voluntate in contrarium. 2.18.30
Obligatio quolibet die Horas recitandi extinguitur in puncto mediæ noctis. 2.30.15
Non tenetur in horis legendis ea quis repetere, quæ non recordatur ſe recitaſſe. 2.35.22
Præuidens febris acceſſum vel aliud impedimentum tenetur Horas vel anteponere vel poſtponere. 2.38.6. & ſeq.
Si impedimentum ſit à natura vel coactione probabile eſt, tempus non neceſſariò præueniendum. 2.38.8
Qui horas legitimè impeditus recitare non poteſt, ad nihil legendum earum loco tenetur. 2.38.15.16
Qui Horas legere non poteſt, non tenetur alios recitantes audire. 2.38.17
Item qui hodie impeditus non legit, non tenetur poſtridie eas recitare. 2.38.18
Non eſt abſolutè verum impotentem ad maiorem partem horarum dicendam, ab illis excuſari, vel potentem ad maiorem partem, ad eam teneri. 2.40.4. & ſeq.
Quicumque poteſt aliquam è ſeptem Horis integrè legere, ad eam tenetur, qui verò hoc non poteſt, ita vt ſaltem impleat præceptum, ad nihil tenetur. 2.40.8. & ſeq.
Quando dubium eſt, an quis poſſit horam moraliter integram legere, tunc recitari poteſt maior pars. 2.40.13
Quomodo intelligatur iſtud dictum, Qui non poteſt dicere maiorem partē in Horis, ad nihil tenetur 2.40.21
Non ſemper tenetur infirmus, qui ſine magno incommodo poteſt dicere vnam vel alteram Horam, eaſdem recitare. 2.40.22

Præcipitatio in Horis.

Præcipitatio in officio publico chori ordinariè eſt veniale; ſi nimia, mortale. 2.24.1. & ſeq.
Quomodo hic defectus in choro commiſſus, ſupplendus. 2.24.9
Præcipitatio in priuata lectione, ſi ſciēter fiat, eſt veniale, ſi præter voluntatem, nullum peccatum. 2.24.11
Verba integra deglutire priuata in lectione, ſæpius veniale, rarius mortale, aliquando nullum. 2.24.12
Præcipitatio indecora in officio diuino. 3.20.14

Prælatus.

Prælatorum cura laſciuas & profanas muſicas à templis arcere. 1.14.19
Prælati ſub mortali curare debent, vt in choro officium diuinum pſallatur. 2.1.7
Prælatus ex cauſa cum ſuo Religioſo nondum in ſacris conſtituto diſpenſare poteſt ne horas legat. 2.3.13. & 39.18
Imò, vbi non eſt conſuetudo petendi diſpenſationem, non requiritur. 2.3.13

Prælatorum cura circa officium diuinum.

Prælatorum cura triplex circa officium diuinum à S. Bonauent. requiritur. 3.27.2
Prælati olim monachos ad pſalmodiam excitabant, horam ſignificabant, &c. 3.27.4
Prælatus ſuis exemplo in hoc præire debet. 3.27.5
Prælati imitentur D. Dominicum & S. Paulum in pſalmodia ſuis exemplo & verbo præeuntes. 3.27.6
Prælatis exemplo ſuo præluxit hac in re Dauid. 3.27.8
Prælatis crebrò inculcant Patres & Canones, vt officio diuino amplificando ſtudeant. 3.27.10

Præparatio ad orationem.

Præparandus animus ante orationem canon. 3.6.1
Commendat eam Scriptura. 3.6.2
Præparationes ante orationem duplices, proximæ, & remotæ. 3.6.3
Præparatur animus contritione. 3.6.4
Item, ſi motus inordinati comprimantur,

Digitized by Google

tur. 3.6.5
Alienæ cogitationes abijciendæ. 3.6.6
Oratio mentalis præparat ad vocalem. 3.7.7
Iuuat Deum ſibi præſentem proponere. 3.6.9
Præſtimonium an beneficium ſit, dubium. 2.4.8
Præſtimonia obtinentes iure antiquo ad Horas non tenebantur. 2.4.9

Preſbyter

Preſbyteri Eccleſiæ militantis ſimiles 24. Senioribus in Apocalypſi. 1.1.2
Preſbyter ad Horas iure ſcripto non tenetur, ſed ſolum conſuetudine. 2.2.3
Preſbyteros & maiores Clericos iure naturæ ad Laudes Deo generatim dicendas teneri, probabile. 2.2.6
Probabilius tamen ſolum ad hoc teneri ex decentia. 2.2.8
Preſbyteri duo ſancti ſepulti Clericis in choro pſallentibus voces ſuas ſuauiſſimas iungere auditi ſunt. 3.8.10

Prima.

Prima canonica quo tempore in Eccleſiam introducta. 1.23.4
Primam Patres diſtinguunt à Laudibus. 1.23.5. & ſeq.
Primam introductam multi putant tempore Caſſiani, & quare. 1.23.7
Primæ nomen reperitur primùm in Regula S. Benedicti. 1.23.10
Prima pſallenda tempore horæ primæ artificialis diei. 1.23.11. & ſeqq.
Rationes cur prima inſtituta. 1.23.20. & ſeq.
Primitiæ diei Deo offerendæ. 1.23.24
Primam non licet pridie ad veſperam præcedentis diei recitare tẽpus præueniendo; & redditur ratio. 2.30.20

Priuilegium.

Priuilegium Leonis decimi datum Minoribus pro quibuſdam negligentijs in recitando commiſſis, examinatur & explicatur. 3.25.2
Priuilegio Sixti quarti poſſunt ijdem Minores defectus aliquos in choro inter canendum commiſſos ſupplere per aliquem Pſalmum, ſed explicatur. 3.25.6
Priuilegium datum Minoribus vt poſſint in officio dicenda ſecretò, mentaliter dicere, examinatur. 3.25.11
Priuilegium de mutatione vnius officij in aliud, quo modo intelligatur. 3.25.13
Priuilegium commutandi Horas Canon. in aliam orationem pro infirmis. 3.25.17

Pſalmodia, Pſalmus, Pſalterium.

Pſalmodia olim pluribus in Eccleſijs die ac nocte continuabatur 1.1.6. & ſeq.
Pſalmodiam in Eccleſia fore perpetuam prædixit Iſaias. 1.1.9
Pſalmodia Eccleſiæ, veteri in lege adumbrata. 1.2.1. & ſeqq.
Pſalmodiam commendat Apoſtolus. 1.3.7.
Pſalmos canendi mos à Chriſto & Apoſtolis manauit. 1.3.9
Pſalmodiæ tempora Parabola Patrisfamilias in vineam operarios vocantis præſcribit. 1.3.10
Pſallendi horas eaſdem fere olim Chriſtiani obſeruarunt, quas nos hodie. 1.4.1. & ſeqq.
Pſalmodiam primi Chriſtiani celebrarunt. 1.6.2. & ſeq.
Pſallendi ritus non fuit ſemper idem ab initio Eccleſiæ. 1.7.15
Pſalmodi ſunt Eccleſiæ cuſtodes & vigiles. 1.12.14
Pſalmodia ab initio Eccleſiæ viguit. 1.13.9
Pſalmodiæ vacare totus populus non poteſt. 1.12.12
Pſalmodiæ multiplex fructus. 1.13.17
Eſt honeſta & vtilis Eccleſiaſticorum occupatio. 1.13.18
Pſalmodia nimis prolixa improbatur. 1.13.19

Digitized by Google

Eſt amicitiæ ſymbolum, & conciliatrix. 1.13.45
Pſalmodiam lingua vulgari inſtitui nec decens, nec expediens. 1.27.5.& ſeq.
Ex Latina pſalmodia etiam vtilitates in vulgus promanant. 1.27.7
Eius primarius finis non eſt populi inſtructio. 1.27.9
Pſalmodiæ alius finis, alius meditationis. 1 28 20
Pſalmi primum locum tenent in Horis Canon. 1.29.2
Pſalmorum canendorum antiquitas ex ſcriptura. 1. 29.3
Pſalmodia in diuino officio locum ſubſtantiæ tenet. 1.29.5
Pſalterium eſt Epitome operum & ſermonum Dei. 1.29.6
Pſalmos canendi vetus vſus ex Patribus. 1.29.8
Nullos Eccleſia vſurpat præter Dauidicos. 1.29 10
Pſalmodia publica non eſt toti populo, ſed quibuſdam tantùm impoſita. 2.1.2.
Pſalmodia quotidie celebranda in Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, niſi rationabilis conſuetudo excuſet. 2.1.4
Pſallere attentè volenti quatuor ſeruanda. 3.7.4
In pſallendo quorumdam ſtudium indefeſſum. 3.7.24
Pſalmodia cæleſtis audita ſub tempus Horarum Canon. loco in quo ſancti Preſbyteri martyrio affecti. 3.8 25
Mos olim fuit in Eccleſia totum pſalterium mandare memoriæ. 3.13.2
Rationes plurimæ, cur Eccleſia maximè Pſalmos vſurpet in officio, præ alijs ſcripturis. 3.13.3
Pſalmorum laus ex Patribus. 3.13.4
Sanctorum aſſiduum ſtudium in Pſalmis. 3.13.14
In Pſalmis ingens copia ſpiritualium ſenſuum, & affectuum. 3.13.23
Illi inter pſallendum animi imprimendi. 3.13.25
Pſalmodia expleta ijdem fouendi. 3.13.26.
Ex ſingulis pſalmorum verſibus aliqua cum Dei gratia dulcedo haurienda. 3.13.27
Pſallere ſapienter quid ſit. 3.18.11. & ſeq.& c.21.19.
Non omnis bona cogitatio tempore pſalmodiæ ſuſcipienda, ſed ea ſolùm quâ animus excitetur ad Deum amandum, laudandum &c. 3.19.18
D. Bernardi locus hoc docens explicatur. 3.19.19
Quomodo pſallendum oſtenditur ex S.Bernardo. 3.21.1.& ſeqq.
Pſalmodia lætitiam requirit. 3.21.7
Pſallendum hilariter, diligenter, attentè, deuotè, vigilanter plenè. altè, integre, viriliter. 3.21.6.vſque ad 20
Pſalmi 46. verſiculi 6.& 7.explicantur. 3.21 18
Quid ſit pſallere & orare mente. ibid.
Pſalmodiæ quidam vir religioſus accuratè ſemper inſiſtens a Deo conſecutus miram in ore dulcedinem, & in naribus odorum fragrantiam. 2.7.26
Pſalmodiam perſoluere ex libro melius quàm memoriter. 3 25.16
Pſalmodiæ tempus ordinarium præuenire, vel eam Miſſæ poſtponere quibus liceat ex priuilegio. 3.25.22
Vide, *Horæ Canon. Officium, Tempus Horarum, Situs in Horis, Punitio negligenter Horas ſoluentium.*
Puniuit Deus peſte immiſſa pſalmodiam negligenter perſoluentes. 3.9.1
Punitio horribilis cuiuſdam monachi perfunctoriè pſalmodiam peragentis. 3.9.2

Q.

QVi ſentit onus, debet ſentire commodum, & è contra, Regulæ 55. Iuris intellectus. 2.5.11

Ratio

R.

Ranæ à Sacerdote iuſſæ tacere tempore orationis publicæ, repente ſiluerunt. 3.15 10
Rapi quis interdum ita poteſt in diuina, vt non ſatisfaciat obligationi de Horis recitandis. 1.22.7
Religioſi choro addicti quomodo peccent, ſi ab eo abſint. 2.1.12
Religioſi ad chorum profeſſi quo iure ad Horas teneantur. 2.3.1.& ſeq.
Religionum Nouitij ad Horas non obligantur. 2.3.6
Earum etiã conuerſi non tenetur. 2.3.7
Vide v. *Monachus*.
Reliquijs ſuis ſancti adeſſe ſoliti. 3.10.5

Reſponſoria.

Reſponſoriorum antiquitas. 1.29.43
Vnde dicta. 1.29.44
Ex Reſponſorijs quis fructus colligatur. 1.29.45

Reſtitutio fructuum beneficij.

Reſtitutio fructuum imponitur beneficiarijs Horas non legentibus, pro rata temporis quo omiſerunt. 2.10.2
Decretum Conc. Lateran. de fructuum reſtitutione ſupradicta, obligat in conſcientia. 2.10.5
Ab hac reſtitutione excuſatur beneficiarius nõ recitans primis ſex menſibus ab obtento beneficio. 2.10.8
Reſtituere debet benficiarius non recitans etiam diſtributiones diei, quo non recitauit. 2.11.3.& ſeq.
Ad eandem reſtitutionem tenentur Penſionarij officium D. Virginis non legentes. 2.11.7
Nihil neceſſariò reſtituendum beneficiario pro parte horarum prætermiſſa. 2.11.10
Ab hac reſtitutione excuſat legitimum impedimentum. 2.11.15
Reſtitutionis huius rigorem moderantur quidam Doctores probabiliter. 2.11.16
Reſtitutio hæc facienda eſt fabricis beneficiorum vel pauperibus. 2.11.18
Hoc tamen locum non habet in diſtributionibus, & alijs quibuſdam. 2.11.19
Pauper beneficiarius poteſt ſibi ex conſenſu confeſſarij hanc reſtitutionem applicare. 2.11.22
Hæc reſtitutio præcisè loquendo, iure naturæ non eſt debita. 2.12.11
Si iure naturæ debitam dicamus, quomodo beneficiarij non legentes reſtituent. 2.12.17
Reſurrectio Chriſti Laudibus matutinis recolitur. 1.22.10
Reſurrexiſſe Chriſtum ſub Auroram, eſt communis ferè Patrum ſententia. 1.22.12

Reuerentia in diuino officio.

Reuerẽtia præcipitur Clericis in Oratorio verſantibus, illud ingredientibus, egredientibus. 3.16.12
Reuerentiæ erga Deum admonebatur Pontifex ſono tintinnabulorum, cùm Sanctuarium ingrederetur vel vel egrederetur. 3.16.4
Eiuſdem monebatur Moyſes calceamentorum ſolutione coram Deo. 3.16.5
Reuerentiæ & ſubiectionis ſignum pedum nudatio ibidem.
Reuerentiam in templo exhibendam docent Patres. 3.16.6
Lotio manuum & pedum in veteri lege reuerentiam in templo exhibendam indicabat. 3.16.12
Reuerentia gentilium in ſuis ſacris. 3.16.20
Ritus & formulæ gentilium, quibus indicebatur illis reuerentia. 3.16.24. & ſeqq.
Roberti Bellarmini Cardinalis ingens cura diuini officij perſoluendi. 3.7.25
Roberto Francorum Rege Horas Canon. legente hoſtium mœnia diuinitus concidunt. 3.8.15
Rudium preces Deo gratas eſſe, quas

tamen non intelligunt, varijs rationibus oſtenditur. 1.27.12
Rusbrochius, dum oraret, arbor, ſub qua erat, videbatur igneſcere. 3.19.19

S.

Sacerdotes veteris legis nocte & die Dei laudibus vacabant. 1.2.7
Sacra vnde dicta myſteria. 3.15.5
Sacrificium iuge veteris legis vmbra officij canonici diurni & nocturni. 1.22
Salutatio Angelica cur officio canonico præmittatur. 1.30.7
Samuel & grex prophetarum Eccleſiæ pſalmodiam adumbrarunt. 1.2.3
Sapientiæ locus cap. 16. *Oportet præuenire ſolem*, &c. Mane orationem frequentandam ſuadet, & explicatur. 3 3.9
Scriptura ſacra eſt epiſtola Dei ad ſuam creaturam. 3.14.2

Scrupulorum remedia,

Scrupulus quid. 3.24.1
Quibus ſcrupulis angantur inter Horas recitandum viri pij. 3.24.2
Remedium contra ſcrupulos humilis imploratio diuini auxilij. 3.24.4
S. Lutgardis diuino miraculo liberatur à ſcrupulis, quibus inter horas recitandum, affligebatur. 3.24.5
Scrupulorum remedium eſt ſibi perſuadere ſcripturam vetare anxiam in oratione verborum repetitionem. 3.24.6
Scrupuloſè Horas Canon. recitantem mira induſtria S. Ignatius Loiola liberat. 3.24.8
Scrupuloſis contra ſcrupulos agendum. 3.24.9
Sic Confeſſarius quidam pœnitentem horas ſemper repetentem curauit. 3.24.10
Scrupuloſis ſequendum Confeſſarij conſilium. ibid.
Sic liberatus S. Ignatius Loiola. 3.24.11
Sic S. Bernardi conſilium ſequens alius. 3.24.12
Contra ſcrupulos præclarum Gerſonis conſilium 3.24.13
Iuuat etiam ex libro, vel cum ſocio legere. 3.24.15
Non tenetur quis ea repetere, quæ non recordatur ſe legiſſe. 3.24.17
Scrupuloſorum eſt ſemper cogitare an attendant, quod vitandum eſt. 3.24.20
Scrupulorum remedium optimum, eorum ſemina & occaſiones fugere. 3.24.22
Scrupuloſus nihil ex diuino officio repetere debet, niſi quod certè illi conſtet non fuiſſe lectum. 3.24.23

Septem Horæ Canon.

Septies in die laudem dixi tibi; verſiculus Pſalmi 118. exponitur. 1.17.19
Septenarij numeri myſteria plurima conueniunt Horis Canon. 1.18.23.
Septem Horis Cano. Creationis mundi 7. diebus perfecti beneficium recolitur. 1.18.24
Septem Horæ Canon. ſunt 7. buccinæ, quibus perſonantibus cecidit Hierico. 1.18.31
Septem ſunt notabiles in vitæ humanæ decurſu mutationes. 1.18.29
Sunt Horæ Canon. 7. baliſtæ, quibus 7. peccata capitalia proſternuntur. 1.18.32
Septenarius eſt numerus ſacer & perfectus. 1.18.36
Septem Horæ ſignificantur 7. Planetis. 1.18.37
Septem Horæ Can. ſignificant myſterium Redemptionis humanæ 7. horis peractum. 1.18.39
Vide *Horæ Canon.*
Seraphim hymno triſagio Deum laudantes ad idem agendum nos animant. 1.1.1
S. Seuerinus cum ſuis diſcipulis matutinam & veſpertinam pſalmodiam celebrat. 1.6.17

S. Seue-

S.Seuerinus cur tam grauiter in Purgatorio tortus. 2.30.9.& 3.9.7
Sexta orationis hora celebris in ſcriptura. 1.2.10
Sextæ myſteria. 1.24.3
Monita parænetica ad Sextam deuotè celebrandam. 3.4.2.& ſeqq.

Silentium in choro & diuino officio.

Silentium in ſacris ſuis Ethnici à præſentibus poſcebant. 3.15.1
Silentium incredibile monachorum Ægypti tempore pſalmodiæ. 3.15.3
Silentium olim Leuitæ faciebant in populo ad legem audiendam. 3.15.4
Silentium in ſacris gentilium indicebatur per illud; *fauete linguis*. 3.15.5
Silentium mirum ſeruabatur in ſacrificijs legis veteris. 3.15.6
Silentium olim indicebatur à diacono, dum lectio recitabatur. 3.15.7
Silentium & modeſtiam admirandam exhibet Alexandri Magni Ephebus ſub ſacrificium. 3.15.9
Silentium tenent ranæ iuſſæ à ſacerdote orationis tempore tacere. 3.15.10
Cur ſilentium à Dauide dicatur eſſe Dei laus. 3.15.12
Cur ab Iſaia dicatur cultus iuſtitiæ. 3.15.13
Silentium tempore pſalmodiæ frenum laudis. ibid.
Silentium ſeruat Alexander Papa ſanctus tempore martyrij, quia orationis hora. 3.15.14
Silentium tempore orationis commendant SS.Patres. 3.15.15.& ſeqq.
S.Nonna mater S.Gregor. Nazianz. a ſilentio in templo laudatur. 3.15.18
Exempla Sanctorum, qui ſilentium mirè obſeruarunt. 3.15.24
Silentium Philoſophi gentiles & verbis & factis commendarunt. 3.15.25
Vide *Fabula*, *Reuerentia*.

Situs corporis in pſalmodia.

Quis ſitus ſeruandus in priuato & publica pſalmodia, & illum omittere quod peccatum. 2.28.13.& ſeq.
Situs corporis in pſalmodia ſeruandus, quem præſcribit Breuiarium, & cuiuſque Eccleſiæ conſuetudo. 3.12.1
Diuerſi diuerſos ſitus vſurparunt in oratione, prout ſibi expedire iudicabant. 3.12.6
Status tempore pſalmodiæ probatur. 3.12.8
Sedendo pſallere extra neceſſitatem minus videtur admittendum. 3.12.10
Situs optimus in pſalmodia priuata. 3.12.13
Semper cum reuerentia pſallendum etiam tempore infirmitatis. 3.12.14
Diſplicere Deo, ſi in lecto Horæ Canon. recitentur, exempla probant. 3.12.16
Seſſio à B.Petro Damiani improbatur tempore pſalmodiæ. 3.12.17
Somnolentia tempore pſalmodiæ corrigitur. 3.9.3
Somnolentiam quidam tempore pſalmodiæ obrepentem generosè vicerunt. 3.21.11
B.Staniſlaus è Societate noſtra tempore orationis præcordijs æſtuabat. 3.19.16
Stephanus presbyter à S.Petro in ſomnis admonetur, vt pſalterium inceptum perficeret. 1.6.23
An *ſubdiaconatus* ordinem ſuſcipiens debeat ſuæ ordinationis die totum officium pro illo eodem die aſſignatum recitare. 2.39.10
Superbia vbique virtutem perſequitur. 3.22.2
Symbolum Apoſtolorum cur in Horis Canon. recitetur. 1.30.8
Mane & veſperi olim recitabatur. 1.30.9

Tim-

T.

Templum.

Templum eſt quoddam cœlum terreſtre. 3.16.8
Eſt domus Dei inter homines commorantis. 3.16.11
Vide *Eccleſia, Oratorium.*

Tempus Horarum Canon.

Tempora Horarum Canon. cur certa ab eccleſia deſignata ſint. 1.18.15.& ſeqq.
Tempora, quibus Eccleſia pſallit, viri ſancti ſeruarunt. 1.18.17
Temporibus, quibus in lege veteri Hebræi orabant, Eccleſia modo pſallens, non eſt arguenda cacozeliæ. 1.18.28
Tempora Horarum Canon, inſignita ſunt præcipuis Redemptionis noſtræ myſterijs. 1.18.21
Tempus Canonicum Nocturni officij poſt mediam noctem incipit. 1.22.1.& ſeqq.
Tempus Canonicum cantandi Tertiam, Sextam, Nonam. 1.24.6
Tempus Canonicum cuiuſque Horæ clarè oſtenditur. 1.24.11
Horæ Canon. Tertia, Sexta, Nona cantandæ, horis illis, vnde nomen habent, labentibus, non elapſis. 1.24.14
Competentibus temporibus publicè pſallendum. 2.29.3
Tempora quibus publicè pſallitur, non mathematicè, ſed cum morali latitudine capienda. 2.29.5
In tempore pſalmodiæ publicæ ſtatuendo habenda ratio frequentioris populi conuentus, cuiuſque Eccleſiæ vſus &c. 1.29.6
Quando peccetur mortaliter in anteponendo vel poſtponendo tempus Canonicum officij publici. 1.29.9
Tempus publicum Horæ Canon. licet interdum ex cauſa anticipare vel differre. 1.29.10
In recitatione priuata Horarum non peccatur mortaliter tempus Canonicum non ſeruando modo intra diem naturalem dicantur. 1.30.1
Peccatur tamen venialiter grauius vel leuius pro ratione præuentionis vel dilationis iuſto maioris. 1.30.2.& ſeq.
Tempus Canonicum etiam priuatim in recitando ſeruandum exemplis Sanctorum declaratur. 2.30.4.& ſeqq.
Iuſta cauſa, quales multæ occurrunt, excuſat Clericum ab omni peccato priuatim in legendo ſtata tempora non ſeruantem. 2.30.11
Ceteris paribus melius eſt tempus legendi horas præuenire, quàm poſtponere. 2.30.18
Tempore opportuno perſolutam pſalmodiam ſibi placere Deus miraculo comprobauit. 3.8.13
Quia temporibus ſuis S. Seuerinus horas non perſoluit, Purgatorij pœnas ſuſtinuit. 3.9.7
Tempore ſuo perſoluta pſalmodia Deo gratior. 3.11.1.& ſeq.
Tempus plenum & ſufficiens pſalmodiæ tribuendum à Clericis. 3.11.3
Tempore indebito etiam priuatim pſallere nonnullum peccatum eſt. 3.11.14
Vide *Horæ Can, Pſalmodia, Officium.*
Tertia horæ myſteria. 1.24.2
Ad Tertiam deuotè celebrandam monita parænetica. 3.4.1.& ſeqq.
Vide *Sexta, Nona.*
Theodorus Archimandrita Canonicis precibus intendit. 1.6.21
Theodoſius iunior Imp. cum ſororibus ſuis ſummo mane alternis Pſalmos cane-

Digitized by Google

canebat. 1.6.25
Theodoſius ſenior Imper. auditâ muſicâ luctuoſâ Antiochenis conciliatur. 1.13.34
Thomæ à Kempis in pſallendo pietas & ardor. 3.7.2
SS. Trinitatis myſterium tertia quoque hora in Eccleſia celebratur. 1.18.22
Tunica talaris Ioſeph quid moraliter ſignificet 3.5.5

V.

SS. *VValdetrudi* & Aldegundi à S. Petro templi fores panduntur, vt Horas recitent. 3.8.1
Verſiculi quid ſignificent, qui diuino officio paſſim interponuntur. 1.30.52

Veſpera.

Veſpertina hora celebris apud Patres antiquos. 1.25.1
Veſpertinæ horæ myſteria. 1.25.3
Veſperis cantandis tres horæ aſſignantur, decima, vndecima, maximè verò duodecima. 1.25.10.& ſeqq.
Veſperas dicere priuatim in Quadrageſima ante refectionem ſolum eſt conſilij, publicè verò præcepti. 1.30.30
Ad veſpertinam orationem ſcriptura nos inducit. 3.5.1
Ad eandem nos inuitant SS. Patres. 3.5.2.& ſeqq.
Veſpertinam orationem exhibendam rationes ſuadent. 3.5.5.& ſeqq.
Vide *Hora Lucernaris.*

Vigiliæ.

Vigiliæ introductæ in Eccleſiam à temporibus Apoſtolorum. 1.20.1
Inductæ exemplo Chriſti & Sanctorum. 1.20.2.& ſeq.
Multæ earum congruentiæ. 1.20.4
Ad ſacras vigilias olim promiſcuè Clerici & laici conuolabant. 1.20.8
Vigiliarum antiquitas ex Patribus conſtat. 1.20.9.& ſeqq.
Vigilias non abrogauit S. Ambroſius, ſed potius in meliorem formam redegit. 1.20.18
Vigiliæ ſacræ vitijs creſcentibus paulatim in Eccleſia tolli cœptæ. 1.20.19
In vigilijs celebrandis Clericorum feruor paulatim intepuit. 1.21.12
Ad vigilias nocturnas ſollicitè celebrandas dantur incitamenta. 3.2.1.& ſeq.
Vigiliæ opificum, philoſophorum, Oratorum, &c. 3.2.3
Vide *Matutinum, Nox, Nocturni.*
Vicariam perpetuam vel temporariam obtinens, quando ad Horas teneatur. 2.4.21.

Qua voce diuinum officium proferendum.

Voce alta publicè officium canon. proferendum. 2.27.2
Cum priuatim idem dicitur cum ſocio, ea voce proferendum, vt ab eodem percipi poſſit. 2.27.3
Voce alta vel depreſſâ pro libito quis vti poteſt cum ſolus Horas recitat. 2.27.4
Cùm quis ſolus recitat, non eſt neceſſarium, vt ipſius vox ab aſtantibus audiatur. 2.27.5.& ſeqq.
Vox recitantis priuatim horas tanta eſſe debet, vt ſeipſum intelligat. 2.27.10
Quid *vociferatio* & ἀλαλαγμὸς in Pſalmo. 3.21.10
Vide *Cantus.*
Votum non ſemper intelligitur de opere indebito. 2.5.17
Voto quis probabiliter ſatisfacit, quâuis illud præſtet animo iterum præſtandi, ſine intentione obligationi ſatisfaciendi. 2.18.11

Digitized by Google

X.

Xylophoria feſtum quod fuerit apud Hebræos,& quid myſticè ſignificet. 1,18,9

Z.

Zeno numquam pſalmodiam neglexit. 1.6 14

S. *Zoſimas* Abbas horæ Sextæ officium peragit. 1.6,21

FINIS.

FACVL-

Digitized by Google